



WIDENER
HN SSXF F


VE RI
TAS
ET
SIGILLVM ACADEMIAE HARVARDIANAE IN NOV ANG
CHRISTO ECCLESIAE



COMPENDIUM

THEOLOGIAE MORALIS

A P. JOANNE PETRO GURY, S. J., PRIMO EXARATUM

ET DEINDE

A P. ANTONIO BALLERINI EJUSDEM SOCIETATIS ADNOTATIONIBUS AUCTUM

NUNC VERO AD BREVIOREM FORMAM REDACTUM

ATQUE

AD USUM SEMINARIORUM HUJUS REGIONIS

ACCOMMODATUM

A P. ALOYSIO SABETTI, S. J.

IN COLLEGIO SS. CORDIS AD WOODSTOCK

THEOLOGIÆ MORALIS PROFESSORE



EX OFFICINA

COLLEGII WOODSTOCKIANI IN MARYLANDIA

NEO-EBORACI, CINCINNATI, S. LUDOVICI: APUD BENZIGER FRATRES.

1884.

ii

ROBERTUS FULTON

PRÆPOSITUS PROVINCIÆ MARYLANDIÆ NEO-EBORACENSIS SOC. JESU.

Cum librum, cui titulus COMPENDIUM THEOLOGIÆ MORALIS, etc., a P. ALOYSIO SABETTI nostræ Societatis Sacerdote conscriptum recognoverint et in lucem edi posse probaverint quatuor ejusdem Societatis theologi, quibus id commisimus; potestate ab A. R. P. N. PETRO BECKX Præposito Generali nobis facta, concedimus facultatem ut idem liber typis mandetur, si illis ad quos pertinet ita videbitur.

In cujus rei fidem has litteras manu nostra subscriptas, et sigillo officii munitas dedimus.

L. S. ROBERTUS FULTON, S. J.

PRÆPOSITUS PROV. MARYLANDIÆ NEO-EBORACENSIS.

Neo-Eboraci die 1 *Maii* 1884.

Imprimatur

✠ JACOBUS, *Archiep. Baltimorensis*

Baltimoræ die 20 Maii 1884.

LECTORI

En tibi librum, amice lector, profecto non undequaque novum, sed, ut spero, utilem futurum : habes scilicet Gurianum Theologiæ Moralis Compendium ad novam eamque breviorem formam redactum, atque hujus regionis necessitatibus et moribus accommodatum. Etenim cum longa experientia didicissem quot et quam egregiæ essent hujus libri dotes, præsertim postquam fuit a P. Ballerini multis adnotationibus locupletatus, existimavi melius consilium fore, si illum redderem nostro usui maxime proficuum, quam si novum conscriberem.

Ut autem finem assequerer quem mihi præstitui, necesse fuit imprimis quædam immutare. Per novas enim semperque excrescentes adnotationes non solum moles nimia evaserat, sed etiam confusio non parva solebat studiosorum mentes obnubilare. Quare, adnotationibus omnibus suppressis, plurima illa quæ in iis solide et utiliter dicta inveni, ita in unum composui cum textu, ut hic simul brevior evaderet et plura contineret.

Præterea multa erant in Guriano Compendio quæ pro Gallia essent utilia, sed nihil quod faceret pro hac regione, imo nihil etiam aut parum admodum quod necessarium esset

ad eos casus solvendos qui ex communi consortio catholicos inter et acatholicos oriuntur. Quocirca omnia eliminavi quæ nobis in hisce Statibus degentibus inutilia essent, et eorum loco plura congessi ex Plenariis nostris Conciliis et aliis optimis fontibus. Etenim cum Theologia Moralis magna ex parte consistat in practicis applicationibus, necessario præ se ferre debet quamdam diversitatem et quasi localem characterem pro diversitate regionum.

In Guriano Compendio plura referebantur quæ hodie antiquata habentur, præsertim quæ censuras attingunt. Hæc omnia igitur seposui et Constitutionem "APOSTOLICÆ SEDIS" *breviter explicavi, juxta optimos ipsius Commentatores, præsertim P. Dumas ex quo multa desumpsi. Imo ad dictam Constitutionem sæpe per totum librum lectorem revocavi et recentissima Romanarum Congregationum Decreta suis locis citavi.*

De probabilismo pauca dicta fuerant a P. Gury, et pauciora adhuc de æquiprobabilismo; ac proinde opportunum visum fuit, si fusius de utroque verba facerem: non eo tamen animo ut in controversias abirem, sed tantum ut in tuto poneretur vera doctrina sapientissimi in re morali Ecclesiæ Doctoris, S. Alphonsi, cujus discipulum me esse et fateor et glorior.

Quædam etiam alia, tam quoad formam, quam quoad doctrinam conatus sum castigare, et imprimis citationes omnes

ita meis ipse oculis verificavi, ut quantum humana fallibilitas patitur, nulla dicenda sit erronea.

En igitur qua mente et qua ratione breve hoc et practicum Manuale *ad studiosorum et Missionariorum utilitatem exaratum, elaboravi. Hos enim tantummodo præ oculis habui; scilicet juvenes studiosos qui in nostris Seminariis ad Sacerdotium se parant, et Missionarios qui in vinea Domini jugiter et strenue adlaborant. Primis non prolixæ dissertationes necessariæ sunt, non controversiæ, non dubia, non nova et inusitata doctrinæ capita; sed breves et solidæ solutiones viva Professoris voce enucleandæ. Aliis autem opus est brevi quodam repertorio, in quo solutiones forte oblitæ, uno veluti ictu oculi conspiciantur.*

Unum superest quod addam, scilicet ut iis qui opera et consilio mihi vires addiderunt gratum animum hic exhibeam, et eos quibus in tanta minutarum rerum multiplicitate aliquid emendandum occurrerit, efflagitem, ut id benigne mihi aperiant.

NOTANDA

I. Quoties numerus ex Auctoribus indicatur, is ad Tractatum, de quo agitur apud illos Auctores referendus est: sic, v. gr. si in Tractatu de Legibus reperias "S. Alphonsum, n. 40," intelligas S. Alphonsum, in Tractatu de Legibus, n. 40. Si quando autem locus citatus ad diversum Tractatum spectet, id expresse indicabitur.

II. In citando S. Alphonsum abstinui a referendo numero *Lib.*, propterea quod pro diversitate editionum diversa est eorum distributio.

III. Quoties citatur Ballerini, intelligitur 3a editio, illa scilicet quæ refert responsiones ad difficultates Vindiciarum.

IV. Auctores, ad majorem legentis utilitatem, semper citantur in fine solutionis vel paragraphi.—Sed non est supponendum solutionem ipsam, vel aliquam saltem ex datis rationibus ad eos pertinere; nam ratio cur citentur est, ut apud ipsos videri possit fusius tractata quæstio de qua agitur, utut diversa sit opinio quam ipsi amplectuntur.

TRACTATUS

DE ACTIBUS HUMANIS

CAPUT I.

DE NOTIONE ACTUUM HUMANORUM.

1. Actus *humanus* ille solus dicitur qui procedit a deliberata hominis voluntate. Ratio ex S. Thoma est, quia ille solus dici potest actus vere humanus, quo homo operatur prout homo est, et differt ab irrationalibus creaturis: atqui differt ab illis præcise ex eo quod per liberum arbitrium est dominus suorum actuum. Ergo etc.

Nec dicas 1°. hominem per actum intelligendi essentialiter differre a brutis; nam respondetur hanc differentiam hic considerandam esse non solum quoad operis substantiam, sed etiam quoad operandi modum; quare actus intelligendi vocari potest actus proprius hominis, non autem actus humanus presse sumptus.

Nec dicas 2°. actum quo nostram beatitudinem in genere appetimus esse actum humanum proprie dictum, cum sit perfecte voluntarius et a perfecta cognitione procedat; nam respondetur nos hic considerare hominem ut est ens morale, ejusque actiones ut sunt dignæ laude vel vituperio; tales autem non sunt nisi quatenus procedunt a libero arbitrio, quod fundamentum est imputabilitatis.—Unde quamvis actus voluntatis necessarius, si spectetur secundum suam physicam entitatem, vocari possit *humanus*, consideratione tamen morali, et apud theologos maxime in usu, non potest.—Hinc sequitur actus *humanos*, *morales* et *liberos* idem in re morali significare, et posse promiscue adhiberi.

Alii autem actus qui non referuntur ad mores et fiunt in homine aut ab homine absque ulla deliberatione, ut sunt motus *primo-primi*, vel actus hominis penitus distracti, somniantis, delirantis, amentis, ebrii aut usu rationis quomodocumque destituti, dicuntur *actus hominis*, non autem *humani*.—Cf. S. Thom. 1–2. q. 1. art. 1.—Suarez, in 1–2. tract. 1. disp. 2. sect. 2. n. 7.—Baller. not. (a) p. 1.

2. Actus humanus multipliciter distinguitur; est enim:

1°. *Elicitus*, vel *imperatus*. *Elicitus* dicitur qui consummatur in ipsa voluntate, ut actus amoris, odii, desiderii; *imperatus* vero qui, imperante voluntate, perficitur ab alia potentia, vel interna, ut actus cogitandi, vel externa, ut actus ambulandi, scribendi.

2°. *Internus*, vel *externus*. Actus *internus* ille est, qui tantum internis animæ potentiis perficitur, qualis est actus cogitandi, amandi; actus vero *externus*, seu *mixtus*, ille est, quem voluntas per corporis organa perficit. Actus internus specialius *actus* dicitur, et actus externus potius *actio* nuncupatur.

3°. *Bonus, malus, indifferens*. Actus *bonus* dicitur ille, qui conformis est rectæ rationi; *malus*, qui eidem repugnat; *indifferens*, qui rationis normæ neque conformis est, neque repugnat.—Actus bonus aut indifferens, quïa nulla lege prohibetur, vocatur etiam *licitus*; malus vero, quia opponitur legi naturali aut positivæ, *illicitus* dicitur.

4°. *Naturalis*, vel *supernaturalis*. *Prior* ille est, qui solis naturæ viribus producitur; *posterior* vero, qui auxilio divinæ gratiæ perficitur. Supernaturalis actus dicitur insuper *meritorius* vel *de condigno*, vel *de congruo*, prout ipsi retributio aliqua rependitur vel ex justitia, vel ex mera decentia et ex benignitate Dei.

5°. *Validus*, vel *invalidus*. Actus *validus* ille est, qui gaudet omnibus requisitis essentialibus ad proprium effectum producendum; *invalidus* autem, qui vel uno quopiam ex essentialibus caret.

CAPUT II.

DE IIS QUÆ ACTUM HUMANUM CONSTITUUNT.

3. Ut ex ipsa definitione actus humani colligitur, tria concurrunt ad eum constituendum; scilicet *cognitio, volitio*, et *libertas*. Quoniam de cognitione sermo erit per totum Tractatum de Conscientia, hic tantum dicetur de volitione et libertate sub solo vocabulo *voluntarii*; non quia voluntarium et liberum idem sint, sed quia in actibus quibus homo viator ad finem suum tendit, reipsa nunquam separantur, et exinde promiscue adhibentur a theologo morali. Primo autem notio quædam hic dabitur de voluntario in genere, et deinde de voluntario in specie, seu

potius de voluntario indirecto, nam hæc species voluntarii scitu valde necessaria est, et difficultatibus obnoxia.

ARTICULUS I.

DE VOLUNTARIO IN GENERE.

4. Voluntarium, juxta S. Thomam, est id, "cujus principium est in ipso operante . . . ita tamen quod ipse operans sciat singulas circumstantias, quæ concurrunt ad operationem:" seu est actus procedens a voluntate illuminata ab intellectuali cognitione singulorum, nempe objecti, finis, et circumstantiarum.—Cf. S. Thom. 3. *Ethicor.* lect. 4.

5. Multiplex distinguitur voluntarium, scilicet:

1°. *Perfectum*, vel *imperfectum*. *Prius* illud est quod fit cum plena cognitione et pleno voluntatis consensu; *posterius* vero quod ex subobscura cognitione, aut imperfecto consensu procedit.

2°. *Voluntarium simpliciter*, vel *secundum quid*. *Prius* nonnunquam definitur id quod fit ex plena voluntatis deliberatione et inclinatione; *posterius* id quod fit cum voluntatis consensu, sed cum aliqua repugnantia, seu quapiam inclinatione voluntatis in oppositum. At sæpius Doctores partitionem hanc diversa ratione intelligunt et explicant. Nam *voluntarium simpliciter* dicunt illud quod procedit a voluntate hominis absoluta et efficaci; et si detur in contrarium conditionata quædam *nolleitas*, ita ut extra hunc casum non fieret, prout contingit in nauta qui, urgente tempestate, merces projicit in mare, tum illud vocant *voluntarium simpliciter et involuntarium secundum quid*, vel brevius *voluntarium simpliciter mixtum*. Quod si nulla adsit mixtura involuntarii, quia nulla datur actualis conditionata nolleitas, prout accidit in peccatore serio pœnitente ex metu gehennæ, tunc dicitur *voluntarium simpliciter purum*.—*Voluntarium* autem *secundum quid* ab iisdem Doctoribus vocatur illud, quod est juxta voluntatem hominis conditionatam et inefficacem, licet hic et nunc adsit nolitio prævalens; v. gr., lusor libenter produceret lusum, nisi urgeret tempus Sacri.—Cf. S. Thom. 1–2. q. 6. art. 6.—S. Alphons. n. 9. et 21.—Voit. n. 4.

3°. *Directum*, vel *indirectum*. *Prius* est illud, quod in *se ipso*, seu *per se* intenditur, id est, quod in ordine intentionis immediatum est objec-

tum voluntatis, quamvis forte valde remotum sit in ordine executionis; *posterius* autem illud dicitur, quod non est volitum *in se* sed *in alio*, aut potius secuturum prævidetur *ex alio* directe volito, uti effectus a causa, vel ut aliquid ipsi connexum, v. gr. ebrietas in potatione excessiva, vel homicidium ex temeraria lapidis projectione.—Hinc sæpe Doctores eamdem partitionem exprimunt nomine *voluntarii in se* et *voluntarii in causa: directi* autem et *indirecti voluntarii* nomine utuntur cum S. Thoma ad designandum voluntarium *positivum* et *negativum*.—Cf. S. Thom. 1–2. q. 6. art. 3.—S. Alphons. n. 9.

4°. *Positivum*, vel *negativum*. *Prius* dicitur quod est a voluntate reipsa agente, seu quod actionem positivam requirit, puta lectionem; *posterius* vero illud est, quod procedit ex omissione actus a voluntate dependentis; non quatenus nullus a voluntate ponatur actus qui sit causa aut occasio voluntarii *negativi*, sed quatenus nullus requiratur actus positivus qui sit de essentiali *illius* ratione.—Cf. S. Thom. 1–2. q. 71. art. 5., et q. 6. art. 3.

5°. *Expressum*, vel *tacitum*. Dicitur *expressum*, si verbis aut signis manifestetur; *tacitum* vero, si ex facto aliquo, aut omissione deprehendatur adesse.

6°. *Actuale, virtuale, habituale*, et *interpretativum*. Dicitur *actuale* illud, quod a voluntate actualiter agente procedit, ut v. gr. contritio in eo, qui hic et nunc pœnitentiæ actum elicit. *Virtuale* est actus voluntatis jam positus, qui tamen adhuc ita perseverat, ut virtutem suam hic et nunc exerat in id quod peragitur, cujus proinde vera causa existit. Talis est intentio sacerdotis, qui ex voluntate actuali consecrandi aut absolvendi, Missam inchoat aut confessionale ingreditur, sed paulo post ita distrahitur, ut amplius non advertat ad verba quæ profert; nihilominus vere consecrat et absolvit virtute intentionis quam habuit, et quæ moraliter perseverat et agit. *Habituale* vocatur illud, quod a voluntate quidem fuit actu emissum, non adhuc est revocatum, at in actionem præsentem non influit, quia est vel somno, vel ebrietate, vel notabili temporis mora interruptum; unde dicit puram concomitantiam, non autem causalitatem relate ad actionem nunc ponendam. *Interpretativum* nuncupatur, si nullo modo est habitum, sed prudenter præsumi potest, et haberetur, si de eo cogitaretur, aut cogitari posset. Sic in-

firmus sensibus destitutus, si christiane vixerit, censetur Extremam Unctionem velle suscipere.

ARTICULUS II.

DE VOLUNTARIO INDIRECTO, SEU IN CAUSA.

6. Voluntarium indirectum seu in causa, ut dictum est, non intenditur *in se* sed in alio directe volito, et ex illo, tanquam effectus ex causa, cernitur secuturum. Nihilominus est verum voluntatis objectum, licet indirectum; qui enim vult causam, vult quoque effectum ex ea provenientem, si effectum hunc prævideat. Hinc effatum: *qui est causa causæ est causa causati.*—Attamen voluntarium istud non semper imputatur ad peccatum; ut autem cognoscas quandonam imputari debeat, attendas ad duo sequentia principia.

7. ***Principium I.***—Effectus malus sequens ex voluntario indirecto tunc tantum ad culpam agentis imputatur, cum tres sequentes conditiones verificantur: 1°. ut agens effectum *saltem in confuso* præviderit: 2°. ut potuerit causam non ponere: 3°. ut teneatur causam non ponere, aut positam tollere. Nam requiritur *prævisio saltem in confuso,* quia effectus nullo modo prævisus et, ut ait S. Thomas, *præcogitatus,* nequit ullo modo esse voluntarius. Requiritur insuper *ut causa potuerit non poni,* quia libertas est fundamentum imputabilitatis, et peccatum quod evitari non potest, repugnat. Requiritur demum *obligatio impediendi causam,* quia nemo tenetur causam auferre, cum illius ponendæ jus habet repositum in necessitate, utilitate vel honestate. Unde omni culpa caret, qui dum ad propriam vel aliorum utilitatem studet materiis sexti præcepti Decalogi, turpes motus, vel etiam pollutionem prævidet se passurum, et postea de facto patitur. Adverte tamen sedulo, quandoque nullum jus haberi ad ponendam causam, imo adesse legem strictam de ea non ponenda, nihilominus effectum malum prævisum, et postea secutum, non imputari ad culpam, quia lex illa non est de *evitanda causa in ordine ad talem effectum.* Quare qui edit carnes die Veneris cum prævisione pollutionis, frangit quidem legem Ecclesiasticam, at pollutio ei non imputatur.—Cf. S. Alphons. n. 10. et 14., et de sexto præc. Decal. n. 483. et 484.—Voit, n. 6.—Baller. not. (a) p. 396. vol. 1.

8. ***Principium II.***—Licet ponere causam bonam aut indifferentem ex qua immediate sequitur duplex effectus, unus bonus alter vero malus, si adsit ratio proportionate gravis, et finis agentis sit honestus. Ratio principii est, quia hoc nequit esse illicitum 1°. ratione finis, nam hic supponitur honestus, et effectus malus qui prævidetur secuturus, non intenditur, sed mere permittitur; neque 2°. ratione causæ, quia hæc debet esse bona, aut saltem indifferens, vel etiamsi mala sit, requiritur ut non sit mala ob secuturum illum effectum; quia tunc contraheretur utique malitia causæ, at non malitia effectus. — Præterea ut principium sit verum, præter duas recensitas conditiones, quæ respiciunt finem et causam, duæ aliæ adesse debent.

Requiritur igitur 3°. ut bonus effectus saltem æque immediate ex causa sequatur. Ratio est, quia si causa directe et immediate pravum habet effectum, et nonnisi mediante illo bonus effectus provenit, tunc bonum ex malo quæritur; jamvero nunquam fas est malum, quantumvis leve, patrare ad bonum quodcumque procurandum; nam juxta pervulgatum axioma ex Apostolo depromptum: Rom. iii. 8., *Non sunt facienda mala, ut eveniant bona.*

Requiritur 4°. ut adsit ratio proportionate gravis ponendi causam; quia æquitas naturalis nos obligat ad vitanda mala et præcavenda proximi damna, quando id sine damno proportionate gravi possumus. Hoc autem damnum perpendendum est non unice ex incommodo quod agens tunc pateretur, sed etiam ac multo magis, ex communi omnium incommodo si generatim id exigeretur. Dixi *ratio proportionate gravis;* nam gravior hæc esse debet, quo propinquior est nexus inter causam et effectum, quo major est hujus malitia, et quo minus juris habetur ad actionem in se spectatam.—Cf. S. Thom. 2-2. q. 64. art. 7.—S. Alphons. de sexto præc. Decal. n. 483. et 484.

9. ***Resolves.***—1°. Voluntariæ sunt in causa et ad peccatum imputabiles blasphemiæ, impudicitiæ, rixæ aut injustitiæ quæ in ebrietate fiunt, quando prævideri possunt; sufficienter autem prævidentur ex consuetudine talia in hoc statu peragendi.

2°. Non peccat belli dux qui, tempore obsidionis, ad arcendum hostem incendat agros, etc., etsi per accidens patiantur incolæ innocentes. Item si incendat turrim, in qua simul cum hostibus forte peregrini bello

extranei includuntur; quia causa damni hujus est in se honesta, damnum autem innocentium mere *per accidens* sequitur, nec intenditur, sed tantum permittitur.

3°. Peccat graviter puella quæ, ex delicto gravida, abortum procurat ad vitandam infamiam; quia abortum directe intendit tanquam medium, quo se ab infamia liberet, ideoque bonum ex malo quærit.

4°. Si causa remote et leviter influat in effectum malum, et ex ea etiam sequatur aliquis bonus effectus, quamvis non præponderet, aut non æquivaleat malo, non est obligatio auferendi causam; quia minor ratio requiritur ad ponendam causam leviter tantum et remote influentem in malum, quam si graviter et proxime influeret. Hinc non teneris abstinere a colloquio honesto et utili propter carnales motus inde exurgentes.

5°. Si vero causa, remote et leviter influens, sit in se venialiter mala, aut ex ea nullus sequatur bonus effectus, obligatio aderit eam auferendi, sed levis, et sub veniali tantum, nisi agatur de gravi proximi damno; ratio est, quia ista obligatio æstimanda est juxta quantitatem influxus causæ. Cum enim effectus non sit voluntarius, nisi in causa, et leviter ac remote contineatur in causa, leviter est in ea voluntarius, adeoque leviter ad culpam imputabilis, et idcirco levis adest obligatio auferendi causam ob illum effectum.

6°. Omissio actuum, de quibus homo nullatenus cogitat, in se et directe nullatenus est voluntaria; quia illi actus sunt impossibiles, cum advertentiam agentis penitus effugiant. Attamen talis omissio potest esse voluntaria et imputabilis in causa, si oblivio seu inadvertentia ex præcedenti negligentia proveniat.

7°. Qui scienter ponit causam actionis vel omissionis, in eo instanti malitiam coram Deo contrahit, etsi actio vel omissio reipsa non sequatur; et proinde eam uti volitam confiteri tenetur.

Ex eisdem principiis circa voluntarium indirectum et in causa innumeræ aliæ pendent resolutiones, præsertim ubi de scandalo, et ubi de cooperatione sive ad alterius peccatum, sive in damnum proximi, sermo erit.

CAPUT III.

DE IIS QUÆ ACTUM HUMANUM MODIFICANT.

ARTICULUS I.

DE IGNORANTIA.

10. Ignorantia, generatim sumpta, est carentia scientiæ; dividitur autem multipliciter, et est:

1°. *Positiva*, vel *negativa*, prout est carentia scientiæ debitæ, v. gr., theologiæ moralis in confessario; vel indebitæ, v. gr., ignorantia juris canonici in rustico.

2°. *Juris*, vel *facti*, prout versatur circa legis, vel facti particularis existentiam.

3°. *Vincibilis*, vel *invincibilis*, prout, adhibita diligentia, vinci potest, vel non.—Invincibilis autem ignorantia est *physice* talis, si nullo modo vinci possit; *moraliter* vero, si adhibita morali diligentia, ea scilicet, quam viri prudentes pro rei gravitate adhibere solent, tolli nequeat.

Ignorantia vincibilis triplex distinguitur, scilicet 1°. *simpliciter talis*, quando ad eam depellendam diligentia aliqua, non tamen sufficiens, adhibetur: 2°. *crassa* seu *supina*, quando nullum aut vix ullum in veritate indaganda studium apponitur: 3°. *affectata*, quæ est directe volita, ut cum quis directe et positive vult aliquid ignorare, sive ut liberius peccet, sive ut excusationem habeat a peccatis, sive propter aliud.

Ad ignorantiam invincibilem referenda est oblivio perfecta, et inadvertentia plena. Hæ autem, si non sint perfectæ, et ex negligentia procedant, ad ignorantiam vincibilem spectant.

4°. *Antecedens*, vel *consequens*, prout præcedit actum voluntatis, vel ipsum subsequitur, unde *prior* dicitur etiam involuntaria, invincibilis, adeoque inculpabilis; *posterior* autem voluntaria, vel directe, vel indirecte, vincibilis et plus minusve culpabilis: utraque autem est causa volendi seu faciendi id quod non fieret, si scientia adesset. Hoc ultimum dumtaxat, nempe—quod ipsa sit causa cur voluntas vult quod alias non vellet — addit ignorantia antecedens vel consequens supra ignorantiam simpliciter invincibilem, cui id non necessario competit. —Cf. Baller. not. (b) p. 13.

Hic quoque facienda est mentio ignorantiæ *concomitantis*, quæ habetur cum quis ignorat quid agit, sed adhuc ageret, etiamsi non ignoraret, v. gr., si quis occideret hostem putans esse feram, illum tamen adhuc occisurus si non ignorasset. Ipsa nullo modo influit in actum, sed per *accidens* tantum illum comitatur.—Cf. S. Alphons. n. 26. et seqq.

11. ***Principium.***—Ignorantia invincibilis omnino tollit voluntarium, quia nullum voluntarium adesse potest ubi nulla habetur cognitio; at illud non tollit ignorantia vincibilis. Talis enim ignorantia est vere voluntaria sive directe, sive indirecte et in moralibus quod ex voluntario causatur voluntarium reputatur; attamen si hæc ignorantia sit indirecte voluntaria, nempe vel *simpliciter vincibilis*, vel *crassa* seu *supina*, tunc imminuit voluntarium, et consequenter peccatum, quia minuit quamvis diverso gradu cognitionem malitiæ actus. Si autem est directe voluntaria, hoc est, *affectata*, tunc, juxta S. Thomam, "talis ignorantia non excusat peccatum nec in toto, nec in parte, sed magis auget." —Verum hæc major malitia intelligenda esse videtur de pravitate voluntatis, dum *positive negligit* addiscere legem ut liberius peccet, non autem de ipsa infractione legis, quæ est utique peccaminosa, quia aliquomodo cognita, sed minus tamen, quam si perfecte cognosceretur.—Cf. S. Thom. QQ. DD. q. 3. *De Malo*, art. 8.

12. ***Resolves.***—1°. Conjux peccans cum muliere, quam invincibiliter ignorat esse sororem uxoris suæ, reus est adulterii, non tamen incestus.

2°. Pueri, qui egerunt de se illicita sine ullo angore conscientiæ, vel suspicione malitiæ, reipsa formaliter non peccarunt, etsi usum rationis adepti jam fuerint; et proinde postea non tenentur ea confiteri, dum esse illicita intelligunt, cum peccata materialia non sint materia confessionis.

3°. Si confessarius advertat sibi deesse sufficientem scientiam ad fungendum, uti par est, officio suo, et negligat scientiam acquirere, aut antequam illam acquirat, pergat munus suum exercere, reus est errorum, quos aliquo saltem modo prævidit, quia ipsi, saltem in causa, sunt voluntarii.

4°. Si negligentia in deponenda ignorantia sit tantum venialiter culpabilis, factum ex ea sequens ad culpam tantum venialem erit im-

putabile; quia ejusmodi actus sunt voluntarii, atque adeo culpabiles tantum in causa; cum ergo causa, ignorantia scilicet, ad gravem culpam non pertingat, effectus quoque levem culpam excedere non potest.

ARTICULUS II.

DE CONCUPISCENTIA.

13. Nomine *concupiscentiæ* hic venit, non quidem insitus ille pravarum cupiditatum fomes, de quo conqueritur Apostolus, Rom. vii. 23. sed motus appetitus sensitivi, quo tendimus ad bonum sensibile, seu uti post Damascenum inquit S. Thomas, 3. dist. 26. q. 1. art. 1: "motus appetitivæ virtutis sensibilis qui est ex imaginatione boni vel mali."

Duplex autem distinguitur concupiscentia ita intellecta, nam alia est *antecedens*, et alia *consequens*. Prior est, quæ ordine causalitatis quamlibet præcedit voluntatis deliberationem seu consensum, eamque ad consentiendum allicit ac trahit. Posterior vero est, quæ ordine causalitatis actum voluntatis sequitur, sive quia vehemens voluntatis motus redundat in inferiorem appetitum, sive quia hunc ipsum voluntas directe et de industria excitat. Quæ ex mera redundantia producitur, *in causa* dumtaxat voluntaria est; quæ directe et de industria excitatur, voluntaria est *in se*.—Cf. Baller. not. (b) p. 14.

14. ***Principium I.***—Concupiscentia antecedens non tollit, sed potius auget voluntarium, prout hoc nomine significatur voluntatis inclinatio; minuit autem ac etiam penitus tollit, prout significatur judicium rationis et voluntatis indifferentia.—Ratio *primi* est, quia per concupiscentiam voluntas inclinatur ad volendum id quod concupiscit, et aliunde non impeditur a cognoscendis saltem qualitatibus rei sensibilibus, imo magis in eis considerandis occupatur: ergo actus ab ea procedens fit per se ex pleniori et magis intrinseca voluntatis propensione.—Ratio autem *secundi* est, quia concupiscentia mentem avertit a considerandis objecti incommodis ac defectibus, et minuit indifferentiam voluntatis. Quando autem tanta est passio, ut usum rationis penitus auferat, prouti fit in his qui propter amorem vel iram insaniunt, actus est indeliberatus, et ea ratione omnino redditur involuntarius.—Cf. S. Thom. 1-2. q. 6. art. 7., q. 73. art. 6., et q. 77. art. 2. 6, et 7.

Principium II.—Concupiscentia consequens neque auget neque diminuit voluntarium, sed potius ut ait S. Thomas, 1–2. q. 77. art. 6: "est signum magnitudinis ejus, in quantum demonstrat intentionem voluntatis ad actum." Ratio *primi* est, quia actus voluntatis rationalis in ea hypothesi antecedit motum concupiscentiæ, sicut causa præcedit effectum. Posterior ergo rationis perturbatio, quam concupiscentia inducit, non potest afficere actum qui jam præcessit, ideoque nec voluntarii rationem minuere aut augere. Ratio autem *secundi* est, quia, ut habet S. Thomas, *de Malo*, q. 3. art. 11: "quando ex forti motu voluntatis commovetur appetitus sensitivus ad passionem, passio addit meritum vel demeritum, quia est signum, quod motus voluntatis sit fortior: et hoc modo verum est, quod ille qui cum majori compassione facit eleemosynam, magis meretur, et qui cum majori libidine facit peccatum, magis peccat: quia hoc est signum, quod motus voluntatis sit fortior."

15. ***Resolves.***—1°. Concupiscentia antecedens minuit meritum vel demeritum actus; nam minuit liberum, ex quo habet actus ut sit laude vel vituperio dignus, meriti vel demeriti capax.

2°. Concupiscentia consequens nihil per se et formaliter confert bonitati vel malitiæ morali, merito vel demerito actus, at potius hujusce actus moralitatem, meritum vel demeritum induit; quamvis, ut dictum est, signum sit et indicium majoris aut minoris meriti vel demeriti.

3°. Concupiscentia quæ ita consequitur voluntatis actum, ut fuerit excitata et volita, bona et laudabilis est in se, si inordinata aut immoderata non sit, et ad finem honestum referatur.— Cf. Suarez, in 1–2. tract. 2. disp. 3. sect. 3. n. 1.

NOTA.—*De concupiscentia, prout est pravarum cupiditatum fomes et ad peccatum voluntatem inclinat, agemus infra, ubi de peccatis.*

ARTICULUS III.

DE METU.

16. Metus est trepidatio mentis ob aliquod periculum instans vel futurum sibi aut proxime conjunctis; communiter autem sic dividitur:

1°. Metus *gravis*, vel *levis*, prout timetur malum vel *grave*, uti mors,

mutilatio, dura carceratio, notabile famæ detrimentum, magna bonorum jactura, etc.; vel *leve* seu mediocre incommodum, uti amissio rei levis momenti, exiguum famæ detrimentum; vel etiam *grave*, sed ex levi causa, aut quod facile averti possit, etc.

Metus autem gravis est talis *absolute*, vel *relative*. Metus dicitur *absolute gravis*, cum mala in se vere gravia timentur; *relative* autem *gravis*, quando mala, licet levia in se, gravia tamen sunt respective ad quasdam personas; sic pueri, mulieres, senes timore majori in eodem periculo affici solent, quam viri ætate maturi.

2°. Metus ab *intrinseco*, vel ab *extrinseco*, prout provenit a causa intrinseca, v. gr., a morbo, ab infirmitate mentis, etc., vel a causa extrinseca sive libera, nempe ab homine, sive necessaria seu naturali, ut ex elementis, contagione, etc.

3°. Metus *juste*, vel *injuste* incussus, prouti vel ex causa justa, v. gr., pœnarum promeritarum infertur; vel ex *injusta*, hoc est per injuriam incutitur.—Cf. S. Alphons. n. 20.

Addendus est etiam metus *reverentialis*, qui habetur quando quis timet ne parentes suos, aut alios Superiores habeat offensos. Ad metum justum vel injustum refertur, prout justa vel injusta est ejus causa. Potest autem esse gravis, si prudens timor sit, ne diu vel graviter offensi habeantur, qui metum incutiunt.

17. ***Principium.***—Actus positus ex metu quantumvis gravi, est *simpliciter voluntarius*, quamvis regulariter sit etiam *involuntarius secundum quid*. Ratio *primi* est, quia id dicitur simpliciter voluntarium quod, cognitum tanquam minus malum, hic et nunc assumitur efficaciter uti medium ad aliud malum vitandum.— Hinc semper ut apostatæ habiti sunt qui, metu tormentorum victi, fidem negarunt. Ratio *secundi* est, quia quod ex solo metu fit, repugnat voluntati, et extra hunc casum non fieret.—Cf. S. Thom. 1-2. q. 6. art. 6.—S. Alphons. n. 21.

Dixi 1° *ex metu*, vel *ex solo metu*, quia actus positi *cum metu* vel *ex metu*, sed non tanquam a causa totali seu movente, sunt voluntarii absque ulla admixtione involuntarii.

Dixi 2° *quantumvis gravi*, at excipitur semper casus, in quo tantus sit metus, ut usus rationis penitus auferatur. Quod si metus fuerit sub omni respectu levis, et simul causa totalis actionis, in foro externo qui-

dem non computatur, quia præsumitur non habuisse influxum ; at in foro interno illa actio erit minus peccaminosa pro quantitate influxus seu involuntarii quod causat.

Dixi 3° *regulariter*, quia tunc actio est ex metu involuntaria *secundum quid*, cum in se odibilis est voluntati, quamvis relative, et tanquam medium ad vitandum malum quod timetur, hic et nunc expetibilis appareat. Jam vero id regulariter, non tamen necessario et semper evenit. Qui enim, v. gr., peccatum fugit ad vitandam gehennam, seu ex metu gehennæ, non idcirco fugam peccati habet tanquam odibilem in se, secus vi talis dispositionis, semper peccaret, ac pejor fieret, quod nefas est asserere.—Cf. Conc. Trid. sess. 6. can. 8.

18. ***Resolves.***—1°. Metus ab intrinseco vel a causis naturalibus proveniens non impedit, quominus actus sub ejus influxu elicitus possit esse validus: sic valet votum ex metu mortis in medio naufragio, aut in gravi morbo emissum.—Quod si votum ex metu a causa extrinseca et libera incusso non valet, ratio non desumitur ex absentia voluntarii, sed ex præsentia injuriæ.

2°. Metus etiam gravis non excusat *per se* a peccato mortali, quoties violatio cadit in contemptum religionis: excusat autem cum agitur de lege humana prohibente, aut etiam divina positiva, non quia cessat voluntarium, sed quia legislator censetur nolle obligationem urgere cum tanto incommodo.

ARTICULUS IV.

DE VI, SEU VIOLENTIA.

19. Vis seu violentia est coactio, quæ a causa extrinseca et libera alicui infertur, repugnante ejus voluntate.—Repugnare autem dicitur voluntas, quæ, tum exterius, id est, ope mediorum sibi extrinsecorum, v. gr., precibus dissuadendo, minis deterrendo, vim vi repellendo, etc., tum interius, id est in se ipsa et interiori affectu, resistit quantum potest.

20. ***Principium.***—Actus eliciti a voluntate nullatenus cogi possunt, quia, ut ait S. Thomas: "contra rationem ipsius actus voluntatis est quod sit coactus, vel violentus."—Cæteri autem actus extrinseci voluntati, sive perficiantur a potentiis externis, sive ab internis, uti a phan-

tasia, et appetitu sensitivo, si ex violentia absoluta ponuntur, non sunt voluntarii, nec proinde peccaminosi; si autem ex violentia secundum quid, sunt plus minusve voluntarii pro majori vel minori resistendi difficultate, aut pro majori vel minori affectu quo quis vim patitur.—Cf. S. Thomas, 1–2. q. 6. art. 4.—S. Alphons. n. 17. et 18.

21. ***Resolves.***—1°. Mulier quæ omnimode resistit violentiæ, quæ ipsi infertur, nullo modo peccat, etiamsi copulam habeat; quia nemo peccat omnino invitus.

2°. Peccant graviter fœminæ vim patientes, si pusillanimitate, aut vano timore, v. gr., offendendi aggressorem, etc., non resistunt quantum possunt, etiam secluso periculo consensus, quia, dum minus quam par est resistunt, æquivalenter in sui violationem consentiunt, et crimini alterius cooperantur.

Verum si quæras utrum hæc resistentia tanta esse debeat ut usque ad *clamandum* pertingat, distinctione opus est: si adest periculum proximum consensus, mulier tenetur clamare, spreto quocumque damno, quod aggressor ei minatur, quia peccatum formale debet absolute vitari; secluso autem hoc periculo, iterum est distinguendum; si aggressor copulam non exquirit, contentus tantum tactibus et aliis hujusmodi, tunc, juxta S. Alphonsum, est *valde probabile* non adesse talem obligationem, etiamsi minoris damni quam mortis metus injiciatur. Ratio est, quia talis obligatio non potest oriri neque ratione virginitatis conservandæ, quæ ex hypothesi remanet intacta, neque ratione charitatis, quæ non obligat cum tanto incommodo. Si vero copula exquiritur, tunc, juxta eumdem S. Doctorem, opinio quæ tenet mulierem oppressam non obligari ad clamandum, stante metu mortis, *non caret probabilitate,* sed speculative tantum loquendo; nam practice vix videtur possibile, mulierem hanc non consensuram in delectationem veneream.—Cf. S. Alphons. de quinto præc. Decal. n. 368., et de sexto præc. Decal. n. 430.

3°. Aliquando non requiritur resistentia omnino absoluta et continua illatæ coactioni, quando scilicet ex una parte inutilis foret, ex altera autem agitur de materia minus periculosa. Sic martyres ducti ad templa paganorum non peccabant, quamvis ambularent. At in omni casu resistendum est quantum ad avertendum periculum scandali, vel injuriam religionis requiritur.

CAPUT IV.

DE MORALITATE ACTUUM HUMANORUM.

ARTICULUS I.

DE ESSENTIA MORALITATIS.

22. ***Dico*** 1°. Essentia moralitatis primario consistit in habitudine seu relatione actus humani ad legem æternam, quæ est ratio divina, seu voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, et perturbari vetans. Ratio est, quia illa tantum potest esse primaria regula moralitatis, quæ est suprema norma ordinis infallibilis, indefectibilis, et valens obligare in conscientia; atqui talis est sola lex æterna, ex qua sola ceteræ leges vim obligandi accipiunt. Ergo, etc.

Dico 2°. Essentia moralitatis secundario consistit in habitudine actus humani ad rectam rationem. Nam actiones humanæ nequeunt commensurari supremæ normæ moralitatis, nisi mediante ratione humana, quæ est quædam participatio et consequenter manifestativa divinæ rationis. Hinc:

1°. Ens morale illud omne et solum est, quod substat regulæ morum, seu legi Dei præcipienti aut vetanti aut permittenti. Per illud enim solum ordinamur ad finem nostrum ultimum vel ab eo deordinamur.

2°. Falsum est essentiam moralitatis reponendam esse in sola libertate. Hæc enim prærequiritur tanquam conditio ut actus possit imputari, at non est ratio cur imputetur ad laudem vel vituperium. Nam qui libere agit, non ideo est præmio dignus, sed ille tantum, qui, cum liber sit, agit conformiter divinæ rationi.

3°. Falsum est etiam moralitatem consistere in solo voluntario. Voluntarium enim sine libertate nullo modo est imputabile, quia sine illa homo non esset dominus suarum actionum.

4°. Falsum est opinionem publicam esse regulam moralitatis, quia neque infallibilis est, neque immutabilis, ac proinde cras posset dici iniquum illud, quod hodie reputatur honestum.

5°. Imo leges ipsæ civiles nequeunt esse suprema regula morum, quia leges eatenus commensurant bonitatem vel malitiam actus, quate-

nus honestæ sunt, et rationabiles, ac proinde quatenus participant de superiore alio criterio.—Cf. S. Thom. 1–2. q. 19. art. 4., q. 71. art. 6., et q. 93. art. 3.—S. Alphons. n. 34. et 35.

23. ***Quæsita.***—QUÆR. 1°. *An dentur actus proprie indifferentes, seu moralitate carentes, sive in specie, sive in individuo?*

RESP. Certum est dari actus indifferentes *in specie*, seu actus qui in sua specie expertes sunt moralitatis. Sunt enim actus qui, in se spectati abstrahendo a fine et circumstantiis, nullam habent cum lege aut recta ratione convenientiam aut repugnantiam, ideoque nec boni nec mali reputandi sunt. Sic ambulare, scribere, et innumera similia, sunt actus *per se* indifferentes.—Controvertitur autem quoad actus *in individuo*, seu in agente spectatos; at *communior et probabilior* est sententia, quæ cum S. Thoma negat. Ratio est, quia ad hominem deliberate agentem, adeoque sui actus dominum, pertinet ut actum in debitum finem ordinet; finis autem debitus est qui convenit naturæ rationali, ut rationalis est. Porro actus aliunde ex objecto bonus, aut saltem indifferens, et ita in debitum finem ordinatus, necessario bonus est; actus autem tali ordinatione carens malus est; ergo in nullo casu actus proprie indifferens *in individuo* dabitur.—Cf. S. Thom. 1–2. q. 18. art. 8. et 9., et QQ. DD. *De Malo*, q. 2. art. 4. et 5.—S. Alphons. n. 42. et seqq.

QUÆR. 2°. *An actus externus addat moralitatem actui interno?*

RESP. *Per se* actus externus nullam moralitatem addit actui interno, et ratio est, quia omnis moralitas ab intrinseco, seu a voluntate desumitur; nec actus externus ullam habet imputabilitatem ad meritum vel demeritum sibi propriam et distinctam ab imputabilitate actus interni. Quocirca actus externus non est formaliter, sed tantum materialiter, honestus vel inhonestus. Nec obstat obligatio declarandi actum externum in confessione; declarari enim debet, tum quia sæpe adest reservatio, scandalum, aut damnum aliquod proximi, tum quia constituit unum eundemque actum cum interno, ut dicetur ubi sermo erit de integritate confessionis.—Verum *per accidens* plerumque actus externus auget moralitatem, quia sæpissime est occasio, cur augeatur bonitas vel malitia actus interni, v. gr., ut protrahatur, aut multiplicetur, etc. Actus enim internus adaugetur propter arduitatem boni operis externi vel delectationem mali, aut propter longiorem temporis moram in opere

externo perficiendo necessariam.— Cf. Suarez, in 1–2. tract. 3. disp. 10. sect. 1. n. 3. et 9.

ARTICULUS II.

DE FONTIBUS MORALITATIS.

24. Fontes moralitatis nuncupantur ea principia, quæ actibus humanis speciem, aut speciei modificationem in genere moris tribuunt.

Tres moralitatis fontes numerantur, scilicet: 1°. objectum actus; 2°. circumstantiæ ejusdem; 3°. finis agentis. Tria hæc omnino ad actum bonum requiruntur; si vel unum malum sit, actus malus evadet. Hinc pervulgatum axioma: *Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu.*

§ I.—De Objecto.

25. Objectum illud est, circa quod actus moralis immediate versatur, et in quo proxime et per se terminatur voluntas agentis.

Objectum est *bonum*, vel *malum*, vel *indifferens*, prout rationi, legi, aut recto ordini consentit vel non, aut præter legem seu rectum ordinem se habet. Item potest esse intrinsece bonum, vel malum, id est ratione sui ex recti ordinis exigentia; aut non intrinsece, sed solum ratione præcepti positivi.

Dico: Ex objecto moraliter considerato desumitur prima et essentialis moralitas actus humani; moralitas enim quam objectum actioni tribuit, concipitur ante omnem aliam, quæ sive ex fine sive ex circumstantiis proveniat.

Moralitas quæ ex objecto desumitur, appellatur moralitas seu bonitas vel malitia *objectiva.*—Si objectum fuerit in se indifferens, tunc actus ex fine vel ex circumstantiis moralitatem suam accipiet.

Objecta autem intrinsece mala sunt triplicis classis, scilicet: 1°. Quædam sunt talia *absolute,* et independenter ab omni circumstantia; quia ex se involvunt repugnantiam cum recto ordine absolute necessario, ut est odium Dei, blasphemia, etc.—2°. Alia sunt *intrinsece* mala, non præcise in se, sed ratione adjuncti aut conditionis alicujus, quæ pendet a dominativa potestate Dei, aut hominis: talia sunt ablatio rei alienæ, læsio corporis vel famæ, et similia quæ aliquando licita evadunt.—3°.

Alia tandem mala sunt tantum ratione periculi, quod ordinarie adjunctum habent, ut aspectus objecti turpis, lectio pravi libri, etc. . . . Hæc, data rationabili causa, et remoto periculo, licita fieri possunt.

§ II.—De Circumstantiis.

26. Circumstantiæ sunt determinationes accidentales actus, sine quibus hic posset quoad substantiam existere, et quæ tamen attingunt aliquo modo moralitatem ejusdem. Septem numerantur circumstantiarum classes, hoc versiculo expressæ:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando?

Scilicet: *Quis*, seu qualis sit agens, uxoratus, clericus, etc.?—*Quid*, seu quæ sit accidentalis qualitas aut quantitas objecti?—*Ubi*, seu quonam in loco, an sacro vel profano etc.? —*Quibus auxiliis*, id est, quibusnam mediis, instrumentis, etc., usus fuerit agens?—*Cur*, seu ex quali fine, nempe extrinseco?— *Quomodo*, nempe an malitiose vel bona fide, an modo intenso vel remisso, an advertenter, necne?— *Quando*, id est, quali, vel quanto tempore?—Cf. S. Thom. 1–2. q. 7. art. 3. et 4.

Dico. Actus humanus veram moralitatem desumit ex circumstantiis. Ratio est, quia circumstantiæ, quæ non possunt una cum objecto directe vel indirecte non intendi, actum eo ipso afficiunt, prout est actus humanus, et subjacet regulis morum: atqui sæpe relationem habent convenientiæ vel disconvenientiæ cum ratione et recto ordine. Ergo actum afficiunt in esse moris seu quoad moralitatem; imò ejusmodi convenientiam aut disconvenientiam interdum solæ circumstantiæ in actum inducunt, ut contingit in actibus ex objecto indifferentibus.

Hinc 1°. circumstantiæ aliæ sunt quæ ad moralitatem actus attinent, aliæ quæ ad eam nihil conferunt, quæque proinde prorsus indifferentes habendæ sunt.—2°. Aliæ in eadem specie morali objectum relinquunt, et aliæ speciem ipsam mutant, seu novam speciem superaddunt.—3°. Ex prioribus, aliæ malitiam aggravant, aliæ vero minuunt, idque graviter vel leviter efficiunt. Si ita aggravent, ut peccatum ex veniali reddant mortale, aut ita minuant, ut ex mortali veniale reddant, actus in eadem specie *morali* manens dicitur mutari quoad speciem *theologicam.*

§ III.—De Fine.

27. Finis in genere est id, cujus gratia aliquid fit: duplex autem distinguitur, scilicet *finis operis*, nempe finis ipsi operi intrinsecus, et ad quem opus per se tendit; et *finis operantis*, id est, ad quem agens ad libitum intentionem suam dirigit, seu quem agens sibi præstituit, sive idem sit cum fine operis, sive ab eo sit diversus et operi extrinsecus. De hoc tantum posteriori fine dicendum nobis est, quippe qui solus proprie finis dicitur.

Est autem finis ille: 1°. *intermedius*, vel *ultimus*, prout ad alium finem refertur, vel voluntas in eo quiescit; 2°. *positive*, vel *negative ultimus*, seu, quod idem est, *simpliciter* et quoad omnia, vel *secundum quid* et in aliqua tantum serie *ultimus*, prout intenditur, vel non intenditur cum exclusione cujuscumque alterius finis ultimi; 3°. *primarius*, vel *secundarius*, prout primo per se, vel consecutive tantum et cum subordinatione ad primarium intenditur. Iterum finis ultimus potest esse *explicite*, vel *implicite* intentus, prout agens *expresse* aut *virtualiter* tantum hujusmodi fine impellitur.

Dico 1°. Actus humanus veram moralitatem a fine desumit. Ratio est, quia finis libere intentus ultimo ordinat actum ad hoc, ut sit vel non sit conformis rectæ rationi. Hæc autem ordinatio diversa est ab illa, quam actui tribuunt objectum et cæteræ præter finem circumstantiæ. Sic rectæ rationi conforme est non solum dare eleemosynam, sed etiam eam dare in peccatorum remissionem; sicut pariter rectæ rationi repugnat non solum furari, sed etiam furari ad se inebriandum.

Dico 2°. Peccat qui agit propter solam delectationem, quam ne implicite quidem aut virtualiter refert ad ulteriorem finem. Ratio est, quia delectatio est tantum medium ad actiones facilius, melius, et constantius efficiendas, non autem finis ultimus actionis. Ergo ille qui agit propter solam delectationem pervertit ordinem rerum ab auctore naturæ institutum. Idem constat ex prop. 8. ab Innoc. XI. damnata, quæ sic sonat: "Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui." — Porro, hæc propositio, ut animadvertit P. Viva, damnata fuit tum propter comma *usque ad satie-*

tatem, tum propter vocem *solam.*—Cf. S. Thom. 1–2. q. 4. art. 2.—Viva, in cit. prop. n. 5. et 6.

Notandum tamen est 1°. hanc deordinationem *per se* non esse gravem, et proinde peccatum veniale non excedere; nam qui ita se gerit, ex una parte non rem malam, sed bonam potius indebito ordine appetit, siquidem, ut ait S. Thomas, *con. Gent.* lib. 3. cap. 26. n. 6: "delectatio bona est, et appetenda, si bonam consequatur operationem," et ex alia parte non reponit *ordinarie* finem ultimum vitæ suæ in hoc indebito appetendi modo, nisi sit de eorum numero, de quibus ait Apostolus, Philip. iii. 19: "quorum Deus venter est."—Cf. S. Alphons. tract. de peccat. n. 73., et tract. de matrim. n. 912.

Notandum est 2°. deordinationem istam tunc tantum locum habere, cum quis ita propter solam delectationem agit, ut ulteriorem honestum finem *positive* excludat. Nam non peccat, ne venialiter quidem, qui delectationem cibi, v. gr., vel ludorum, expresse quærit, etiamsi actu non cogitet de ulteriori fine, dummodo finem hunc ulteriorem aliqua ratione virtualiter intendat, puta, quia vult generatim in his omnibus honeste se habere, nihilque admittere contra rectæ rationis præscriptum, aut quia consuevit ea assumere propter aliquam animi vel corporis utilitatem, etc. Ille enim propter delectationem forte, at non propter *solam* delectationem agere dicendus est. — Cf. Viva, in prop. 8. dam. ab Innoc. XI. n. 6.—Salmantic. de matr. cap. 3. n. 33. — Baller. not. (a) p. 26.

28. ***Quæsita.*** — QUÆR. 1°. *An finis quilibet malus totam actus bonitatem corrumpat?*

RESP. Finis graviter malus semper actum omnino inficit, quantumvis bonum sit objectum in se. Actus enim ille nulla ex parte bonus esse potest, siquidem agens, peccando mortaliter, a Deo totaliter recedit. Finis autem *leviter* malus etiam totum actum corrumpit, si sit finis *totalis,* vel saltem *primarius* agentis. Etenim si sit *totalis,* totum objectum complectitur, et proinde totum inficit, quia, ut inquit S. Thomas, "agens malo fine vult bonum sub ratione mali, et ideo, prout volitum est ab eo, malum est."—Si vero duplex habeatur finis, et malus sit *primarius,* eodem modo est resolvendum, quia actus ille adhuc eligitur, ut sit instrumentum ad malum, et proinde substantialiter vitiatur.—De-

mum, si finis leviter malus sit mere secundarius, probabilius non corrumpit totum actum, ac proinde hic erit partim bonus, partim malus. Ratio est, quia actus ille bonitatem suam ex objecto retinet: finis autem malus se habet tantum *concomitanter*, nec in ipsam actionis substantiam influit. Si secus esset, pauciores actus boni reperirentur.—Cf. S. Thom. 1–2. q. 19. art. 7.—Billuart, dissert. 4. a. 4.

QUÆR. 2°. *An omnes actiones nostræ ad Deum referri præcipiantur per verba Apostoli*, I. Cor. x. 31: '*Omnia in gloriam Dei facite*'?

RESP. *Neg.*, si agatur de obligatione referendi *actualiter* et *explicite* omnes et singulas actiones nostras in Dei gloriam. Ratio est non solum, quia præfata verba accipi possunt, et revera a pluribus Doctoribus accipiuntur sensu *negativo*, quatenus significent, *nihil contra Deum faciatis*, sed etiam quia, si sensu *affirmativo* et simul de *actuali relatione* omnium nostrarum actionum in Deum intelligantur, merum consilium referunt et non præceptum, quod impossibile prorsus esset.

Si vero agatur de alia relatione præter *actualem* et *explicitam*, acris aliquando extitit controversia inter theologos. Qui Augustiniani dicebantur, maxime e Lovaniensibus, aiebant necessariam esse ejusmodi intentionem, quam *virtualem explicitam* vocabant, eamque præcipi verbis S. Pauli, I. Cor. x. 31., et Coloss. iii. 17. At vero, dum ita sentiebant, vix fieri poterat ut non incurrerent in damnationem propositionis 25. Mich. Baii: "Omnia infidelium opera sunt peccata:" imo insignis temeritatis erant arguendi, eo quod, contra sensum Ecclesiæ, de peccato damnarent pleraque opera innumerorum fidelium, qui absque tali intentione operantur. Idcirco vehementer impugnata est eorum opinio a cæteris theologis pene omnibus.—Hi autem statuebant: 1°. per actum Caritatis, debitis temporibus elicitum, sufficienter adimpleri obligationem omnia opera universe in Deum, tanquam finem ultimum, dirigendi; 2°. nullam legem, nullum præceptum posse proferri, quo obligemur ad eadem opera modo magis peculiari in Deum referenda: siquidem mandatum de Deo toto corde diligendo, utpote affirmativum, non obligat semper et pro semper; verba autem Apostoli ad Cor. et ad Coloss. accipienda sunt, ut diximus, vel sensu negativo, vel sensu quidem affirmativo, sed de mero consilio, aut de generali præcepto Caritatis; 3°. de cætero, opus ex objecto honestum, nulloque fine pravo nullave circum-

stantia mala vitiatum, ex se ipso, adeoque in implicita operantis intentione, necessario quodam ordine referri ad Deum, qui fons est, regula atque finis boni et honesti. — Cf. S. Thom. 2. dist. 40. q. 1. art. 5., et 2. *de Carit.* art. 11. ad 2., et 2–2. q. 44. art. 4.—Perrone, *de Caritate,* cap. 5. art. 1. prop. 4.—Theol. Wirceb. *de Act. hum.* cap. 3. art. 3.

QUÆR. 3°. *Utrum sicut non datur actus in individuo indifferens relate ad honestatem naturalem, ita dici possit nullum actum poni ab homine justo qui sit indifferens relate ad meritum vel demeritum vitæ æternæ?*

RESP. *Neg.* Etenim ut aliquis actus sit meritorius vitæ æternæ, requiritur ut sit supernaturalis: atqui supernaturalis esse nequit, nisi, præter honestatem *operis* et statum gratiæ *principii operantis,* adsit etiam motivum aliquod supernaturale. Hac tertia conditione deficiente, eamque deesse posse nemo negabit, opus illud nec meritorium erit nec demeritorium.—Præterea, si eatenus aliquis actus dicendus esset meritorius vitæ æternæ, quatenus procedit ab homine justo, sequeretur omnem actum qui procedit a peccatore esse demeritorium, quod dici nullo modo potest.— Et hæc est doctrina quæ constanter et certo traditur a S. Thoma pluribus locis. — Cf. Suarez, *de Merito,* l. 12. cap. 7. n. 2. et seqq., et cap. 10. n. 15.—Mazzella, *de Virt. Inf.* prop. 55. n. 1345. et seqq.

TRACTATUS

DE CONSCIENTIA

29. Conscientia definiri potest: judicium de honestate vel inhonestate actus hic et nunc ponendi.—Dicitur 1°. *judicium;* nam conscientia non est facultas quædam specialis, sed ipse intellectus quatenus actualiter judicat. — Dicitur 2°. *de honestate vel inhonestate actus*, quia hoc judicium non respicit utilitatem, convenientiam, facilitatem actus, sed tantum ejus moralitatem, seu habitudinem ordinis, aut difformitatis ad rectam rationem.—Dicitur 3°. *hic et nunc ponendi*, nam judicium illud respicit actionem *instantem* quam dirigere debet, non autem præteritam. Hinc conscientia differt a *synderesi*, quæ est: habitus primorum principiorum circa operabilia. — Cf. S. Thom. p. 1. q. 79. art. 12. et 13.—S. Alphons. n. 2.—Bouquillon, n. 279.

Conscientia multipliciter distinguitur, est enim:

1°. *Recta*, vel *erronea*, prout verum vel falsum dictat.

2°. *Certa*, vel *dubia*, prout mens firmiter judicat aliquid esse bonum vel malum, aut e contra suspensa hæret circa actionis honestatem.

3°. *Scrupulosa*, vel *laxa*, prout vel inani motivo apprehendit peccatum ubi non est, vel e contrario leviori de causa peccatum abesse præsumit, aut leve habet quod est grave.

4°. *Probabilis*, vel *improbabilis*, prout ex motivo gravi aut infirmo ad opinandum mens inclinatur.—De singulis seorsim.

CAPUT I.

DE CONSCIENTIA RECTA ET ERRONEA.

30. Conscientia *recta*, quam aliqui malunt vocare *veram*, est quæ repræsentat objectum sicut in se est: secus *erronea* est dicenda; et quidem erronea dicitur *invincibiliter*, aut *vincibiliter*, prout ignorantia seu error inculpabilis est, aut culpabilis.

31. ***Principium.*** Conscientia *recta*, si *præcipit*, semper sequen-

da est, quia conscientia est regula proxima voluntatis, derivata a prima et summa regula omnium actionum humanarum; si autem *permittit*, ab omni peccato prorsus eximit, quia nullum ibi potest esse peccatum, ubi cognoscitur nullam adesse objectivam malitiam. Conscientia autem *erronea*, si est *vincibiliter* talis, non debet sequi, sive *præcipiat* sive *permittat*, quia error vincibilis existimatur voluntarius, et est demerito imputabilis; si autem est *invincibiliter* erronea, tum de ea idem dicendum est ac de conscientia recta, quia subjective illi comparatur. —Cf. S. Alphons. n. 3. et 5.

32. ***Resolves.***—1°. Qui putat esse jejunium quando non est, ob erroneam conscientiam peccat contra præceptum quod supponit, si non jejunet.

2°. Si quis mentiatur ad liberandum proximum e periculo vitæ, putans inculpabiliter se ex caritate ad id teneri, actum bonum facit; et si non mentiatur, contra caritatem peccat.

3°. Qui cum aliquo dubio putat, sibi mentiendum vel furandum esse, ut proximo succurrat, non potest talem conscientiam sequi, nec contra eam facere; sed debet, si possit, inquirere, eam deponere, et postea operari; talis enim error est vincibilis.

CAPUT II.

DE CONSCIENTIA CERTA ET DUBIA.

33. Conscientia certa ea est, qua quis firmiter et absque errandi formidine judicat, aliquid esse bonum vel malum.

Etsi certitudo tripliciter distinguatur apud philosophos; ea quæ *moralis* dicitur præcipue attenditur a moralistis. Hæc certitudo, quæ nititur legibus, quibus homines in suis actibus reguntur, subdividitur in *perfectam*, et *imperfectam*. Prior ea est, quæ ita fundatur legibus moralibus, ut clare percipiatur propositionem falsam esse non posse. Hæc ad certitudinem metaphysicam indirecte reducitur. Posterior ea est, quæ competit iis propositionibus, in quibus errorem esse absolute non repugnat, quamvis rarissime contingere id possit. Hæc varios gradus admittit.

Conscientia *dubia* ea est, quæ hæret suspensa circa actionis honestatem; nam dubium est suspensio assensus inter opposita.

Multiplex dubium distinguitur, scilicet: 1°. *positivum*, vel *negativum;* primum habetur quando intellectus suspendit assensum propter graves, aut saltem apparenter tales rationes dubitandi; alterum vero cum assensus suspenditur propter defectum moventium; 2°. *juris*, vel *facti*, prout versatur circa legis exsistentiam, ejusve obligationem, aut circa factum aliquod particulare; 3°. *speculativum*, vel *practicum*, prout versatur circa veritatis cognitionem abstractam et in communi, vel circa veritatem, quæ hic et nunc ad opus ordinatur.

34. ***Principium.*** Sola conscientia *certa* est recta regula morum, ac proinde nunquam licet operari cum conscientia *practice dubia.* Ratio est, tum quia, juxta Apost., Rom. xiv. 23: "omne quod non est ex fide peccatum est;" tum quia agens cum conscientia non certa, quin inquirere de veritate satagat, periculum transgrediendi præcepti voluntarie admittit, atque adeo virtualiter consentiendo in ejus violationem, formaliter peccat. Sufficit autem conscientia moraliter certa, etiam imperfecta; quia ea tantum requiritur certitudo, quæ sola ut plurimum haberi potest; secus agendi regula, cui homo proxime subjicitur, humanæ conditioni minime esset accommodata.—Cf. Baller. not. (a) p. 41.

35. ***Resolves.***—1°. Quoties quis dubitat, utrum actus, quem hic et nunc est positurus, sit licitus, necne, diligentiam veritati inquirendæ, pro rei gravitate, et personæ, locique conditione congruam, adhibere tenetur; probos et peritos consultet, eorum praxim investiget, rationesque solo veritatis studio perpendat; secus enim periculo legis violandæ ex inquisitionis negligentia se exponit, et eo ipso peccat.

2°. Si inquirere non possit, nec per se rationes utriusque partis perpendere valeat, nec alia ratione, v. gr., per principia reflexa a dubio se expedire, tutiorem partem amplectatur; quia secus ageret in dubio *practico*, id est cum conscientia vere dubia, ac sine ullo de actionis honestate certo judicio.

3°. Qui, diligenti ac sufficienti inquisitione peracta, adhuc dubitat an adsit lex præcipiens aut prohibens, huic obtemperare non tenetur, si tamen efformare sibi conscientiam potest ex principio *reflexo*, scilicet non posse obligare legem, quæ inveniri non potest, ut infra, ubi de *probabilismo*, dicetur.

4°. Dubium mere negativum pro nihilo habendum est; quia ratione prorsus nulla, aut valde levi fundatur: proinde etsi illud maneat, quia efficere non potest ut moralis certitudo opposita subvertatur, urget tamen obligatio, vel stat libertas, prout antea existebat. Verum si prudens suspicio de errore, gravi motivo innixa, tibi oriatur, cessat dubium esse mere negativum, et ad inquirendum teneris. Itaque cum posthac casus dubii negativi occurrent, eos, ista regula semel statuta, facile dilues, et idcirco ad solum dubium positivum attendemus.—Cf. S. Alphons. n. 24.

36. Quæres. *An graviter peccet operans cum dubio practico de peccati gravitate?*

Resp. *Affirm.* Qui enim agit cum conscientia practice dubia, secundum communia principia peccat ea peccati specie tum morali tum theologica, de qua practice, dum agit, dubitat. Ratio est, quia obligationem sane gravem violat præcavendi, ne per ignorantiam aut inadvertentiam voluntariam incidat in legis transgressiones, quæ graves esse possint.

CAPUT III.

DE CONSCIENTIA SCRUPULOSA ET LAXA.

37. Conscientia scrupulosa dicitur, quæ ex levi, imo et vana causa, dubitat de alicujus actionis honestate, ideoque formidat de peccato, ubi peccatum non est. Scrupulus enim est inanis apprehensio, seu levis suspicio, qua quis falso judicat aliquid esse peccatum. Vox autem *scrupulus* repetenda dicitur ex lapillis, seu scrupis, qui calceis viatorum se ingerentes pedibus molestiam creant.

Conscientia vero *laxa* ea dicitur, quæ ex leviori ratione id, quod illicitum est, licere judicat; vel veniale tantum peccatum ibi reperit, ubi est mortale: ea videlicet est, quæ absque sufficienti ratione judicium in favorem libertatis inflectit vel ad legem vitandam, vel ad minuendam culpæ gravitatem.—Hæc conscientia tripliciter distingui potest, scilicet: 1°. conscientia *laxa simpliciter*, quæ tendit ad libertatem plus æquo extendendam; 2°. conscientia *cauteriata*, quæ ex diuturno peccandi habitu peccata gravia, quin etiam gravissima, nihili pendit; 3°. conscientia *pharisaica*, quæ magna parvi, et vicissim parva magni facit. Nomen

ducit ex Pharisæis, qui gravissima legis mandata spernebant, dum non lotis manibus manducando, inanesve traditiones prætereundo, se magni peccati reos existimabant.

Ad scrupulosos corrigendos, vel saltem ad utilius cum iis agendum, breviter hic dicetur de scrupulorum signis, causis, damnis, remediis, necnon de regulis practicis tum ab ipsis pœnitentibus scrupulosis, tum ab eorum confessariis sequendis.

I.—Signa scrupulorum, seu conscientiae scrupulis obnoxiae.

38. Plurimum interest, ut animarum moderatores discernant veros scrupulosos a falsis. Sæpe enim scrupulosi putantur qui non sunt, et vice versa; et exinde ingentes in directione errores profluunt cum non modico damni spiritualis periculo: multa igitur circumspectione hic opus est. Signa autem præcipua scrupulorum sunt:

1°. *Pertinacia judicii*, qua quis renuit parere consiliis confessarii, vel sapientium; et dum varios consulit, nullius judicio acquiescit; imo quanto plures audit, eo magis implicatur.

2°. *Frequens mutatio judicii* ex levibus motivis, unde frequens inconstantia in agendo, mentisque continua perturbatio.

3°. *Timor peccandi in omnibus*, conjunctus cum mentis pertinacia contra judicium confessarii, prudentium, vel etiam contra proprium judicium; unde sequitur frequens interrogatio circa confessarii responsa, et repetita inquisitio, an in agendo juxta consilium datum conscientia immunis a culpa esse possit.

4°. *Reflexiones impertinentes* circa circumstantias quæ in actione adfuerunt, vel adesse potuerunt, et certitudo in omnibus anxie quæsita.

5°. *Obstinatio ad idem peccatum semper repetendum* in confessione, vel ad illud habendum ceu peccatum, quod tale non esse jam plùries a confessario declaratum fuit.

6°. *Anxietas continua circa confessiones præteritas*, non obstante judicio confessarii, vel confessionum repetitione.

Non potest autem, saltem statim, judicari scrupulosus: 1°. qui moderate est sollicitus, aut anxius ne Deum offendat; 2°. qui post vitam in peccatis traductam adhuc angitur, nec post confessionem videtur sibi satisfecisse, sed magis vult confiteri et peccata expiare; 3°. qui delibe-

rate adhuc consentit in gravia peccata, quamvis post commissum peccatum valde angatur, et anxie confiteatur, nam justa est causa anxietatis, saltem moderatæ: potest tamen etiam in hoc haberi verus scrupulosus; 4°. qui in uno tantum vel altero casu habet scrupulum transeunter, nec qui dubitat, an in hoc vel illo peccaverit.

Cæterum subinde contingit, ut confessarius non possit post pœnitentem prima vel altera vice auditum statim decernere, an sit scrupulosus, etiamsi hic anxius circa multa appareat; quippe anxietatum justa aliqua ac rationabilis causa adesse potest. Multo autem minus confessarius scrupulosus facile judicare potest, num pœnitens scrupulosus sit, an tantum meticulosus.—Cf. Lacroix, lib. 1. n. 517. et seqq.

II.—Causae Scrupulorum.

39. Causæ scrupulorum præcipuæ sunt sequentes:

1°. *Permissio divina.* Non quidem quasi Deus falsas apprehensiones immittat, sed quod has permittens lumen suum subtrahat, ut nimirum homo in anxietates lapsus redeat ad cor, ad meliorem frugem se recipiat, ad Deum recurrere discat, et pro peccatis, patienter sustinendo angorem, satisfaciat, meritum augeat, etc.

2°. *Dæmonis operatio.* Dextere enim novit dæmon scrupulos fabricare, commovendo sanguinem, alterando humores, varia simulacra phantasiæ objiciendo, species diversas componendo, ut tetricam et falsam imaginem peccati efformet, mentem conturbet, a profectu spirituali retrahat, et tandem in animi dejectionem, vel etiam in desperationem conjiciat.

3°. *Complexio melancholica et phlegmatica.* Melancholici enim sunt plerumque suspicaces, rerumque quas apprehendunt, tenaces, et proinde proni ad omnem mali suspicionem; et cum frigidæ sint complexionis, facilius timori et pusillanimitati obnoxii sunt, terrenturque ad primam mali speciem.

4°. *Imbecillitas capitis,* vel defectus judicii naturalis in personis ad timorem propensis; item pusillanimitas et dejectio animi, ob quam timores nescit quis contemnere.

5°. *Nimia sollicitudo* id omne vitandi quod habet speciem mali; dum enim scrupulosus continuo sibi inclamat: *Cave a peccato. . . , Attende tibi. . . ,* seipsum sine causa terret et perturbat.

6°. *Consortium cum scrupulosis;* quo spectat et directio a confessario scrupuloso accepta, lectio casuum conscientiæ et asceticorum severiorum facta ab aliquo incauto et minus intelligente; item fuga excessiva cujusvis humanæ conversationis.

III.—Damna Scrupulorum.

40. Scrupuli generatim gravia incommoda et damna spiritualia et sæpe etiam corporalia secum trahunt, modo non sint a Deo specialiter permissi et absque culpa hominis perseverent. Præcipua autem damna scrupulorum sunt sequentia:

1°. Nocent corpori; per continuos enim angores cor constringunt, sanguinem corrumpunt, spiritus vitales consumunt, et caput debilitant.

2°. Scrupulosum ineptum efficiunt ad fructuose agendum cum proximo; plerique enim scrupulosi tetrici sunt, et erga domesticos non minus ac erga extraneos morosi.

3°. Nocent obedientiæ, aut etiam eam totaliter impediunt; quippe scrupulosus potius nugas ac phantasiæ ludibria sectatur; sic ad agendum impellitur contra Dei voluntatem, quæ illi per patrem spiritualem aut moderatorem manifestatur.

4°. Orationis studium et amorem debilitant, aut etiam de medio penitus tollunt; quia vim mentis enervant, ad nugas perducendo distrahunt, anxietatibus animum implent, eumque ineptum ad conjunctionem cum Deo faciunt. Hinc sequitur non solum lucrum spirituale *cessans,* sed etiam ingens *damnum emergens.*

5°. Fortitudinem infringunt; quid enim magni audeat, qui totus in nugis occupatur, et neglecta de passionibus suis victoria, tam facile dejicitur animo?

6°. Spem valde imminuunt, aut etiam perimunt; quia res demum eo adducitur, ut, amissa in Deum fiducia, in laxitatem declinet. Quomodo enim Deo fidet debite, qui illum ut severissimum exactorem semper intuetur? Scrupulosus igitur, nisi fortiter contra scrupulos pugnet, iis vexatus in desperationem brevi agetur, et cupiditatibus suis fræna laxabit, vel saltem vitam miserrimam et cum magno damnationis periculo ducet.

IV.—Remedia Scrupulorum.

41. Versantur frequenter scrupuli: 1°. circa actiones quotidianas; 2°. circa pravas cogitationes; 3°. circa confessiones. Igitur,

I. Scrupulosis, qui in omnibus actionibus anguntur timore peccandi, injungendum est, ut strenue contra scrupulos agant, ab iisque confitendis abstineant, nisi certissimi sint ibi adesse peccatum. Quamvis enim sic agendo interdum materialiter peccent, non peccabunt tamen formaliter ratione obedientiæ, quam confessario præstare debent.—Cf. S. Alphons. n. 17.

II. Scrupulosis, qui pavent assensum præbere, vel præbuisse cuilibet pravæ cogitationi contra castitatem, fidem, aut caritatem, imponendum est, ut has cogitationes velut mera phantasmata despiciant, et abstineant ab hujusmodi cogitationum confessione, nisi jurare possint se eisdem vere consensisse.—Cf. S. Alphons. n. 15.

III. Scrupulosis, qui semper anxii sunt circa confessiones, præsertim præteritas, prohibendum est, ne amplius cogitent de culpis vitæ anteactæ, nec de iis verbum faciant in confessione, nisi jurare possint: 1°. peccata mortalia se perpetrasse; 2°. se nunquam ea confessos esse, præsertim si confessionem generalem jam peregerint.—Cf. S. Alphons. n. 16.

Porro scrupulosi et timorati, de præteritis confessionibus anxii, sic interrogandi sunt: 1°. Num celasti scienter peccatum grave? 2°. An proponebas peccata iterare? Si negative utrique postulationi respondeant, valida pronuntianda est eorum confessio.

V.—Regulae pro Scrupulosis.

42. 1°. In rebus moralibus non est certitudo in omnibus quærenda. Hoc pro omnibus valet; sed scrupuloso præcipue applicandum est.

2°. Obedientia summa et cæca confessario præstanda est, et cum magna humilitate et fiducia in omnibus procedendum.

3°. Dubium, quod in aliis rationabile videri posset, in scrupulosis omnino spernendum est.

4°. Licitum est, imo sæpe obligatorium, et interdum sub gravi, adversus scrupulos decertare.—Cf. S. Alphons. n. 17.

5°. Nunquam iteranda confessio, nisi certo sacrilega fuerit; nec postremæ confessionis examen unquam innovandum est, etiam si dubium de peccato gravi omisso suboriri videatur.

6°. Scrupuli contemnendi sunt; nec unquam secum de his disputandum a scrupulosis est.

VI.—Regulae pro Confessariis.

43. 1°. Scrutetur confessarius, an pœnitens sit vere scrupulosus . . . , an in omnibus . . . , et quænam sit scrupulorum origo.

2°. Sit patiens, benignus et fortis. Ad ipsum spectant hæc Apostoli, II. Tim. iv. 2: "Insta opportune, importune; argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina."

3°. Postulanti respondeat absque hæsitatione et cum imperio; responsis non facile adjiciat rationes; nec jam confessa peccata pluries repeti sinat.

4°. Commendet scrupuloso magnam in bonitate Dei fiduciam, frequentem orationem, otii fugam, examinis brevitatem, cordis humilitatem.

5°. Cum scrupuloso, generalibus, non particularibus utatur regulis; his enim scrupulosus dirigi non potest, quia ad eas applicandas ineptus est.

CAPUT IV.

DE CONSCIENTIA PROBABILI ET IMPROBABILI.

44. Conscientia probabilis, seu ut aliis magis placet *opinio probabilis*, proprie et per se, est ille actus intellectus, quo alicui propositioni adhæremus, at non sine formidine de opposito. Differt igitur a conscientia *dubia*, non quidem ex parte moventium, quæ in utroque casu existunt, et esse possunt ejusdem ponderis, sed ex diverso modo quo intellectus sese habet ad illa: si enim illis adhæret, dicitur probabilis, secus remanebit dubia.—Dixi *proprie et per se*, quia sæpe nomine opinionis aut etiam sententiæ probabilis, apud multos auctores venit ipse complexus moventium seu rationum, quibus prudenter fulciri posset intellectus, si uni parti præ altera vellet adhærere. At melius profecto complexus iste

moventium designari solet nomine ***probabilitatis***, et de hac sola nobis hic erit dicendum.—Cf. Lacroix, n. 387.—Bouquillon, n. 305.

ARTICULUS I.

DE NATURA ET DIVISIONE PROBABILITATIS.

45. Probabilitas aliud non est, quam motivum illud, unum vel multiplex, quod, inspectis omnibus circumstantiis, capax est extorquendi viri prudentis assensum, non ita tamen, ut nulla apud ipsum remaneat erroris formido. Quare cum dicimus hanc vel illam propositionem esse probabilem, duo intelligimus, positivum unum, alterum negativum. Primum est, ejusmodi propositionem tanto motivo fulciri, ut vir prudens possit ei tuto assentire; alterum autem est, motivum illud tantum non esse, ut debeat viri prudentis assensum necessario et absque ulla formidine erroris extorquere. Si primum desit, propositio erit improbabilis, si alterum, dicenda erit certa.

46. Multipliciter dividitur probabilitas, sed tres divisiones præcipue hic attenduntur, prout inspicitur ipsius vel fundamentum, vel objectum, vel gradus. Est igitur,

1°. *Intrinseca*, vel *extrinseca*, prout vel rationibus ex natura rei deductis, vel auctoritati proxime innititur. Dicitur *proxime*, quia probabilitas extrinseca necessario supponit intrinsecam; eatenus nempe Doctorum auctoritas vim habet, quatenus censeri possit aut debeat, eos ad aliquam sententiam tenendam permotos gravi quapiam ratione fuisse.

2°. *Facti*, vel *juris*, prout versatur circa rei veritatem sive substantiam, v. gr., an sacramentum cum tali materia collatum sit validum, an contractus sub tali conditione initus sit justus; vel potius circa ipsam actionis honestatem, v. gr., num mihi liceat tali materia uti in administrando sacramento, vel talem contractum inire. Prior dicitur ab aliquibus *speculativa*, aut etiam *remota*, posterior vero probabilitas *practica* vel *proxima*.

3°. *Major*, *æqualis*, vel *minor*, prout fundamenta quibus innititur propositio aliqua probabilis, comparatione instituta cum ejus contradictoria, apparent solidiora, æque vel minus solida.— Cf. Bouquillon, a n. 309. ad 322.

47. NOTANDA.—I. Probabilitas quæ passim apud auctores dicitur *tenuis*, vel *dubia*, ea intelligitur, quæ tam levis est, ut imprudens censeatur qui ei assentitur; nam ait S. Alphonsus: "tenuis probabilitas non est probabilitas, sed dumtaxat quædam falsa apparentia, seu vana probabilitatis apprehensio." Merito igitur animadvertunt aliqui auctores duos illos terminos—*tenuis probabilitas*—esse veluti oppositos et ad invicem pugnantes.—Cf. S. Alphons. n. 82.—Lacroix, n. 126.—Bouquillon, n. 308.

II. Propositio vel sententia, quæ apud S. Alphonsum vocatur *probabilissima*, ea est juxta ipsum, "quæ nititur fundamento gravissimo; quapropter opposita censetur tenuiter vel dubie probabilis." — Idem apud S. Doctorem est sensus vocis *probabilioris* quando ei additur unum ex hisce quatuor adverbiis — *notabiliter, certe, vere, absolute.*—Cf. S. Alphons. n. 40. et 54.

III. Potest aliqua propositio esse probabilior, et simul minus tuta, et viceversa tutior et minus probabilis. Ratio est, quia probabilitas mensuratur ex pondere moventium, et securitas ex absentia periculi lædendi legem.

IV. Certo probabilis habenda est opinio, quæ a plerisque theologis probabilis esse asseritur; vel etiam quam absolute tenent ut veram quinque aut sex theologi probitate, judicio et scientia præstantes, nisi ratio certa contra illam opinionem afferatur; nam omnis probabilitas quantacumque fuerit, adveniente certitudine propositionis contradictoriæ, omnino perimitur.

V. Illa opinio est viro docto et probo certe probabilis, quam ipse scit se diligenter excussisse, et experitur se absque inordinato affectu, ob rationes graves, ut veram aut certe probabilem deprehendere.

VI. De intrinseca probabilitate juris communiter possunt judicare soli docti, et in re morali versati, cum soli possint scire nihil certi ipsis opponi. At de extrinseca opinionis alicujus probabilitate bene potest judicare vir mediocriter doctus, si statum quæstionis rite intelligens, hanc inveniat assertam ab auctoribus omni exceptione majoribus, id est inter theologos omnino probatis.

VII. Unicus auctor, si sit omni exceptione major, afferatque ratio-

nem quam alii non examinaverint vel non satis solverint, ipse autem aliorum rationes commode solvat, potest opinionem suam certo probabilem efficere, quamvis hæc sit communi opinioni adversa.

ARTICULUS II.

DE VARIIS SYSTEMATIBUS CIRCA PROBABILITATEM.

48. Ut honesta sit quælibet actio, certam de honestate ipsius requiri conscientiam admittunt theologi omnes; at quonam pacto haberi possit aut debeat talis certitudo, cum non nisi probabiles rationes hinc inde apparent, hoc est quod eos non parum torquet. Quærunt scilicet theologi ad quamnam partem possit aut debeat se convertere qui, exorto dubio circa liceitatem actionis quam est positurus, factaque diligenti inquisitione, eam non certo sed probabiliter tantum licitam deprehenderit.—Porro ad hanc quæstionem solvendam duplicem ineunt viam; alii enim docent certitudinem in hoc casu *directe* tantum posse haberi, alii vero tenent illam posse atque adeo debere obtineri *indirecte*, scilicet vi alterius principii; ac proinde illi agentem ad tutiorem partem amplectendam adigunt, hi vero permittunt ut libertati indulgeatur. Primi vocantur vel *anti-probabilistæ*, quia probabilitates in re morali nulli usui esse dicunt, vel *tutioristæ*, quia ad tutiorem partem semper inclinant, vel demum *rigoristæ*, quia plus oneris imponunt quam necessarium sit aut etiam humanis humeris accommodatum. Alii autem generico quodam nomine appellantur *probabilistæ*, quia tenent posse practicam utilitatem derivari ex probabilitatibus.

49. Verum patroni utriusque sententiæ, consentientes quoad eorum principium substantiale, varios gradus admittunt, illi quidem relate ad certitudinem quam volunt directe habere, et hi relate ad probabilitatem cui remote innituntur; ac proinde primi scinduntur in tutioristas absolutos, et mitigatos, et secundi in probabilioristas, æquiprobabilistas, et probabilistas simpliciter. Quare quinque proprie fuerunt systemata, *tutiorismus absolutus*, *tutiorismus mitigatus*, *probabiliorismus*, *æquiprobabilismus*, et *probabilismus*. Accedit *laxismus* quod vix systema vocari potest, vixque viri prudentis attentionem meretur. De singulis breviter dicetur.

50. *Tutiorismus absolutus* requirit omnimodam seu absolutam certitudinem, legem vel nunquam exstitisse, vel jam plene cessasse, antequam libertati aliquid permittat; ac proinde etiamsi in favorem libertatis adducas opinionem probabilissimam, legem sequi teneris. Ita enim hujus systematis patroni argumentantur.—"Sicut opinio sive minus probabilis, sive etiam minus quam probabilis, potest esse vera: ita ex adverso, opinio probabilior, vel etiam probabilissima potest esse falsa. Quamdiu ergo intra limites probabilitatis hæretur, errandi periculo non plene obviatur."—Porro hoc systema rejiciendum omnino esse patet tum ex eo quod vires humanas superat, tum ex damnatione sequentis propositionis facta ab Alex. VII: "Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam."—Cf. Viva, in prop. 3. inter 31. damnatas ab Alex. VII. — Bouquillon, n. 326.

51. *Tutiorismus mitigatus* in eo differt a præcedenti systemate, quod loco certitudinis absolutæ exigat maximam probabilitatem, ac proinde tunc solum permittit sequi partem libertati faventem, quando pro ea stat opinio probabilissima.—Quamvis autem hoc systema non sit positive damnatum, facile tamen exploditur; nam opinio illa probabilissima quæ requiritur, vel facit conscientiam certam, vel non: si primum, urgetur prædicta propositio damnata, et ratio damnationis; si alterum, jam licitum evaderet agere ex conscientia non certa, quod nequit admitti.—Cf. Bouquillon, n. 327.—Gazzaniga, *de consc. probab.* n. 140. et 141.

52. *Probabiliorismus*, prout saltem propugnatur ab illis qui discriminare se volunt a tutioristis, et præsidium quærunt ex principiis reflexis, docet licitum esse sequi partem minus tutam, scilicet faventem libertati, dummodo pro ea adducas opinionem manifeste et solide probabiliorem; ac proinde legem sequi teneris non solum cum pro libertate stat minor etsi solida probabilitas, sed etiam cum opinio quæ ipsi favet est æque probabilis ac illa quæ favet legi. Ratio potissima hujus systematis desumitur ex eo quod sequendo opinionem probabiliorem, multo minus incurrimus periculum peccandi. At vero si admittantur principia reflexa, tam bene vitabit periculum peccandi formaliter simplex probabilista, quam probabiliorista; si autem non admittantur, deveniendum

tandem erit ad tutiorismum absolutum.—Cf. Billuart, *de act. hum.* dissert. 6.—Bouquillon, n. 329.

53. *Æquiprobabilismus* tenet tunc solum licitum esse sequi partem minus tutam, scilicet opinionem libertati faventem, cum opinio quæ stat pro lege non est nisi æque vel fere æque probabilis; sed si hæc sit certe probabilior, huic erit adhærendum. Addunt patroni hujus systematis, hoc valere si æqua vel quasi æqua illa probabilitas respiciat *existentiam* legis; sed si dubium versatur circa *cessationem* legis certæ, tunc legem sequi teneris, utut opinio quæ favet libertati æque probabilis sit ac illa quæ favet legi. Verum hæc additio ad applicationem systematis potius quam ad ejus substantiam pertinet, et multi sunt inter simplices probabilistas qui hanc limitationem vel supponunt vel explicite admittunt. Præcipuum fundamentum æquiprobabilismi desumitur ex auctoritate S. Alphonsi, quæ gravissima sane est, at quo jure hæc sententia illi tribuatur, inferius dicetur.—Cf. Konings, n. 62.—Scavini, n. 97.

54. *Probabilismus* docet quidem tutiorem partem esse semper sequendam, cum agitur de fine aliquo determinato attingendo; sed cum agitur tantum de licito et illicito, tenet posse quempiam sequi opinionem minus tutam et minus quoque probabilem, modo vera et solida probabilitate gaudeat. Quare probabilista non duo, sed unum tantum quærit judicium; quærit scilicet num opinio quæ favet libertati sit solide probabilis, relicta quacumque comparatione cum illa quæ favet legi, et statim ac cognoscit adesse in favorem libertatis solidam probabilitatem, a lege eximit vi principii reflexi. Notandum est, hoc systema ab aliquibus vocari *simplicem*, et ab aliis *moderatum* probabilismum, ut illud distinguant tum ab æquiprobabilismo, tum a laxismo: at quoniam ex dictis possibilis non est hujusmodi confusio, abstinebimus in hoc libro a quocumque addito.

55. *Laxismus*, nulla distinctione facta inter solidam et tenuem probabilitatem, a lege eximit semper ac contra ipsam adducitur opinio quæcumque, etiamsi sit tantum tenuiter probabilis. Hoc systema damnatum fuit, ut patet ex prop. 3. proscripta ab Innocent. XI. quæ sic se habet: "Generatim dum probabilitate sive intrinseca sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus."— Ratio autem damna-

tionis aperta est; nam cum probabilitas tenuis ea sit quæ non mereatur assensum viri prudentis, nequit vi ipsius dici legem esse incertam.—Cf. Viva, in cit. prop.—Bouquillon, n. 332.

ARTICULUS III.

VINDICATUR SYSTEMA PROBABILISMI.

56. Probabilismus, ut superius animadversum est, non omnibus, sed iis tantum casibus applicatur, in quibus sermo est de licito et illicito, nam si agitur de fine aliquo necessario obtinendo, v. gr., de materia aut forma alicujus sacramenti procuranda, semper confugiendum erit ad tutiorem partem, seposita quacumque probabilitate. Præterea, notandum est in applicatione seu usu probabilismi duas essentiales requiri conditiones, unam quæ respicit fundamentum remotum, aliam vero quæ respicit fundamentum proximum, quo innititur probabilista dum agit. Fundamentum remotum est ipsa probabilitas, quæ debet esse non tenuis, non dubia, non apparens, sed vera et solida. Fundamentum autem proximum est principium aliquod reflexum, et hoc ab operante invocari semper debet sive explicite, sive implicite. Hæc quæ compendium sunt totius systematis, fusius explicantur duplici sequenti propositione.

PROPOSITIO I. — *Non licet sequi opinionem probabilem, nec probabiliorem, relicta tutiore, quoties adest obligatio absoluta alicujus finis determinati efficaciter obtinendi, quem usus medii probabiliter inepti in periculum adduceret; tunc igitur pars tutior est sequenda.*

57. *Prob.* Quisquis obligatione absoluta ad finem aliquem determinatum efficaciter obtinendum adigitur, is ea tenetur eligere media, quibus finem illum efficaciori, quo poterit modo, sit assecuturus. Atqui per solam tutiorem partem efficacius obtineri potest finis: ex hypothesi enim, medium, probabiliter tantum aptum, in discrimen adducit finem, quem absolute consequi teneor. Ergo non licet uti medio tantum probabiliter apto, sed aptiora media eademque tutiora eligenda sunt. Igitur pars tutior sequenda est. Hinc sequentia deducuntur

58. ***Corollaria.***—1°. In his, quæ saluti necessaria sunt necessitate medii, tutius sectari teneris; gravissima enim quemque urget obligatio æternam animæ suæ salutem certo assequendi; proinde media absolute tuta et certa sunt adhibenda. In rebus igitur ad fidem seu ad veram

religionem pertinentibus, opposita probabilitate posthabita, opinio tutior necessario sequenda est.

2°. Venator, timens ne plumbum in feram ejaculando aliquem hominem forte lædat, explodere non potest, etiamsi probabilius existimaret abesse periculum; hoc enim, si forte adsit, probabilitate contraria, etsi majori, removeri nequit. Tenetur enim *lege certa* ad periculum etiam probabile damni removendum.

3°. Medicus et chirurgus tenentur ad medicamenta et media tutiora, quæ hic et nunc haberi possunt, adhibenda; quia tacito contractu ad finem securius obtinendum, in quantum fieri potest, se obligarunt. Idem pariter dicendum de omnibus aliis, qui erga proximum aliquam ejusmodi obligationem contraxerunt.

4°. Minister sacramenti, ubi de ejus valore agitur, nisi defectus suppleatur ab Ecclesia, vel urgeat casus necessitatis, tutiorem partem, in quantum potest, relicta minus tuta probabili, vel etiam probabiliori, sequi tenetur; quia secus exponeret sacramentum periculo nullitatis, et proximum periculo damni spiritualis. Hinc merito damnata est ab Innoc. XI. sequens propositio: "Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore."

Dixi 1°. *nisi defectus suppleatur ab Ecclesia;* nam aliquando Ecclesia potest et censetur id supplere, quod desideratur ad valorem sacramenti: quod quidem in duobus sacramentis potest contingere, scilicet in sacramento Pœnitentiæ, si ex gravi ratione cum jurisdictione *dubia* conferatur, aut cum jurisdictione *probabili;* et in sacramento Matrimonii, quando celebratur cum dubio impedimento juris ecclesiastici, aut etiam est dubia delegatio sacerdotis assistentis, ut suo loco dicetur.

Dixi 2°. *nisi urgeat casus necessitatis;* quia cum sacramenta sint *propter homines*, homini in gravi periculo vitæ constituto ministranda ea sunt meliori, quo fieri potest modo, etiam cum mera probabilitate, imo cum probabilitate tenui et tenuissima de eorum valore.—Cf. S. Alphons. a n. 43. ad 49.

PROPOSITIO II.—*Licet sequi opinionem vere et solide probabilem, relicta tutiore quæ sit simul probabilior, ubi de solo licito vel illicito agitur.*

59. *Prob.* 1°. *ex ratione.* Lex, contra quam militat vera et solida probabilitas, non est lex certa: atqui lex quæ non est certa nullam inducit obligationem. Ergo lex contra quam militat vera et solida probabilitas nullam inducit obligationem, ac proinde liberum tunc unicuique est, relicta lege illa non certa, sequi opinionem libertati faventem.—*Major* apertissime constat ex eo quod probabilitas et certitudo sese invicem necessario excludant: vel igitur hypothesis non verificatur, scilicet veram et solidam probabilitatem de facto militare contra aliquam legem in particulari; vel si ita res se habet, lex illa certa esse non potest.—*Minor* autem probatur ex eo quod effectus nequit superare causam; superaret autem, si ligatio ab aliqua lege producta certa esset, quando vis ligandi certa non esset. Hoc autem pulcherrime illustratur a S. Thoma sequenti comparatione: "Ita se habet imperium alicujus gubernantis ad ligandum in rebus voluntariis, illo modo ligationis, qui voluntati accidere potest, sicut se habet actio corporalis ad ligandum res corporales. Actio autem corporalis agentis nunquam inducit necessitatem in rem aliam nisi per contactum coactionis ipsius ad rem in quam agit. Unde nec ex imperio alicujus domini ligatur aliquis, nisi imperium attingat ipsum cui imperatur. Attingit autem ipsum per scientiam."—Relatis hisce verbis Doctoris Angelici, ita prosequitur S. Alphonsus: "Similitudo a S. Thoma hic allata nequit esse magis lucida, et convincens ad probandam nostram sententiam, sive principium, nempe quod lex incerta non potest certam obligationem inducere. Dicit S. Doctor quod scientia præcepti est instar vinculi quod voluntatem ligat; unde sicut ad rem aliquam ligandam opus est ut actualiter funis applicetur, ita ad ligandam hominis voluntatem, ut actionem aliquam exerceat vel omittere teneatur, necesse est ut ipse præcepti scientiam habeat, alioquin homo ille in sua libertate remanet . . . . Sicut igitur qui ab aliquo vinculo actualiter non est ligatus, habet potestatem divertendi quo vult, ita qui non est ligatus per scientiam præcepti liber est ab obligatione præcepti."—Cf. S. Thom. 1-2. q. 90. art. 4.—2-2. q. 1. art. 5.—QQ. DD. *De Veritate* q. 17. art. 3.—S. Alphons. *Systema Mor.* § 1. et seqq.

60. Neque dicas 1°. sub nomine scientiæ hic apud utrumque sanctum Doctorem non intelligi cognitionem certam, sed tantum probabilem;

nam respondet S. Alphonsus "quod hæc esset novi vocabularii nova significatio dum philosophi omnes cum eodem S. Thoma distinguunt opinionem a scientia quæ accipitur ut cognitio certa alicujus veritatis." —Cf. S. Alphons. *Syst. Mor.* § 2. Objic. 1.

Neque dicas 2°. quod, deficiente lege quæ *directe* obliget, existat alia lex *indirecta*, quæ utpote *certa*, parit obligationem *certam*. Nam si talis lex fingi posset, vel esset lex vitandi periculum peccandi, vel lex tutius sequendi; porro neutrum dici potest. Non *primum*, nam ut quis se exponat periculo peccandi, non sufficit ut incurrat periculum agendi contra legem, sed requiritur ut subeat periculum agendi contra obligationem sibi per legem impositam; quamvis enim forte existat lex, si aliunde certum sit me a lege non obligari, non est timendum ne legem formaliter violem. Neque *alterum* dici potest, nam illa lex tutius sequendi supponeret non esse *simpliciter tutum* posthabere legem probabiliter non exsistentem: atqui hoc falsum est, ubi agitur de solo licito vel illicito; nam tutum profecto est vitare peccatum formale, et periculum peccati.—Præterea, objectio, si quid valet, optime potest retorqueri contra probabilioristas qui illam urgent. Probabiliorista enim neque periculum peccandi vitabit, neque tutius sequetur, nisi practice valedicat proprio systemati, et in absolutum tutiorismum incidat.

61. *Prob.* 2°. *ex auctoritate.* Etenim *a*) S. Gregorius Nazianzenus ita urget Novatianum quemdam: "Anne juvenibus quidem viduis, propter ætatis lubricum ineundi matrimonii potestatem facis?—At Paulus hoc facere minime dubitavit. . . . Verum, inquis, hoc minime post baptismum. Quo argumento hoc confirmas? Aut rem ita se habere proba, aut si id nequis, ne condemnes. Quod si res dubia est, vincat humanitas et facilitas."—Orat. 39. *in Sancta lumina*, n. 19.

b) S. Hieronymus reprehensus a Chrysogono, discipulo Rufini, quod doceret posse ad Episcopatum promoveri qui duas successive uxores duxerant, unam ante, alteram post baptismum, respondet: "Audiat nos iterum proclamantes: veterem Adam in lavacro totum mori, et novum cum Christo in baptismate suscitari. . . . Hæc dicimus non quod ipsi, propitio Christo, hac quæstione teneamur; sed interrogati a fratribus quid nobis videretur, respondimus, nulli præjudicantes sequi quod velit, nec alterius decretum nostra sententia subvertentes. *Apolog. advers. Rufin.* lib. 1.

c) S. Bonaventura agens de dispensatione votorum, tres sententias aut opiniones memorat, et demum concludit: "quæ istarum trium opinionum sit verior, fateor me nescire, et satis potest quælibet sustineri; si quis tamen velit hanc ultimam acceptare, non occurrit ei inconveniens manifestum."—In 4. dist. 38. a. 2. q. 3.

d) S. Antoninus postquam statuerit duo tantum requiri ad honestatem actionis; *primum*, ut agens non dubitet practice de bonitate actus, *alterum*, ut sententiam quam sequitur non sit contra auctoritatem expressam S. Scripturæ, nec contra determinationem Ecclesiæ Catholicæ, descendens ad casum particularem ait: "Si diceretur hic esse usuram, et usura est contra decalogum: respondetur usuram esse contra præcepta decalogi, verum est reductive; sed hunc contractum esse usurarium non est clarum, cum sapientes contraria sibi invicem in hujusmodi sentiant."—*Summa*, p. 1. tit. 3. cap. 10. § 10. reg. 4., et p. 2. tit. 1. c. 11. § 28.

e) Melchior Canus, impugnans Scotum qui dicebat peccatores teneri ad eliciendam contritionem quocumque die festo, ita scribit: "Jus humanum nullum est, aut evangelicum quo hoc præceptum asseratur; proferant, et tacebimus." Et iterum: "Quoniam ignoro unde ad hanc opinionem doctores illi venerint, libere possum quod non satis explorate præceptum est negare." Relect. 4. de pœn. p. 4. q. 2. prop. 3.

f) Dominicus Soto requirit ut homo *intueatur* legem, nempe ut cognoscat eam ut certam: "Qui regula utitur eam intueri necesse est." Et iterum: "Quando sunt opiniones probabiles inter graves doctores, utramcumque sequaris, in tuto habes conscientiam."— *De just. et jur.* l. 1. q. 1. a. 4., et l. 6. q. 1. art. 6.

g) Mirabilis demum est hac in re Doctorum posterioris ætatis consensus, ita ut recte potuerit hæc scribere clar. Bouquillon: "In propugnando probabilismo convenerunt cum laicis presbyteri, Episcopi, Cardinales: cum clero sæculari regulares; discipuli S. Thomæ cum Scoti discipulis; Dominicani cum Jesuitis, eo præcise tempore quo celebres de gratia inter se controversias habebant; demum cum Universitatibus Hispaniæ, Italiæ, Germaniæ, facultates Parisiensis, Lovaniensis, Duacena. Scriptores typis impressi probabilismum tuentes jam afferebantur anno 1664. ab Alphonso de Sarasa centum quinquaginta novem, ac

paulo post a Terillo ducenti, qui idcirco affirmare audebat pro probabilismo citari posse quadragiuta auctores, ubi pro opposito citatur unus. Hinc recte Mastrius ait: 'hæc est sententia communissima et receptissima in omni schola in hoc currenti sæculo.' "—Cf. Bouquillon, *de conscient.* n. 342.

62. Neque dicas 1°. *probabilismum esse quid recens,* ac proinde non licere ad antiquorum Patrum et scholasticorum auctoritatem recurrere; nam respondetur duo esse distinguenda in systemate probabilismi, scilicet ipsius usum innixum substantiali ejus fundamento, et scientificam ipsius formam. Porro quidquid sit de *altero,* sufficit ad vim argumenti ostendere *primum* antiquissimum esse in Ecclesia Dei; hoc autem patet non solum ex citatis textibus et multis aliis qui citari possunt, sed etiam ex eo quod cum anno 1577. Barthòlomæus Medina probabilismi doctrinam in systema scientifice redactum scholis proposuerit, nemo adversus illud clamavit tanquam aliquid novi, sed prorsus conforme regulæ morum omnibus visum est, et unanimi consensu receptum.

Neque dicas 2°. probabilismum jacuisse quasi mortuum sæculo decimo septimo mediante, et toto sæculo subsequente; nam respondetur mortem illam, quam jactitant adversarii, nihil aliud tandem fuisse, quam imminutionem splendoris, eamque Jansenianorum fraudibus, conviciis, et clamoribus totam deberi. Quod si certum sit multas veritates quandoque obscuratas aliquantulum fuisse vi et pertinacia adversariorum, quid mirum si probabilismo idem acciderit? Verum nostris hisce diebus, si inspiciantur scholæ per totum orbem diffusæ, in plerisque invenietur tradita et propugnata probabilismi doctrina, quæ sedatis Jansenisticis clamoribus, devictaque hæresi, opera potissimum S. Alphonsi, novo hodie gaudet honore, novoque patrocinio.—Cf. Bouquillon, n. 340. et seqq.

63. *Prob.* 3°. *ex consectariis.* Etenim si, rejecto probabilismo, teneremur sequi probabiliorismum,

a) Sequeretur difficultas nimis gravis pro confessariis, eaque tanta, ut munus audiendi confessiones multis intolerabile prorsus esset. Confessarius enim perpetuo sese exponeret periculo peccandi ob defectum sufficientis diligentiæ in perpendendis variis gradibus probabilitatis, præsertim in materia restitutionis, quando ex duabus opinionibus proba-

bilibus unam sequeretur. Si enim sententiam benigniorem assumeret, peccaret illud permittendo in quo deformitatem probabiliter existentem apprehenderet: si vero juxta sententiam rigidiorem ageret, peccaret jugum incertum pœnitenti imponendo. Insuper licet sententia rigidior ipsi appareat probabilior, quandonam certus erit, eam revera talem esse, atque alteri confessario oppositam probabiliorem non videri?— Hinc sequitur etiam illa contradictio confessariorum, qui, utut probabiliorismum profitentes, haud raro tamen dictitant, se non posse in administratione sacramenti Pœnitentiæ principia probabiliorismi *rigorose* applicare; et ideo aliud in theoria, aliud vero omnino oppositum in praxi tenent. Nonne præstaret principia mitiora cum tot sapientissimis Doctoribus statuere et admittere, eaque *exactius* in praxim deducere?

b) Sequeretur molestissima difficultas pro fidelibus. Etenim in dubiis imponeretur ipsis obligatio inquirendi quænam opinio sit probabilior; nam obligatio operandi secundum probabiliorem, includit necessario officium eam inquirendi: porro plerumque datur impossibilitas moralis distinguendi inter probabiliorem et minus probabilem; nam etiam doctis hoc est sæpius valde difficile. Et sane quæro, an tenear ad probabilius *in se* seu *absolute*, vel *quoad me* seu *relative?* Si *prius*, unde noscam? Si *posterius*, iterum vel agitur de probabilitate intrinseca, vel extrinseca. Si de *posteriori*, qualis schola sequenda? et quales Doctores interrogandi? . . . . Si de *priori*, crescit difficultas: unde sciam, an sim satis ad hocce judicium idoneus? an in ignorantia invincibili verser, vel non? Anceps igitur, dubiisque pressus, quid agam? Recurram ad magistros? At ex hypothesi meum est judicare. Quot itaque, quantæque angustiæ impendant fidelibus ex illa necessitate probabilius tutiusve sequendi, manifestum fit.

c) Sequeretur perpetua fluctuatio doctrinæ. Etenim non solum hoc patet ex quotidiana probabilioristarum experientia, sed etiam ex ipsa natura probabiliorismi; siquidem, posita obligatione sequendi opinionem quæ cuique probabilior apparet, impossibile est plures probabilioristas in eamdem decisionem convenire. Quare alii necessario stabunt pro parte affirmativa, et alii pro negativa: ligabit unus, solvet alter, et quod tibi probabilius apparebit, facillime alteri æque vel minus probabile videbitur. Hinc sequentur confusio decisionum, perplexitas fide-

lium, et angustiæ ipsorummet confessariorum, qui ex opinato aliquo probabilitatis excessu gravissimas obligationes imponent. Probabilismus vero bene intellectus hujusmodi incommodis, saltem plerumque, caret. Duo enim tantum sunt probabilistis perpendenda, scilicet obligationes certæ, et obligationes mere probabiles. Quamvis vero non semper constet de vera probabilitate, nemo tamen non videt, ordinarie loquendo, multo facilius esse discernere an solida ratio vel auctoritas contra legem habeatur, quam de excessu aliquo probabilitatis judicium proferre. Ergo. . . .

64. Neque dicas 1°. probabilistas majoribus opprimi incommodis, non solum quia *amant* periculum, quod est contra illud Eccli. iii. 27. "Qui amat periculum in illo peribit," sed etiam quia carent verbo veraci seu principio directivo, quod est contra illud Eccli. xxxvii. 20: "Ante omnia opera tua verbum verax præcedat te;" nam respondetur verbum *verax* apud nos esse ipsum principium reflexum, quod cum pariat certitudinem practicam, nullum incurrimus periculum formaliter peccandi. Præterea, optime potest uterque textus contra probabilioristas, qui eos objiciunt, retorqueri, nisi velint ad damnatum tutiorismum confugere.

Neque dicas 2°. urgeri posse contra probabilistas notam illam regulam juris canonici: "In dubiis pars tutior eligenda est;" nam præter quam quod posset iterum retorqueri argumentum, respondetur in præfata regula agi vel de dubio practico, vel de casibus in quibus finis aliquis est necessario obtinendus.

Neque dicas 3°. probabilistas argui posse imprudentiæ, quia non eligentes opinionem verisimiliorem, non imitantur prudentes illos medicos, qui morbos corporis serio satagunt expellere; nam nullo modo imprudens vocari potest qui, perpensa obligatione, agit postquam certo viderit nullam deformitatem deprehendi in sua actione. Ad exemplum autem respondetur illud ad rem non esse, nam medicus sicut et judex non agunt de licito vel illicito, sed primus quærit *efficacitatem* medii, et alter *veritatem* rei; quæ duo non pendent a principio aliquo reflexo.

65. ***Corollarium.***—Si licet sequi opinionem solide probabilem faventem libertati, à fortiori tibi licebit sequi probabiliorem aut probabilissimam, dummodo principio aliquo reflexo proxime innixus certam

tibi efformes conscientiam. Cavendum tamen ne onus favendi libertati eo tantum casu, quo id probabilius aut probabilissimum apparet, aliis etiam imponatur, juxta illud Chrysostomi dictum a S. Alphonso relatum: "circa vitam tuam esto austerus, circa alienam benignus."—Porro iste est sensus, quo plures probabilistæ affirmant *licitum esse sequi probabiliorismum.* Licitum pariter est æquiprobabilismo uti; at si quis vellet et confessariis et pœnitentibus illud systema qua tale imponere, solvenda ipsi essent omnia argumenta superius allata, quæ non minus contra æquiprobabilistas valent, quam contra probabilioristas.

ARTICULUS IV.

DE SPECIALIBUS REGULIS ET APPLICATIONIBUS PROBABILISMI.

66. Præter principia generalia quibus theoria probabilismi superius stabilita est, scilicet: *non est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet,* vel, *lex dubia non obligat,* recensentur etiam nonnullæ regulæ speciales, quibus ea principia confirmantur, aut in particularibus casibus applicantur. Sunt autem sequentes:

I. *In dubio standum est pro eo, pro quo stat præsumptio.* Ratio est, quia præsumptio efficit certitudinem moralem saltem latam; et in eo tantum sensu intelligi debet principium seu regula citata. Hinc si soleas tali tempore diligenter recitare totum Breviarium, et dubites an aliquam partem recitaveris, præsumptio tibi favet, et te ab obligatione eam recitandi seu repetendi eximit. Item si dubites utrum Superior juste præcipiat vel dispenset, pro illo stat præsumptio; quia is rationibus tibi incognitis duci potest, vel de cognitis prudenter judicare censetur. Insuper rectus ordo et bonum commune exigunt, ut in tali casu ipsi deferatur.

II. *In dubio judicandum est ex ordinarie contingentibus.* Recidit hæc regula ferme in præcedentem, cum in utraque præsumptio sit ratio ita judicandi. Sed prior latius patet; siquidem præsumptio erui potest non tantum *ex ordinarie contingentibus,* sed etiam ex particularibus circumstantiis.

III. *In dubio standum est pro valore actus.* Regula est juris civilis; sed etiam rebus theologicis communiter applicata. Applicatur autem,

si factum principale sit certum, et dubitetur de aliqua circumstantia vel conditione necessaria, aut de modo debito: v. gr., si dubites an cum sufficienti dolore peccatum confessus fueris; vel si dubites, quin possis dubium expellere, utrum rite contraxeris matrimonium, quod certe et bona fide initum fuit, ad iterandam confessionem non teneris, et matrimonium habendum est uti validum.

IV. *In dubio favores sunt ampliandi, et odia restringenda.* Est regula 15. juris canonici in 6., et significat quod in dubio benigniora sunt præferenda. Unde secundum hoc principium, et communiorem interpretationem, hæc statuenda videntur: 1°. Quoties odia et favores separari possunt, odia sunt restringenda, et favores ampliandi, quantum fieri potest, quin vis sensui verborum inferatur. 2°. Si odia et favores sint indivisibilia, tum de intentione legislatoris ex ipsius verbis, ex subjecta materia, aut ex adnexis circumstantiis judicandum est. 3°. Si intentio legislatoris determinari clare nequeat, magis attendendum est ad favorem, quam ad odium. *Odiosum* autem hic intelligitur, quidquid tendit ad pœnam, vel lædit jus tertii, aut juri communi opponitur. *Favor* vero seu *favorabile*, quidquid libertati indulget, vel gratiam concedit sine privatorum, aut communitatis, aut juris ipsius detrimento.

V. *In obscuris, quod minimum est, tenendum.* Est regula 30. juris canonici in 6. et ita est intelligenda: ubi non constat de vero sensu legis vel statuti, et, inquisitione præmissa, determinari neque ex natura rei, neque ex contextu verborum, aut loci consuetudine, aliave circumstantia potest, interpretatio minus onerosa, seu libertati benignior, admittenda est. Ratio est, quia legislator non censetur velle ultra id obligare, quod clare in lege exprimitur. Hinc in dubio de quantitate pœnæ infligendæ, minima eligenda est. Item si non certo constet de delicto, reus absolvendus est.

VI. In dubio facti valent sequentia axiomata, seu regulæ juris civilis apud omnes receptæ, scilicet: 1°. *In dubio factum non præsumitur, sed demonstrari debet.* Hoc autem intelligendum est de dubio circa actum principalem, v. gr., si dubium sit an quispiam alium percusserit, hoc factum præsumi non debet, sed qui affirmat, debet illud positive probare. 2°. *In dubio præsumitur recte factum, quod de jure faciendum erat.* Hoc intelligendum de dubio circa actum accessorium, supposita

certitudine actus principalis; si quid enim de jure faciendum erat, aut si ordinarie fieri soleat, aut sit favorabile facienti, præsumitur factum esse. 3°. *In dubio nemo malus præsumitur, nisi probetur.* Hoc valet, quoties agitur de dubio alicujus delicti, quod imputari non debet, nisi de eo certe constet. Cum igitur delicta non præsumantur, malus quisquam non præsumitur, sed probandus est.

VII. *In dubio pars tutior est sequenda.* Est regula juris canonici quæ habetur in cap. *Illud Dominus, de sent. excomm.*, et in cap. *Ad audientiam, de homic.* Hæc autem regula restringenda est ad casus *dubii practici*, vel ad eos, in quibus finis est necessario obtinendus, nempe ubi probabilitas non removeret periculum, quod lex præcipit omnino cavendum, ut, v. gr., in sacramentis conficiendis, juxta superius dicta, et ex omnibus hucusque expositis compertum est. Si autem extendatur ad dubia speculativa, cessat esse regula, seu præceptum, sed est merum consilium.—Cf. S. Alphons. passim, sed præsertim lib. 1. n. 26. et 99., *System. Mor.* Obj. 4., et lib. 6. n. 505.—Voit, n. 38. et seqq.—Bouquillon, n. 350.

67. **Quæsita.**—Quær. 1°. *An licitum sit uti probabilitate, non tantum in materia juris positivi, sed etiam juris divini et naturalis?*

Resp. *Affirm.*, quia in qualibet materia contingere potest, ut non constet de legis existentia, quoties nempe contra eam militat vera et solida probabilitas; ac proinde de tali lege datur ignorantia vere invincibilis. Porro Deus, auctor legis et principium ordinis naturalis, non censetur velle nos obligare, quando invincibiliter legis existentiam ignoramus.—Cf. Scavini, n. 103.

Quær. 2°. *An liceat confessario ad probabilitatem tantum extrinsecam attendere, eique solum inniti in quæstionibus practice solvendis?*

Resp. *Affirm.*, saltem generatim loquendo, et præsertim in quæstionibus quarum solutio magnopere pendet a prudentum æstimatione. Ratio est, quia difficile est aliquid esse *extrinsece* probabile, quin pro eo militet ratio gravis; auctores enim multi et graves ordinarie non docent aliquam opinionem esse vere probabilem, nisi intrinsecas rationes perspexerint. Via igitur hæc profecto parum scientifica est, et theologo vix digna, at brevis est, et tuta dici debet.—Accedit auctoritas S. Pœnitentiariæ, quæ interrogata utrum sit inquietandus confessa-

rius, qui sequitur doctrinam S. Alphonsi, quin rationes ejus perpendat, sed tantum propter ejus auctoritatem, respondit *negative;* et hoc responsum fuit a Summo Pontifice Gregorio XVI. approbatum.—Dixi *saltem generatim loquendo*, quia, si aliquando quis forte detegat errasse auctores etiam multos et graves in asserenda opinionis alicujus probabilitate, tota eorum auctoritas, quantacumque demum sit, totaque illa probabilitas extrinseca jam non efficiet, ut hæc opinio sit illi vere probabilis.

QUÆR. 3°. *Quid sentiendum sit de illo principio probabilistis non paucis familiarissimo: "Qui probabiliter agit, prudenter agit"?*

RESP. Plurimi gravissimique Doctores, qui hoc effato usi sunt, illud usurparunt instar regulæ agendi proximæ, non autem principii, quo veritatem suæ doctrinæ circa probabiles opiniones comprobarent. Certe principium istud falsum est, si habeatur ut principium primarium et quod *per se* sufficiat. Ratio est, quia actio nequit esse prudens vi solius probabilitatis, sed id obtinet ex sola certitudine. Est autem verum, si habeatur tantum, prout ab his doctis viris habebatur, ut corollarium alterius principii primarii, quod sit per se regula ultima agendi, quale istud esse potest: *Lex dubia non obligat;* vel *Non est obligatio, nisi de ea certo constet.*

QUÆR. 4°. *Quomodo intelligendum sit axioma: "In dubio melior est conditio possidentis," et quinam ejusdem usus in conscientia efformanda?*

Axioma istud in foro externo tum ecclesiastico tum civili receptum est tanquam regula judiciorum certa. Regula enim 65. juris canonici in 6. sic se habet: *In pari delicto vel causa potior est conditio possidentis;* et l. 128. ff. de div. Reg. juris, dicitur: *In pari causa possessor potior haberi debet.* Quæritur autem, utrum valeat etiam quoad conscientiam efformandam, id est quoad forum internum; et si valeat, quænam sit possessio, quodnamve dubium in quibus dicitur esse *melior conditio possidentis.*

RESP. 1°. Eamdem esse vim hujus axiomatis in interiori ac in exteriori foro, constat ex testimonio omnium pene theologorum, qui eo frequentissime utuntur, ut casus solvant ad solam conscientiam spectantes.—Cf. Suarez, *de cens.* disp. 40. sect. 5. n. 16.—Lugo, *de just. et jur.* disp. 23. n. 110.—S. Alphons. l. 1. n. 26.—Scav. n. 110.

Resp. 2°. Hoc axioma valere tantum in materia justitiæ, seu quoad possessionem quæ ad jus proprietatis spectat, censuerunt nonnulli probabilioristæ, inter quos Billuart, *de Act. hum.* diss. 6. art. 2. obj. 3. Hoc autem ideo dicebant ne ex hoc principio vis accederet probabilismo.—At vero sententia longe communior et certior asserit idem valere in aliarum etiam virtutum materia. Ita Suarez, *de Voto.* l. 4. cap. 5. n. 7. et seq.—Sanchez, *de Matr.* l. 2. disp. 41. n. 31.—Castropal., *de Consc. dub. resol.* 2.—Lugo, loc. cit.—Lacroix, l. 1. n. 502., et alii multi quos approbat S. Alphonsus, loc. cit. Ratio est, quia exercitium pacificum, seu possessio aut quasi possessio non solum juris proprietarii, sed cujuscumque alterius juris, puta imperandi, agendi, etc., quando certa sunt, titulum præbent certum retinendi id quod habetur, quousque non probetur id retinendum non esse; namque in genere, contra titulum certum prævalere nequit titulus mere dubius. Sic in materia obedientiæ, superiori, qui est in possessione juris imperandi, subditus in dubio tenetur obedire, uti ex jure canonico, SS. Patribus et ratione demonstrat Lacroix, l. 1. n. 432.

Resp. 3°. In dubio practico, vel *negativo*, juxta omnes, melior est conditio possidentis; non autem, juxta multos, in dubio *opinativo*, seu ubi vera et solida probabilitas possessori adversatur; arbitrantur enim tunc cessare præsumptionem, quæ secus in ejus favorem allegari potuisset.—Cf. Baller. not. (a) p. 72.

Quær. 5°. *Si dubites utrum alicui obligationi jam satisfeceris, tenerisne adhuc satisfacere?*

Resp. 1°. *Affirm.* prorsus, quoties agitur de dubio proprie dicto, seu de *dubio negativo*, aut de dubio *practico;* ratio est, quia in tali dubio nunquam contra legem agere licet, ut sequitur ex principiis supra positis.

Resp. 2°. Si autem agatur de *dubio positivo*, seu de vera et solida probabilitate, controvertitur:

I[a] *Sententia affirmat.* Ratio deducitur ex hoc principio communiter admisso: *Non satisfit obligationi certæ per adimpletionem dubiam.* Etenim lex semel existens et imperans jus habet exigendi rigorosam obedientiam, seu indubiam obligationis impletionem. Porro, quando du-

bitas, vel tantum probabiliter aut etiam probabilius existimas te legem adimplevisse, ipsi rigorose minime satisfecisti. Ergo adhuc te urget et premit, usquedum certo satisfeceris.—Præterea, æquitas postulat, ut id quod libertati concedimus, legi quoque in pari conditione non denegemus: atqui concedimus libertati certæ ut non possit ligari per legem dubiam. Ergo concedendum est legi certæ ut non possit solvi per adimpletionem dubiam.—Tandem, in dubio melior est conditio possidentis; sed lex certo existens possidet contra libertatem, quam sibi obligatam habet; ergo in dubio prævalet contra libertatem.—Ita S. Alphonsus n. 28. et 29. qui hoc loco, pluribusque aliis locis ut, v. gr., l. 6. n. 477., QQ. ref. ser. 2. n. 1. 18. etc., videtur plene retractasse quidquid in contrarium scripserat l. 1. n. 99. *versus finem.* Magistrum sequuntur fere unanimiter recentiores ejus discipuli: Scavini, n. 87.—Neyraguet, cap. 3. inf. 2.—Gousset, n. 87.—Panzuti, n. 20.—Muller, § 84. reg. 1. etc.

IIª *Sententia negat* cum theologis non paucis valde conspicuis. Etenim, aiunt, non est imponenda obligatio, nisi de ea *certo constet*, ut supra de probabilismo dictum est. Porro non constat de obligatione cui jam *probabilius*, aut *probabiliter* satisfactum est. Ergo.—Præterea, sicut ex illo principio: *Non est imponenda obligatio, etc.*, eruitur non obligari voluntatem humanam a lege cujus nondum probata est existentia; ita necessario consequitur non obligari eamdem voluntatem, simul ac legis exsistentia fit incerta; quemadmodum enim obligatio pendet a notitia certa legis, ita etiam continuatio obligationis pendet a continuatione notitiæ ejusdem certæ: atqui lex cui probabiliter satisfactum est probabiliter jam non exsistit. Ergo, etc.

Quoad axioma, quod objicitur: *Non satisfit obligationi certæ per impletionem dubiam*, respondetur verum esse quoties sermo est de dubio practico vel negativo, non vero si libertati faveat vera et solida probabilitas. Hanc sententiam tenent Suarez, in 3. S. Thom. ad q. 90. disp. 22. sect. 9. n. 6.—Roncaglia, *de Voto*, cap. 2. q. 4., et tract. 2. cap. 5. q. 3. *de Leg.*—Tamburini, *Meth. conf.* l. 2. cap. 1. n. 10.—Lugo, *de Pœnit.* disp. 16. n. 59. 60.—Bonacina, *de Integrit. conf.* disp. 5. q. 5. sect. 2. punct. 2. § 3.—Lacroix, lib. 1. n. 599. 600.—Salmanticenses, *de Voto*, cap. 1. n. 145.—etc., etc.—Adde ex castris probabilioristarum Billuart, *de*

Integrit. conf., § 4., et *alios* qui dicunt satis esse si legi probabilius fuerit satisfactum.

Negari non potest hanc sententiam quam Card. de Lugo loc. cit. *communem* vocat, gaudere magna probabilitate extrinseca. Aliunde rationes, quibus innititur efficaces sunt, atque illam vere probabilem efficiunt. —Cf. Baller. not. (a) (b) (c) p. 74.

QUÆR. 6°. *An inter plures opiniones probabiles liceat modo hanc, modo oppositam sequi?*

RESP. *Affirm.*, et ratio est, quia inter probabiles opiniones nulla datur *formaliter* tutior et securior altera. Omnes enim sunt æque securæ. Non potes tamen, quoad unam et eamdem rem uti simul sententia affirmante et sententia negante probabili, ut ex una, v. gr., commodum reportes, ex alia incommoda quædam tibi præcaveas. *Qui enim sentit commodum, et onus sentire debet,* ut fert regula juris 55. in 6.—Cf. Castropal. disp. 2. punct. 2. n. 2. et 3.—Baller. not. (b) p. 76.

APPENDIX.

DE SYSTEMATE ÆQUIPROBABILISMI.

68. Paulo fusius agendum hic est de systemate æquiprobabilismi, propterea quod recentes ipsius fautores improbant confessarios, qui renuunt illi adhærere. Ratio autem ipsorum duplex est, intrinseca alia, alia extrinseca. Etenim, aiunt, æquiprobabilismus est sola rationabilis et recta agendi norma, quia cum principiis recte consonat, et omnia incommoda evitat; præterea nefas est a doctrina S. Alphonsi vel latum unguem recedere. Hæc ultima ratio, ut patet, manifeste supponit S. Doctorem Alphonsum certo fuisse æquiprobabilistam. Tria igitur hic sunt breviter examinanda.

a) Utrum verum sit æquiprobabilismum esse solam rationabilem et rectam agendi normam.

b) Utrum historice certum sit S. Alphonsum fuisse æquiprobabilistam.

c) Utrum nefas sit, positis necessariis conditionibus, vel latum unguem a S. Alphonso recedere.

Antequam tribus hisce quæstionibus respondeatur, recolendum est

quod supra n. 50. diximus, scilicet duas esse partes æquiprobabilismi, prout hodie ab ipsius fautoribus propugnatur. Dicunt enim 1°. requiri æqualem vel fere æqualem probabilitatem in favorem opinionis, quæ stat pro libertate præ illa quæ stat pro lege, ut a vi legis eximaris. Dicunt 2°. æquiprobabilismum applicari tantum cum dubium versatur circa *existentiam* legis, nam si versatur circa cessationem legis, pro lege semper standum erit. Porro adnotavimus loco citato, et hic iterum repetendum est, secundam hanc partem respicere applicationem systematis, sed non principium ejus fundamentale; siquidem dum plures probabilistæ eam requirunt, aliqui probabilioristæ, quos inter Billuart, eam respuunt. Quare id quod æquiprobabilistæ primo loco statuunt circa æqualitatem probabilitatis, id solum substantiale est ipsorum systemati, et de eo solum hic agetur. Hisce prænotatis, videamus num certa sint tria illa assumpta.

69. I.—Rationabilis et recta agendi norma illa profecto censeri debet, juxta quam nullum incurritur periculum peccandi formaliter, et difficultatibus omnibus satisfit: atqui quisquis agit juxta probabilismum non solum periculum evitat cujuscumque peccati formalis, sed etiam difficultates omnes quæ objiciuntur optime solvere potest, prout ex iis quæ supra dicta sunt manifeste patet. Ergo probabilismus est rationabilis et recta agendi norma, ac proinde falsum est hanc dotem competere soli æquiprobabilismo.—Hoc argumentum abunde sufficeret ad scopum quem hic intendimus; sed præstat ulterius procedere: siquidem omnia argumenta quæ superius contra probabilioristas allata sunt, non minus urgeri possunt contra æquiprobabilistas. Et re quidem vera urgeri potest

a) Argumentum ex ratione. Nam vel æquiprobabilistæ admittunt solèmne illud principium *legem incertam non obligare*, vel non admittunt. Si primum, quomodo probabunt tum tantum legem esse incertam, cum contra illam militat æqualis vel fere æqualis probabilitas? Nonne vera et solida probabilitas, ubicumque adest, certitudinem perimit oppositæ sententiæ? Si alterum, respondendum ipsis esset rationibus quibus principium illud innititur.

b) Urgeri potest argumentum ex auctoritate. Nam dicta illa Pa-

trum et Scholasticorum, nullo facto discrimine, applicari debent opinioni probabili cujuscumque gradus, tenui tantum excluso: siquidem nuspiam apud eos sermo est de opinione æqualiter vel quasi æqualiter probabili. Neque dicas eos loqui de hac æqualitate quasi implicite et æquivalenter; nam respondetur nullam existere gentem, nullumque esse dictionarium in quo adjectivum *æquale* idem valet ac *verum* et *solidum*.

c) Urgeri potest præsertim argumentum ex consectariis. Etenim nonne eadem haberetur gravissima difficultas et pro confessariis, et pro pœnitentibus? Profecto eadem; nam æquiprobabilistæ non secus ac probabilioristæ exigunt et exigere debent judicium illud comparativum, quod pauci admodum efficere valent, quodque causa est illius difficultatis.—Nonne pariter perpetua esset fluctuatio doctrinæ? Num omnes confessarii ita æquo modo dispositos atque libratos habent mentis oculos, ut circa eamdem quæstionem eamdem sibi faciant opinionem? Quare S. Alphonsus, *Dissert.* edit. an. 1755. n. 17. ita contra probabilioristas arguit: "Talis apparentia (majoris scilicet probabilitatis) nequit regulam certam operandi constituere, dum multipliciter fallere potest. Non enim raro aliqua opinio quæ alicui probabilior apparet, alicui minus probabilis apparebit: imo sibimetipsi opinio quæ heri minus probabilis erat, hodie probabilior apparebit."—Et rursus, ibid. n. 42. "Aliqua opinio quæ mihi est probabilior, minus probabilis sæpe aliis erit, et ideo lex esset particularis pro iis tantum quibus illa opinio probabilior appareret. Sed hoc utique esset contra naturam legis, quæ ad commune bonum debet esse necessario universalis et universim proposita, ne populus qui ad illam observandam tenetur, sæpius divisus sit et perplexus circa veritatem amplectendam; dum quisque concionator aut confessarius ex opinionum diversitate juxta suum sensum sæpe fideles instrueret." Porro si vocem *probabilior* a S. Doctore hic adhibitam, mutes in vocem *æquiprobabilis*, egregiam habes condemnationem æquiprobabilismi ex fluctuatione doctrinæ ex eo promanantis.

Neque dicas hoc incommodo probabilistas etiam premi. Nam respondet S. Doctor, ibid. n. 43: "Nec valet dicere quod sequendo benignam sententiam, etiam difformitas intercedere potest, cum eadem

opinio alicui probabilis videri possit, alteri improbabilis. Non negatur hoc accidere posse, sed semper verum erit, quod cum aliqua opinio pollet solida probabilitate, et certo gravi nititur fundamento, ipsa apud maximam partem sapientum probabilis existimabitur; idque jam satis erit ad conservandam universalem uniformitatem observantiæ legis, non obstante quod apud aliquem particularem illa non sit probabilis; id enim quod raro accidit, universalem conformitatem non aufert. Hoc tamen certe non evenit circa æstimationem opinionum probabiliorum (*in nostro casu æquiprobabilium*); quia cum major vel minor probabilitas pendeat a moralibus motivis, nempe a judicio et ponderatione rationum, quas alii deducunt ex uno principio, alii ex alio, non raro, sed communiter accidit, quod quæ uni est validior, alteri debilior appareat."—Cf. Baller. not. (a) p. 60.

70. II.—Examinandum nunc est utrum historice verum sit S. Alphonsum fuisse æquiprobabilistam. Id quidem affirmant æquiprobabilistæ, at hujusmodi affirmatio mole ipsa sua ruit; nam si ita res se haberet jam sequeretur illam agendi normam, quam dicunt esse unice rectam, ignotam fuisse in Ecclesia Dei per plura sæcula, nec ante S. Alphonsi ætatem inventam, quod quantis incommodis et absurdis consectariis scateat nemo est qui non videat. Vel igitur dicendum æquiprobabilismum non esse illud rectissimum agendi systema, prouti jactitant, vel S. Alphonsum non esse ipsius parentem. Magis tamen veritatem assequetur, et S. Doctoris honorem vindicabit, qui æquiprobabilismum rejiciens propter rationes nuper allatas, negabit insuper S. Alphonsum fuisse æquiprobabilistam. Etenim,

Certum est 1°. S. Alphonsum in quæstionibus particularibus solvendis esse simplicem probabilistam; nam quoties videt veram et solidam probabilitatem militare contra legem, casum solvit in favorem libertatis.

Certum est 2°. ipsum expresse docere, et mira eruditione confirmare speculativa omnia principia, quibus, fatentibus ipsis adversariis, tota veluti substantia probabilismi continetur, nempe: "neminem ad aliquam legem servandam teneri nisi illa ut certa ei manifestetur;—non posse legem incertam, certam obligationem inducere;—legem dubiam non obligare," etc.—*Moral. Systema*, n. 63. 69.

Certum est 3°. S. Doctorem non docuisse systema aliquod novum, sed illum probabilismum explicasse et vindicasse quem tradiderant universim Scholastici ætatis antiquioris. Hoc constat tum quia hos Scholasticos vocat sæpe auctores nostros, magistros nostros, Doctores nostræ sententiæ, tum ex iis quæ habet in *Apologia contra Patuzzi* "ego nunquam volui nec volo nova systemata cudere," tum præsertim ex *Dissert.* ubi ait: "Sinamus contrarios clamare, quod nostra sententia sit nova, et nunquam prioribus sæculis audita. Veritas est, quod olim nunquam hæc quæstio in terminis expressis agitata fuit; sed anno 1577. primum discussa fuit a Barthol. Medina, qui benignam sententiam expresse docuit, et hæc ab eo tempore communissime, ut ipsi adversarii fatentur, fuit amplexata."

Certum est 4°. S. Alphonsum diserte docuisse probabilismum simplicem. Nam *Dissert.* juxta Neap. edit. an. 1755., postquam ad "ambiguitates" ut inquit (n. 1.) "et æquivocationes" vitandas præmisit hanc "probabilioris" opinionis definitionem: "Probabilior est ea quæ nititur fundamento graviori, sed etiam cum prudenti formidine oppositi, ita ut contraria sit etiam vere probabilis, seu graviter verisimilis, licet minus:" dein, ibid. n. 3., scribit: "Ultimam benigniorem et communissimam sententiam probandam aggredimur: nempe licitum esse uti opinione probabili etiam in concursu probabilioris pro lege, semper ac illa certum et grave habeat fundamentum."—De qua thesi deinde, ibid. n. 52., hoc profert judicium: "Nostra sententia, nempe quod liceat sequi opinionem probabilem pro libertate, relicta probabiliori, est longe probabilior, sive probabilissima, imo moraliter, seu lato modo certa. Id patet ex argumentis supra expositis.... Hæc argumenta singula quidem valent moralem certitudinem nostræ sententiæ ostendere, tanto magis simul conjuncta."—Concedunt porro vel ipsi adversarii, quinimo contendunt S. Doctorem nunquam mutasse sententiam.—Cf. Baller. not. (c) p. 64.

Diffitendum tamen non est ipsum in fine suæ vitæ de opinione æque probabili sæpe loquutum fuisse, eamque solam affirmasse posse tuto teneri contra legem; at tali modo loquendi laxismum utique excludebat, non probabilismum. Addebat insuper licitum non esse recedere ab opinione legi favente quoties illa esset *certo et notabiliter probabilior*;

at tali formula opinionem moraliter certam designabat, cujus opposita esset *tenuiter* tantum *probabilis*, et quam probabilistæ omnes negant posse tuto teneri.—Hanc autem novam rationem loquendi ideo adoptavit S. Doctor, quia existimavit se ita posse clamores et indignationem adversariorum aliquantulum compescere.—Cf. *Revue des sciences eccles.* vol. 9. ser. 13. pag. 32., vol. 10. pag. 340. et seqq., et pag. 411. et seqq.—Bouquillon, *de Consc.* n. 344. in nota.

71. III.—Quoniam ex iis, quæ nuper dicta sunt, certum non est, ut minus dicam, S. Alphonsum fuisse æquiprobabilistam, superfluum hic videri posset examinare utrum nefas sit vel latum unguem ab ipsius doctrina recedere; nam etiamsi huic quæstioni affirmative responderetur, nequit exinde argumentum desumi ad systema æquiprobabilismi confessariis omnibus imponendum. Etenim nefas magnum et intolerabile esset normam aliquam agendi aliis imponere propterea quod huic normæ magna favet auctoritas, quando de ipsa existentia hujus auctoritatis magnopere dubitatur. Utile tamen erit quid hac de re tenendum sit breviter innuere propter particulares quasdam quæstiones inferius solvendas.

Maximam esse auctoritatem S. Doctoris Alphonsi in rebus moralibus, eamque regulariter sufficere ad solvendum a lege, nemo est inter hodiernos probabilistas, qui vel negat vel ignorat. Dixi *regulariter*, quia excipi semper debet casus quo habeatur argumentum aliquod absolute certum in contrarium, prouti scimus accidisse circa obligationem *denuntiandi confessarium consentientem mulieri sollicitanti in confessione.* Nam de hac obligatione ex una parte S. Doctor ait *probabiliorem* videri sententiam quæ illam negat, et ex alia decretum aliquod S. Inquisitionis a Benedicto XIV. solemniter approbatum in Const. *Sacramentum Pœnitentiæ*, sed S. Alphonso prorsus incompertum, exigit denuntiationem fieri.—Verum si quis ex diversis approbationibus et encomiis S. Doctoris operibus datis inferre vellet, in nullo unquam casu licitum esse viro theologo ab aliqua ejus opinione quæ ligat recedere, cum vel solida ratio vel gravis aliorum Doctorum auctoritas suadeat illam severiorem esse, et dummodo debita cum moderatione fiat, is profecto neque mentem S. Sedis in approbandis scriptis sanctorum assequeretur, neque principia ipsa et praxim S. Doctoris recte intelligeret aut applicaret.

Etenim mens S. Sedis non est ut per illam formulam "nihil reprehensione dignum" et alias hujusmodi, scripta Sanctorum et Ecclesiæ Doctorum tantam habeant approbationem, ut unaquæque sententia illorum scriptorum hoc ipso *vera* esse dicenda sit; nam hoc esset veluti illorum libros *canonizare*, quod neque de S. Alphonso aut S. Thoma factum est, neque unquam fiet. Ita prorsus rem se habere Benedictus XIV. fuse ostendit, et ipse S. Alphonsus practice confirmavit; nam in quæstionibus particularibus solvendis non semel, relicta sententia S. Thomæ, alteri adhæsit innixus aliorum Doctorum auctoritate, solidisque, prouti ipsi videbantur, rationibus, quamvis approbationes scriptorum S. Thomæ præclarissimæ omnino fuerint et prorsus singulares.—Cf. Bened. XIV. *de Servor. Dei beatif. et Beator. canoniz.* lib. 2. cap. 34.—Baller. vol. 2. not. (a) p. 549.—*Revue des sciences eccles.* vol. 16. p. 302., et vol. 30. p. 340. et 411.—*Etudes relig.*, etc. vol. 4. p. 78.

TRACTATUS

DE LEGIBUS

PARS PRIMA

DE LEGIBUS IN GENERE.

CAPUT I.

DE NATURA ET PROPRIETATIBUS LEGIS.

72. Lex definitur a S. Thoma, 1–2. q. 90. art. 4. "Quædam rationis ordinatio ad bonum commune, et ab eo qui curam communitatis habet promulgata."—Dicitur 1°. *ordinatio,* quia lex imponitur per modum regulæ et mensuræ qua actus humani ordini subjiciuntur; 2°. *rationis,* quia ista ordinatio non debet esse violenta sed procedere a recta ratione; 3°. *ad bonum commune,* quia finis legis saltem immediatus et directus est prospicere communitati; 4°. *ab eo qui curam habet communitatis,* quia ferre leges est actus jurisdictionis; 5°. *promulgata,* quia regula nequit ordinare nisi per applicationem, et applicatio hujus regulæ fit per promulgationem. Hinc sequitur:

1°. Multiplex adesse discrimen legem inter et præceptum. Differunt enim 1°. *ratione jubentis,* quia legislator est semper persona publica, præcipiens vero potest esse persona privata; 2°. *ratione subjecti,* quia lex fertur in communitatem, præceptum etiam in personam privatam; 3°. *ratione finis,* quia quamvis ultimatim bonum singulorum redundat in communitatem, et vice versa, directe tamen et immediate lex respicit bonum commune, præceptum bonum privatum; 4°. *ratione loci,* quia lex afficit territorium, præceptum vero personas, atque, ut ajunt, *ossibus hæret*; 5°. *ratione durationis,* quia præceptum cessat morte præcipientis, lex vero viget etiam defuncto legislatore.

2°. Sequitur proprietates seu conditiones legis humanæ in eo consistere ut sit 1°. *possibilis,* id est accommodata moribus et circumstantiis

personarum, etc.; 2°. *honesta*, id est nihil statuens rectæ rationi aut divinæ legi positivæ repugnans; 3°. *utilis*, scilicet apta ad bonum commune procurandum; 4°. *justa*, id est secundum normam justitiæ distributivæ; 5°. *promulgata*, id est applicata communitati ad actiones dirigendas.

73. Lex multiplici modo distinguitur; est enim:

1°. *Divina*, vel *humana*, prout Deum, aut hominem auctorem immediatum habet.

2°. *Naturalis*, vel *positiva*, prout natura ipsa rationali, vel actu positivo legislatoris intimatur.

3°. *Ecclesiastica*, vel *civilis*, prout a potestate ecclesiastica vel civili fertur.

4°. *Moralis*, aut *pœnalis*, vel *mixta*, prout sub sola culpa, vel sub sola pœna, vel sub utraque simul obligat.

5°. *Affirmativa*, vel *negativa*, prout præcipit actus positionem, vel illam prohibet. Hinc dicitur etiam *præceptiva*, vel *prohibitiva*.

6°. *Prohibens* simpliciter, vel *irritans*, aut *permittens*, prout actum illicitum tantum, aut invalidum reddit, vel agentem prohibet inquietari.

7°. *Favorabilis*, vel *odiosa*, prout beneficium seu favorem concedit, vel onus aut gravamen infert.

8°. *Scripta*, vel *usu servatà*, prout mandato scripto fertur, vel sola consuetudine introducitur et servatur.

CAPUT II.

DE AUCTORE LEGIS SEU DE LEGISLATORE.

74. Legislator dicitur superior, cui sive independens ac suprema, sive subordinata potestas inest leges ferendi pro communitate, in quam habet jurisdictionem.

Dico 1°. Ecclesia potestatem habet condendi leges, quæ ad finem ipsi proprium conducunt. Ratio est, quia Ecclesia est perfecta societas in suo genere, ac proinde debet posse providere suo regimini, quod obtinet per potestatem legislativam. Argumenta positiva fusius traduntur a Canonistis.

Dico 2°. Qui supremam tenent potestatem in societate civili, possunt condere leges quæ ad finem temporalis felicitatis conducunt. Nam potestas ferendi leges est medium necessarium ad societatem conservandam. Ergo debet illi inesse cui competit suprema auctoritas in eam.

75. ***Quæsita.***—QUÆR. 1°. *Quinam in Ecclesia leges condendi facultate polleant?*

RESP. Papa, concilium generale, Episcopi, et concilia particularia.

1°. *Papa, seu Pontifex Romanus pro tota Ecclesia.* Ipsi enim dictum est in persona Petri: "Pasce agnos meos, pasce oves meas." Joann. xxi. 15. et 16.—Vox autem *pascere* idem significat ac gubernare et regere.

2°. *Concilium generale* itidem *pro tota Ecclesia.* Concilium enim generale juridice constat ex omnibus totius mundi Episcopis a Papa convocatis, et ex Romano Pontifice, supremo totius Ecclesiæ capite, cujus auctoritate decreta ejus necessario confirmanda sunt. Ergo plenissimam habet in universam Ecclesiam jurisdictionem.

3°. *Episcopi pro diœcesi.* Constat ex illo Act. xx. 28: "Vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei."—Hoc autem jure, quod Episcopi accipiunt cum canonice instituuntur, ordinarie non utuntur nisi in Synodo. Ordinationes enim quas extra Synodum ferunt, ex consuetudine, tunc tantum uti leges habentur, cum vel expresse hoc dicunt, vel omnes subditos afficiunt.—Bened. XIV. *de Synod. diœces.* l. 13. cap. 5. n. 1.—Scavini, tr. 2. cap. 3. q. 2. in not.—Baller. not. (a) p. 81.—Archiepiscopi vero et Patriarchæ leges ferre nequeunt pro diœcesanis suffraganeorum, quia non sunt eorum superiores proprie dicti, quamvis lites ad se delatas dirimere possint.

4°. *Concilia particularia pro provincia.* Etenim si Episcopi seorsim sumpti leges pro diœcesibus statuere valent, similiter et in Concilio, sive plenario totius nationis sive provinciali, leges pro natione vel provincia constituere possunt. Attamen horum Conciliorum decreta ad S. Congr. Conc. Trid. mitti debent ut recognoscantur. Sic ex antiquo jure a Sixto. V. confirmato in Bulla *Immensa æterni*, ubi de S. Congr. Concilii dicitur: "Provincialium vero (Conciliorum), ubivis terrarum illa celebrentur, decreta ad se mitti præcipiet, eaque singula expendet et recognoscet." Constat etiam ex Bened. XIV. *de Syn. diœc.* l. 13. cap.

3. ubi hæc habet: "Ea (decreta), antequam promulgentur, transmitti jussit Sixtus V. ad sacram Congregationem Concilii, non quidem ut postea confirmationem reportent a Sede Apostolica, sed ut corrigantur, si quid fortasse in iisdem aut nimis rigidum, aut minus rationi congruum deprehendatur. Non semel tamen accidit, provincialia Concilia non solum a sacra Congregatione Concilii recognosci, et, si opus fuerit, emendari, verum etiam a Summo Pontifice, ita petentibus Metropolitanis a quibus sunt celebrata, per Apostolicas litteras confirmari." Confirmatio vero Synodorum per Apostolicam Sedem duobus modis sedulo distinguendis, fieri potest: in forma communi, vel in forma specifica. In *forma communi*, qua eorum statuta, neque absolute approbantur, neque a fortiori sanciuntur auctoritate Apostolica, sed promulgari dumtaxat permittuntur; in *forma specifica*, qua, præmisso diligenti examine, eorum decreta *motu proprio* atque ex *certa scientia* confirmantur ab Apostolica Sede, ideoque naturam induunt legis pontificiæ quoad eos ad quos diriguntur.—Cf. Bened. XIV. *de Synod. diœc.* l. 13. cap. 5. n. 11., et l. 12. cap. 5. n. 13.—Nec tamen transmissio ad S. Congreg. Conc. et multo minus confirmatio per Sedem Apostolicam necessaria est pro statutis Synodi diœcesanæ.—Cf. Bened. XIV. ib., l. 13. cap. 3. n. 6.—Baller. not. (b) p. 81.

QUÆR. 2°. *An statuta Conc. Plen. Balt. II. dicenda sint approbata in forma communi, vel potius in forma specifica?*

RESP. Dicendum videtur ea approbata fuisse tantum in forma communi. Nam approbatio quam receperunt, neque ipsis data fuit ex certa scientia eaque personali Summi Pontificis, neque adhibitis formalitatibus requisitis pro forma specifica. Hoc constat ex Litt. S. Pontificis Pii Papæ IX. ad Patres Concilii, ubi dicitur: "Quod attinet ad acta memorati Concilii.... congruum de iisdem actis a Nostra Congregatione Fidei Propagandæ præposita accipietis responsum."—Cf. *Acta. Conc. Plen. Balt.* II. pag. cxxxv.—Constat etiam ex decreto S. Congr. de Propag. Fide pro recognitione Concilii, pag. cxxxvi.—Cf. Smith, *Elem.* vol. 1. n. 74.

QUÆR. 3°. *An leges condere possint Administrator Diœcesis, sede vacante, Prælati Regularium, et Abbatissæ seu Monialium Superiorissæ?*

RESP. 1°. *Administrator*, sede vacante, prout apud nos habetur,

idem posse videtur quod alibi potest Capitulum, quod nihil innovare, aut abrogare potest, sed Diœcesim gubernare juxta leges jam existentes. Attamen statuta quæ pro circumstantiis necessaria essent, ut leges jam latæ vigorem habeant, ferre potest.—Cf. S. Alphons. n. 104.—*Acta. Conc. Plen. Balt.* II. n. 96. 99.

Resp. 2°. *Capitula seu Congregationes generales et Prælati Regularium* veras leges condere valent, intra limites suæ jurisdictionis, juxta proprias Ordinis constitutiones. Habent enim statuta a summo Pontifice approbata, quæ illis hanc facultatem tribuunt.

Resp. 3°. *Abbatissæ*, vel *Superiorissæ Monialium* non possunt leges proprie dictas ferre, cum jurisdictionis ecclesiasticæ non sint capaces. Possunt tamen exigere in conscientia obedientiam circa res præceptas, vel circa ea quæ ad profectum Monialium juxta regulas conducunt. Habent enim jus præcipiendi tum ex voto obedientiæ a subditis emisso, tum ex necessitate disciplinæ, quæ in communitate servari debet.

CAPUT III.

DE OBJECTO LEGIS.

76. Objectum legis, generatim, est quidquid lex præcipere vel prohibere potest. Hinc objectum legis esse possunt omnes et soli actus quorum positio vel omissio favet bono communi.

77. ***Quæsita.***—Quær. 1°. *An actus jam positi possint esse objectum legis?*

Resp. *Negat.*, juxta vulgare axioma: *lex non respicit retro.* Ratio est, quia lex non se extendit ad actus præteritos ratione culpæ, quæ, absente lege, nulla fuit, neque ratione pœnæ quæ consequitur culpam, neque ratione rescissionis, nisi in aliquo casu a lege expresso. Præterea, ista *retroactio* induceret magnam perturbationem in societate. — Cf. Scav. n. 218.—Consonat Constitutio Statuum Fœderatorum; nam art. 1. sect. ix. n. 3. habetur: "No *ex-post-facto* law shall be passed;" et art. 1. sect. x. n. 1.: "No State shall pass any *ex-post-facto* law, or law impairing the obligation of contracts."

Quær. 2°. *An actus heroici cadant sub lege humana?*

Resp. Generatim, et exclusa *prævia acceptatione*, non videntur cadere sub lege, quia vires humanas excedere moraliter censentur, atque adeo hujusmodi lex careret ea dote, qua posset dici *possibilis*. Nec dicas hanc rationem æque valere pro lege divina; nam cum Deus aliquem actum heroicum præcipit, vires simul confert et roborat per gratiam.—Dixi 1°. *generatim*, quia aliquando exigente bono communi, actus heroici præcipi possunt a lege humana. Sic milites vigiles nequeunt stationem deserere, etiam imminente periculo vitæ. Dixi 2°. *exclusa prævia acceptatione*, quia præceptum non reputatur moraliter impossibile pro paucis, qui illud sponte recipiunt. Sic Ecclesia præcipit Monialibus perpetuam clausuram.

Quær. 3°. *An lex humana possit præcipere actus mere internos?*

Resp. De lege civili certum est non posse, quia sine his actibus finis proprius illius obtineri potest. Præterea, de internis judicare nequit. Verum controvertitur de lege ecclesiastica, et sententia quæ negat probabilior est, saltem extrinsece.—Cf. S. Thom. 1-2. q. 100. art. 9.—S. Alphons. n. 100.—Suarez, *de leg.* lib. 4. cap. 12.

Idem dicendum de actibus internis qui *per accidens* conjuncti sunt cum externis, uti esset, v. gr., vera devotio in danda eleemosyna. Illi autem actus interni qui cum externis conjuncti sunt necessario, sive tanquam *forma* ut, v. gr., consensus voluntatis in contractibus, sive tanquam *causa*, ut, v. gr., desiderium nocendi in homicidio, possunt quidem cadere sub lege humana, sed *indirecte* tantum.—Cf. S. Alphons. ibid.

Quær. 4°. *An cadant sub lege humana actus externi quidem sed occulti?*

Resp. *Affirm.*, quia actus occulti natura sua non differunt ab aliis; et præterea possunt judicari *per sententiam*, uti hæresis occulta quæ non effugit censuram.—Cf. S. Alphons. ibid. Quær. 3°.

Quær. 5°. *An confessarius actus mere internos injungere possit?*

Resp. *Affirm.* Ratio est, tum quia hoc exigit munus dirigendi pœnitentem in via salutis, tum quia confessarius Christum ipsum repræsentat et divinam ejus potestatem participat.—Cf. Voit, n. 163.—Scav. n. 217., et notam ad n. 209. edit. Paris.

CAPUT IV.

DE SUBJECTO LEGIS.

78. ***Principium.*** Omnis homo nascitur et remanet subjectus legi naturali; at lege humana ligantur soli subditi, modo sint rationis habitualiter compotes. Ratio *primi* est, quia, ut ait S. Thomas, 1–2. q. 91. art. 2: "lex naturalis nihil aliud est quam participatio legis æternæ in rationali creatura;" ergo ubicumque invenitur rationalis creatura ibi adest subditus legis naturalis. Ratio *secundi* autem est, quia lex humana nequit ferri nisi per actum jurisdictionis, qui tantum in subditos potest exerceri. Ratio *tertii* tandem est, quia homines usu rationis habitualiter carentes, legibus dirigi nequeunt.

79. ***Resolves.***—1°. Non licet provocare infantes et amentes ad rem intrinsece malam, quia cum naturam rationalem habeant, lege naturali in *actu primo,* seu radicaliter obligantur; ideoque formaliter peccant qui eos ad blasphemias aut turpitudines inducunt.—Cf. Sanchez, lib. 1. *Decal.* cap. 10.—Reuter, n. 167.

2°. Licet, diebus prohibitis, dare carnes edendas perpetuo amentibus, aut infantibus nondum usum rationis adeptis; non autem amentibus ad breve tempus, nec ebriis, aut dormientibus. Ratio discriminis est, quia primi nullo modo subjiciuntur legi humanæ, secundi autem subjiciuntur.—Cf. S. Alphons. n. 155.

3°. Infideles, nimirum quicumque Baptismo non sunt expiati, legibus ecclesiasticis non obligantur, quia quamvis teneantur Ecclesiam ingredi, ejus tamen jurisdictioni nondum subjacent.

4°. Hæretici, schismatici, et quicumque alii baptizati, etsi non catholici, legibus ecclesiasticis *per se* tenentur, quia perdurat in eis fundamentum subjectionis, quod est character baptismatis: attamen, *per accidens,* in praxi non videntur peccare, quia fere nesciunt, se ex conditione sua ad servandas has leges teneri, etiamsi forte necessitatem et obligationem ingrediendi catholicam Ecclesiam jam cognoscant. Imo probabile etiam videtur hæreticos materiales, uti censentur plurimi ex nostratibus, nullo modo adstringi quibusdam saltem legibus ecclesiasticis, non quia Ecclesia non possit, sed quia rationabiliter putatur nolle

eos ligare.—Cf. Mazzella, *de Eccles.* disp. 3. art. 10. n. 567.—Tarquini, *Jus. Eccl. Pub. Inst.* n. 63. 65.—Kenrick, tr. 3. part. 1. n. 28.

5°. Excommunicati, quamvis de Ecclesia ejecti fuerint, Ecclesiæ legibus adstringuntur quoad actus qui eis non interdicuntur; secus enim ex malitia sua commodum reportarent.

80. ***Quæsita.***—Quær. 1°. *An Clerici teneantur legibus civilibus?*

Resp. *Affirm.*, exceptis illis quæ repugnant eorum statui, vel alicui immunitati ecclesiasticæ adhuc vigenti. Ratio est, quia Clerici sunt pars communitatis politicæ, et ab illa multa commoda suscipiunt. Quare Apostolus, Rom. xiii. 1. ait: "Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit."—Ad hæc verba addit S. J. Chrysostom.: "Ergo etsi Apostolus esses, etsi Evangelista, etsi Propheta, etsi quivis alius; neque enim hæc subjectio subvertit pietatem."—Cf. Scav. n. 221.

Dixi 1°. *exceptis illis quæ repugnant eorum statui;* nam status est de jure divino, et leges quæ juri potiori opponuntur nequeunt obligare.

Dixi 2°. *vel alicui immunitati ecclesiasticæ adhuc vigenti.* Immunitas est quædam exemptio ab Ecclesia concessa vel personæ, vel loco, vel rei sacræ. Ergo leges civiles quæ huic exemptioni opponuntur *per se* non obligant, quia lædunt jus ordinis superioris. Verum sæpe Ecclesia vel *expresse* vel *tacite* non urget has immunitates, et tunc leges civiles nativam efficaciam sortiuntur.—In hac regione paucæ admodum urgeri possunt immunitates; præcipuæ sunt *localis* qua profani quidam actus non permittuntur exerceri in locis sacris, et *realis* qua, alicubi tantum, bona ecclesiastica a tributis eximuntur.—Relate ad immunitatem fori, attendenda sunt quæ habet *Conc. Plen. Balt.* II. n. 155., ubi graviter damnatur quicumque personæ ecclesiasticæ vel religiosæ, de rebus quæ ad forum ecclesiasticum pertinent, coram profano judice litem intenderet.

Quær. 2°. *An pueri teneantur ad leges ecclesiasticas statim ac usum rationis adepti sunt, licet septennium nondum expleverint?*

Resp. *Neg.* probabiliter, quia Ecclesia censetur attendere ad ea quæ communiter contingunt.—Cf. S. Alphons. de tertio præc. Decal. n. 270. —Lacroix, 676.—Reuter, n. 167.

Quær. 3°. *An peregrini teneantur legibus sui territorii?*

Antequam quæstioni respondeatur, dicendum est quid venit nomine

peregrini, et quomodo differt a vago et advena.—Peregrinus dicitur qui extra proprium territorium per aliquot dies, vel ad summum per minorem anni partem versatur cum animo ad sua redeundi, ut sunt viatores et mercatores excurrentes. Hinc differt a *vago*, qui nullibi habet determinatum domicilium, sed de uno in alium locum perpetuo se transfert. Differt etiam ab *advena*, quia hic, quamvis sit extra proprium territorium, jam acquisivit alibi novum domicilium vel quasi-domicilium, et *incolæ* comparatur.—De conditionibus ad domicilium vel quasi-domicilium acquirendum opportuniori loco dicetur. Nunc ad quæsitum.

RESP. *Neg.*, generatim loquendo, quia lex, utpote quæ respicit communitatem, est necessario territorialis nec afficit personas nisi per territorium. Dixi *generatim loquendo*, quia controvertitur si abeant animô se obligationi legis subducendi. Affirmant aliqui, quia, inquiunt, nemini fraus sua patrocinari debet; sed communius et probabilius Doctores negant, quia exiens e territorio non in fraudem legis agit, sed utitur jure suo; lex enim non præcipit ut remaneas subditus, sed tantûm ut obedias quamdiu eris subditus.— Cf. S. Alphons. n. 156., et *Hom. Ap.* n. 39.—Lacroix, n. 683.—Elbel, n. 370.—Scav. n. 222.

QUÆR. 4°. *An peregrini teneantur legibus loci in quo versantur?*

RESP. Peregrini et vagi certo tenentur ad leges loci in quo versantur; 1°. quoad *contractus;* 2°. quoad *delicta;* 3°. quoad ea quæ sunt necessaria ad bonum commune; 4°. quoad leges juris communis, quantumvis vigeat privilegium in territorio a quo sunt egressi. Verum quoad alias leges duplex potissimum adest sententia, sed probabilior est illa quæ eos excusat, secluso scandalo, quia lex non obligat nisi subditos.— Cf. S. Alphons. n. 156.

81. ***Resolves.***—1°. Si in tuo territorio vel parœcia sit jejunium, et eodem die pergas ad locum ubi non est jejunium, potes vespere cœnare.

2°. Probabiliter potes etiam jentare, si mane exiturus sis, et ratio est, quia jejunium est quid individuum.

3°. Mane existens in loco ubi non est jejunium, vesci potes carnibus, etsi circa meridiem reversurus sis domum, ubi est jejunium. Domi tamen certo teneris abstinere a carnibus.

4°. Si in tuo territorio vel parœcia sit speciale festum, et in alium locum, ubi non sit festum, profecturus sis, non teneris audire sacrum ante discessum, modo perventurus sis extra locum ubi viget præceptum, antequam tempus obligationis cesset. Ratio est, quia præceptum non obligat ut expectes.

5°. Tenentur peregrini omnibus legibus communibus, eo loco vigentibus; etsi in suo territorio essent abrogatæ, vel per dispensationem hic et nunc non obligarent. Ratio est, quia subsunt legislatori communi, et absentes non gaudent proprii territorii privilegio. Sic Cubanus commorans in hac regione tenetur ad abstinentiam die Veneris.

6°. Probabiliter non tenentur peregrini ad legem particularem alicujus loci servandam, etiamsi eadem lex particularis in suo territorio vigeat. Ratio est, quia nec tenentur legibus patriæ, quia absunt; nec legibus loci in quo versantur, quia, utpote peregrini, illis non subjiciuntur.

7°. Si quis legi communi jam in sua patria vel suo territorio satisfecerit, probabilius non tenetur iterum satisfacere adveniens in locum, ubi serius urget. Sic Italus vel Hispanus, qui in patria jejunavit in pervigilio S. Petri, non tenetur iterum jejunare in Gallia, ubi hoc jejunium in Sabbatum sequens transfertur. Ratio est, quia non datur obligatio iterum idem præceptum adimplendi, cum jam suo tempore adimpletum est: ubi enim jam est solutum debitum determinatum, non est iterum solvendum.—Cf. S. Alphons. n. 156. et 157., et *Hom. Ap.* n. 39. et seqq.—Lacroix, n. 686.

CAPUT V.

DE PROMULGATIONE LEGIS.

82. Promulgatio est publica legis denunciatio facta a legitima auctoritate ad obligationem in subditos inducendam.

Dico 1°. Promulgatio est omnino necessaria ut lex inducat obligationem. Ratio est, quia lex, ut obliget, debet intimari voluntati, quod fit per promulgationem.—Cf. S. Thom. 1–2. q. 90. art. 4.—S. Alphons. n. 96.

Dico 2°. Promulgatio sine notitia legis sufficit ad obligandum in foro externo, quia legis rite promulgatæ notitia generatim præsumitur.

In foro autem interno, notitia legis insuper requiritur, quia nemo peccare potest sine obligationis cognitione.

Dico 3°. Ex natura rei sufficit, ut lex promulgetur in aliqua præcipua civitate, seu in tali loco, unde ad notitiam communitatis pervenire possit, et statim obligat ac promulgata fuerit; sed in praxi attendendum est ad consuetudinem receptam, vel ad statuta particularia variorum locorum. Quare ait Kenrick: "apud nos, promulgata censetur lex statim ac lata fuerit, exceptis nonnullis Statibus, in quibus viginti, triginta, vel sexaginta dies elabantur necesse est antequam vim habeat."—Cf. Kenrick, tr. 6. n. 8. cum notis.

83. ***Quæres.***—*An sufficiat ut leges episcopales promulgentur in civitate episcopali?—et papales Romæ?*

Resp. *Affirm.*, quia hoc sufficit ut populo christiano manifestari possint. Præterea modus promulgationis est in potestate legislatoris: atqui in praxi, Episcopi obligare volunt per promulgationem in urbe episcopali factam, et Pontifices per eam quæ fit Romæ. Ergo etc.—Quoad Conc. Trid., certum est decreta ejusdem, ad fidem et mores spectantia, obligare etiam in iis locis, ubi specialiter non sunt promulgata; itemque decretum circa matrimonia clandestina non obligare, nisi in parœciis ubi promulgatio præcessit. Quoad alia decreta quæ reformationem respiciunt, tenenda est sententia asserens ipsa ubique obligare, cum Romæ debito modo promulgata sint.—Cf. Bouix, *de Princip. Jur. Can.* p. 2. sect. 2. cap. 6.—*Anal. Juris Pontif.* ser. 2. col. 2308.

CAPUT VI.

DE ACCEPTATIONE LEGIS.

84. Acceptatio legis est submissio, qua subditi, saltem quoad majorem et saniorem partem, formaliter vel virtualiter legem acceptant.

Dico 1°. Per se, lex, quoad vim obligandi, nullo modo pendet ab acceptatione populi; secus enim simul cum superioris potestate corrueret omnis legum auctoritas, atque adeo totius ordinis socialis subversio sequeretur. Constat etiam ex propositione 28. ab Alexandro VII. damnata, quæ sic se habet: "Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam."

Dico 2°. *Per accidens* quandoque lex non acceptata non obligat, ratione taciti vel expressi consensus superioris, aut ratione privilegii vel consuetudinis toleratæ. Constat ex praxi in variis casibus, atque ex consensu communi theologorum.—Cf. S. Alphons. n. 138.

85. ***Quæsita.***—QUÆR. 1°. *An obliget lex, si major et sanior pars populi eam non acceptaverit?*

RESP. Si major et sanior pars populi, propter rationabilem causam, legem *ad tempus* non acceptet, eo fine ut a Principe obtineat ejus dispensationem vel abrogationem, ex benigna interpretatione haberi poterit obligatio legis tanquam suspensa, usquedum res componatur. Si e contra, lex absolute et pro semper, sine ullo ad Principem recursu, a majore et saniore populi parte rejiciatur, peccant non acceptantes, quoadusque lex fuerit per desuetudinem legitime præscriptam abrogata: non enim ab eorum voluntate pendet ut lex obliget vel non obliget, secluso tamen casu, quo lex ideo non acceptatur quia intrinseco aliquo vitio laborat. Interim minor pars, quæ parata est ad legem observandam statim ac a majori parte acceptabitur, *probabilius* non peccat, per se loquendo, dum ejus observationem omittit; quia non censetur Princeps velle a paucioribus observari cum magno eorum incommodo, quod a pluribus non est acceptatum.—Cf. S. Alphons. n. 137. et 139.—Suarez, l. 3. cap. 19. n. 13.—Salmant. cap. 1. n. 107.

QUÆR. 2°. *An obliget lex in dubio an sit acceptata?*

RESP. *Affirm.*, quia præsumi debet acceptata, nisi de contrario constet: *Præsumitur enim factum, quod de jure faciendum erat,* juxta regulam juris supra relatam, n. 68.—Cf. S. Alphons. n. 97.

CAPUT VII.

DE OBLIGATIONE LEGIS.

Obligatio legis duplici modo potest considerari, scilicet in se ipsa, et quoad satisfactionem; de utroque hic breviter dicetur.

ARTICULUS I.

DE IPSA VI OBLIGATIONIS.

86. ***Dico*** 1°. Lex quælibet veram inducit obligationem, saltem ad pœnam; in hoc enim a consilio lex differt, quod hanc impune pro lubito suo posthabere subditus non possit.

Dico 2°. Lex humana quælibet in conscientia coram Deo *per se* obligare potest; ratio est, quia superiores a Deo constituti sunt cum potestate præcipiendi. Hinc ait Apostolus, Rom. xiii. 2: "Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt."

Dico 3°. Lex obligat *sub gravi* aut *sub levi* pro gravitate materiæ aut circumstantiarum, vel finis a superiore specialiter intenti. Lex autem affirmativa obligat *semper*, sed non *pro semper:* lex negativa vero obligat tum *semper*, tum *pro semper*, id est pro singulis momentis.

Dico 4°. Lex divina positiva, et humana, non obligant *generatim* cum incommodo *valde gravi*, seu cum gravi nocumento, quod *per accidens* observationi legis conjunctum sit. Constat ex jure naturali et canonico, ex praxi Ecclesiæ, et consensu omnium.

87. ***Quæsita.***—QUÆR. 1°. *An legislator possit præcipere sub levi in materia gravi?*

RESP. *Affirm.*, saltem probabilius, quia quantitas obligationis pendet ab ejus voluntate, sicut lex ipsa. Nequit tamen obligare sub gravi in materia levi, quia tunc deesset proportio; nisi materia levis quidem in se, gravis evadat ratione finis vel circumstantiarum.—Cf. S. Alphons. n. 143.

QUÆR. 2°. *Quænam materia legis censenda sit gravis vel levis?*

RESP. Colligendum id est 1°. ex verbis ipsis legis; 2°. ex gravitate pœnæ inflictæ; 3°. ex interpretatione ipsius; 4°. ex ejus objecto, fine et circumstantiis. Sic, v. gr., grave est pro celebrante Missam, si omittat infundere in calicem aliquot guttulas aquæ; leve erit, si die jejunii unciam panis manduces extra refectionem.—Cf. S. Alphons. n. 144.—Lacroix, n. 663.

QUÆR. 3°. *An lex humana possit aliquando impedire ne obligatio, alioquin valida, contrahatur?*

RESP. *Affirm.*, et ratio est, quia aliquando bonum commune id exigit; nec prohibet lex naturalis, ut, bono communi exigente, apponantur conditiones, quibus invalidentur actus alioquin validi. Sic a lege tum ecclesiastica tum civili plura pacta irritantur.

QUÆR. 4°. *An gravis sit violatio legis in re levi ex contemptu?*

RESP. *Affirm.*, si contemptus afficiat *directe* legislatorem *formaliter* talem, quia comtemnitur ipsa auctoritas ex qua leges vim obtinent. At peccatum grave non erit, si contemptus respiciat tantum materiam ut levem *in se*, aut si quis legem transgrediatur ex incuria, ira, aut alia ejusmodi causa.—Cf. S. Alphons. n. 142.

ARTICULUS II.

DE MODO SATISFACIENDI OBLIGATIONI LEGIS.

88. ***Principium.***—Quamvis ad satisfaciendum legi non requiratur intentio *implendi* præceptum, et multo minus intentio obtinendi *finem* præcepti; requiritur tamen intentio faciendi id quod præcipitur si lex est *affirmativa*, non autem si est *negativa*, vel affirmativa quidem, sed *hujusmodi* ut per eam simplex effectus alicujus actionis, non autem actio ipsa intendatur. Ratio *primi* est, quia ad satisfaciendum sufficit obedientia materialis, ut loquuntur theologi, scilicet ponere actionem quæ præcipitur. Ratio *secundi*, tum quia, ut fert axioma desumptum ex Angelico Doctore: *Finis præcepti non cadit sub præcepto;* tum quia per simplicem adimpletionem præcepti sufficienter obtinetur finis a legislatore intentus. Ratio autem *tertii* est, quia cum lex imponatur hominibus, ipsius impletio debet esse actio humana. Demum, ratio *quarti* et *quinti*, quia tunc legislator non intendit nisi vel omissionem operis, vel materialem tantum positionem effectus, v. gr., restitutionem, quam ille etiam qui dormit valet facere.—Cf. S. Thom. 1–2. q. 100. art. 9.—S. Alphons. n. 162., 163., 164. et 165.

89. ***Resolves.***—1°. Satisfacit, qui audit Missam, ignorans illam hac die esse præceptam, vel qui cognoscit quidem obligationem, sed intendit tantum hic et nunc devotioni satisfacere, cum proposito aliam Missam audiendi.

2°. Non vero satisfacit, qui opus voti vel juramenti ponit, intendendo

expresse non satisfacere; nam a promittentis voluntate pendet, ut talis obligatio maneat.

3°. Non satisfacit, qui omnino coactus Missæ interest; talis enim actus, ob defectum voluntatis, non est humanus. Secus, si metu tantum quis inducatur, ut, v. gr., famulus metu domini, puer metu tutoris, etc.

4°. Satisfacit qui peccat in ipsa adimpletione legis, modo actus sit honestus in se et tantum malus ex circumstantia extrinseca, ita ut substantia rei præceptæ ponatur; quia præceptum imperat solam actus substantiam, non autem modum. Hinc satisfacit, qui dum Missam audit cogitationibus vanæ gloriæ vel luxuriæ occupatur. Non satisfit tamen præcepto confessionis vel communionis, per confessionem vel communionem sacrilegam, quia tunc ipsa substantia actus præcepti, id est, confessio peccatorum deletiva, vel communio quæ spiritualiter pascat animam, non ponitur. Constat etiam ex prop. 14. damnata ab Alex. VII: "Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ,"—et ex prop. 55. damnata ab Innocent. XI: "Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem."—Cf. S. Alphons. ibid.

90. ***Quæsita.*** — Quær. 1°. *An diversa præcepta unico actu adimpleri possint?*

Resp. *Affirm.*, si præcepta hæc diversa cadant in eamdem materiam ob idemque motivum, ut jejunium vigiliæ incidens in quatuor Tempora; secus autem, si cadant in diversam materiam, vel in eamdem quidem, sed ob motivum diversum, ut jejunium ex pœnitentia, et ex lege ecclesiastica debitum.—Cf. S. Alphons. n. 166.

Quær. 2°. *An diversa præcepta diversis actibus simul adimpleri possint?*

Resp. *Affirm.*, si actus isti sint sociabiles, id est, si tales poni possint, quales exiguntur, quia tunc totum ponitur, quod exigitur. Sic potes inter audiendam Missam recitare Horas canonicas, vel exsolvere injunctam pœnitentiam, etc.—Cf. S. Alphons. n. 166.

Quær. 3°. *An cesset obligatio, cui tempore determinato non fuerit satisfactum?*

Resp. *Affirm.*, si determinatio temporis facta fuerit ad finiendam obligationem. Sic, v. gr., si non jejunasti die vigiliæ, peccasti quidem,

sed a lege liberaris; quia jejunium est onus diei ipsi affixum. Secus vero dicendum si tempus non fuerit determinatum, nisi ad sollicitandam, seu urgendam obligationem. Sic non liberatur ab obligatione suscipiendi Eucharistiam qui tempore paschali illam non suscepit.—Cf. S. Alphons. de secundo præc. Decal. n. 220., et de Euchar. n. 297.

CAPUT VIII.

DE CAUSIS A LEGE DEOBLIGANTIBUS.

91. Causæ deobligantes sunt vel *eximentes*, vel *impedientes*. Priores eæ sunt, quæ subditum totaliter subtrahunt a dominio legis, v. gr., si quis extra locum, quem lex afficit, se recipiat. Posteriores vero eæ sunt, quæ subditum sub lege remanentem ab ejus impletione impediunt, seu excusant.—Præterea tum priores tum posteriores apponi possunt *directe*, vel *indirecte*, prout scilicet agentem movet aut finis sese legi subtrahendi, aut alia causa; *proxime* vel *remote*, prout lex urget aut brevi, aut solum post notabile temporis intervallum.

92. ***Dico*** 1°. Causæ *eximentes* totaliter liberant a legis obligatione; nemo enim præceptum imponere potest homini non sibi subjecto. Porro ubi adest causa aliqua eximens, ille, qui legi subjiciebatur, cessat esse eidem legi subditus vel ratione territorii, a quo abest, vel ratione privilegii.—Cf. S. Alphons. n. 156.

Dico 2°. Impotentia physica, quamvis non eximat, semper ab observanda lege excusat, ut habet pervulgatum axioma: *Ad impossibile nemo tenetur*. Excusat itidem impotentia moralis, quia non censetur legislator obligationem urgere cum tanto incommodo, juxta communem Doctorum interpretationem: hæc est ratio cur metus gravis, secluso damno societatis aut religionis, a lege humana excusat.—Cf. S. Alphons. n. 175., et *Hom. Ap.* n. 44.

93. ***Quæsita.***—Quær. 1°. *An semper liceat etiam directe et proxime apponere causas eximentes?*

Resp. *Affirm.*, et ratio est, quia lex *per se* non facit aliquem sibi subditum esse, sed fertur potius in eum qui jam est subditus; ideoque, saltem per se loquendo, neminem obligat ut sibi sit aut maneat subditus, sed potius obligat eum qui est et manet subditus ad sui observatio-

nem. Igitur, si actione aliunde licita te subtrahas ejus dominio, non agis *in fraudem* ejus, sed uteris jure tuo.—Dixi *per se loquendo*, quia si legislator id expresse prohibeat, prout factum esse videbimus quoad absolutionem a reservatis, et matrimonia clandestine contrahenda, legem fraudas adeundo locum liberum ut vim ejus effugias.—Cf. S. Alphons. ibid.—Baller. not. (a) p. 97.

QUÆR. 2°. *An idem dicendum sit de appositione causarum impedientium?*

RESP. Certum est nunquam licere eas *directe* apponere, et ratio est, quia quousque legi quis subjacet, non potest velle eam infringere, quin talis voluntas sit ipsiusmet legis violatio. Imo ne indirecte quidem causas *proxime* impedientes apponere licebit, nisi proportionata adsit aliunde necessitas. Ratio est, quia lex *proxime* urgens ligat *proxime* voluntatem, et eam adstringit ad adhibenda media necessaria, ne ipsa violetur, atque adeo ad impedimenta non injicienda.—Verum probabilius licet, etiam sine ratione, causas apponere *remote* impedientes; quia non censetur legislator velle libertatem adeo coarctare. Esset enim onus nimis grave, si quisque, multo ante obligationem legis, ad omnia opera cum illa obligatione insociabilia derelinquenda, tempusque obligationis expectandum adstringeretur.— Cf. Suarez, *de Peccatis*, disp. 3. sect. 4. n. 10.

Quando autem causa censenda sit impediens *proxime*, quando tantum *remote*, norma quapiam generali statui vix, aut ne vix quidem potest. Et *remote* quidem impediens fere haberi solet quæ tempus præcepti implendi aliquot dierum spatio præcedit; at præ oculis semper habenda erunt tum mens legislatoris ac rei præceptæ gravitas, tum etiam prudentum judicium ac proborum praxis.—Cf. Sanchez, *In Decal.* lib. 1. cap. 15. n. 4.

QUÆR. 3°. *An teneatur ad partem qui ad totum est impotens?*

RESP. *Affirm.*, quando materia legis est divisibilis, et in singulis partibus remanet ratio præcepti. Quare sicut qui non potest jejunare in Quadragesima, debet abstinere a carnibus si possit; ita qui vovit piam peregrinationem, nec valet totum iter complere, illud inchoare non tenetur.—Cf. S. Alphons. *Hom. Ap.* n. 45.

CAPUT IX.

DE INTERPRETATIONE LEGIS ET EPIKEIA.

94. Interpretatio legis est explicatio sensus a legislatore intenti, quando hic obscurior vel ambiguus esse videtur, et multipliciter distinguitur, nam:

1°. Ratione *subjecti* vel *causæ*, alia est *authentica*, alia *usualis*, et alia *doctrinalis*, prout fit vel ab ipso superiore aut ab aliis, qui ejusdem potestatem participant, vel a consuetudine, vel a viris doctis.

2°. Ratione *modi* est vel *stricta* vel *lata*. Prima rigorose servat verborum proprietatem, ut, v. gr., si per vocem *filius* intelligatur tantum persona generata; altera benigniorem admittit sensum, ut si eadem vox *filius* extendatur ad personam adoptatam.

3°. Ratione *modi* iterum, est vel *comprehensiva*, vel *extensiva*. Prima sumit verba prout *sonant*, et ea explicat, vel late, vel stricte prout nuper dictum est; altera autem verbis appingit alium sensum præter naturalem, v. gr., si sub nomine *patris* intelligatur etiam avus, et sub nomine *mortis*, carcer perpetuus.

95. Epikeia autem est exceptio casus ob circumstantias, ex quibus certo, vel saltem probabiliter judicatur legislatorem noluisse illum casum sub lege comprehendi. Hinc differt ab interpretatione, quia non agit de explicanda lege obscura, sed de non applicanda lege aliunde clara alicui casui in particulari.—Cf. S. Thom. 1–2. q. 96. art. 6., et 2–2. q. 120. art. 1.—S. Alphons. n. 201., et *Hom. Ap.* n. 77.

96. ***Dico*** 1°. Interpretatio *authentica* tantam habet vim, quantam ipsa lex; verum si est simul extensiva, indiget nova promulgatione. Ratio *primi* est, quia procedit ab eadem auctoritate: ratio *secundi*, quia tunc conditur revera nova quædam lex.

Dico 2°. Interpretatio *usualis* pariter vim legis habet, et authenticæ accedit, dummodo consuetudo sit legitima, publica, et universalis. Ratio est, quia tunc habetur consensus legislatoris; unde dicitur consuetudinem esse optimam legum interpretem.

Dico 3°. Interpretatio *doctrinalis* non habet vim legis, cum non procedat a potestate legislativa; habet tamen plus vel minus ponderis

juxta numerum et auctoritatem Doctorum, et præsertim eorum rationes. Ut interpretatio doctrinalis recte fiat, attendendæ sunt sequentes regulæ.

1ª. Verba legis accipienda sunt juxta propriam et usu receptam significationem, nisi quid absurdum aut injustum inde sequatur.

2ª. In dubio de vero sensu, attendendum est ad mentem legislatoris, ad finem legis, et ad circumstantias vel antecedentes vel consequentes.

3ª. Lex pœnalis et odiosa in dubio est stricte interpretanda; lex vero favorabilis amplam poscit interpretationem.—Cf. S. Alphons. n. 200.—Scav. n. 260.—Kenrick, n. 32.

97. ***Quæsita.***—QUÆR. 1°. *An lex extendi debeat a casu ad casum ob similitudinem rationis?*

RESP. *Neg.*, nisi casus exprimatur in lege tantum causa exempli, puta, si lex imponat pœnam contra furantes centum aureos, comprehendit eos etiam qui furantur rem ejusdem valoris. Imo non solum a *simili*, vel a *pari*, sed neque a *fortiori* licet argumentari in interpretatione legis.—Cf. S. Alphons. ibid.—Kenrick, n. 36.

QUÆR. 2°. *An fieri debeat extensio quando occurrit non solum similis, sed eadem adæquata ratio?*

RESP. *Affirm.*, et ratio desumitur ex illo trito principio: *Ubi eadem est ratio ibi eadem currit legis dispositio.* Tunc autem currit eadem adæquata ratio, quando nisi lex extenderetur, legislator argui posset de injustitia vel imprudentia; ac proinde casus non expressus potius dici debet comprehensus in lege, quam lex extendi ad illum. Hoc autem habetur in sequentibus; 1°. in *correlativis*, ut sponsus et sponsa; 2°. in *æquiparatis*, ut ova et lacticinia relate ad legem abstinentiæ; 3°. in *connexis*, ut sunt Diaconus et Subdiaconus; 4°. in *contentis*, ut sunt potestas testandi, et potestas faciendi legata.—Cf. S. Alphons. ibid.—Scav. n. 261.

CAPUT X.

DE DISPENSATIONE LEGIS.

98. Dispensatio est legitima relaxatio obligationis a lege provenientis, pro aliquo casu particulari; ac proinde differt tum ab epikeia, tum a cessatione legis. — Dispensatio esse potest: 1°. *licita*, vel *illicita*, prout

fit justa de causa, vel non; 2°. *valida*, vel *invalida*, prout vel eximit a legis observatione, vel non eximit; 3°. *absoluta*, vel *conditionata*, prout simpliciter, vel adjecta aliqua conditione conceditur; 4°. *subreptitia*, vel *obreptitia*, prout tacetur in petitione aliquid manifestandum, vel e contrario, aliquid falsum asseritur.

ARTICULUS I.

DE POTESTATE DISPENSANDI.

99. ***Dico*** 1°. Legislator dispensare potest: 1°. in legibus suis, quia tantam habet potestatem ad solvendum, quantam habet ad ligandum; 2°. in legibus prædecessorum suorum, quia pari cum iis gaudet potestate; 3°. in legibus suorum inferiorum, quia hi ab ipso potestatem aut certe ipsi subordinatam illam habent.

Dico 2°. Inferior non potest dispensare in legibus superioris sui, nisi ex potestate delegata, et in quantum ipsi delegatum est vel ab ipso superiore, vel a jure, vel a consuetudine. Ratio est, quia repugnat inferiorem gaudere auctoritate in legem sui superioris.

100. ***Quæsita.***—Quær. 1°. *An Papa dispensare possit in lege divina?*

Resp. Hac de re valde controvertitur apud theologos; sed controversia ista mere speculativa est, et potius ad modum loquendi pertinet, an scilicet adhibenda sit nec ne vox *dispensationis*. Nam quod, interveniente, ex justa causa, pontificia auctoritate, tolli possit vinculum quod juris divini dicitur, utraque dissidentium pars æque consentit.—Cf. S. Thom. 2–2. q. 88. art. 12.—S. Alphons. n. 189., et *Hom. Ap.* n. 56.—Baller. not. (a) p. 101.

Quær. 2°. *In quibusnam legibus dispensare possit Episcopus?*

Resp. Dispensare potest *de jure ordinario*, in omnibus statutis episcopalibus et synodalibus, et in legibus communibus cum singulis, quoad casus, qui sæpe accidunt, ut in plerisque votis, jejuniis, abstinentia, observantia festorum, Officio divino in casibus particularibus. Verum *de jure extraordinario* dispensare potest in cæteris legibus pontificiis, ratione necessitatis, privilegii, aut consuetudinis legitimæ, si qua alicubi vigeat.—Cf. S. Alphons. n. 190.—Quoniam vero Episcopi hujus regio-

nis amplissimis gaudent facultatibus ex *delegatione* acceptis a Congr. de Prop. Fide, in praxi attendendum est utrum proprio nomine, an ex delegatione dispensent.

QUÆR. 3°. *An Episcopus dispensare possit cum peregrinis in votis, juramentis, et communibus Ecclesiæ præceptis?*

RESP. Valde controvertitur; sed affirmandum videtur cum iis qui, cum Suaresio censent peregrinum per accessum, vel unius diei, ad locum in quo sistit, fieri subditum Episcopi hujus loci; nam, inquiunt, si peregrinus tenetur legibus, æquum est ut gaudeat etiam privilegiis: neque ab hac sententia discedit S. Alphonsus, qui imo dicit eam merito haberi probabilem.—Cf. S. Alphons. n. 158.—Baller. not. (c) p. 101.

QUÆR. 4°. *An Parochi in aliquibus dispensare valeant?*

RESP. *De jure ordinario*, ratione consuetudinis, possunt dispensare cum subditis pro casibus particularibus in jejuniis, in abstinentia, in operibus die festo prohibitis, et aliis hujusmodi, quæ frequenter occurrunt, et indigent prompta dispensatione.—Cf. S. Alphons. *Hom. Ap.* n. 59.—Hæc autem putamus omnino valere pro nostris quasi-Parochis: ratio est, quia Parochi proprie dicti non gaudent hujusmodi facultate *vi jurisdictionis* ordinariæ, qua privantur nostri quasi-Parochi, sed tantum ex consuetudine. Cæterum nostri Missionarii in pluribus aliis valent dispensare ex delegatione.

QUÆR. 5°. *An superior dispensare possit cum semetipso?*

RESP. *Affirm.*, si sit primarius; imo et secundarius, si habeat facultatem generalem dispensandi cum aliis.—Cf. S. Alphons. *Hom. Ap.* n. 64.

ARTICULUS II.

DE CAUSIS AD DISPENSANDUM REQUISITIS.

101. ***Dico*** 1°. *Ad liceitatem* dispensationis semper aliqua causa requiritur. Ratio est, quia secus superior non erit fidelis dispensator. Idcirco peccat etiam qui in tali casu dispensationem petit; inducit enim dispensatorem ad rem illicitam, atque adeo peccat eodem peccati genere in petendo, ac legislator in concedendo.—Cf. S. Thom. 1–2. q. 97. art. 4.

Dico 2°. *Ad validitatem* vero nulla causa requiritur *ex parte concedentis*, si dispenset in sua aut in inferioris lege. Ratio est, quia ille

qui potest ligare, etiam solvere potest; secus autem, si in lege sui superioris dispenset, quia non præsumitur accepisse potestatem temere dispensandi.

Dico 3°. *Ad validitatem ex parte petentis,* requiritur ut nulla sit in petitione obreptio aut subreptio essentialis, seu quæ cadat in causam motivam, quia superior non dispensat nisi sub tacita conditione, scilicet, *si preces veritate nitantur.*—Cf. S. Alphons. n. 185.

102. ***Quæsita.***—Quær. 1°. *An peccet graviter superior dispensans sine causa in re gravi?*

Resp. *Neg.,* probabiliter *per se,* quoad *legislatorem;* quia, præciso scandalo vel aliorum damno, gravis non orietur deordinatio in re publica, propterea quod unus aut alter, ex dispensatione, legem non observet; secus vero dicendum quoad *inferiorem,* quia non censetur delegatus ad dispensandum nisi justa de causa: atque adeo si aliter faciat, graviter concessa sibi potestate abutitur, et admittit culpam *ex genere suo* gravem.—Cf. S. Alphons. n. 178. et 180.

Quær. 2°. *An liceat petere, vel concedere dispensationem in dubio, an causa sufficiat?*

Resp. *Affirm.,* ad utrumque; ad 1^m^. quidem, quia non pertinet ad subditos de sufficientia causæ judicare, sed tantum rem sincere superiori exponere; ad 2^m^. autem, quia secus onus superioribus impositum intolerabile evaderet, et innumeris scrupulis tum quoad dispensantem tum quoad petentes, esset obnoxium.—Cf. S. Alphons. n. 187.

103. ***Resolves.***—1°. Valet dispensatio ex justa causa concessa alicui improbo, quem probum reputavit superior, etsi, cognita improbitate, non fuisset dispensaturus; ratio, quia probitas non reputatur causa motiva, sed mere impulsiva. Excipe, nisi quis motus fuerit ob probitatem.

2°. Valet dispensatio, licet plures causæ falsæ, etiam motivæ *per se,* cum causis veris et sufficientibus expositæ sint; quia ubi causa aliqua *motiva* vera adest, sufficiens suppetit dispensationis fundamentum.

3°. Valet dispensatio concessa a superiore, licet ab inferiore jam fuerit negata, nec hujus negationis mentio fiat.—Imo probabiliter valet, etiamsi, a superiore negata, ab inferiore concedatur; quia potestas

inferioris non est restricta per negationem superioris, nisi hic expresse eam restringat.—Cf. Suarez, l. 6. cap. 22.—Lacroix, n. 811.

4°. Valet dispensatio pro aliquo inscio aut etiam invito obtenta, quando necessitas hoc exigat.—Cf. S. Alphons. n. 186.

ARTICULUS III.

DE CESSATIONE DISPENSATIONIS.

104. Dispensatio multiplici ratione cessare potest, nimirum 1°. cessatione causæ; 2°. revocatione; 3°. renuntiatione. Hinc:

Dico 1°. Cessat dispensatio cessante *certo* et *totaliter* ejus causa motiva seu finali, quia hæc est tota ratio illius.—Cf. S. Alphons. n. 196. —Scav. n. 276.—Verum in praxi attendendum est ad tempus quo causa motiva cessat, et sequentes hypotheses fieri possunt.

1°. Si causa hæc motiva cessaverit, cum superior committit secretario, vel officiali cuicumque ut dispenset, tunc nulla est dispensatio, quia superior non intendit committere facultatem dispensandi, nisi ob rationem hic et nunc subsistentem.

2°. Si causa motiva cessaverit, cum secretarius, vel quicumque officialis delegatus, dispensationem sibi commissam exequitur seu expedit, adhuc cessat valor dispensationis; ille enim cui litterarum executio demandatur, muneri suo non potest satisfacere, nisi sub tacita conditione, *si preces veritate nitantur*, quæ conditio exigit, ut causa finalis persistat eo tempore quo dispensatio sortitur executionem.

3°. Si causa finalis cessaverit postquam dispensatio expedita fuerit, imo et fulminata ipsi oratori, sed antequam ultimum sortiatur effectum, seu ante usum gratiæ inchoatum, tunc distinguendum est: cessat adhuc valor dispensationis, si ea concessa sit sub conditione expressa vel tacita, *si causa perdurat*, uti patet; at non cessat, saltem probabiliter, si concessa fuerit *absolute*, quia semel per dispensationis fulminationem ablata subjectiva legis obligatione, hæc non redit nisi iterum a superiore imponatur.—At si quæras quandonam dispensatio censenda sit absolute concessa, et quando sub tacita conditione, *si causa duret;* respondetur, dispensationem censeri absolute datam, quando causa finalis judicatur perpetua, etsi postea per accidens cesset, et conditionate da-

tam quando judicetur temporaria. Causa autem judicatur *perpetua*, si dispensatio uno veluti actu tota consummetur, et *temporaria*, si dispensatio de se habeat tractum successivum; tunc enim virtute multiplex censetur, et singulis, ut ita dicam, diebus renovata.—Cf. S. Alphons. n. 196., et *Hom. Ap.* n. 66.—Scav. n. 276. et 277.—Baller. not. (a) p. 105.

Dico 2°. Dispensatio omnino cessat, accedente revocatione expressa superioris, quia obligatio vel deobligatio a superioris voluntate pendet. Illicita tamen foret revocatio sine justa causa.—Non cessat autem ob revocationem inferioris sine justa causa, quia revocandi facultas non est in ejus arbitraria potestate.—Cf. S. Alphons. n. 197.

Dico 3°. Cessat etiam dispensatio per renuntiationem; sed ad hujus validitatem requiritur acceptatio superioris: quia solus superior voluntatem ligare potest, sicut et a legis vinculo solvere.—Cf. S. Alphons. n. 198.

CAPUT XI.

DE CESSATIONE LEGIS.

105. ***Dico.*** Lex variis modis cessare potest, scilicet; 1°. per *abrogationem*, vel *derogationem*, prout omnino, aut tantum ex parte aboletur: quemadmodum enim superior legem ferre, sic eamdem vel tollere vel coarctare potest; 2°. per *cessationem causæ motivæ adæquatæ*, seu finis totalis, ob quem lata est respectu totius communitatis; cessante enim causa legis, eam urgere legislator rationabiliter nequit; 3°. per *desuetudinem*, seu per *consuetudinem contrariam* debitis vestitam conditionibus; tunc enim superioris consensus saltem legalis accedit.—*Ita communissime.*

106. QUÆRES. *An cesset lex, cessante causa finali, in casu particulari tantum, id est respectu aliquot personarum?*

RESP. *Neg.;* nam finis legis adæquatus respicit ea quæ communiter contingunt, non vero casus particulares; non ergo hi obstant quominus finis legis, atque adeo lex ipsa perseveret. Hinc a bannorum proclamatione non eximuntur sponsi, etsi certo sciant nullum subesse matrimonio impedimentum.—Hæc sententia quam *communiorem* vocat S. Alphonsus, videtur omnino tenenda in praxi, propter periculum hallucinationis; verum, hoc secluso, S. Doctor non auderet damnare oppositam.—Cf. S. Alphons. n. 199.

PARS SECUNDA

DE PRÆCIPUIS LEGUM SPECIEBUS.

CAPUT I.

DE LEGE NATURALI.

107. Lex naturalis, juxta S. Thomam, est "participatio legis æternæ in rationali creatura." Quam definitionem si paulo evolvas, dicere poteris legem naturalem esse—mandatum divinum necessarium, lumine naturali manifestatum, rectum ordinem conservari jubens, perturbari vetans.—Etenim existunt relationes essentiales hominis ad Deum, ad seipsum, ad proximum, quarum complexus constituit ordinem essentialem, ad quem servandum Deus non potest non obligare creaturam rationalem, quia secus sibi contradiceret. Quare *auctor* legis naturalis est Deus; *subjectum* est creatura rationalis; *præco* est lumen rationis; *objectum* quatenus lex est prohibens, sunt actiones intrinsece malæ, seu actiones quæ directe pessumdant illas relationes, quatenus vero est præcipiens, sunt actiones intrinsece bonæ. Illæ tamen singulis momentis cadunt sub præcepto, hæ tunc tantum cum, iis non positis, ordo ille essentialis violaretur.—Cf. S. Thom. 1-2. q. 91. art. 2.—Bouquillon, n. 91. et seqq.

108. QUÆRES. *An objectum legis naturæ interdum ignorari possit?*

RESP. Primaria hujus legis principia, v. gr., *bonum est faciendum —malum est vitandum—alteri ne feceris quod tibi fieri non vis*—a nemine ignorari possunt. Item conclusiones proximæ, ut sunt pleraque præcepta Decalogi, ignorari pariter nequeunt nisi vel raro, vel ad breve tempus in rudibus et pueris. Verum ignorari possunt, et sæpe ignorantur conclusiones remotæ, ut patet ex tot controversiis quæ semper fuerunt inter Doctores agitatæ. — Cf. S. Thom. 1-2. q. 94. art. 4.—S. Alphons. n. 170. et seqq., et *de Consc.* n. 8.

CAPUT II.

DE LEGE DIVINA POSITIVA.

109. Lex divina positiva duplex est, scilicet vetus et nova, et de utraque sufficiat hæc pauca animadvertere.

I. Lex vetus, seu veteris Testamenti, continebat præcepta triplicis generis, scilicet: 1°. *moralia,* quæ spectabant rectitudinem moralem, et id statuebant quod lege naturali jam præscriptum erat, ut, v. gr., Decalogi præcepta; 2°. *cæremonialia,* quæ referebantur ad Dei cultum, et statuebant cæremonias et sacrificia; 3°. *judicialia,* quæ ad politicam et œconomicam administrationem seu ad rectam gubernationem populi pertinebant.

Lex vetus a Christo abrogata fuit, utpote "*posita donec veniret semen cui promiserat,*" ut ait Apostolus, Galat. iii. 19. Præcepta vero moralia quæ in ea continebantur vigent vi legis naturalis et evangelicæ.

II. Lex nova seu evangelica, quæ dicitur lex gratiæ, vel libertatis, vel novum Testamentum, continet documenta triplicis generis, scilicet: 1°. *præcepta moralia,* circa virtutes, præsertim theologicas; 2°. *præcepta cæremonialia,* circa sacramenta et Missæ sacrificium; 3°. *mera consilia,* sed magno præmio digna.

Lex nova differt a lege veteri, præsertim in sequentibus: 1°. Vetus fuit umbra et figura; nova est lux et veritas.—2° Vetus, lex timoris erat; nova vero lex gratiæ et amoris est.

Lex vetus dicitur imperfecta, non quidem in se, sed relative ad perfectiorem. Erat enim perfecta in se, cum Deum auctorem haberet, et Deus per illam attingeret scopum quem sibi præstituerat.

Lex nova pro omnibus lata est, ideoque obligat omnes, quamvis ab ea observanda excusenter ii, ad quorum notitiam nondum pervenit. Sic enim Christus, Matth. xxviii. 19. 20: "Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, etc., docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis."

CAPUT III.

DE LEGE ECCLESIASTICA.

110. Lex ecclesiastica dicitur, quæ pro recta Ecclesiæ gubernatione et æterna animarum salute a potestate ecclesiastica fertur.—Collectio autem variarum legum ecclesiasticarum jus canonicum constituit.

Corpus juris canonici sex constat partibus, tria volumina constituentibus. Sunt autem: *Decretum Gratiani*, *Decretales*, *Sextus*, *Clementinæ*, *Extravagantes Joannis XXII*, et *Extravagantes communes*. Igitur,

I. Prima pars continet Decretum Gratiani sic dictum a Gratiano, monacho Benedictino, collectum, et anno 1151 publicatum sub titulo: *Concordantia discordantium canonum.* Opus distribuitur in tres alias partes, quarum prima de personis ecclesiasticis tractat, secunda de actionibus seu de materia et forma judiciorum, et tertia de rebus sacris.—Prima harum trium partium dividitur in centum et unam distinctiones, quæ subdividuntur in capita seu canones: sic indicari solent:—cap. *Jejunium* 7. dist. 76.; vel etiam—dist. 76. cap. 7.—Secunda autem pars dividitur in triginta et sex causas; causæ autem dividuntur in quæstiones et quæstiones in capita. Citatur modo sequenti: cap. *Qui viderit* 13. quæst. 5. causa 32.; vel, caus. 32. q. 5. cap. 13.—Tractatus *de Pœniten.* qui invenitur versus medium causæ 33, et septem habet distinctiones sic citatur: cap. *Mensuram* 86. dist. 1. *de Pœnitentia*, vel *de Pœnitentia*, dist. 1. cap. 86.—Tertia demum pars constat quinque distinctionibus, quæ in varia capita dividuntur. Citantur ita: cap. *Est unitas* 49. dist. 4. *de Consecrat.*, vel, *de Consecrat.* dist. 4. cap. 49. Hæc enim pars de consecratione Ecclesiarum, altarium, etc., tractat.

II. Secunda pars corporis juris continet Decretales a Gratiano omissas, vel post ipsum editas a S. Raymundo de Pennafort, Ordinis Prædicatorum, jussu Gregorii IX. collectas et anno 1230. publicatas. In quinque dividitur libros, qui habent titulos et capita; hoc autem modo citantur:—cap. *Pervenit* 28. *de Appellationibus*, vel, *Decretal.* lib. 2. tit. 28. cap. 28.—Caput posteriori hoc modo indicatum multo facilius invenitur.

III. Tertia pars continet Sextum, Clementinas, et Extravagantes

tum Joannis XXII., tum communes.—*Sextus*, vel liber sextus Decretalium, sic appellatur, quia quinque libris Decretalium Gregorii IX. adjicitur, et Decretales a Gregorio IX. usque ad Bonifacium VIII. editas habet. Prodiit anno 1298. auctoritate Bonifacii VIII.: dividitur in quinque libros, qui etiam habent titulos et capita. Eodem modo citatur, sed additur, *in Sexto*, vel *apud Bonifacium.*

IV. Quarta pars continet Clementinas sic dictas a Clemente V. qui eas colligi jussit post Concilium Viennense, cui anno 1311. præfuit, et quæ nihil aliud sunt nisi Constitutiones ab ipso Clemente vel a concilio Viennensi editæ. Eas Joannes XXII. promulgavit anno 1317. in quinque libros, qui non secus ac Decretales et Sextus, titulis et capitibus constant. Eodem modo pariter citantur, sed additur *in Clementinis.*

V. Quinta pars continet Extravagantes Joannis XXII. seu Constitutiones, quas ipse prioribus annis pontificatus sui edidit. Sic vocantur, quia extra corpus juris hucusque collectum vagantur. Sic indicari solent: *Extrav. Joannis XXII.* tit. 4. cap. 1.

VI. Sexta demum pars continet Extravagantes communes, quæ ita vocantur, quia a Joanne XXII. et a pluribus aliis Pontificibus editæ sunt. Ipsæ etiam in quinque dividuntur libros, qui habent capita cum titulis, sed non numeratis. Sic ordinarie citantur: cap. *Vas electionis, de Hæreticis, Extravag. communib.*, vel Extrav. comm. lib. 5. *de Hæreticis*, cap. 2.

Aliæ Conciliorum Constantiensis et Tridentini, ac Pontificum Romanorum Constitutiones postea editæ sunt, sed in corpus juris nondum fuerunt collectæ.

CAPUT IV.

DE LEGE CIVILI.

111. Lex, seu *jus civile*, est collectio legum, quibus unaquæque natio dirigitur ad bonum commune, quæcumque demum sit ejus forma regiminis.—Verum strictiori sensu quandoque nomine legis civilis intelligitur specialis quædam collectio legum per oppositionem, v. gr., ad leges *militares, criminales*, etc.—Imo apud nos lex civilis (*the civil law*) sumitur ad denotandum jus Romanum.— Cf. Bouvier, *Law Diction.* V. Law.—Kenrick, *Append.* ad tr. 6. *de leg. civ. variet.*

112. QUÆRES. *Quotuplicis generis jus potissimum viget in hac nostra regione?*

RESP. Jus Romanum (*the civil law*), jus commune (*the common law*), et jus statutorum (*the statute law*).—Dixi potissimum, quia in Louisiana ex. gr., viget multum de jure Gallico, præsertim quoad hæreditatem et successionem bonorum, et aliquid de Hispanico.—Igitur,

I. *Jus Romanum*, quod alibi dicitur *commune*, et apud nos *civile*, magno semper in honore habitum est tanquam sapientia plenum, et *quasi ratio scripta*. Continetur in celeberrimo Codice, seu corpore juris civilis, edito jussu Justiniani. Hoc volumen in quatuor partes distribuitur. In prima parte sunt *Institutiones Justiniani*, quæ, quasi rudimenta et elementa pro tironibus juris civilis, quatuor libris continentur. In secunda autem parte sunt *Digesta* seu *Pandectæ*, quæ in 50. libros distribuuntur.—In tertia est codex, vocatus *Repetitæ prælectionis*, in 12. libros divisus.—In quarta demum parte continentur 68. *Authenticæ* seu *Novellæ*, quæ numerico ordine designantur.

II. *Jus commune* est complexus principiorum, consuetudinum et normarum agendi, quæ apud nos applicantur ad tutamen personarum et proprietatis, et quæ non fundantur in expressa et positiva declaratione facta a cœtibus legislatoriis.

III. *Jus statutorum* est complexus legum quæ emanant a cœtibus legislatoriis, actu positivo et expresso.—Cf. Kent, vol. 1. n. 447. 472. et 473.—Bouvier, *Law Diction.* V. Law.—Kenrick, *Append.* ad tr. 6. *de leg. civ. variet.* n. 1.

CAPUT V.

DE LEGE PŒNALI.

113. Lex pœnalis ea est quæ non obligat in conscientia ad aliquid faciendum aut omittendum, nisi sub pœna temporali, id est ad acceptandam pœnam ut justam, postquam hæc inflicta fuerit.

Dico.—Lex simpliciter *pœnalis* non repugnat; repugnaret autem si esset *pure* pœnalis, id est si nullo modo in conscientia obligaret. Ratio *primi* est, quia ad legis essentiam sufficit ut imponatur aliqua obligatio in conscientia, quæcumque illa sit. Ratio autem *secundi*, quia

secus lex illa careret aliquo elemento essentiali, scilicet vi ligandi, et potius dicenda esset consilium.—Cf. S. Alphons. n. 143.

114. ***Quæsita.***—QUÆR. 1°. *An dici posset hodiedum leges omnes civiles esse pœnales?*

RESP. Si agatur *de jure*, certum est legumlatores quoscumque posse ita velle; nam lex ex ipsorum voluntate vim sortitur. Verum *ad factum* quod spectat, generatim admittitur esse pœnales leges omnes respicientes tributa imposita mercibus quæ transvehuntur, quæque *vectigalia* nuncupantur; sed de aliis legibus non parum dubitatur. Pauci tantum, forte non improbabiliter, contendunt hodiedum satis constare de hac voluntate, propterea quod legumlatores non quidem conscientiæ, sed tantum vi et pœnis videntur fidere.—Quidquid sit, præstat omnino hac de re nunquam verba facere apud populum præsertim rudiorem, illumque suaviter adducere ad leges omnes adimplendas.—Cf. S. Alphons. n. 147.—Kenrick, tract. 6. cap. 3. n. 20.—*Acta S. Sedis*, vol. 7. p. 219. et seqq.

QUÆR. 2°. *An sint leges aliquæ Ecclesiæ simpliciter pœnales?*

RESP. Certum est simpliciter pœnales esse regulas multorum Ordinum religiosorum: esse autem in potestate Ecclesiæ ejusmodi leges condere, si velit, etiam quoad universitatem fidelium, dubitari non potest. Verumtamen raro utitur, imo nunquam forte usa est hac potestate, propterea quod leges plerumque non ferat, nisi de rebus necessariis aut saltem magni momenti, ad salutem animarum spectantibus, in quibus magis expedit ut conscientia obligetur, quam ut pœna infligatur. Præterea, cum careat *de facto* mediis ad coercendum, ipsius potestas legislativa imminueretur.—Cf. Reuter, n. 126.

CAPUT VI.

DE LEGE IRRITANTE.

115. Lex irritans ea est, quæ statuit aliquem actum a principio invalidum esse, vel ex judicis sententia invalidandum; ac proinde aliæ sunt leges ipso facto irritantes, aliæ vero post sententiam tantum. Præ-

terea aliæ sunt irritantes absolute, et aliæ conditionate, si nimirum deficiant requisitæ conditiones. Demum aliæ immediate irritant actum ipsum, et aliæ mediate, personas ipsas inhabiles reddendo.

116. ***Dico*** 1°. Omnis legislator leges irritantes condere potest. Ratio est, quia hoc ad bonum commune requiritur; secus enim fraudes et pericula societatis humanæ propulsari satis nequirent.

Dico 2°. Leges quæ statuunt actus rescindi posse, eos ante judicis sententiam non irritant, ut ex terminis patet, et proinde ante ejusdem sententiam vim non sortiuntur. Lata autem sententia, huic omnino standum est, in iis omnibus quæ intrinsece ex irritatione nascuntur, quia auctoritati præcipienti obtemperandum est.

117. ***Quæsita.***—QUÆR. 1°. *An lex irritans obliget in conscientia ad actum vitandum.*

RESP. *Affirm.*, si sit simul irritans et prohibens, ut sunt leges matrimonii impedimenta statuentes; secus, si sit irritans tantum, quia tunc finis legis sola actus irritatione sufficienter obtinetur, ut in pluribus contractibus civilibus.—Cf. Reuter, n. 232.

QUÆR 2°. *An ignorantia invincibilis effectum irritationis impediat?*

RESP. *Neg.*, quia ignorantia non supplet defectum rei essentialiter requisitæ, nec tòllit gravia incommoda quæ sequerentur, si lex in omni casu non irritaret. Sic mulier violata a viro incognito, invalide nubit cum ejusdem fratre, non obstante ignorantia invincibili impedimenti affinitatis. Excipe tamen, si lex irritet unice in pœnam et odium delicti; quia tunc solam malitiam punire intendit, et proinde, cessante causa, effectus etiam cessare debet.

QUÆR. 3°. *An lex irritans, non obstante incommodo valde gravi irritet?*

RESP. *Affirm.*, nisi agatur de damno communi; ratio est, tum quia lex irritans actum potius quam personam afficit, tum quia si secus diceretur, homines facilius sibi fingerent incommoda, et lex totum robur suum amitteret. Hinc non valet matrimonium cum consanguinea, etiam metu mortis, sine dispensatione initum.—Cf. Scavini, n. 235. et 236.

CAPUT VII.

DE LEGE NON SCRIPTA, SEU DE CONSUETUDINE.

118. Consuetudo *causaliter* considerata, seu ut alii dicunt, consuetudo *facti*, est similium alicujus communitatis actuum frequentia: *formaliter* vero spectata, seu consuetudo *juris*, est jus quoddam ortum ex frequentia actuum similium alicujus communitatis. Consuetudo facti sæpe non est nisi abusus, neque de illa hic sermo est, sed tantum de consuetudine juris.

Consuetudo præcipue dividitur in consuetudinem *præter* legem, *secundum* legem, *contra* legem. Prima est quædam nova lex, quæ proinde jus constituit ubi lex scripta nihil præcipit, aut prohibet. Altera ea est quæ legem jam existentem interpretatur, aut confirmat, et hæc constituit jus, non ubi plene deficit lex, sed ubi deficit quoad interpretationem, aut firmitatem et observantiam. Tertia demum ea est quæ statuitur contra receptionem legis, aut ad abolendam legem jam receptam, et hæc instituit jus derogatorium, ubi lex abrogans scripta deficit. —Cf. Bouix, *de Princip.* p. 350. et seqq.

119. ***Dico.*** Consuetudo, debitis vestita conditionibus, jus inducit, et valet ad instar legis scriptæ. Constat ex plurimis locis juris canonici, præsertim ex cap. *In his* Dist. 11., ex unanimi consensu Doctorum, et specialiter ex S. Thoma, 1–2. q. 97. art. 3.

120. ***Quæsita.***—Quær. 1°. *Quænam sunt conditiones ad habendam legitimam consuetudinem?*

Resp. Plures numerantur a Canonistis; præcipuæ sunt sequentes:

a) Ex parte *ipsius consuetudinis* requiritur ut sit *rationalis*, non quidem eo sensu, ut non sit peccaminosa, nam ordinarie peccant qui eam primo introducunt contra legem, sed quod non sit contra jus divinum aut naturalem, neque disrumpat nervum disciplinæ ecclesiasticæ. —Cf. S. Thom. ibid.—Bouix, *de Princip.* p. 362.

b) Ex parte *inducentium* consuetudinem requiritur ut constituant communitatem vel totaliter, vel majori ex parte, et ratio est, quia consuetudo est lex, quæ ligat totam communitatem, ac proinde debet oriri a tota communitate.—Cf. Scavini, n. 285. — Bouix, *de Princip.* p. 357.

c) Ex parte *actuum*, requiritur ut hi sint 1°. *liberi*, quia secus deficeret causa efficiens, nempe consensus populi; 2°. *frequentes* et *uniformes*, secus non posset cognosci adesse hunc consensum; 3°. *continui*, quia per interruptionem cessat præscriptio; 4°. facti cum *intentione sese obligandi*, vel consuetudinem introducendi, quia consuetudo est lex quæ non obligat, nisi adsit voluntas ligandi; 5°. *diuturni*, secus non haberetur præscriptio.—Cf. Bouix, ibid.

d) Ex parte Principis requiritur ut adsit ejus consensus, vel personalis, vel legalis: Principe enim nullo modo consentiente, et a fortiori resistente, nihil statui potest a subditis pro bono communitatis. —Consensus personalis est vel *expressus* vel *tacitus;* primus facile intelligitur; alter tunc adest quando Princeps consuetudinem noscit, et tamen ei non contradicit. cum commode contradicere posset. Consensus autem *legalis*, qui et *generalis*, vel *juridicus*, appellatur, ille est, qui datur per legem, sive per jus ipsum, quod in antecessum et universaliter approbat omnes consuetudines rationabiles et legitime præscriptas. Ad ejusmodi consensum non requiritur ut Princeps consuetudinem cognoscat. —Communissima est Doctorum sententia consensum legalem admitti a jure canonico tanquam sufficientem ad consuetudinem firmandam, dummodo ea sit rationabilis, et tempore duraverit ad præscribendum requisito. Patet ex cap. *Cum tanto*, 11. tit. 4. *de Consuetudine*, lib. 1. Decret.—Cf. Reiffenstuel, in 1. Decret., tit. 4. § 5. n. 138.— Bouix, *de Princ.*, p. 370.

QUÆR. 2°. *Utrum semper requiratur diuturnitas, et qualis esse debeat?*

RESP. Si Princeps in consuetudinem expresse vel tacite consentiat, non requiritur diuturnitas; nam statim ac subditorum voluntati accedit Principis voluntas, omnes obligantur. Requiritur autem si consuetudo firmanda est per consensum legalem: nam ita jura exigunt, et quidem sapienter, ne citius quam par est, inscio Principe, novæ leges introducantur, aut veteres abrogentur. Ad qualitatem autem hujus diuturnitatis quod attinet, dicendum est, decennium communiter requiri pro consuetudine *secundum* aut *præter* jus, sed pro consuetudine quæ est *contra* jus valde controverti inter theologos et jurisperitos. — Cf. S. Alphons. n. 107., et *Hom. Ap.* n. 11.

121. Notandum. — De consuetudinibus ecclesiasticis huic regioni propriis hæc habet clar. Kenrick, tract. 4. part. 1. n. 42.: "Legibus ecclesiasticis in hac regione plura solent fieri haud consentanea, quæ utrum vim consuetudinis assecuta sint vix audemus dicere. Plura autem ex indulto Pontificio, seu facultatibus Episcopis concessis orta verisimile est, necessitate etiam cogente; quæ idcirco retineri posse videntur, donec aliter Præsulibus, vel Sedi Apostolicæ visum fuerit. Larido in diebus esurialibus, butyro et lacte, ovis et lacticiniis in Quadragesima, utuntur fideles. Sacerdotes unctionem renum in moribundis prorsus omittunt. Cæterum in aliis plurimis ea est morum discrepantia quæ consuetudinem tollit, vel infirmat; ideoque quamvis non damnemus eos qui usus receptos sequuntur, quousque eos aboleverit Præsulum auctoritas, vehementer tamen commendandos censemus, qui universalis Ecclesiæ, et Romanæ præcipue, disciplinam, a primo Concilio Baltimorensi valde commendatam, contrariis quarumdam provinciarum usibus postpositis, quatenus rerum adjuncta patiuntur, in omnibus imitantur."

CAPUT VIII.

DE LEGE FAVORABILI, SEU DE PRIVILEGIO.

122. Privilegium est gratia constans et permanens certis personis, vel certis dignitatibus *contra*, vel *præter* legem communem a superiore concessa. — Distinguitur autem multipliciter, nam est: 1°. *personale*, *locale*, vel *reale*, prout conceditur certæ personæ, aut incolis certi loci, aut alicui rei, v. gr., certæ Ecclesiæ; 2°. *contra legem*, vel *præter legem*, prout per illud alicui legi derogatur, vel secus; 3°. *favorabile*, vel *odiosum*, prout privilegiato prodest secluso aliorum gravamine; aut alios aggravat, dum uni favet.

123. ***Dico*** 1°. Privilegium *contra legem* tantum concedi potest ab illis qui a lege valide dispensare queunt, et quidem solis subditis, non secus ac si de dispensatione ageretur, quia genus quoddam dispensationis est. Privilegium autem *præter legem*, seu privilegium improprie dictum, potest concedi etiam non subditis, quia non est actus

jurisdictionis, sed actus meræ facultatis et quasi donatio. Sic princeps potest concedere extraneo privilegium venandi in suo territorio.

Dico 2°. Privilegium *favorabile* large interpretandum est; sed privilegium *odiosum* strictæ interpretationis esse debet. Utrumque evincitur ex jure, et consonat communis Doctorum consensus.

Dico 3°. Nemo tenetur *per se* uti privilegio, quia unusquisque juri suo renuntiare potest; aliquando tamen *per accidens* privilegiatus obligatur ad usum privilegii: 1°. ratione caritatis; sic qui habet facultatem absolvendi a reservatis, peccatorem reservata habentem et in gravi necessitate positum, audire tenetur; 2°. ratione boni communis, quando nempe privilegium non est personale, sed reale, addictum loco, vel dignitati, vel statui: sic privilegio immunitatis uti debent omnes clerici, et regulares renuntiare non possunt privilegio exemptionis.—Cf. S. Alphons., *Append. de privileg.* n. 3. et seqq.

TRACTATUS

DE PECCATIS

PARS PRIMA

DE PECCATIS IN GENERE.

CAPUT I.

DE NATURA PECCATI.

124. Peccatum communiter dicitur esse libera transgressio cujuslibet legis in conscientia obligantis, vel, ex S. Thoma post S. Augustinum, dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam.—Cf. S. Thom. 1–2. q. 71. art. 6.—S. Alphons. n. 1.

Multipliciter distinguitur peccatum, est enim: 1°. *actuale*, vel *habituale*, prout est actus aut omissio legi difformis, vel status peccati nondum deleti; 2°. *mortale*, vel *veniale*, prout solvit amicitiam divinam, vel eam non solvit et est levis tantum Dei offensa, quæ veniam facile mereri potest; 3°. *commissionis*, vel *omissionis*, prout fit positione actus prohibiti, aut omissione actus præcepti; 4°. contra *Deum*, *proximum*, vel *seipsum*, prout peccator officia violat Deo, proximo, vel sibi debita; 5°. *malitiæ*, *ignorantiæ*, vel *infirmitatis*, prout ex mera malitia, ex ignorantia vincibili, vel ex mera fragilitate committitur; 6°. *formale*, vel *materiale*, prout lex aliqua in conscientia obligans scienter et libere, vel prorsus involuntarie violatur.—Cf. S. Thom. 1–2. q. 72., et q. 88.

125. ***Principium.***—Ad quodlibet peccatum *formale* essentialiter requiritur advertentia mentis et consensus voluntatis. Etenim peccatum formale, ut ex ejusdem definitione colligitur, debet necessario esse actus humanus: atqui repugnat dari actum aliquem humanum absque advertentia mentis et consensu voluntatis. Ergo etc.—Præterea, juxta illud Matth. xv. 19. "De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia,

adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ," peccatum corde, scilicet, voluntate perficitur, voluntas autem cum sit facultas cæca, nequit appetere malitiam peccati nisi ope intellectus illuminetur. Ergo ad peccatum formale essentialiter requiritur advertentia mentis et consensus voluntatis.—Cf. S. Thom. 1. p. q. 19. art. 1., et 1–2. q. 74. art. 1. et 5.—S. Alphons. n. 5.

126. ***Resolves***—1°. Actus mali eam malitiam habent, quæ apprehenditur; quare si incidat cognitio de malitia tali, seu taliter specifica, hæc per actum voluntatis vere contrahitur, quæcumque tandem sit malitia objectiva in se spectata.

2°. Si ignorantia vincibilis et consequenter culpabilis in principio, postea invincibilis evadat, actus malus qui vi hujus ignorantiæ ponitur non est peccatum in se, sed tota ratio peccati a sola causa repetenda est, scilicet a gradu culpabilitatis illius ignorantiæ cum prævisione futurorum actuum. Porro invincibilis dicenda erit ignorantia, si nulla amplius de negligentia præterita, aut de actuali ignorantia cogitatio subeat.

3°. Si quod peccatum prævisum in causa fuerit, et dein cum advertentia, actu a priori formaliter distincto, ponatur, duplex habebitur peccatum, nempe 1°. in causa voluntaria, 2°. in se ipso.

4°. Obcæcati et consuetudinarii, quamvis, ob defectum clarioris cognitionis, forte quandoque peccent minus graviter *in actu* quam alii, non tamen excusantur. Si quando tamen actus malos omnino inadvertenter ex consuetudine perpetrent, licet hi actus peccata in se dici nequeant; nam hic et nunc voluntarii non sunt, cum tamen voluntarii sint in causa, ipsis imputantur: stricta siquidem semper urget obligatio pravam consuetudinem corrigendi.

5°. Id ipsum dicendum est de aliis peccatis, quæ sunt voluntaria mere in causa; nimirum tunc reatus formaliter contrahitur, cum causa ponitur, et cum totus reatus formaliter in causa resideat, eodem modo hic aderit, sive actus ejusmodi consequantur, sive non, et sive pauciori, sive majori numero iidem frequententur: quando vero reipsa consequuntur, singuli eorum unum actum malum cum causa constituunt.—Cf. S. Alphons. n. 4.—Baller. not. (a) p. 125., et not. (a) et (b) p. 126.

6°. Utcumque pravi fomitis, seu pravæ concupiscentiæ stimulis ani-

mus pulsetur, claraque sit cognitio horum stimulorum, nulla unquam aderit peccati labes, nisi aliquo modo voluntas eis consentiat. Ratio est, quia peccatum totum quantum est voluntate, non autem phantasia aut carnis stimulis perficitur. Quare Conc. Trid. sess. 5. can. 5. ait: "Manere... in baptizatis concupiscentiam vel fomitem, hæc sancta Synodus fatetur et sentit: quæ, cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, et viriliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus, non valet."

7°. Verum stimulis seu motibus istis concupiscentiæ, post rationis advertentiam, resisti debet aliqua saltem ratione, nec sufficit se *negative* seu *neutraliter* tunc habere. Ratio est, tum quia motus isti semper secum afferunt periculum aliquod consensus, tum quia deordinationem aliquam naturæ continent. Si autem quæras quale peccatum sit ita negative seu neutraliter se habere, respondetur, juxta veriorem sententiam, esse tantum veniale, secluso semper casu quo periculum consensus grave sit, aut saltem tanquam grave apprehendatur.

8°. Quod si omnibus motibus resistendum sit, potissime id dici debet de motibus concupiscentiæ in re venerea, qui ne prætextu quidem luctæ et exercitii virtutis retineri debent. Nulla tamen adest obligatio iis *directe* resistendi, cum talis resistentia subinde magis illos excitet; multo minus necessaria est resistentia materialis.

9°. Non modo quoad carnales motus, sed etiam quoad motus contra fidem et caritatem resistentia mere indirecta per distractionem mentis consulenda est, potiusquam directa aliqua resistentia seu oppugnatio.

10°. Nec item tenemur ad directam resistentiam adversus quamlibet tentationem, quæ diu protrahatur; hoc enim nimis molestum, et innumeris scrupulis obnoxium foret.—Cf. S. Alphons. n. 6. et seqq.

CAPUT II.

DE GRAVITATE PECCATI.

127. Gravitas peccati est quantitas seu mensura malitiæ, qua peccatum est magis vel minus Dei offensivum: dicitur *mortale* si ob violationem legis graviter obligantis solvit divinam amicitiam, et reddit homi-

uem æternæ damnationis reum, secus autem erit *veniale.*—Cf. S. Thom. 1–2. q. 88. art. 1.

Notandum hic est quædam peccata dici mortalia *ex toto genere suo*, et alia simpliciter mortalia *ex genere suo* (*non toto*). Prima illa sunt quorum materia, ex seipsa, præscindendo a conscientia erronea, semiplena advertentia, vel imperfecto consensu, intra totum suum genus, gravem semper continent deordinationem, ut in luxuria, blasphemia, hæresi, etc., contingit. Alia autem ea sunt quorum materia, intra suum genus, nunc gravis est nunc levis, cujusmodi sunt peccata contra justitiam.—Venialia vero *ex genere suo* dicuntur peccata quæ, spectata objecti materia seu natura, intra suum genus non admittunt gravem reatum, et ideo quousque in aliud, accedente aliunde nova deformitate mortali, non transferuntur, nequeunt mortalia esse.—Cf. S. Alphons. n. 51.—Lacroix, n. 199.

128. ***Quæsita.***—QUÆR. 1°. *Quænam ad peccatum mortale requirantur?*

RESP. Tria necessario requiruntur, scilicet materia gravis vel in se, vel ob circumstantias; advertentia plena ad malitiam gravem actus; consensus plenus voluntatis in prævaricationem. Itaque,

Requiritur 1°. materia gravis, secus non posset haberi lex obligans sub gravi.

Requiritur 2°. plena advertentia mentis, secus non habebitur plena deliberatio.

Requiritur 3°. plenus consensus voluntatis, quia nisi peccator cum pleno consensu plenaque deliberatione objectum peccati Deo præferat, et sic finem suum ultimum in creatura constituat, nequit dici a Deo totaliter recedere. Insuper a bonitate divina prorsus alienum est, hominem æternæ damnationi addicere sive propter transgressionem levem sive propter actum non perfecte liberum et voluntarium.—Cf. S. Alphons. n. 5. 6. et 53.

QUÆR. 2°. *Quænam requirantur ad peccatum veniale?*

RESP. Ad peccatum veniale requiruntur et sufficiunt advertentia aliqua, quantumvis exigua, ad actus malitiam, et aliquis voluntatis consensus quantumvis imperfectus: requiruntur quidem, quia, hisce sublatis, nulla mali cognitio et volitio, et proinde nullum peccatum esse

potest; sufficiunt vero, quia, illis positis, mali cognitio et volitio, quæ ad peccatum constituendum necessariæ sunt, aliqua ratione habentur.

QUÆR. 3°. *Quomodo peccata possint dignosci mortalia ratione materiæ?*

RESP. Triplex regula assignatur.

Regula I. Recurrendum est *ad Scripturam sacram*, et ea peccata mortalia existimanda sunt, quæ in S. Scriptura declarantur digna morte, aut excludunt a regno cœlorum, vel quæ enuntiantur cum particula *væ*, quæ sane deformitatem vere gravem denotat. Sic Apostolus de operibus carnis, Galat. v. 19. ait: "Quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria... prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt." — Recole etiam longam seriem peccatorum mortalium, quæ recenset Apostolus, I. Cor. vi. 9. et 10.

Regula II. Recurrendum est *ad Ecclesiam*, seu *ad definitiones SS. Pontificum, ad Decreta Conciliorum generalium, etc.*, in quibus plura declarantur mortalia, vel tantum venialia. Ecclesia enim est columna veritatis, et proinde ab ejus doctrina regula et mensura morum repetenda est.

Regula III. Recurrendum est *ad SS. Patres, ad Ecclesiæ Doctores*, nec non *ad communem theologorum doctrinam.* Etenim SS. Patres et Doctores fuerunt a Deo in medio Ecclesiæ positi tanquam lucernæ ardentes ad depellendas erroris tenebras, et ad fideles in via veritatis illuminandos. Theologi vero melius norunt, quam cæteri, Scripturæ ac Patrum testimonia, et Ecclesiæ Decreta interpretari, atque casus non definitos cum definitis, non declaratos cum declaratis conferre, atque ex paritate vel similitudine opportunas deducere conclusiones. Quæ igitur ab ipsis unanimiter vel quasi unanimiter tanquam mortalia habentur, ut talia æstimanda sunt; Doctorum enim consensus veritatis indicium est.

Deficientibus vero præmissis regulis, valde difficile est determinare quandonam peccatum sit grave vel leve. Generatim gravia censentur 1°. omnia peccata quæ sunt directe contra Deum, vel aliquam ejus perfectionem: item omnia peccata quæ vergunt in grave præjudicium generis humani, ut sunt luxuriæ species; 2°. omnia peccata quæ graviter repugnant fini magni momenti per legem intento, ut omissio

jejunii, Missæ, confessionis annuæ, communionis paschalis, etc.; 3°. omnia peccata quibus graviter læditur proximus in bonis vitæ, fortunæ, famæ, etc., ut homicidium, detractio proximo valde noxia, furtum notabile, etc.

Cæterum limites inter peccatum mortale et veniale sæpe sæpius nullo modo determinari possunt, ut constat ex innumeris Doctorum ea de re controversiis. Non est autem adstruendum mortale, nisi de eo certo constet, ut recte notat S. Alphonsus.—Cf. *Systema Mor.*, et *de Sacram. Pœnit.* n. 604. et 605.

QUÆR. 4°. *Quomodo peccatum ex genere suo mortale fiat veniale, et vice versa?*

RESP. Peccatum *ex genere suo* mortale fieri potest veniale quadruplici modo, ratione scilicet: 1°. parvitatis materiæ; 2°. imperfectæ advertentiæ; 3°. imperfecti consensus; 4°. conscientiæ erroneæ. Peccatum autem *ex genere suo* veniale fieri potest mortale: 1°. ratione conscientiæ erroneæ; 2°. ratione scandali; 3°. ratione finis graviter mali; 4°. ratione contemptus *formalis* legis, seu auctoritatis præcipientis; 5°. ratione pravi affectus in rem alioqui leviter malam, adeo ut præceptum etiam graviter obligans transgredi quis sit paratus; 6°. ratione periculi seu occasionis proximæ in peccatum mortale labendi; 7°. ratione demum cujuscumque circumstantiæ quæ mortalem in se malitiam contineat, et actui, prout bene observat S. Thomas, ita accedat, ut ejus speciem immutet.—Cf. S. Thom. 1-2. q. 88. art 1. 2. et 5.—S. Alphons. n. 54.

QUÆR. 5°. *An graviter peccaret qui sola mortalia vitare vellet, et de omittendis venialibus minime curaret?*

RESP. *Neg.*, probabilius, juxta satis communem theologorum sententiam, etiamsi id ex proposito, et non ex mera incuria fieret, secluso tamen contemptu aut peculiari fragilitate. Ratio est, quia animus ita comparatus non inducit per se et necessario *proximum* periculum peccandi graviter.—Ast in praxi res lubrica est, cum facilitas peccandi venialiter causa sit, cur anima paulatim debilitetur, et facilius gravibus tentationibus demum vincatur, juxta illud Eccli. xix. 1.: "Qui spernit modica, paulatim decidet."—Cf. S. Alphons. *de Præceptis partic.* n. 12.

QUÆR. 6°. *An peccet graviter, qui deliberat de consensu rei graviter illicitæ præstando, si tandem non consentiat?*

RESP. Solutio quæstionis pendet a qualitate deliberationis; nam si

hæc imperfecta sit, nempe si non sit nisi quædam hæsitatio, seu omissio resistentiæ proveniens ex torpore, pigritia, aut negligentia, peccatum veniale non excedet.—Si vero deliberatio sit plena, peccatum erit certo mortale, quia voluntas tunc implicite anteponit bonum aliquod creatum Deo; nam hoc ipso quod serio deliberat perpendendo hinc inde commoda et mala temporalia ex peccato provenientia paratam se ostendit ad legem violandam si utilitatem aliquam in hac violatione deprehenderit.—Cf. Lacroix, n. 226. et seqq.—Sanchez, *in Decalog.* lib. 1. cap. 1. n. 16.

CAPUT III.

DE DISTINCTIONE PECCATORUM.

ARTICULUS I.

DE DISTINCTIONE SPECIFICA.

129. Distinctio *specifica* peccati oritur ex speciali malitia, seu ex diversa deformitate, qua unum peccatum ab alio essentialiter differt.

Variæ regulæ assignantur a theologis ad hanc deformitatem specifice diversam cognoscendam. Primam omnium, et magis fundamentalem desumunt a diversitate objectorum; nam sicut omnes actus humani, ita etiam peccata *primario* et *per se* distinguuntur specie secundum objecta. —Cf. S. Thom. 1-2. q. 72. art. 1.—Verum præcise quia hæc regula est *fundamentalis* et *remota,* duas alias statuunt Doctores, quæ sunt proximæ, faciliores, et ad praxim magis accommodatæ.

Regula I. Desumitur distinctio specifica peccatorum ex oppositione ad diversas virtutes, vel ex oppositione ad eamdem quidem virtutem sed secundum diversa officia quæ præscribit servari, vel demum ex oppositione ad eamdem virtutem secundum ejus extrema. Ratio *primi* patet, quia singulæ virtutes habent suam bonitatem specialem, et omnino distinctam, ergo etiam peccata ipsis opposita specialem turpitudinem necessario contrahunt. Sic negatio veritatis revelatæ, desperatio, odium Dei, inter se specie differunt, quia tribus diversis virtutibus opponuntur, scilicet fidei, spei, et charitati.—Ratio *secundi* est, quia virtus quæ exigit servari diversa officia, est virtualiter multiplex, et illam violare secundum ea, importat diversam repugnantiam ad ordinem

moralem. Sic homicidium, furtum, detractio, specie inter se differunt, licet eidem virtuti, justitiæ scilicet, adversentur, quia opponuntur diversis officiis ejusdem virtutis, quæ jubet ut nemo lædatur sive in bonis vitæ, sive in bonis fortunæ, sive in bonis famæ.—Ratio *tertii* est, quia extrema sunt contraria, et contraria juxta S. Thom. 1–2. q. 72. art. 8. differunt secundum speciem; sic præsumptio et desperatio, inter se specie differunt, quia una per excessum, altera per defectum eidem virtuti spei adversantur.—Cf. S. Alphons. n. 31.

Regula II. Specifica peccatorum distinctio desumitur etiam ex violatione præceptorum *moraliter* diversorum. Peccatum enim est legis seu præcepti transgressio; ergo ubi præcepta specie morali inter se differunt, etiam peccata ipsis opposita specie differre debent. Sic omissio Missæ die festo, omissio jejunii præcepti, omissio confessionis annuæ vel communionis paschalis, specie inter se differunt. Dicuntur autem præcepta moraliter diversa, quoties diversum habent objectum, ut jejunium, auditio Missæ, abstinentia a carnibus; vel quoties motivum intrinsecum præcepti est diversum, licet objectum idem sit. Sic duplex peccatum specie diversum patrat, qui in Quadragesima omittit jejunium, ad quod aliunde ratione pœnitentiæ sacramentalis tenetur. Contra vero, furtum est unicum peccatum, licet divina et humana lege prohibeatur, quia eadem est ratio prohibitionis.—Cf. S. Alphons. n. 33.

Si quis autem recte attendat, perspiciet hanc secundam regulam vel ad primam revocari, vel saltem non posse ullo modo sine prima in usum deduci. Objecta enim variorum præceptorum ideo tantum in genere moris diversa sunt, quia pertinent ad diversas virtutes, aut ad diversa ejusdem virtutis officia; motivum vero intrinsecum uniuscujusque præcepti est ipsamet virtus aut officium virtutis ad quod præceptum refertur.

130. ***Resolves.***—1°. Quatuor diversa peccata committit, qui, ligatus voto castitatis, peccat cum consanguinea conjugata, quia violat quatuor virtutes diversas, nempe, castitatem, religionem, pietatem et justitiam.

2°. Tripliciter peccat, qui occidit sacerdotem vel religiosum in ecclesia; quia violat justitiam occidendo, et religionem duplici modo specifice diverso, violando scilicet personam sacram et locum sacrum.

3°. Non committit peccata specie diversa, qui omittit Missam die

Dominica, in quam aliud festum de præcepto incidit, v. gr., B. M. V. Assumptio, nec qui violat jejunium vigiliæ aut quatuor temporum in Quadragesima incidentium, quia præcepta illa non sunt formaliter diversa, cum motivum intrinsecum et primarium sit idem.

4°. E contrario, tria peccata specie diversa patrat unico actu, qui omittit jejunium, ad quod eadem die obligatur ex præcepto Ecclesiæ, ex voto, et ex pœnitentia sacramentali; idcirco in confessione triplicis hujus obligationis violatio aperiri debet.

ARTICULUS II.

DE DISTINCTIONE NUMERICA.

131. Certum est peccata quæ specifice distinguuntur, multo magis adhuc distingui numero; quare hic quæritur tantum quomodo cognoscatur numerica distinctio peccatorum intra eamdem speciem.

Regula I. Numerica peccatorum distinctio desumitur *ex diversitate objectorum totalium*, seu *moraliter diversorum.* Ratio est, quia objectum, prout docet S. Thomas, est quodammodo forma actus; adeoque necessario efficit, ut actus talis sit, quale ipsum est. Ergo ubi sunt plura numero objecta in genere moris, plures sunt numero actus in eodem genere; ubi unum est objectum, unus reputatur esse actus. Ergo totidem sunt peccata quot sunt objecta totalia.—Cf. S. Thom. 1–2. q. 18. art. 2.—S. Alphons. n. 36.—Objectum vero *totale* illud in præsenti dicimus quod vel ex natura sua *unum quid morale* ita efficit, ut neque sit pars alterius, neque referatur ad aliud quod compleat, vel, si potest referri ad aliud ut pars aut complementum, non ita intenditur ab operante. Sic unum habetur objectum totale in copula completa, unum pariter in vulnere inflicto cum intentione vulnerandi tantum, ac proinde unum et idem objectum quando natura sua non est *totale*, potest esse vel non esse *totale* pro vario modo quo intenditur.

Regula II. Numerica peccatorum distinctio desumitur etiam *ex multiplicitate actuum moraliter interruptorum.* Etenim quando actus voluntatis moraliter interrumpuntur, singuli evadunt in se completi, neque actus sequens potest dici continuatio præcedentis. Sic qui pluribus vicibus moraliter interruptis alium percutit, vel furatur, tot pec-

cata committit, quot sunt percussiones, vel furta; quia tot actus diversos hæc constituunt.—Cf. S. Alphons. n. 36.

Actus autem voluntatis triplici modo interrumpuntur, scilicet: 1°. *Per retractationem*, seu revocationem expressam voluntatis, quia hæc impedit quominus actus posterior cum priore conjungatur, v. gr., si quis retractet pravam voluntatem male agendi, et postea eam resumat. 2°. *Per cessationem voluntariam ab actu*, seu per mentis applicationem ad diversum objectum, v. gr., si quis libere cesset a proposito malo, et dein ad illud redeat. 3°. *Per cessationem involuntariam sat notabilem*, ratione habita ad actus naturam, secundum judicium prudentum, v. gr., per somnum, distractionem, occupationem, etc.

132. Ut autem hæc principia facilius applicentur, præ oculis habenda sunt sequentia.

1°. Actus *mere interni*, qui nullum ordinem habent ad effectum exteriorem, *plerumque* moraliter complentur statim ac physice interrumpuntur, et proinde *per se* toties multiplicantur, quoties physice interrumpuntur. Ratio est, quia tales actus, propter suam simplicitatem tum ex parte objecti tum ex parte ipsiusmet voluntatis, et propter defectum cujuscumque effectus exterioris in quo conveniant, per se loquendo moraliter non continuantur, neque in unum coalescunt, cum nihil habeant, neque in se, neque in alio per quod sibi invicem uniantur. Hinc pœnitens debet in confessione exprimere, si possit, quot vicibus internæ tentationi adhæserit; quod si nequeat, dicat *circiter;* vel saltem an valde frequenter, decurrente die, consensum dederit.—Dixi *per se* seu *plerumque* rem ita se habere, quia, si aliquando plures hujusmodi actus, v. gr., odii, delectationis morosæ, etc., ex eodem passionis impetu procedant, unum peccatum mortale constituent, etsi aliquod breve intervallum inter actus intercesserit.—Cf. S. Alphons. n. 37.

2°. Actus interni *cum proposito externam actionem ponendi*, multiplicantur toties quoties pravum propositum formaliter innovatur, id est quoties per retractationem, aut cessationem voluntariam desinit esse, et postea de novo assumitur: tunc enim posterius moraliter censeri nequit continuatio prioris, et novus voluntatis actus formaliter distinctus intercedit. Si vero per cessationem involuntariam desinat, censetur aliquamdiu, non autem semper et indefinite, virtualiter perseverare, ideoque, ubi iterum assumitur, non habetur tanquam moraliter interrup-

tum, dummodo non intercesserit temporis intervallum nimis diuturnum. Quodnam autem debeat esse ejusmodi intervallum, solo sapientum judicio definiri potest. Idem enim propositum majori vel minori tempore perdurat pro varia intensitate, necnon pro variis circumstantiis personarum, ætatis, sexus, indolis, etc. S. Alphonsus putat difficulter posse impetum unius actus protrahi, ordinarie loquendo, plus quam ad duos vel tres dies. Hinc, ait, qui perseverat ita virtualiter in mala voluntate ultra duos vel tres dies, debet in confessione explicare tempus, ut sic intelligatur moraliter numerus actuum internorum circa peccata externa.—Cf. Baller. not. (a) p. 138.

3°. Actus *externi*, seu *externe consummati*, multiplicantur toties quoties objectum est disparatum, vel in se terminatum; non autem multiplicantur, etiam interposito notabili temporis intervallo, quando sunt veluti partes actus principalioris, seu quando ad finem unicum tendunt. Ratio est, quia tunc unum quid morale efficiunt, quod non completur, nisi consummato actu principaliter intento. Sic qui furtum patrare statuerit, unicum committit peccatum, licet per plures dies de eo cogitaverit, propositum pravum sæpius renovaverit, ad hoc viam susceperit, tempus opportunum quæsierit, etc.; prior quippe voluntatis actus in illo ipso effectu vel opere externo perseverare virtualiter censetur.—Cf. S. Alphons. n. 40.

133. ***Resolves***—1°. Unicum peccatum committit, qui, intendens fornicationem, mulierem turpiter tangit, osculatur, turpibus allicit colloquiis, et tandem fornicatur; nam omnes illi actus prævii ad actum consummandum ordinantur. Si vero ab initio voluisset tantum mulierem tangere, et postea, libidine inductus, copulam perfecerit, duplex erit peccatum, adeoque non satis erit si solam copulam confiteatur.—Cf. S. Alphons. n. 43.

2°. Unicum facit peccatum sacerdos qui integrum officium vult una die omittere, quia singulæ Horæ ex una parte dicunt ordinem ad unum officium complendum, et ex alia earum omissiones intenduntur per modum unius. Duo autem peccata faceret, qui prius voluisset tantum omittere Matutinum, et postea nollet reliquas Horas recitare, quia duplex foret plane distinctus actus malæ voluntatis.

3°. Unicum perpetrat peccatum, qui ex eodem impetu passionis actum malum multoties repetit, v. gr., pluries se, vel alium turpiter tangit,

etiam cum aliqua interruptione; pluries inimicum percutit, vel ei plurima mala imprecatur etc.; nam unicus est pravus voluntatis affectus, et actiones illæ variæ moraliter uniuntur.—Cf. S. Alphons. n. 50.

4°. Unicum peccatum facit, qui plures simul fidei articulos negat, quia unicum est fidei motivum, proinde æque infidelis est qui unum articulum, ac qui omnes negat.—Item *probabiliter* unicum facit peccatum, qui eodem actu duodecim Apostolos blasphemat; quia omnes blasphemiæ in Sanctos malitiam desumunt ex una relatione ad Deum.—Cf. S. Alphons. n. 47.

5°. Unicum facit peccatum, qui summam aliquam determinatam pecuniæ furari intendens, pluribus vicibus, ne detegatur, eam subripit, quia unicus est pravus voluntatis actus, qui in ultimo furto consummatur. E contrario plura patrat peccata, qui pluribus vicibus ex eadem pecuniæ massa furatur, quin totam auferre ab initio statuerit, quia singula furta objectum in se totale efficiunt.—Cf. Baller. not. (a) p. 141.

6°. Plura peccata facit, qui cum eadem pluries fornicatur; quælibet enim fornicatio in se terminatur, seu objectum totale constituit, natura sua. Idem dicendum de diversis pollutionibus.—Cf. S. Alphons. n. 46.

134. ***Quæsita.***—QUÆR. 1°. *Utrum unum vel plura peccata committat qui unico actu detrahit de integra communitate religiosa, vel uno ictu plures homines occidit, vel rapit crumenam ad plures socios pertinentem?*

RESP. Valde controvertitur: juxta S. Alphonsum et multos alios, plura in his casibus committuntur peccata, tum quia plurium jura violantur, tum quia hujusmodi detractio, ictus, aut rapina, est virtualiter multiplex in judicio prudentum.—Alii vero multi, et magnæ notæ theologi probabiliter tenent unum tantum committi peccatum, quia unus est actus voluntatis, et una ratio qua multiplex illud objectum apprehenditur. Ad rationem autem desumptam ex violatione plurium jurium, respondent quod cum quis diversis superioribus idem præcipientibus non obedit, unum certo peccatum committit, quamvis plurium jura violet.—A fortiori unum peccatum committi docent iidem Doctores, quando unico actu voluntatis ad plura objecta per modum unius apprehensa tenditur *inefficaciter*, v. gr., si quis, unico actu, plures fœminas per simplicem affectum seu complacentiam desideraret. In casu autem *propositi efficacis* patrandi aliquid, quod diversis actibus externis

attingi deberet, plura essent peccata; ac proinde pluries peccaret qui *efficaciter* vellet plura jejunia omittere, ad plures fœminas, vel ad eamdem pluries accedere.—Cf. S. Alphons. n. 45.—Lacroix, n. 149.—Baller. not. (b) p. 141.

QUÆR. 2°. *An plura peccata faciat, qui coram pluribus detrahit?*

RESP. Probabiliter unicum tantum facit peccatum, quia detrahere coram pluribus est tantum circumstantia aggravans: jus enim ad famam est unicum apud omnes, non vero multiplex. Quare practice loquendo nulla est obligatio explicandi in confessione numerum personarum coram quibus aliquis detraxerit, sed sufficit dicere: *Detraxi coram pluribus.*—Cf. S. Alphons. n. 49.

QUÆR. 3°. *An explicanda sunt in confessione media ad peccandum adhibita, si peccatum postea non fuerit consummatum?*

RESP. Alii *affirmant*, etiamsi media illa non fuerint mala in se, uti viam suscipere, scalam deferre ad furtum, etc., et eorum ratio est, quia peccatum tunc non manet tantummodo internum, sed mediis istis externum evadit. Actiones enim illæ, licet indifferentes sint *in se*, malæ tamen ex fine malo evadunt.—Alii vero probabiliter *negant*, nisi media ista in se mala sint; in quo casu indicari debent, et quidem omnia, si sint specie diversa, ut tactus, aut verba obscœna ad sollicitandum adhibita.—Cf. Varceno, vol. 1. p. 259.—Baller. not. (b) p. 143.

QUÆR. 4°. *An plura peccata committat, qui plura mala diversa optat inimico?*

RESP. *Affirm., per se,* si imprecantis intentio determinate feratur ad mala speciei diversæ, v. gr., infamiam et mortem; quia desiderium speciem sumit ab objecto desiderato, ut infra dicetur. Verum *per accidens* unum esset peccatum cum scilicet hæc mala diversa fere apprehenduntur sub generali ratione mali, ut media ad perniciem; quod fieri solet quando imprecationes ex impetu iræ procedunt.—Cf. S. Alphons. n. 50., et *Hom. Ap.* n. 65.

PARS SECUNDA

DE PECCATIS IN SPECIE.

CAPUT I.

DE PECCATIS INTERNIS.

135. Triplex eorum classis distinguitur, scilicet:

1°. *Delectatio morosa,* seu libera complacentia in re mala per imaginationem exhibita ut præsente, sine desiderio.

2°. *Gaudium,* seu deliberata approbatio operis mali peracti sive a se, sive ab alio, qua voluntas perpetratum malum gratum et acceptum habet.

3°. *Desiderium,* seu actus voluntatis rem malam ut obtinendam, adeoque opere exsequendam appetentis. Dicitur efficax, si adsit absolutum propositum id exsequendi; inefficax, si adsit tantummodo consensus conditionatus, v. gr., si quis dicat: *furarer, si possem;* aut *fornicarer cum hac femina, nisi infamiam timerem, etc.*—Cf. S. Alphons. n. 15.

Versatur igitur *delectatio morosa* circa objectum, non prout est in se, sed prout hic et nunc imaginationi objicitur; *gaudium* e contra et *desiderium* circa objectum prout in se aliquando fuit aut erit.

136. **Dico** 1°. *Desiderium rei malæ etiam inefficax* est vere peccatum, et induit species tum objecti, tum circumstantiarum. Ratio *primi* est, quia turpe et inhonestum est desiderare absolute aut conditionate quod exsequi non licet. Ratio *secundi,* quia omne desiderium, etiam inefficax, in objectum suum tendit, et proinde est volitio *malitiæ specialis* istius objecti, adeoque illam contrahit. Eadem est ratio *tertii;* nam desiderium, cum tendat in objectum ut opere exsequendum, illud attingit uti est in se cum suis circumstantiis. Ergo totam malitiam etiam circumstantiarum contrahit.—Hinc in confessione, v. gr., desiderii fornicandi, declarandæ sunt circumstantiæ consanguinitatis, affinitatis, vinculi matrimonialis, aut voti castitatis, quæ personam desideratam afficiunt.—Cf. S. Alphons. n. 12.

Dico 2°. *Gaudium* itidem est peccatum, et quidem ejusdem speciei ac actio mala circa quam versatur, induitque pariter species circumstan-

tiarum ipsi adnexarum, non secus ac ipsum desiderium. Ratio est, quia *gaudium*, ut supra diximus, est mali præteriti approbatio, quæ necessario actum peccaminosum amplectitur, qualis in se extitit, suis nempe circumstantiis vestitum.—Hinc qui in peccatorum præteritorum recordatione sibi complacet, eaque approbat, in confessione explicare debet objectum hujus complacentiæ, atque circumstantias speciem mutantes, perinde ac si iterum opere peccasset.

Ad gaudium revocanda est jactantia de peccato commisso, displicentia de malo non patrato, necnon tristitia de bono peracto.

Dico 3°. *Delectatio morosa* est certo peccatum, et certo etiam induit gravitatem et speciem objectorum menti exhibitorum. Ratio *primi* est, quia naturæ rationali et legi divinæ repugnat voluntatem gratum habere id, quod rectæ rationi dissentaneum est, et Deo displicet. Insuper delectatio deliberata de objecto malo affectum in illud arguit: atqui affectus in objectum malum est affectus malus, ut per se patet. Ergo . . . Hinc Oseæ ix. 10. dicitur: "Facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt." Ratio autem *secundi* est, quia quisquis delectatur de objecto in se malo, illud approbat, eique affectu suo adhæret; ac proinde ea gravitate et specie, qua objectum est malum, eadem plane erit mala ejusdem delectatio.—Cf. S. Thom. 1–2. q. 74. art. 8.—S. Alphons. n. 15.

137. ***Quæsita.***—QUÆR. 1°. *An delectatio morosa induat etiam malitiam specificam circumstantiarum objecti, ut desiderium et gaudium?*

RESP. *Neg.*, probabiliter, juxta multos theologos; et ratio est, quia simplex delectatio non tendit in objectum, ut realiter existit, sed in eo quiescit, ut repræsentatur per phantasiam. Porro hæc neque ex natura rei, neque de facto solet omnes circumstantias repræsentare, sed illam tantum quæ delectationem magis movet.—Cf. S. Alphons. n. 15.—Baller. not. (a) p. 148.

QUÆR. 2°. *An liceat desiderare malum sub conditione, si licitum esset?*

RESP. *Affirm.*, si conditio apposita totam rei malitiam tollat, quia talis affectus nullam involvit deordinationem, neque in se, neque in objecto a quo per conditionem malitia omnino excluditur. *Negative* vero esset respondendum in alia hypothesi, quia talis affectus tendit in objectum malum, et quidem absolute, cum conditio non tollat malitiam ab objecto etiam ut repræsentato, ut esset blasphemia, perjurium, etc.

Attamen probabiliter a peccato gravi excusandus ille esset, qui tali desiderio nollet certe, ut id quod malum est intrinsece, fieret licitum, sed tantum propensionem suam in illud objectum ostenderet.—Cf. S. Alphons. n. 27., et *Hom. Ap.* n. 50.

Cæterum nemo non videt quam periculosa sint hujusmodi desideria, etiamsi apposita conditio totam malitiam auferret, præsertim in prohibitis jure naturali, licitis tamen in aliquo casu vel statu, v. gr., occiderem inimicum, si Deus mandaret; uxorem acciperem, si non essem sacerdos aut voto ligatus; libens nuberem Berthæ nisi haberem uxorem. Hæc desideria Cajetanus merito appellat tentationes fatuas et diabolicas. Imo dissuadenda sunt etiam alia desideria conditionata circa res solo jure positivo prohibitas, quia ut plurimum otiosa sunt, et aliquando affectu aliquo inordinato laborare possunt.—Cf. Cajet. V. *Cogitationis peccata.*

QUÆR. 3°. *An liceat delectari de omissione inculpabili alicujus præcepti ex oblivione relicti?*

RESP. Etsi nunquam liceat sive de omissione mala, sive de opere malo, etiam inculpabiliter admissis, gaudere vel delectari, prout in se mala fuerunt; licet tamen, *per se*, id est secluso periculo consensus in delectationem de causa mala, gaudere vel delectari de effectu bono et honesto, qui ex iis provenit.—An vero liceat etiam gaudere vel delectari de ipsa causa mala, non prout est mala, sed prout fuit causa boni effectus, affirmant multi cum Lessio, Suarez, Card. de Lugo, et aliis; sed negat cum pluribus aliis S. Alphonsus allegans prop. 15. ab Innoc. XI. damnatam, quæ sic se habet: "Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas." — Verum dicendum est non constare utrum hac propositione damnatum absolute fuerit gaudium quodcumque de opere malo inculpabili; an potius reprobatum fuerit dumtaxat gaudium quo filius, contra rectum caritatis ordinem, morti parentis anteponit bonum ordinis valde inferioris, nempe divitias ex ea consecutas.—Cf. S. Alphons. n. 20.—Lessium, *de just. et jure,* lib. 4. cap. 3. n. 105.—Suarez, disp. 5. sect. 7. n. 15.—Lugo, *de pœnit.* disp. 16. n. 389. —Viva *in cit. prop.* n. 12.—Baller. not. (a) p. 152. et not. (c) p. 186.

138. ***Resolves.*** —1°. Licitum non est delectari de pollutione nocturna *secundum se et propter ejus voluptatem*, sed licitum sane est de

ea delectari prout est *naturæ exoneratio vel alleviatio.* Etenim defectus liberi consensus, per somnum, etsi non possit licitam efficere *delectationem operi malo insitam,* quæ dein libere capiatur, optime tamen potest a culpa excusare *opus exterius.* Et hæc est vera doctrina S. Thomæ, qui etiam ad naturalem pollutionis causam revocat turpe somnium, ad quod reduci possunt et tactus seu motus idem somnium consequentes. "Cum enim (inquit) humor seminalis abundat in corpore, vel cum facta est humoris resolutio. . . . , somniat dormiens ea quæpertinent ad expulsionem hujusmodi humoris abundantis aut resoluti; sicut etiam contingit, quando natura gravatur ex aliqua alia superfluitate; ita quod quandoque formantur in imaginatione phantasmata pertinentia ad emissionem talium superfluitatum."—Cf. S. Thom. 2–2. q. 154. art. 5., et in 4. dist. 9. q. 1. art. 4. q. 1. ad 5.—S. Alphons. n. 20.—Baller. not. (b) p. 149.

2°. Caute confessarius agere cum iis debet, qui gaudent de emolumento sibi proveniente ex peccato suo aut alieno, vel ex damno aut morte alterius; subinde enim hujusmodi delectationes non ex emolumento solo, sed ex gaudio de ipso peccato aut malo proximi oriuntur. Idem timendum est de eo qui dicit, se gaudere de bono spirituali proximi, sed quod provenit ex ejus infortunio, v. gr., ex gravi infirmitate, jactura rerum temporalium, etc. Potest enim interdum subrepere gaudium de proximi potius malo, quam de bono effectu inde proveniente, præsertim si inimicitiam cum eo antea gerebat; confessarius igitur, si res postulare videtur, mentem pœnitentis prudenter introspicere non negligat.—Cf. S. Alphons. ibid.

3°. Quamvis aliud sit delectari de re mala, aliud vero delectari de modo, v. gr. industrio, quo res mala peracta fuerit (quod sane carere culpa per se potest); attamen confessarius facile suspicari debet de morosa delectatione in iis qui libenter audiunt turpia, licet hæc narrari non videantur nisi ad modum ingeniosum, quo peracta sunt, manifestandum, quando potissimum consuetudo in pravam delectationem consentiendi hanc suspicionem confirmat.

4°. Mortale non est tristari de obligatione non essentialiter præcepta, quatenus est molesta tantum, seu *in sensu diviso* legis, v. gr., de molestia jejunii.

5°. Si pœnitens se accuset de aliqua prava cogitatione, interrogandus

est an cognoverit esse peccatum; et si respondeat se eam detestatum fuisse statim ac cognovit turpem esse, judicandus est omnino a peccato immunis.—Si respondeat se habuisse per aliquod tempus aliquam confusam cognitionem malitiæ, eique adhæsisse, sed non plene advertendo ad ipsius gravitatem, tunc facile quidem a gravi peccato excusandus est, sed non a veniali. Quod si nesciat se expedire ab his interrogationibus, ordinarie præsumendum est, eum non consensisse, vel saltem defuisse in eo plenum consensum, vel perfectam advertentiam, maxime si timoratæ sit conscientiæ.

CAPUT II.

DE PECCATIS CAPITALIBUS.

139. Peccata capitalia sic vocantur, quia sunt veluti capita seu fontes aliorum peccatorum. Unde vitia potius quam proprie peccata nuncupanda sunt, si in genere considerentur.

Septem numerantur, nimirum: 1°. Superbia; 2°. Avaritia; 3°. Luxuria; 4°. Invidia; 5°. Ira; 6°. Acedia; 7°. Gula. — Quam convenienter autem ad septem capita reducantur peccata omnia egregie explicat S. Thomas 1–2. q. 84. art. 4.

Pauca omnino de singulis peccatis capitalibus hic dicemus, at sedulo indicabimus loca S. Thomæ, et S. Alphonsi ad quæ erit recurrendum pro fusiori expositione doctrinæ.

I.—De Superbia.

140. *Superbia* est amor inordinatus propriæ excellentiæ, et distinguitur in *perfectam* seu in genere suo completam et consummatam, et *imperfectam*. Perfecta quidem dicitur, quando homo adeo in se sistit et sibi complacet, ut versetur in dispositione legem potius graviter transgrediendi, quam mandatis superiorum obtemperandi. Hæc autem eo ipso peccatum mortale semper in se includit. In cæteris vero casibus imperfecta nuncupatur, et tunc *per se* peccatum veniale tantum inducere solet. Ex superbia procedunt ambitio, vana gloria, præsumptio, jactantia, ostentatio, et hypocrisis. — Cf. S. Thom. 2–2. q. 62., et QQ. DD. *De Malo*, q. 8. et 9.

II.—De Avaritia.

141. *Avaritia* est inordinatus appetitus bonorum temporalium. Opponitur justitiæ vel liberalitati. Si prius, in peccatum mortale facile prodibit, nempe quoties ad injustitiam gravem erga proximum impellet.—Si posterius, *per se* venialia tantum pariet. Cæterum nimius erga res terrenas affectus in alia peccata etiam gravia propellere potest, imo et solet. Procedunt etiam ex avaritia durities cordis erga miseros, inquietudo animi, perfidia, dolus, etc. — Cf. S. Thom. 2–2. q. 118., et QQ. DD. *De Malo*, q. 13.

III.—De Luxuria.

142. *Luxuria* est inordinatus appetitus rei venereæ. Luxuria est peccatum grave *ex toto genere suo;* sed hoc intelligendum est, si delectatio venerea sit in se *deliberata* et *directe* volita. Si vero *indirecte* tantum voluntaria sit, admittit aliquando parvitatem materiæ, ut fusius infra dicetur ubi de sexto Decalogi præcepto. — Cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, odium Dei, fidei languor, imo et amissio, sunt effectus luxuriæ.— Cf. S. Thom. 2–2. qq. 153. et 154., et QQ. DD. *De Malo*, q. 15.

IV.—De Invidia.

143. *Invidia* est tristitia de bono alterius, quatenus æstimatur ut malum proprium, aut saltem minus bonum. Ad eam revocatur gaudium de alterius malo, quod boni proprii augmentum censeatur. Invidia est directe contra caritatem, et ex genere suo, etsi *non toto*, grave peccatum importat.—Ex invidia procedunt detractio, calumnia, susurratio, contumelia, etc. — Cf. S. Thom. 2–2. q. 36. et QQ. DD. *De Malo*, q. 10.

V.—De Ira.

144. *Ira* est excandescentia animi, motusque inordinatus in aliquem vel aliquid; vel est inordinatus appetitus vindictæ. Iracundia est habitus iræ. — Ira mortalis est ex genere suo, si sit appetitus vindictæ; venialis autem, si sit tantum motus animi inordinatus.—Ira generat indignationem, rancorem, clamorem, convicia, blasphemias, etc. — Cf. S. Thom. 2–2. q. 158., et QQ. DD. *De Malo*, q. 12.—S. Alphons. n. 80. et seqq.

VI.—De Acedia.

145. *Acedia* in genere idem sonat ac pigritia; strictius vero est torpor mentis ac debilitas voluntatis, ex quibus spiritualium rerum fastidium ob laborem et molestiam ipsis adjunctam profluit.—Si tanta sit, ut ex ea obligationes graves omittantur, gravis habenda est; si secus, levis est æstimanda.—Torpor, evagatio mentis, nausea in oratione, etc., sunt fructus acediæ.—Cf. S. Thom. 2-2. q. 35., et QQ. DD. *De Malo*, q. 11.—Cf. S. Alphons. n. 84.

VII.—De Gula.

146. *Gula* est inordinatus appetitus cibi vel potus, et ex genere suo non est nisi peccatum veniale. Fit autem grave si graviter noceat sanitati, aut si quem ad officia ineptum reddat. — A gula proveniunt ebrietas, de qua mox fusius, hebetudo mentis, scurrilitas, multiloquium, et immunditia cujuslibet generis. — Cf. S. Thom. 2-2. q. 148. et 150., et QQ. DD. *De Malo*, q. 14.—S. Alphons. n. 74. et seqq.

APPENDIX.

DE EBRIETATE.

147. Ebrietas est voluntarius excessus in potu usque ad rationis perturbationem, sive *ex* aut *cum* voluptate hoc fiat, sive *absque* voluptate. Dividitur autem in *perfectam* et *imperfectam*. Prima habetur cum rationis usus omnino adimitur ita ut ebrius incapax sit agendi moraliter; altera vero ea est qua mens perturbatur quidem, at discernere adhuc valet inter bonum et malum.

148. ***Principium.*** — Ebrietas perfecta est semper peccatum mortale, at imperfecta *per se* est tantum veniale. Ratio *primi* colligitur tum ex consensu theologorum et timoratorum hominum æstimatione, tum quia privare se usu rationis modo violento et innaturali, et quidem ita ut non possit statim recuperari, graviter repugnat naturæ rationali, tum demum quia in Scripturis v. gr., I. Cor. vi. 10. ebriosi a regno Dei excluduntur. Ratio autem *secundi* est tum quia nulla ha-

betur gravis deordinatio quamdiu moraliter quis agere possit, tum quia ita fert consensus theologorum. — Cf. S. Thom 2–2. q. 150. art. 2. —S. Alphons. n. 75.

149. ***Resolves.***—1°. Licet liquoribus quibuscumque uti, tamquam medicina ad morbos depellendos v. gr., typhum, etiamsi ebrietas prævideatur sequutura, dummodo tamen non intendatur directe, et salus animæ non periclitetur. Requiritur scilicet 1°. ut ebrietas *indirecte* tantum sequatur, et 2°. ut nullum adsit periculum quod infirmus moriatur *absque receptione sacramentorum.*—Cf. S. Thom. q. cit. ad 3.—S. Alphons. n. 76,

2°. Idem dici posse videtur de illis nostratibus qui magnam copiam liquoris sumunt, ut venenum quod ex serpentum morsibus hauserint, expellant vel coerceant; nam ebrietas, si quæ sequitur in tali casu, indirecte tantum diceretur esse sequuta.

3°. Nunquam licere potest ebrietatem assumere uti medium ad effectum aliquem utcumque bonum obtinendum, quia *non sunt facienda mala ut eveniant bona.*—Verum si magna copia liquoris sumeretur, non quidem ad violentam rationis usus privationem, sed ad nervos relaxandos atque adeo sopiendos, ut exinde facilius fiat operatio quædam chirurgica, non apparet cur hoc sit illicitum, cum licitum esse dicatur opio vel æthere uti ad similes operationes peragendas.

4°. Damnandæ prorsus sunt matres vel nutrices illæ quæ, ad lacrimas puerorum compescendas, alcoholicis vel opiatis potionibus utuntur, atque ita a prima ætate pravam consuetudinem in illos inducunt.

5°. A fortiori damnandi sunt medici qui ad idem remedium recurrunt, ut infirmos ad lætitiam provocent, vel corporis dolores imminuant; nam ita agentes non solum ex malo bonum quærunt, sed etiam in infirmos pravam consuetudinem inducunt si convalescant, vel si moriantur, eos æternæ damnationis periculo exponunt.

150. Quæres. *Quid dicendum de promissione non bibendi (the pledge) prout apud nos solet fieri?*

Resp. Quamvis hujusmodi promissio bona sit in se, atque, uti quotidiana experientia constat, optimum præbeat remedium ad multorum vitam emendandam, praxis tamen eam excipiendi non caret difficultatibus. Etenim si aperte dicatur, quod verum est, scilicet infractionem illius

promissionis nullum aut veniale tantum peccatum esse, vix non eveniet ut tota efficacia remedii non evanescat. Ex alia vero parte si nihil dicatur, multa et gravia peccata patrabuntur ex male formata conscientia; siquidem plures sunt qui infractiones illius promissionis graviora peccata existimant quam perfectam ebrietatem. Multa igitur prudentia et discretione opus est in hujusmodi promissionibus excipiendis.—Quare si qui sunt qui de quantitate illius obligationis dubitent, et de ea inquirant, vel non adeo rudes sunt ut explicationem facile capere possint, vel non vesano prorsus ac perdito amore ad liquores attrahantur, utile erit imo necessarium ipsis explicare quænam sit natura illius promissionis: hæc enim cum votum non sit, sed solum propositum sacerdoti manifestatum, nequit *per se* obligare sub gravi. In alia vero hypothesi melius forte esset nihil dicere, et *permissive* se habere circa gravia illa peccata quæ sequerentur; nam imminutio ebrietatis erit sufficiens ratio ea permittendi.

Animadvertendum hic est quod ad difficultatem istam evadendam aliqui animarum pastores hodie non adeo insistunt in promissionibus istis excipiendis, sed potius totam operam conferunt in sodalitatibus v. gr., in honorem sitis D. N. J. C. instituendis. Hoc genus remediorum dum magna gaudet efficacia, nullam occasionem præbet novorum peccatorum. Præterea ad hujusmodi remedia videntur alludere Patres Baltimorenses sequentibus verbis: "Cum immania scandala ex nimia potatione oriantur, hortamur pastores, et per viscera Jesu Christi obsecramus, ut omne studium in ebrietatis vitio eliminando ponant. Eum in finem, laudandum censemus eorum fidelium zelum, qui ab omni liquore ardenti se abstinent ad excessuum periculum tutius declinandum. Qui autem sponte societatem inter se ineunt, ut mutuis virtutum exemplis sese adjuvent ac roborent, imprimis adhibere debent subsidia illa quæ Christus Dominus in Ecclesia reliquit, quibus vitia humana emendentur, et infirmitas sustentetur; atque oratione, sacramentorum frequenti susceptione, aliisque pietatis exercitiis, auxilium supernum sibi comparare, nec sibi, nec suis propositis, sed Deo, sine quo nihil prodest humanus conatus, fidere."—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. n. 470.—*Irish Ecclesiastical Record*, May, 1883. p. 338. et seqq.

TRACTATUS

DE VIRTUTIBUS

151. Virtus, generatim, est habitus agendi juxta rectum ordinem. Virtutes multipliciter distinguuntur; nam sunt; 1°. *naturales*, vel *supernaturales*, prout viribus naturalibus, vel supernaturalis gratiæ auxilio acquiruntur et augentur; 2°. *infusæ*, vel *acquisitæ*, prout a Deo ipso infunduntur, vel actibus repetitis agentis acquiruntur; 3°. *theologicæ*, vel *morales*, prout pro objecto formali habent vel Deum immediate, vel actionis honestatem.

Quatuor sunt virtutes morales cardinales, ad quas cæteræ reducuntur, scilicet *prudentia, justitia, fortitudo* et *temperantia*. Quoniam autem de virtutibus moralibus passim sermo fit in toto hoc Compendio Theologiæ Moralis, hic speciatim agemus de virtutibus theologicis, nempe *de fide, spe* et *caritate*.

CAPUT I.

DE VIRTUTE FIDEI.

Omissis penitus iis quæ fuse a theologis dogmaticis traduntur circa naturam, divisionem et objectum formale fidei, quæ omnia videas apud Mazzella *de Virtutibus Infusis*, disp. 2. et 3., hic tantum dicetur de necessitate fidei, de ejus objecto materiali, deque vitiis oppositis.

ARTICULUS I.

DE NECESSITATE FIDEI.

152. *Dico* 1°. Actus internus fidei omnibus adultis necessarius est *necessitate medii* ad justificationem, et etiam *necessitate præcepti* quandoque in vita. *Primum* constat tum ex Apostolo dicente, Hebr. xi. 6: "Sine fide impossibile est placere Deo," tum ex Concilio Trid. sess. 6. cap. 6. ubi describitur modus præparationis ad justificationem, et inter alia necessario requisita assignatur fides. *Alterum* autem constat ex

prop. 1. damnata ab Alexandro VII. quæ sic se habet: "Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei et caritatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium."—Cf. Mazzella, disp. 3. art. 10.

Dico **2°.** Existit præceptum tum *negativum* prohibens veram fidem negare, tum *affirmativum* obligans *aliquando* ad eam, etiam cum vitæ periculo confitendam. Ratio *primi* est, quia negare fidem est Deum ipsum negare. Ratio autem *secundi*, quia Christi honor aliquando exigit, ut fideles ad ipsum confitendum etiam vitam spernant. Hinc Christus ipse ait, Luc. ix. 26: "Qui me erubuerit . . . hunc Filius hominis erubescet cum venerit in majestate sua."—Dixi *aliquando*, nam præceptum hoc affirmativum, præcise quia affirmativum est, non obligat semper et *pro semper*, sed tunc tantum quando honor Deo debitus, vel utilitas spiritualis proximi modo notabili subtraheretur, v. gr., si ex omissione confessionis veræ fidei sequeretur contemptus religionis, vel scandalum, aut aliorum perversio.—Cf. S. Thom. 2–2. q. 3. art. 2.—S. Alphons. n. 10.

153. ***Quæsita.***—QUÆR. 1°. *Quandonam urgeat præceptum eliciendi actum internum fidei?*

RESP. Certo urget *per se* non solum post usum rationis completum, vel postquam infideli adulto fidei nostræ veritas sufficienter proposita est, ad vitam christianam incipiendam, sed etiam *sæpius* in vita, ut communiter tenent theologi, et satis constat, tum ex damnatione propositionis jam citatæ, tum ex prop. 17. damnata ab Innoc. XI. quæ ita jacet: "Satis est actum fidei semel in vita elicere."—Particula autem *sæpius* a diversis diversimodo intelligitur, sed tuto teneri potest eam non includere majorem frequentiam quam semel in anno.—Urget autem *per accidens* quoties finis aliquis obtinendus est, ad quem necessario requiritur actus fidei.

Adverte tamen præceptum istud, ut habet S. Alphonsus, sufficienter adimpleri ab illis qui veritates fide tenendas jam didicerunt et crediderunt, exercendo alios actus religionis in quibus implicite continetur actus fidei, ex. gr. devote audiendo Missam, adorando crucifixum, suscipiendo sacramenta etc. Unde,

1°. Sequitur fideles qui christiane vivunt, vel saltem semel in anno

accedunt ad sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ, non esse inquietandos circa impletionem hujus præcepti.

2°. Sequitur solutam esse, saltem practice, quæstionem utrum morituri teneantur *per se*, scilicet vi specialis obligationis impositæ ab ipsa virtute fidei, ad eliciendum aliquem ipsius actum. Etenim morituri certo tenentur ad aliquos actus religionis, præsertim ad ultima sacramenta recipienda, et hoc præstare nequeunt quin eliciant actum fidei. Cf. S. Alphons. n. 7., et *Hom. Ap.* n. 13.— Ballcr. not. (a) p. 161. not. (b) p. 174. not. (c) p. 178. et not. (a) p. 180.

QUÆR. 2°. *An interrogatus de fide possis uti verbis ambiguis?*

RESP. *Neg.*, quando tergiversatio vel silentium æquivalet negationi, aut erubescentiæ quæ ex adjunctis cognoscatur cedere in contemptum Dei, et scandalum proximi. Insuper, quoad publicam potestatem interrogantem, constat ex prop. 18. damnata ab Innocentio XI. quæ ita sonat: "Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo et fidei gloriosum, consulo; tacere ut peccaminosum per se non damno."—Verum ait Kenrick: "apud nos ubi leges religionis seu fidei civium nullam volunt haberi rationem, poterit quis plerumque jure suo uti, et interrogationem veluti extra ordinem rejicere."—Cf. S. Alphons. n. 13.—Kenrick, n. 30.

QUÆR. 3°. *An liceat uti signis aut vestibus infidelium?*

RESP. *Affirm.*, si sint vestes aut signa propria alicujus *regionis*, licet regio hæc tota sit infidelis; quia hæc ad religionem *per se* non referuntur. Si vero sint vestes et signa *religionis*, subdistinguendum est, et iterum affirmandum si fiat gravi de causa, et vestes non sint tantum distinctivæ sectæ a secta, quia tunc usus primarius earum est ad corpus tegendum, et secundarius tantum ad sectam distinguendam.—Secus autem, si vestes signa sint aut unice aut primario instituta ad sectam profitendam, ut sunt vestes et ornamenta quibus sacerdotes in exercitio functionum suarum utuntur.—Cf. Salmant. tract. 21. cap. 2. n. 110.

154. ***Resolves.***—1°. Fidem externe negaret;—1°. qui interrogatus num esset *Romanista* vel *Papista* responderet se talem non esse, nisi tamen ex circumstantiis colligeretur se hujusmodi voces repulisse utpote invidiæ et contumeliæ plenas;—2°. qui inter Quakeros silens et veluti meditabundus adsideret; non autem si eorum tantum vestibus v. gr., magno pileo uteretur;—3°. qui ad loca accederet ubi Præsbyterianorum,

Methodistarum et aliorum conversiones excipiuntur, atque inter eos orans, genua flecteret, spiritum veluti accepturus; non autem si, procul stans, eorum agendi rationem ex levitate vel curiositate contemplaretur.—Cf. Kenrick, n. 30.

2°. Fidei negatæ accusari non debet, qui diebus abstinentiæ carnes comederet ad hæreticorum molestias vitandas, et multo minus puella, quæ idem facit verens, ne pater vehementer excandescat percipiens eam ad Catholicam Ecclesiam transiisse. Ratio est, quia ex una parte non semper tenemur veram fidem externe profiteri, et ex alia manducatio carnium per se non necessario importat negationem fidei, cum sæpe hoc fiat ex gula vel ex necessitate.—Cf. Kenrick, ibid.

3°. Non peccat contra fidem qui fugit tempore persecutionis, imo generatim fuga est aliquo modo præcepta, ut patet ex verbis Christi Matth. x. 23: "Cum autem persequentur vos in civitate ista fugite in aliam."—Hoc vero præsertim valet si cujuspiam salus ad utilitatem fidelium sit necessaria, aut quispiam lapsum timeat.—Cf. S. Alphons. n. 14.—Kenrick, n. 31.

4°. Non peccat contra fidem qui templa hæreticorum aut infidelium adit meræ curiositatis causa, absque ulla communicatione in sacris: imo nullo modo peccat, aut certe non graviter, si neque adest scandalum, neque perversionis periculum, neque lex particularis hunc aditum interdicens. Ratio est, quia sicuti profana ædificia, sic et templa hæreticorum adire, est actus per se indifferens, qui non nisi a pravo fine, vel ex circumstantiis efficitur malus. Ita S. Congr. S. Offic. 14. Jan. 1818. Dub. 3. (apud Crettoni, vol. 1. p. 554. Not. C.)—Cf. S. Alphons. n. 16.

5°. Peccabit tamem contra fidem si talis aditus indictus sit ab hæretico gubernio, tanquam protestatio fidei hæreticæ vel utcumque *communiter* habeatur velut *tessera* unius ejusdemque religionis Catholicos inter et Acatholicos.

6°. Catholicis *regulariter* non licet hæreticorum, aut schismaticorum, concionibus, baptismis et matrimoniis interesse. Ita S. Cong. S. O., die 10. Maii 1770.—Dicitur *regulariter*, quia si præsentia sit mere materialis, ut quandoque fieri potest, et ex adjunctis satis deprehendatur nullam continere aut præseferre participationem cum hæreticorum ritibus, excusari poterit a peccato, præsertim apud nos, ubi hoc habetur ut indicium obsequii civilis.—Cf. Kenrick, n. 33.

7°. Patrini munere fungi in hæreticorum baptismate, aut matrimonium inire coram ministro hæretico, semper illicitum est propter cooperationem et communicationem in divinis; prout expresse declaravit S. Cong. S. O. in citato decreto an. 1770., et S. P. Pius VI., tum in Instructione 26. Sept. 1791, tum in Responsis ad clerum Galliarum 28. Maii 1793.—Quoad funera, distinguendum est: quæ ad officium mere civile pertinent, veluti comitari corpus, permitti possunt; alia quæ naturam aut speciem communionis cum hæreticis habent, sunt prohibenda. —Cf. Kenrick, ibid.

8°. Possunt famuli ad templa hæreticorum dominos vehere, eorumque filias vel uxores, protectionis causa, ad ea comitari, id enim habetur ut officium famulatus, non autem ut participatio cultus. Eadem ratione excusatur famula quæ infantem brachio sustinet, dum a ministello baptizatur.—Cf. Kenrick, ibid.

9°. Videtur apud nos licere catholicis in navibus Gubernii, in arcibus, in carceribus, et aliis publicis locis, adstare precibus hæreticorum; nam ex una parte id ordinis causa potius, quam sectæ favore exigitur, et ex alia magnum incurrerent incommodum si qui illud recusarent. Nec valet dicere quod Paulus V. hoc prohibuit catholicis Anglis, quia ibi tunc temporis diversæ omnino erant circumstantiæ.—Cf. Kenrick, n. 33. et 34.

10°. Non videtur posse permitti catholicis, in hac regione, ut organa pulsent, vel cantent in templis aut cœtibus hæreticorum, nisi forte in aliquo rarissimo casu et accedentibus sequentibus conditionibus; 1°. ut nihil sit in hymnis et cantilenis quod veræ fidei adversatur; 2°. ut nullum habeatur scandalum, aut periculum perversionis, et 3°. ut gravissima urgeat necessitas. Ratio hujus tolerantiæ est, quia verificatis omnibus prædictis conditionibus, malitia non videtur sese tenere ex parte actus, sed tantum ex parte agentium, ac proinde cooperatio erit tantum materialis, quæ interveniente justa causa, permitti potest.

11°. Item non videtur posse permitti catholicis ut pecuniam conferant ad incrementum aut splendorem nundinarum (*fairs, bazaars*) vel cænarum (*oyster suppers*) quando cognoscitur has nundinas vel cœnas ideo institui ut pecunia comparetur ad synagogas, vel templa hæreticorum ædificanda. Attamen secus esset dicendum si quandoque ex circum-

stantiis appareat non quidem favorem sectarum, sed tantum grati animi signum, aut benevolentiam velle a catholicis ostendi.

De multis aliis solutionibus huc pertinentibus sermo erit inferius, ubi de scandalo et cooperatione.—Cæterum in omnibus istis attendendum est ad mores regionis, et ad peculiares circumstantias, ex quibus fieri potest ut eadem actio diversam apud nos habeat significationem, ac alibi.—Cf. S. Alphons. n. 12. et seqq.

ARTICULUS II.

DE OBJECTO MATERIALI FIDEI.

155. Objectum materiale fidei, de quo tantum hic agimus, est id *quod* credimus fide divina et catholica. Hoc autem se extendit ad omnia ea quæ in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemni judicio, sive ordinario et universali magisterio, tamquam divinitus revelata, credenda proponuntur.—Verum non requiritur, ut omnes veritates revelatæ *explicite* credantur, dummodo omnes credantur implicite. Imo inter ipsas veritates *explicite* credendas distinguendæ sunt illæ quæ sunt de *necessitate medii* ab illis quæ sunt de necessitate præcepti.—Cf. Mazzella, disp. 2. art. 7. § 1.

156. ***Dico*** 1°. Certum est duo hæc necessario credenda esse necessitate medii ad salutem, nempe Deum existere, et ipsum esse Remuneratorem. *Primum* constat ex eo quod impossibile sit obtinere salutem, scilicet finem ultimum, nisi tendamus in illum; tendimus autem per fidem, et hæc nequit haberi nisi ante omnia credatur existentia Dei. *Alterum* constat ex prop. 22. damnata ab Innocentio XI. quæ sic se habet: "Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem *explicita* Remuneratoris." Utrumque autem confirmatur ex Apostolo, Hebr. xi. 6: "Accedentem ad Deum oportet credere quia est, et inquirentibus se remunerator sit."—Cf. Mazzella, disp. cit. § 3, n. 864. et seqq.

Dico 2°. De necessitate præcepti tenentur fideles omnes explicite credere 1°. ea omnia quæ continentur in *Symbolo Apostolorum*, et 2°. divinam efficaciam præcipuorum sacramentorum, scilicet *Baptismi*, *Pœnitentiæ*, et *Eucharistiæ*, necnon aliorum sacramentorum quando proxime recipienda sunt. Ratio *primi* est, quia hoc exigit ipsa natura

professionis christianæ quæ continetur in Symbolo. Constat etiam ex praxi omnium fidelium.—Ratio autem *secundi* est, quia sacramenta nequeunt digne recipi, nisi cognoscatur divina eorum efficacia, et hæc nequit alia ratione cognosci nisi per fidem, cum sint positivæ institutionis.

157. ***Quæsita.***—QUÆR. 1°. *An requiratur de necessitate medii fides explicita mysterii SS. Trinitatis et Incarnationis?*

RESP. Controvertitur, sed sententia negans est certe probabilis. Ratio est, quia ante Christum sufficiebat fides implicita horum mysteriorum; ergo etiam post ejus adventum sufficere debet; nam justificatio dici non debet facta esse difficilior. Præterea illa fides tantum requiritur, quæ necessaria est et sufficit ad justificationem, seu ad actum amoris amicitiæ: atqui ad hoc sufficit fides implicita horum mysteriorum. Ergo, etc.—Neque obstat propositio damnata ab Innoc. XI. sub n. 64. quæ sic jacet: "Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei; et etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem nesciat mysterium SS. Trinitatis, et Incarnationis D. N. J. C.:" non obstat, inquam; merito enim damnari potuit ratione primæ partis, in qua *generatim*, seu in omni casu asseritur absolutionis capax homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei.—Cf. S. Alphons. n. 2.—Suarez, disp. 12. sect. 4.—Lugo, disp. 12. n. 91.—Mazzella, disp. 3. n. 875.

QUÆR. 2°. *An pœnitens, invincibiliter ignorans mysteria SS. Trinitatis et Incarnationis, possit licite absolvi?*

RESP. *Neg.*, extra *casum necessitatis*, v. gr., periculum mortis. Ratio est, quia sententia affirmans explicitam fidem in hæc mysteria requiri de necessitate medii probabilis, imo aliquibus, uti S. Alphonso, probabilior videtur; ac proinde confessarius-absolvens hujusmodi pœnitentem sacramentum exponeret periculo nullitatis. Hinc confessarius debet, vel illum dimittere donec sufficienter sit instructus, vel quod in multis casibus melius esset, eum instruere, saltem quantum satis est ad actum fidei hic et nunc eliciendum, scilicet clare proponendo duo illa mysteria, et assensum in ea exquirendo.

Si vero pœnitens certo versaretur in ignorantia vincibili horum mysteriorum, nec vellet ea addiscere, aut invincibiliter ea ignoraret, quæ sunt *certo* de necessitate medii, nullo modo absolvi posset etiam in peri-

culo mortis, quia incapax omnino esset recipiendi justificationem.—Cf. S. Alphons n. 3.—Baller. not. (a) et (b) p. 165.

Quær. 3°. *An detur obligatio credendi explicite præcepta Decalogi?*

Resp. Multi id affirmant, quia præcepta Decalogi sunt revelata ut ab omnibus serventur; at plures recte contradicunt, tum quia alio modo ac per revelationem ejusmodi præcepta nosci possunt, tum quia præcepta hæc non data sunt ad credendum, sed ad agendum.—Nec dicas sacramenta etiam fuisse data ad recte agendum; nam respondetur ea non posse digne suscipi, nisi antea credantur fuisse divinitus instituta.

Cæterum quamvis hæc præcepta non debeant necessario cognosci per fidem, debent tamen sub gravi cognosci; non quidem *ordinatim*, et quoad *singula verba*, sed quoad *substantiam*. Idem dicendum de præceptis Ecclesiæ, et de Oratione Dominica, et aliqui addunt etiam de Salutatione Angelica.

ARTICULUS III.

DE VITIIS FIDEI OPPOSITIS.

§ 1. De infidelitate in genere.

158. Infidelitas, generatim sumpta, est carentia fidei, et triplex distinguitur, scilicet: 1°. *positiva*, seu *formalis*, quae est carentia fidei in eo cui sufficienter ipsa proposita est, et qui eam positive respuit; 2°. *negativa*, seu *materialis*, quæ est carentia fidei in eo qui nunquam de vera religione quidquam audivit, vel audivit quidem, non tamen sufficienter; 3°. *privativa* quæ est carentia fidei in eo qui sibi notitiam fidei, data occasione, comparare negligit.

159. ***Dico.*** Sicut infidelitas tum *positiva* tum *privativa* est gravissimum peccatum, ita infidelitas *negativa* nullum est peccatum, sed tantum pœna peccati. Ratio *primi* est, quia in infidelitate positiva habetur explicite, et in privativa, virtualiter contemptus primæ veritatis, et auctoritatis Dei revelantis. Ratio autem *secundi* est, tum quia nullum potest esse peccatum ubi habetur ignorantia invincibilis; tum quia sequens prop. quæ est 68. Baii, "Infidelitas pure negativa in his, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est," damnata fuit a S. Pio V. et Gregorio XIII.

§ II. De haeresi.

160. Hæresis est error contra aliquam fidei veritatem ab Ecclesia propositam, in eo qui fidem per baptismum recepit. Est autem: 1°. *formalis*, quæ est hæresis proprie dicta, et habetur cum error est voluntarius et pertinax, vel *materialis*, qua quis ignoranter adhæret errori; 2°. pure *interna*, vel pure *externa* vel *manifestata*, prout *interne*, aut *externe* tantum, aut utroque modo habetur; 3°. *occulta*, vel *notoria*, prout nemini aut paucis tantum, vel multis nota est.

Ad hæresim refertur apostasia, quæ est totalis defectio a fide christiana.

161. ***Dico.*** Hæresis *formalis* est semper gravissimum peccatum, at *materialis* omni culpa vacat. Ratio *primi* est, tum quia hæresis opponitur uni ex præcipuis virtutibus, nempe fidei, tum quia hæresis tendit directe et immediate ad contemnendum Deum. Ratio *secundi* est, quia hæreticus materialis, ut supponitur, errat ex ignorantia invincibili.

QUÆRES. *Quænam sint signa hæresis materialis, et formalis?*

RESP. Censendus est hæreticus materialis tantum; 1°. qui paratus est se submittere judicio Ecclesiæ, statim ac illud noverit; 2°. qui, natus inter hæreticos, de vera fide nihil cognovit et de sua religione nunquam dubitavit; 3°. qui, dubitans, cognoscere studuit veritatem, quantum potuit, necdum ad eam pervenit.—Reputandus autem erit hæreticus formalis; 1°. qui dubitat, atque ex pertinacia non vult ulterius inquirere; 2°. qui iterum ex pertinacia avertit malitiose intellectum a motivis veritatis, ut suæ sectæ adhæreat; 3°. qui, agnita veritate, adhuc contradicit Ecclesiæ.

CAPUT II.

DE VIRTUTE SPEI.

162. Spes est virtus supernaturalis, per quam certa cum fiducia ex Dei promissione expectamus futuram beatitudinem, et media ad illam consequendam.

Objectum *materiale* spei primarium est Deus possidendus. Objectum vero secundarium sunt omnia media ad beatitudinem consequen-

dam necessaria, ut remissio peccatorum, gratia Dei per merita Christi, etc.

Actus autem in spe inclusi, seu formalitates ipsius spei, sunt amor, desiderium beatitudinis æternæ, firma fiducia ad illam perveniendi, et erectio animi contra occurrentes difficultates.— Cf. Mazzella, disp. 5. art. 2. § 1. et art. 3. § 2.

Peccata spei opposita sunt *desperatio* et *præsumptio*. Prior est diffidentia voluntaria obtinendi beatitudinem, et media ad eam assequendam necessaria.—Posterior vero est inordinata fiducia beatitudinis obtinendæ sine mediis a Deo ordinatis.

163. ***Dico.*** Spes in adultis requiritur tum de necessitate *medii*, tum de necessitate *præcepti*. *Primum* constat ex eo quod homo nequeat ad Deum finem suum ultimum consequendum pervenire, nisi propriis actibus in ipsum tendat: hæc autem tendentia necessario supponit spem, imo, ut diximus, est una ex formalitatibus ipsius spei.—*Alterum* constat tum ex Apostolo dicente, I. Tim. vi. 17: "Præcipio . . . neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo,"— tum ex prop. 1. proscripta ab Alex. VII. et superius n. 153. relata.

Quandonam autem, et quonam modo urgeat præceptum spei, iisdem regulis determinandum est, quas supra n. 154. de fide statuimus.

164. ***Quæsita.***—Quær. 1°. *An detur parvitas materiæ in peccato præsumptionis?*

Resp. *Affirm.*, tum quia communiter admittitur a theologis peccatum præsumptionis esse quidem ex *genere suo*, at non ex *toto* genere suo mortale, tum quia malitia hujus peccati in eo tandem consistit quod res bona indebito modo expectetur. Præterea peccatum istud ordinarie committitur præsumendo vitam æternam obtinere vel propriis viribus tantum, vel absque ullo labore, et ex sola divina misericordia: atqui per hoc non irrogatur Deo injuria directe et immediate. Ergo, etc.— Cf. S. Alphons. n. 21.

Quær. 2°. *An sit præsumptio committere pluries idem peccatum, quia tam facile pluries quam semel commissum accusatur?*

Resp. *Neg.*, quia pœnitens facilius peccat non ex facilitate veniæ obtinendæ, sed ex minori difficultate confitendi, quamvis hæc sit prava dispositio Deo maxime injuriosa.—Cæterum distinguendus est ille qui peccat, aut in peccato perseverat, *ex spe* veniæ, tanquam ex motivo pec-

candi, vel *sub spe* veniæ cum proposito perseverandi in peccato, ab illo qui peccat ex fragilitate aut passione, *cum spe* tamen et proposito pœnitendi, atque ita peccatorum remissionem obtinendi. Primus certe præsumptionem admittit, at non alter qui potius minus peccat, quia ut inquit S. Thomas: "Per hoc videtur habere voluntatem minus firmatam ad peccandum."—Cf. S. Thom. 2–2. q. 21. art. 2. ad 3.—S. Alphons. n. 22.—Baller. not. (a) p. 175.

QUÆR. 3°. *An peccatum desperationis possit esse veniale ratione materiæ?*

RESP. *Neg.*, et ratio est, quia admittere deliberatam diffidentiam obtinendi æternam beatitudinem vel media ad eam consequendam necessaria, est denegare Dei attributa, et præsertim ipsius misericordiam, quod certe mortale est ex toto genere suo.—Verum desperatio potest esse, et est quandoque peccatum veniale tantum, cum provenit ex tristitia vel impatientia, quia tunc deest perfectus consensus.

QUÆR. 4°. *Quænam sint remedia desperationis?*

RESP. Præcipua sunt sequentia: 1°. consideratio bonitatis et misericordiæ infinitæ Dei; 2°. frequens recordatio eorum hominum qui post plurima et gravissima peccata veniam consecuti sunt; 3°. meditatio parabolarum sancti Evangelii, præsertim *ovis perditæ*; 4°. devotio specialis erga B. Virginem, refugium peccatorum; 5°. fiducia in Christum pro nobis cruci affixum, etc.—Attendat tamen confessarius ad sequentes regulas practicas.

Regula I. Dispiciat ex qua potissimum radice desperatio in pœnitente oriatur, ut congrua remedia pro diversa causa applicare possit.—Plerumque autem nasci solet proxime ex apprehensione certæ damnationis; remote vero: 1°. ex *acedia*, qua quis media salutis nimis gravia putat, et proinde ab iis adhibendis deterretur; 2°. ex *luxuria* aut aliis inveteratis peccatis, quæ mentem a cœlestibus avertunt, et ob difficultatem emendationis ad desperationem adducunt; 3°. ex *melancholia*, quæ inclinat ad tristitiam, et avertit a fiducia, quæ gaudium animi generare solet; 4°. ex *scrupulis*, quibus anima dejicitur et opprimitur.

Regula II. Pœnitentes desperationi dediti cum magna circumspectione, prudentia et patientia sunt moderandi, juxta diversitatem ingeniorum et varium desperationis genus. Alio enim modo dirigendi

sunt qui ex malitia, vel ex peccatorum pondere et flagitiosa vita in desperationem acti sunt; alio qui ex pusillanimitate, vel ex diabolica tentatione ad eam impelluntur.

Regula III. Non statim prima fronte judicandi sunt, velut desperatione abstracti, pœnitentes qui se tales exhibent, præsertim si christiane vivant. Inveniuntur enim animæ etiam devotæ, quæ tentationibus desperationis fere continuis exagitantur; nec facile credendum est eas peccasse, præsertim graviter, quamvis putent se illis consensum præbuisse; sicut nec nimius timor de periculo salutis cum desperatione proprie dicta confundendus est.

CAPUT III.

DE VIRTUTE CARITATIS.

165. *Caritas* est virtus qua diligimus Deum tanquam summum bonum propter seipsum, et proximum propter Deum. Hinc duplex est objectum materiale caritatis, Deus scilicet *primarium*, et proximus *secundarium*. De utroque erit hic distincte agendum.

ARTICULUS I.

DE AMORE DEI.

166. ***Dico.*** Datur præceptum speciale diligendi Deum super omnia, ut constat tum ex verbis Christi, Matth. xxii. 37.: "Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo... hoc est maximum et primum mandatum," tum ex prop. 1. ab Alex. VII. proscripta, et sæpius jam memorata.—Hoc autem præceptum, prout affirmativum est, obligat ad Deum amandum super omnia *appretiative*, ut patet ex lege naturali non autem necessario *intensive*, quia essentia caritatis non consistit in gradibus. Scilicet sufficit ut Deus reipsa bonis omnibus *præferatur*, et non requiritur summus gradus intensionis seu fervoris in diligendo. Nam ista intensitas deberet esse summa vel *absolute*, vel *relative;* si primum, sequeretur hominem nunquam posse satisfacere huic præcepto; si alterum, sequeretur hodie non posse satisfieri per actum qui heri erat perfectus.—Cf. S. Alphons. n. 22.—Baller. not. (a) p. 178.

167. ***Quæsita.***—QUÆR. 1°. *Quandonam urgeat præceptum caritatis?*

Resp. Obligat tum *per se* tum *per accidens*, sicut præceptum fidei. *Per se* quidem cum usus rationis est perfecte evolutus ad vitam in Deum ordinandam, et præterea sæpius in vita, ut patet ex damnatione plurium propositionum præsertim ex 6. damnata ab Innoc. XI. quæ sic se habet: "Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis, per se, obligare præceptum caritatis erga Deum."—Si autem ulterius quæras quid proprie, practice loquendo, importat particula illa *sæpius*, respondetur quod quamvis S. Alphonsus dicat *suadendam* esse sententiam eorum qui requirunt actum caritatis semel in mense, tuto tamen potest teneri sententia eorum qui ad illum obligant tantum semel in anno. Imo juxta ipsum S. Doctorem non sunt inquietandi fideles qui christiane vivunt, et sæpe recitant devote *Orationem Dominicam*, quia tunc nisi *expresse*, saltem *exercite* actum caritatis eliciunt. Obligat autem *per accidens*, cum urget præceptum contritionis; v. gr. si sacerdos conscius peccati mortalis celebrare deberet, quin adesset copia confessarii.—Cf. S. Alphons. *Hom. Ap.* n. 13.

Quær. 2°. *An moribundi teneantur ad actum caritatis eliciendum?*

Resp. Certo tenentur si conscii sint alicujus peccati mortalis, et nullum aliud ipsis suppetat medium justificationis. At si sacramentum Pœnitentiæ jam cum attritione susceperunt, non sunt obligandi ad actum caritatis eliciendum, non quia hic in simplici attritione continetur, sed quia de speciali præcepto non constat, utut opinio contraria sit multo communior. Cæterum moribundi suadendi sunt et opportunissime excitantur ad actus caritatis eliciendos atque iterandos.—Cf. Baller. not. (a) p. 180.

ARTICULUS II.

DE AMORE PROXIMI.

De tribus hic erit dicendum, scilicet: de præcepto amoris proximi in se, de operibus caritatis ex illo implendis, et de vitiis caritati proximi oppositis.

§ I. De praecepto amoris proximi in se.

PUNCTUM I.

De præcepto caritatis erga omnes in genere.

168. ***Dico*** 1°. Datur præceptum diligendi proximum vero et interno affectu. Constat tum ex lege naturali, quia etiam in proximo viget idem motivum formale dilectionis, scilicet *bonitas* Dei participata; omnes enim homines sunt ad ejus imaginem conditi, atque amicitiæ Dei et æternæ beatitudinis capaces; tum ex propositione 10. ab Innoc. XI. damnata quæ sic jacet: "Non tenemur proximum diligere actu interno et formali."

Qui vero christiane vivit, sufficienter satisfacit huic præcepto, quoad actum internum, orando in genere pro proximo, vel recitando Orationen Dominicam. Quoad actus vero externos satisfacit, proximi necessitatibus sive temporalibus, sive spiritualibus succurrendo, juxta regulas infra statuendas.

Dico 2°. Ordo aliquis caritatis servandus est in proximi dilectione. Ratio est, quia, et personæ diligendæ, sunt nobis conjunctæ magis vel minus, et bona ipsis desideranda, sunt diversi generis et diversæ necessitatis.—Dixi 1°. *diversi generis;* nam alia sunt spiritualia, et alia temporalia, et hæc iterum distinguuntur in bona vitæ, bona famæ et honoris, et bona fortunæ.—Dixi 2°. *diversæ necessitatis*; nam hæc est vel temporalis, vel spiritualis, et utraque potest esse 1°. *extrema*, cum periculum æternæ damnationis, aut mortis, alteriusve mali, morti fere æqualis, ita proximo instat, ut hic, moraliter loquendo, sine alterius auxilio illud evadere non possit; 2°. *gravis*, cum ex circumstantiis æterna salus valde difficilis, aut temporalis vita valde molesta redditur; 3°. *communis*, in qua quis sibi providere potest sine magna difficultate. In hac versantur, in ordine spirituali, vulgares peccatores, qui, si vellent conatum aliquem adhibere, e pravo statu resurgerent; in ordine vero temporali eam patiuntur generatim pauperes mendicantes, quibus vita, pro eorum conditione, non nimis molesta ac misera est.

169. Ad practicam autem applicationem hujus præcepti optime faciunt sequentes regulæ.

Regula I.—Quisque tenetur seipsum magis diligere *simpliciter*

et *absolute*, quam proximum. Ratio est, quia unusquisque sibi magis proximus est, quam alius quilibet. Id clarum est insuper ex inclinatione naturali et invincibili ad seipsum magis diligendum quam proximum ; unde vulgare axioma : *Caritas bene ordinata incipit a semetipso.* Præterea dilectio sui est regula dilectionis proximi juxta illud : "Diliges proximum tuum sicut teipsum." Regula autem prior est et potior quam regulatum.

Regula II.—Debemus tamen succurrere proximo, nostris etiam commodis posthabitis, ordine sequenti :

1°. In *extrema necessitate spirituali*, succurrendum est proximo, etiam cum certo vitæ periculo, dummodo sit æque certa spes illum juvandi, neque ullus alius sit a quo sublevetur, nec gravius inde malum immineat; quia vita æterna proximi bonum est excellentius vita nostra temporali.

2°. In *extrema necessitate temporali*, succurrendum est proximo *ordinarie* cum magno quidem incommodo, non tamen cum maximo, quale esset etiam pro divite magnæ pecuniæ largitio. Ratio est, quia ex una parte vita proximi bonum est excellentius aliquo nostro bono; et ex alia parte cum amor sui ordine præcedat, nemo obligatur ad tantum incommodum pro aliis subeundum.

3°. In *gravi necessitate utriusque ordinis* nemo tenetur proximo succurrere cum gravi suo incommodo, secluso tamen justitiæ, pietatis vel officii titulo. Ex dictis enim sequitur, nos teneri ad opem aliquam præstandam, non tamen cum gravi proprii boni jactura.

4°. In *communi necessitate utriusque ordinis* succurrendum proximo est cum incommodo quidem aliquo, quia id amor proximi exigit, sed levi tantum; non enim potest esse nisi levis obligatio caritatis, quando proximus sat facile ab illa necessitate sese eripere potest, vel non est ei nimis molesta. Non tenemur autem omnibus in communi necessitate positis opitulari, tum quia hoc esset impossibile, tum quia sifieri quandoque posset jam non leve incommodum foret.

Regula III. Inter varias personas diligendas præferendæ sunt, cæteris paribus, eæ quæ nobis sunt magis conjunctæ sanguine, amicitia, officio, religione, convictu, etc., cum Deus vinculis strictioribus nobis illas devinxerit.—Hinc, extra necessitatem extremam, primo omnium

succurrendum est uxori, quia est una caro cum viro; 2°. filiis; 3°. parentibus, et quidem patri præ matre; 4°. fratribus, sororibus, deinde propinquis, domesticis, et familiaribus.—Dixi *extra necessitatem extremam*, quia in hac parentes, eo quod vitam dederint, probabilius præferendi sunt etiam uxori et liberis.—Cf. S. Alphons. n. 27. et seqq., et *Hom. Ap.* n. 15. et seqq.

170. ***Quæsita.***—QUÆR. 1°. *An sit contra caritatem sibi debitam, mortem optare ob vitæ infortunia?*

RESP. *Neg.*, si fiat ex desiderio vitæ melioris, seu æternæ felicitatis, ut perspicuum est; sed secus est respondendum, si fiat ex tædio vitæ, vel ex animi dejectione. Non tamen peccant, qui mortem cupiunt, quando vita tam molesta sit, ut ipsa morte durior æstimetur.—Cf. S. Alphons. n. 30.

QUÆR. 2°. *An sit contra caritatem malum temporale proximo desiderare, vel de eo gaudere, ob bonum finem?*

RESP. *Neg.*, si debitus ordo caritatis servetur, id est, si fiat ob majus bonum, vel ad minus malum. Hinc id licitum est: 1°. ob bonum spirituale proximi ipsius; 2°. ob bonum commune, vel spirituale, vel temporale; 3°. ob bonum etiam plurium, multo majoris momenti, v. gr., familiæ, communitatis, etc.—Secus autem dicendum quando caritatis ordo pervertitur, ut constat ex prop. 14. damnata ab Innoc. XI. quæ ita se habet: "Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas."—Scimus autem ex P. Viva hanc fuisse causam damnationis.—Hinc non potest uxor desiderare mortem mariti ex eo quod injuste ab eo male tractetur, nec filiæ suæ quia ob deformitatem nubere nequit.—Cf. Baller. not. (c) p. 186.

PUNCTUM II.

De præcepto caritatis erga inimicos in particulari.

171. Inimicus ille solum dicitur qui alium læserit vel per *meram offensam*, vel per *injuriam.*—Præterea adnotandum est signa dilectionis esse duplicis generis; alia scilicet *communia*, et alia *specialia.* Prima debentur, et de facto invicem dantur, ab iis qui pertinent ad eumdem statum vel conditionem socialem. Secunda, quæ dicuntur a S. Thoma

beneficia amicabilia, et procedunt a familiaritate, libere exhibentur particularibus quibusdam personis ratione amicitiæ.—Utraque hæc signa diversa sunt pro diversitate morum et regionum.—Cf. Baller. not. (a) et (c) p. 188.

172. ***Dico.*** Datur præceptum inimicos diligendi. Constat tum ex verbis Christi, Matth. v. 44.: "Ego autem dico vobis diligite inimicos vestros;" tum quia etiam in inimicis relucet divina bonitas, non quatenus inimici, sed quatenus sunt creaturæ rationales.—Cf. S. Thom. 2-2. q. 25. art. 1.

173. Ut autem facilius videatur practica applicatio istius præcepti attendendum est ad sequentes regulas:

Regula I. Debentur *per se* inimicis signa communia dilectionis, quia eorum denegatio esset actus vindictæ, et manifestatio odii, quod caritati repugnat.—Dixi *per se*, quia quandoque adest rationabilis causa ad tempus ea denegandi, v. gr., ratione debitæ correctionis, boni effectus in filios vel inferiores, vel ob timorem prudentem rixarum ex conspectu vel conversatione inimici, etc., item ob expressionem justi doloris ex injuria concepti, etc.

Regula II. Non debentur *per se* inimicis signa specialia dilectionis, quia amicitia nemini debetur. Hinc non teneris, v. gr., eos ægrotos visitare, mœstos consolari, hospitio vel convivio recipere, in iis quidem adjunctis in quibus hujusmodi actiones non habentur ceu signa communia dilectionis.—Dixi *per se*, nam ratione scandali vitandi, aut si peculiari et obvio benevolentiæ signo posses sine gravi incommodo inimicum placare, et efficere ut odium deponat, teneris pro salute ejus interdum hoc signum præstare.—Cf. Baller. not. (a) p. 189.

Regula III. Imo quandoque etiam specialia illa benevolentiæ signa exhiberi debent, quibus omissis, aliquis moraliter se ostenderet ac gereret ut inimicum. Hinc veniam petenti, et congruam injuriæ, si qua intercessit, satisfactionem exhibenti particularia quoque specialis dilectionis signa, si quæ prius dari solebant, generatim loquendo, non sunt abnuenda, quamvis non detur obligatio in posterum ea signa repetendi et pristinam amicitiam conservandi.—Cf. S. Thom. in 3. dist. 30. q. 1. art. 2. ad 5.—Baller. not. (b) p. 189.

174. ***Quæsita.***—QUÆR. 1°. *Qualis ordo servari debeat in reconciliatione facienda?*

Resp. Qui alium offendit, debet prior, *per se*, media ad reconciliationem adhibere, ut dictat naturalis æquitas. Si autem offensio sit mutua et æqualis, qui prior offendit, prior reconciliationem promoveat; si vero sit inæqualis, præeat qui gravius offendit. Cæterum absolutæ regulæ assignari nequeunt, sed circumstantiæ spectandæ sunt.

Quær. 2°. *An offensor a læso veniam petere debeat?*

Resp. *Affirm.*, nisi aliud medium vel modus reconciliationis magis conveniens suppetat, v. gr., varia officia aut beneficia præstando, aut nisi ad placandum offensum nihil prodesse veniæ petitio videatur. Excipiunt etiam, si offensor offenso longe superior sit, aut si offensus prudenter censeatur id condonare.—Cf. Lacroix, l. 2. n. 189.

Quær. 3°. *An detur obligatio inimicum obvium salutandi?*

Resp. *Affirm.*, si adjuncta status, conditionis, aliave similia postulent ut omnes indiscriminatim sese salutent, vel agatur de subdito erga superiorem suum, aut inimicus prior te salutaverit. Secus autem si salutatio et colloquium habeantur uti signa specialia, secluso tamen casu quo hæc requirantur ad evitandum scandalum vel ad lucrandum fratrem, sed tunc obligatio, juxta S. Alphonsum, gravis non est, nec videtur valde urgenda, quia ejusmodi actus in offenso haud modicam præferunt difficultatem.—Cf. S. Alphons. n. 28.—Baller. not. (b) p. 190.

Quær. 4°. *An statim arguendi sint de peccato, præsertim gravi, pœnitentes qui de odio se accusant?*

Resp. *Neg.*, quia sæpe pœnitentes confundunt odium *proprie dictum* seu *inimicitiæ* cum odio *abominationis* seu *qualitatis* aut *defectus*. Sæpe etiam, præsertim rudiores, vel qui naturæ sunt ferventioris, aliqua tantum animi aversione naturali et invincibili laborant, aut indignationem quamdam patiuntur.—Cf. S. Alphons. n. 30.—Voit, n. 703.

Quær. 5°. *An sint absolvendi qui etsi dicant se nullum habere odium proprie dictum, recusant tamen inimicum alloqui?*

Resp. Distinguendum est, vel enim alloquium istud ex adjunctis reputatur signum tantum speciale dilectionis, et insuper nulla adest ratio, ex iis quæ supra assignatæ sunt, vi cujus *per accidens*, hoc signum etsi speciale, debeat dari inimico, vel non. Si *primum*, pœnitens qui recusat inimicum alloqui, potest et debet absolvi; si *alterum*, oportebit perpendere utrum hujusmodi odium proprie dictum, sit necne peccatum mortale. Etenim sicut mali illatio, ita et mali alieni desiderium admittit materiæ

parvitatem; et si hoc valet cum iis qui in nihilo nos læserunt, a fortiori valere debet cum inimico, qui per iniquam læsionem ad justam indignationem provocavit.—Cf. Baller. not. (b) p. 192.

§ II. De operibus misericordiae.

Opera misericordiæ alia sunt corporalia, uti cibum pauperi præstare, nudos operire, etc.; et alia spiritualia, ut peccantes corrigere, ignorantes docere, mœstos consolari, etc. De duobus tantum dicemus, quia speciales habent difficultates, nempe 1°. de eleemosyna, 2°. de correctione fraterna.

PUNCTUM I.

De eleemosyna.

175. ***Dico*** 1°. Datur verum præceptum eleemosynam indigentibus erogandi. Constat tum ex lege generali caritatis, qua obligamur ad proximum diligendum, et consequenter ad opem illi in necessitate ferendam; tum ex Scriptura sacra, quia dicitur, Eccli. iv. 1: "Eleemosynam pauperis ne defraudes;" et Matth. xxv. 42: "Discedite a me, maledicti, in ignem æternum... esurivi enim, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi potum."

Dico 2°. Hoc præceptum est dupliciter hypotheticum, quia supponit non solum indigentiam seu necessitatem in recipiente eleemosynam, sed etiam superfluitatem in dante. Porro sicut triplex assignatur a theologis necessitas, nempe *extrema*, *gravis*, et *communis*, prouti superius explicatum est, ita duplex distinguitur superfluitas. Etenim bona fortunæ alia sunt *superflua vitæ* seu *naturæ*, quia sine illis possunt aliqui, iique quorum curam habent, esse vel vivere; alia *superflua statui* seu *decentiæ*, cum illis non indigent aliqui, iique quorum curam habent ad honeste vel decenter vivendum secundum statum suum, v. gr., sustentando famulos, recipiendo hospites, et convivia de more instaurando.—Cf. S. Thom. in 4. dist. 15 q. 2. art. 4. q. 1.—2-2. q. 72. art. 5.—Baller. not. (a) p. 194.

176. Ut autem practice hanc doctrinam applices, attendendum est ad sequentes regulas:

Regula I. In *extrema necessitate* proximo succurrendum est *etiam* et *tantum* ex bonis *statui necessariis: etiam* quidem, quia rectus cari-

tatis ordo exigit ut vita proximi prævaleat bono nostro longe inferiori; *tantum* autem quia, vita nostra melior est vita proximi.

Regula II. In *gravi necessitate*, quæ ad extremam accedit, succurrendum est proximo *ex bonis aliquo modo statui necessariis*, seu cum modico sui status detrimento. In ea vero quæ tanta non est, satis est ut ei succurratur ex bonis quæ statui seu decentiæ superflua sunt.—Cf. Viva, in prop. 12. ab Innoc. XI. damn. n. 8.—S. Alphons. n. 31.

Regula III. In *communi necessitate*, licet nulla sit obligatio dandi eleemosynam huic aut alteri in particulari, attamen, ex communi Doctorum sententia, a peccato excusari non posset, qui bona etiam statui superflua habens, nullam unquam eleemosynam largiri vellet.—Cf. Suarez, disp. 7. sect. 3. n. 7.

177. ***Quæsita.***—Quær. 1°. *An sub gravi obliget præceptum eleemosynæ?*

Resp. Præceptum dandi eleemosynam per se quidem grave est, sicut præceptum ipsum caritatis; at dicendum non est ipsum sub gravi semper urgere in omni necessitate. In *extrema* quidem et in *gravi* quæ ad extremam accedit, aut in eam mox verti possit, communiter docetur urgere sub gravi. Verum controvertitur apud Doctores non solum utrum detur obligatio gravis dandi eleemosynam alicui pauperi in particulari eam petenti dum in necessitate simpliciter gravi laborat, sed etiam num quis sub gravi teneatur ad pauperes in genere sublevandos qui in necessitate communi sunt.—Cf. Baller. not. (b) p. 194. not.(a) p. 195. et not. (a) p. 196.

Quær. 2°. *Quænam quantitas bonorum sit pauperibus danda?*

Resp. In necessitate *extrema*, vel ita *gravi* ut extrema facile evadere possit, dandum est quantum sufficit hic et nunc ad levandam hanc necessitatem, nisi sint alii qui ipsi subvenire velint. Nemo tamen tenetur magnam pecuniæ summam erogare ad pauperem a periculo mortis liberandum, vel ad remedia extraordinaria et magni pretii ei procuranda. In necessitate vero communi, quantitas determinata assignari nequit, sed *probabilius* sufficere videtur erogare quinquagesimam partem eorum quæ statui supersunt.—Cf. S. Alphons. n. 31. et 32., et *Hom. Ap.* n. 19.

PUNCTUM II.

De correctione fraterna.

178. Correctio fraterna, aut potius *correptio*, est admonitio fratris de emendatione delictorum fraterna caritate procedens.—Dixi 1°. *potius correptio*, quia emendatio fratris procuratur non per timorem *tristis*, sed per odium et timorem *turpis*.—Dixi 2°. *fraterna*, quia etiam cum fit a prælato, fit extra prælationis ordinem.—Dixi 3°. *delictorum*, et non *peccatorum*, quia magis et proprie respicit omissionem quæ est in transgressione, quam transgressionis perversitatem.—Cf. S. Thom. 4. dist. 19. q. 2. art. 1.—Baller. not. (a) p. 200.

179. ***Dico*** 1°. Datur verum præceptum fraternæ correctionis. Constat tum ex lege caritatis, qua ad proximi mala submovenda obligamur, tum ex Scriptura sacra, v. gr., Eccli. xix. 14: "Corripe proximum ... ne forte iteret;" et Matth. xviii. 15: "Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum."

Dico 2°. Ad strictam hujus præcepti obligationem requiritur; 1°. ut certo constet de proximi transgressione seu delicto; 2°. ut affulgeat spes aliqua, imo major probabilitas emendationis; 3°. ut non sit alius æque idoneus, qui correpturus credatur; 4°. ut correctio fieri possit absque gravi incommodo corripientis; 5°. ut necessaria judicetur ad delinquentis emendationem, nec spes saltem probabilis sit, eum sponte sua se emendaturum.—Cf. S. Alphons. n. 38. et seqq.

180. ***Quæsita.***—QUÆR. 1°. *An sub gravi obliget præceptum fraternæ correctionis?*

RESP. *Affirm.*, si adsint requisitæ conditiones, et agatur de materia gravi. Hinc peccare potest graviter, qui ex vano timore, ne proximus *aliquatenus* offendatur, vel ne ipse inde *leve* patiatur detrimentum, omittit correctionem in re gravi, ubi putat illam esse vere profuturam. Imo accidere quandoque potest ut in *ordinibus religiosis* detur obligatio gravis, quamvis, materia levis sit, quando nempe transgressiones veniales hujusmodi sint ut vigorem disciplinæ dissolvant aut etiam valde minuant.—Cf. S. Thom. 2-2. q. 33. art. 2.—S. Alphons. n. 37.—Baller. not. (b) p. 200.

QUÆR. 2°. *An præceptum correctionis locum habeat, ubi quis ex ignorantia peccat?*

RESP. *Affirm.*, si agatur de ignorantia vincibili, quia hæc non excusat a peccato. Si vero ignorantia sit invincibilis, non tam agitur de fraterna correctione, quam de *commonitione* qua proximus de veritate docetur. Porro in casu caritas multipliciter impellere potest, nempe; 1°. ob damnum tertii; 2°. ob damnum ipsiusmet ignorantis; 3°. ob scandalum; 4°. ob Dei honorem; 5°. ob religionis irreverentiam.—Quod si nullum damnum aut incommodum sequeretur, nulla fere aderit obligatio faciendi commonitionem, nisi quoad eos qui ex officio suo alios docere debent, inter quos est etiam confessarius. Docendi autem sunt tum quia ignorantia est malum ipsius ignorantis, tum quia alia incommoda profluere inde possunt et solent.

QUÆR. 3°. *Qualis ordo servandus sit in correctione fraterna?*

RESP. Servandus est ordo a Christo ipso assignatus, nisi circumstantiæ aliud suadeant. Hinc 1°. corripe secreto; 2°. coram testibus, si prior admonitio non sufficiat; 3°. rem deferas ad superiorem—Aliquando ordo ille inverti potest et debet, scilicet; 1°. si peccatum sit publicum vel mox publicandum; 2°. si sit graviter alteri noxium; 3°. si secreta admonitio non judicetur profutura; 4°. si præstet rem statim superiori manifestare; 5°. si delinquens cessit juri suo, ut fit in variis ordinibus religiosis.—Cf. S. Alphons. n. 40.

181. ***Resolves.***—1°. Correctio fraterna cum vera, etiam quoad modum, caritate facienda est; debet igitur esse paterna erga inferiores, benigna inter æquales, et reverentialis erga superiores.

2°. Privati inter se raro ad correctionem tenentur, *saltem sub gravi*, nisi sint familiariter inter se conjuncti; quia raro omnes requisitæ conditiones reperiuntur; rarius adhuc erga superiores.

3°. Plerumque suadet prudentia, ut omittatur correctio erga eos quorum indoles est penitus ignota, ne iniquo animo correctionem accipientes fiant deteriores.

4°. Scrupulosi ordinarie excusantur a fraternæ correctionis officio; quia aut nimium ea defatigantur, aut ad eam prorsus inepti sunt; scrupulis enim et anxietatibus perturbati, necessaria discretione ad corrigendum carent, et ad causas excusantes attendere non valent.

5°. In communitatibus sub regula viventibus, in collegiis, seminariis,

etc., plerumque expedit ut correctio fiat via denuntiationis ad superiorem aut per se, aut per alium; nec possunt absolvi sodales aut convictores in ejusmodi denuntiationem non consentientes, ubi de gravi damno communitatis agitur. Item, de jure naturali, denuntiandi sunt superioribus ecclesiasticis sacerdotes corruptores, qui magnum fidelibus spirituale damnum inferunt, vel illaturi prævidentur.

6°. Sedulo tamen distinguenda est denuntiatio quæ fit superiori uti *patri* et quæ *evangelica* dicitur, ab altera quæ ei fit uti *judici*, et appellatur *judicialis*. Prima quæ proprie pertinet ad fraternam correctionem, respicit bonum denuntiati; altera tendit ad bonum aliorum, præsertim commune, vel ipsius denuntiantis.—Porro ubi denuntiatio superiori fiat mere ut *patri* nullatenus ipse potest ut *judex* procedere. —Cf. Baller. not. (b) p. 203.

§ III. De vitiis caritati proximi oppositis.

Præcipua sunt odium, invidia, rixæ, scandalum, et cooperatio peccatis alienis. De duobus posterioribus tantum dicemus, cum de aliis jam actum sit superius, vel in quinto Decalogi præcepto sit dicendum.

Punctum I.

De scandalo sive in genere sive in particulari.

182. Scandalum est dictum vel factum minus rectum, præbens alicui occasionem ruinæ spiritualis.—Dixi 1°. *dictum* vel *factum*, quo nomine etiam omissio intelligitur.—Dixi 2°. *minus rectum*, id est quod vel in se malum est, vel habet speciem mali.—Dixi 3°. *præbens occasionem*, quia causa proprie peccati est voluntas agentis.—Dixi 4°. *ruinæ spiritualis*, quæ potest esse gravis vel levis: hoc enim nomine intelligitur peccatum vel mortale, vel veniale.—Cf. S. Thom. 2–2. q. 43. art. 1., et *de Verit.* q. 15. art. 1.

Scandalum dividitur; 1°. in *directum* et *indirectum*, prout actio mala alterius intenditur in se, vel in causa tantum qua proximus ad peccatum incitatur; 2°. in *activum* et *passivum*, prout consideratur ipsum dictum aut factum quod incitamentum aut occasionem præbet peccati, vel potius ipsum incitamentum jam sumptum.

183. Duo autem sunt hic animadvertenda:

1°. Scandalum directum dici etiam *diabolicum*, quando intenditur formaliter ruina spiritualis proximi. Si vero non intenditur spiritualis ruina alterius, sed solum propriæ voluntatis utilitas vel oblectatio, dicitur *simpliciter directum.*

2°. Scandalum quodcumque posse esse *activum* seu *datum*, quin sit *passivum* seu *acceptum;* quia poni potest actio apta per se ad scandalum, quin inde proximus occasionem accipiat ruinæ spiritualis. Et vice versa potest esse *acceptum*, quin sit *datum;* sed in isto casu scandalum non proprie tribuendum est alterius actioni, sed potius ignorantiæ, imaginationi, aut etiam malitiæ illius qui scandalum patitur, vel sine fundamento admittit. Si ex infirmitate vel ignorantia suscipiatur, dicitur scandalum *pusillorum;* si vero ex mera subjecti malitia proveniat vocatur *pharisaicum.*—Cf. S. Alphons. n. 43.

184. ***Dico*** 1°. Scandalum, etiam indirectum, est peccatum grave ex genere suo, quia ex genere suo opponitur, *per commissionem*, caritati cum directe opponatur correctioni fraternæ : siquidem hæc proximum a peccato trahit, illud e contra eum trahit ad peccandum. Quare præter malitiam propriam actionis, quæ dicitur scandalosa, habetur malitia specifica scandali, qua læditur caritas.—Cf. S. Thom. 2-2. q. 43. art. 3.

Dico 2°. Scandalum *pusillorum* seu infirmorum vitandum est, quoties fieri potest sine gravi incommodo, tum operis indifferentis, tum etiam operis boni non præcepti omissione. Ratio est, quia ex caritate ruinam proximi ope nostra indigentis impedire tenemur cum facile possumus, v. gr., abstinendo ab actione non valde utili, aut eam differendo, vel nostram agendi rationem exponenod, etc.; atqui *pusilli* ope indigent, cum propter ignorantiam aut infirmitatem versentur in quadam necessitate spirituali. Ergo., etc. :—Bene autem observat S. Thomas scandalum pusillorum post monitionem fieri plerumque pharisaicum.—Cf. S. Thom. 2-2. q. cit. art. 7.

Dico 3°. Scandalum *pharisaicum* seu *malitiosum*, saltem *ordinarie*, nec omissione operis boni, nec omissione operis etiam indifferentis, mali speciem non habentis, est necessario vitandum. Ratio est quia scandalum patientes ex sola sua malitia, non sunt in necessitate a qua non possint se facile liberare sine ope alterius, et alioquin daretur locus iniquis impediendi bona opera cum vellent.

185. ***Quæsita.***—QUÆR. 1°. *An in scandalo detur non solum*

peccatum contra caritatem, sed etiam contra virtutem ad quam violandam proximus inducitur?

RESP. *Affirm.*, quoad scandalum *directum;* nam quælibet virtus specialiter vetat non solum ne violetur, sed etiam ne quis alium directe inducat ad eam violandam.—Quoad scandalum autem *indirectum* valde disputatur, sed probabilis videtur sententia negans quam defendit Lugo cum aliis. Ratio est, tum quia virtutes nos non obligant ut impediamus in aliis vitia opposita, sed tantum ne positive et directe inducamus proximum ad eas violandas; tum quia secus qui exemplo suo movet alium ad furandum, teneretur ad restitutionem, quod Doctores communissime negant. In hac sententia sufficit, ut pœnitens exprimat generatim peccatum scandali, quin teneatur addere speciem peccati ad quod alii fuerint *indirecte* inducti. Multo minus necesse est exprimere circumstantias quæ aliorum peccatis forte speciem superaddant, v. gr., num qui ad luxuriam turpiloquio inducuntur conjugati sint vel voto adstricti, etc.—Cf. Lugo, *de Pœnit.* disp. 16. n. 159.—Baller. not. (b) p. 207.

QUÆR. 2°. *An præcepta sint quandoque omittenda propter scandalum pusillorum?*

RESP. *Neg.*, quoad præcepta juris naturalis negativa, quia hæc *semper* et *pro semper* obligant, atque opera illis contraria sunt intrinsece mala. Affirmativa autem, quia hæc non obligant *pro semper*, omittere interdum licet, imo et opus est, v. gr., præceptum corrigendi peccatores, si gravior inde ruina timenda sit: vel potius dicendum est, tunc ipsam legem cessare.—Quoad præcepta positiva humana, controvertitur. Sententia probabilior affirmat, secluso incommodo gravi, quia præceptum vitandi scandalum proximi, utpote naturale, positivis præceptis præferendum est. Hinc mulier sciens se turpiter esse concupiscendam ab aliquo, si ad Missam præceptam pergat, tenetur eam omittere semel aut iterum, si spes adsit ut deinde scandalum cesset: non tamen pluries, ob grave incommodum quod inde consequeretur. Verum quia sententia negans est etiam probabilis, non debet imponi onus de quo certo non constat.—Cf. S. Alphons. n. 51.—Baller. not. (a) et (b) p. 206.

QUÆR. 3°. *An tenearis dimittere bona temporalia ad scandalum evitandum?*

RESP. *Neg.*, ordinarie loquendo, quia caritas erga proximum non obligat cum tanto incommodo. Hinc non teneris solvere plus æquo operario vel rhedario, licet prævideas illum secus esse blasphematurum: incommodum enim illud, licet leve in se, sæpius occurrere potest, et sic grave faciliter evadit; quin imo posset sæpius id esse incitamentum ad blasphemandum.—Cf. S. Alphons. n. 52.

QUÆR. 4°. *An peccans cum complice declarare debeat in confessione circumstantiam sollicitationis?*

RESP. *Neg.*, probabilius, dummodo vel ex natura peccati, vel ex modo quo peccatum accusatur, confessarius sufficienter intelligat aliquem adfuisse complicem. Ratio est, quia per simplicem communionem criminis efficitur ut mutuum fuerit scandalum, et quidem ex utraque parte activum, inter sollicitantem et consentientem, ac proinde, illa declarata, declaratur etiam scandali peccatum. Quod autem unus ex complicibus prior altero causam scandali posuerit, circumstantia est mere aggravans, quæ non mutat peccati speciem.—Cf. S. Alphons. n. 46.

QUÆR. 5°. *An liceat suadere minus malum alicui ad majus determinato?*

RESP. *Affirm.*, probabilius cum S. Alphonso. Quidam tamen limitant, si minus malum contineatur aliquo modo in majori, ut percussio in homicidio, etc.: quæ tamen limitatio S. Doctori necessaria non videtur. Quidam alii theologi ut v. gr., Card. de Lugo, aliam ponunt limitationem, modo nempe, volenti majus damnum uni inferre, non suadeas minus inferendum alteri. Sed hanc etiam limitationem alii negant requiri.—Ratio autem solutionis est, quia hoc genus consilii eo tendit formaliter ne committatur majus peccatum, ex quo fit, ut is a quo latro furatur quod minus est, non sit rationabiliter invitus de eo qui consilium præbuit.—Cf. Vasquez, *Opuscul. de scand.* art. 1. dub. 2. n. 14.—Baller. not. (b) p. 208.

QUÆR. 6°. *An liceat occasionem peccandi permittere, ut reus corrigatur?*

RESP. *Affirm.*, quia permittere non est inducere, et sæpe adest ratio sufficiens peccatum permittendi. Hinc a peccato sunt excusandi *per se* parentes et domini qui filios vel famulos peccare sinunt, ut oportunum eos corrigendi locum inveniant. Imo licet etiam, saltem probabi-

liter, occasionem peccati apponere, dummodo actus sit indifferens, et adsit causa justa ad illum ponendum. Hinc a peccato excusari debet dominus qui, de industria, arcæ in qua pecunia reconditur, clavem relinquit appositam, ut dubiam famuli fidelitatem experiatur; sed nullo modo excusari potest pater qui domi retinet meretricem ut de filii castitate sumat experimentum.—Cf. S. Alphons. n. 58.

Ex doctrina huc usque tradita jam possent omnes casus de scandalo solvi, sed propter speciales difficultates utile erit aliquid dicere in particulari circa luxuriam, pravos libros, choreas, et spectacula.

186. **Circa luxuriam.**—Gravissimum profecto scandalum est ea facere, repræsentare, aut præ se ferre, quæ ad libidinem notabiliter provocant; quia nullum venenum subtilius animæ propinari potest. Hinc gravissimi scandali rei sunt; 1°. qui turpia in comœdiis aliisve cœtibus repræsentant; 2°. qui cantilenas aut carmina turpia componunt vel canunt; 3°. qui statuas aut imagines obscœnas faciunt vel exponunt; 4°. qui discipulos sibi commissos pravis exemplis seducunt, etc. Præsertim vero attendendum est ad sequentia.

187. ***Quæsita.***—Quær. 1°. *An peccet graviter fœmina nuditates præseferens in pectore et brachiis?*

Resp. *Affirm.*, si nudatio sit immoderata, seu valde notabilis, non obstante quacumque contraria consuetudine. Si autem non sit ita immoderata, consuetudo facile a peccato gravi excusabit, quia notabiliter vim concupiscentiæ minuit, cum assueta minus phantasiam excitent.—Cf. S. Alphons. n. 55.

Quær. 2°. *Quid dicendum de mulierum ornatu ac fucis?*

Resp. Doctrina S. Thomæ hac de re ad sequentia capita revocatur: 1°. mortaliter peccant mulieres si se ornent animo provocandi ad libidinem; 2°. venialiter autem, si mere ex vanitate, levitate aut jactantia hoc faciant; 3°. culpa tantum venialis est ex genere suo ornatum superfluum gerere; 4°. nullum per se est peccatum, si consuetudo patriæ, et status conditio servetur; 5°. licite mulieres aliquid ornamenti superaddunt, ut placeant viris vel quos habent, vel quos accipere debent; 6°. fucationes erunt mortale si adhibeantur ad lasciviam; veniale si mere ad fingendam pulchritudinem, nullum vero, si ad defectum ali-

quem occultandum.—Cf. S. Thom. 2-2. q. 169. art. 1. et 2., et *Comm. in Isai.* cap. 4.—Baller. not. (a) p. 210.

QUÆR. 3°. *An liceat domum locare meretricibus?*

RESP. *Affirm.*, probabiliter, maxime si alii desint locatarii, aut meretricibus facile sit aliam domum obtinere. Excipe tamen si meretrices graviter noceant vicinis honestis, vel ob situm domicilii majorem ansam ad peccandum præbeant.—Cf. S. Alphons. n. 70.

188. **Circa pravos libros.**—Ex omni scandalorum genere nullum magis execrandum est, quam quod ex impiis et obscœnis libris procreatur. Hæc est pestis omnium maxime dira, quia non unam tantum regionem aut ætatem inficit, sed ad universa loca et tempora diffunditur. Nunquam igitur permittenda est lectio, impressio et divulgatio librorum fidei et moribus omnino adversantium, etiam independenter a positiva prohibitione de qua sermo erit in tractatu de censuris.—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. Tit. 11.

189. ***Quæsita.***—QUÆR. 1°. *An typis committi possint libri qui partim boni, partim sint mali?*

RESP. *Neg.*, generatim loquendo, nisi accurate expurgati fuerint; secus tamen, si periculum ex iis reformidandum non adeo grave sit, et hoc compensari magna utilitate ex iis capienda videatur. Typographi vero sedulo a doctis peritisque viris, ab ecclesiasticis præsertim superioribus, exquirant quid in dubiis agendum sit.

QUÆR. 2°. *An pravi libri interdum vendi possint?*

RESP. Nullo modo indiscriminatim vendi possunt, cuilibet scilicet emptori, ut patet. Quandoque tamen vendi possunt viris prudentibus ac doctis, qui hujusmodi libros utiliter legere possunt, v. gr., ad eos confutandos, etc. Excipe libros prorsus obscœnos, qui radicitus sunt extirpandi. Idem, servata proportione, dicendum de donatione aut locatione eorundem librorum.

QUÆR. 3°. *An ejusmodi libri domino qui eos locaverit reddi possint?*

RESP. *Neg.*, nisi prudens timor cujuspiam gravis incommodi aliter suadeat. Hoc ex principiis supra traditis, sua sponte defluit. Grave autem incommodum censendum est, si graves rixas, blasphemias, odia, aliaque ejusmodi a domino pertimescas. Levis contristatio, vel etiam timor dissolvendæ amicitiæ non censeretur sane ratio, saltem plerumque, pravos libros amico reddendi.

190. **Circa choreas.**—Choreæ *per se* non sunt illicitæ si fiant honesto modo, id est romoto omni tactu, gestu, aut actu impudico; nam choreæ *per se* sunt actus lætitiæ, nec ulla lege prohibentur. Verum ratione nuditatum, modi saltandi, verborum, gestuum, cantorum, possunt choreæ evadere graviter illicitæ. Ad factum autem quod spectat inter graviter illicitas a nonnullis recensentur saltationes recentiores quæ apud nos dicuntur *round dances.*—At quoniam, secluso semper casu specialis prohibitionis, malitia harum chorearum non consistit nisi in periculo, quod est essentialiter relativum, ac proinde diversum pro diversis personis, confessarii erit judicare de casibus particularibus.—Cf. S. Alphons. *de sexto præc. Decal.* n. 429.

191. ***Resolves.***—1°. Qui ita infirmi sunt, ut grave peccandi periculum subeant in saltationibus etiam honestis, ab iis sub peccato mortali abstinere debent; nisi forte aliquando quædam necessitas urgeat, et tunc, saltem probabiliter, absit proximum consensus periculum.

2°. Interesse choreis honestis, etiam absque necessitate, secluso tamen periculo ac notabili scandalo, et in eis decenter saltare, non solum non est mortale, sed facile etiam omni peccato vacare potest. Inveniuntur enim aliquando viri, et non raro mulieres, quibus nullum aut valde remotum periculum imminet. Hi autem quamvis a saltationibus dissuadendi sint, tamen imprudenter omnino ab illis promissio vitandi choreas exigeretur.

3°. Ad legitimandam praxim eorum confessariorum qui *indiscriminatim* absolutionem denegant iis omnibus qui choreas ducunt apud nos vulgo dictas *round dances,* non valet dicere istas choreas damnatas fuisse a Patribus Baltimorensibus. Etenim Patres Baltimorenses cum in *Litteris Pastoralibus* prædictas choreas nominant, non præceptum imponunt sed solum *monitum* præbent. Cum vero *Decreto* 472 severius loquuntur, non solum nullam mentionem faciunt de istis choreis in particulari sed neque præceptum fidelibus omnibus imponunt, et tantum exigunt ut Pastores animarum " choreas immodestas insectentur ac prorsus damnent."—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. n. 472., et *Litteras Past.* n. x.

4°. Generatim loquendo, non expedit publice in prædicatione choreas aliquas nominatim reprehendere, quia concionator nihil proficeret, imo

forte aliquos ad eas alliceret. Expedit potius *indirecte* agere in choreas, et *directe* in peccata quæ in iis committi solent.

5°. Generatim loquendo illicitæ sunt et prorsus damnandæ choreæ cum larvis (*masked balls*), quia experientia constat eas ad libidinem valde inclinare, ex eo quod supprimunt verecundiam quæ custos est decentiæ.

192. **Circa spectacula.**—De spectaculis idem fere tenendum ac de choreis, nempe *per se* illicita non esse, at mala evadere posse propter circumstantias. Ratio est, quia nulli legi nec naturali nec positivæ adversantur.—Cf. S. Thom. 2-2. q. 168. art. 3.

193. ***Resolves***—1°. Non peccat mortaliter qui, præciso scandalo, interest comœdiæ non graviter turpi, nisi forte experientia sciat se hujusmodi ludis vehementer ad libidinem cum proximo consensus periculo commoveri, adeo ut spectaculum sit ipsi proxima peccandi occasio.—Cf. S. Alphons. *de sexto præc. Decal.* n. 427.

2°. Si in comœdiis repræsentarentur res notabiliter turpes, aut turpi modo, mortale quidem esset illas spectare ob delectationem consurgentem ex ipsis rebus turpibus; veniale autem ob curiositatem tantum aut ob vanum solatium, secluso tamen periculo consensus in turpem delectationem, quod facile aderit in adolescentibus, vel in aliis parum timoratæ conscientiæ, et nisi adsit scandalum; quod plane adesset, si comœdiis turpibus interessent Clerici aut Religiosi.—Cf. S. Alphons. ibid., et *Hom. Ap.* tract. 9. n. 10.

3°. Merito propter scandalum aliorum damnantur de mortali tum ii qui pecunia aut plausu cooperantur ad comœdias notabiliter turpes, tum ii quoque qui eas impedire tenentur, et, cum commode possint, non impediunt; a *fortiori* autem qui illas repræsentant.—Cf. S. Alphons. ibid.

PUNCTUM II.

De cooperatione sive in genere, sive in particulari.

194. Cooperatio in genere est concursus cum alio principaliter agente. Prout autem caritati adversari potest, est participatio quædam ad actionem pravam alterius. Multipliciter distinguitur cooperatio; est enim: 1°. *immediata*, vel *mediata*, prout cooperans agit cum peccante in ipso actu peccati, vel ponit alias actiones cum peccato alterius connexi-

onem aliquam habentes; 2°. *proxima*, vel *remota*, prout actio cooperantis propius vel remotius cum prava alterius actione connectitur; 3°. *positiva*, vel *negativa*, prout cooperans vel ponit aliquam actionem in peccatum alterius influentem, v. gr., eum adjuvando, vel omittit actum debitum, v. gr., si non obstet, cum obstare deberet; 4°. *formalis*, vel *materialis*: prima concurrit ad malam voluntatem alterius, et participat de ejus actione mala, quatenus mala est; altera concurrit tantum ad actionem prout est quid physicum et indifferens, abstrahendo a fine et malitia principalis agentis.

Cooperatio fit præcipue novem modis, scilicet jubendo, consulendo, consentiendo, laudando, recursum præbendo, participando in actione vel emolumento, silendo, non obstando, non manifestando. Hinc versiculi:

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

195. ***Principium.***—Cooperatio formalis nunquam licita est; materialis vero potest evadere licita, si adsit causa justa et proportionata gravitati peccati alterius, et proximitati concursus ad peccati exsecutionem. Ratio *primi* desumitur ex ipsa definitione cooperationis formalis. Ratio autem *secundi* est, quia cum materialiter tantum cooperaris, non contrahis malitiam ipsius actionis, nam hæc supponitur bona aut indifferens, neque peccas vi cujuscumque pravæ intentionis, quia hæc abesse omnino debet; neque tandem reus evadis vi peccati alterius, quia si ille voluerit tua cooperatione abuti ad peccatum exequendum, non teneris nisi ex caritate illud impedire, et quoniam caritas non obligat cum gravi incommodo, ideo, interveniente causa justa et proportionata, ab omni peccato excusaris.—Cf. S. Alphons. n. 63.

Ex applicatione istius principii colligi debent solutiones omnes de cooperatione. Hæc autem applicatio, si speculative consideretur, facilis apparet, sed practice loquendo, nihil est in tota theologia morali difficilius. Nam sæpe vix determinari potest utrum cooperatio formalis sit an materialis, quod quidem semper esset primo loco determinandum. Deinde, posito quod cognoscatur cooperationem in aliquo casu esse tantum materialem, non inde sequitur eam esse de facto licitam, sed

solum posse esse licitam, si locum habeant prædictæ requisitæ conditiones. Porro verificatio istarum conditionum non ex physico quodam discerniculo aut statera cognosci potest, sed ex regulis prudentiæ et discretionis, quarum applicatio difficilis semper fuit. Quare plures solutiones particulares hic subjungimus, ut exemplo esse possint ad alias similes obtinendas. Igitur:

196. **Quoad famulos.**—QUÆR. 1°. *An liceat famulo vinum ad mensam afferre quo herus et convivæ inebrientur, vel carnes parare et ministrare diebus abstinentiæ?*

RESP. *Affirm.*, probabilius ad utrumque; tum quia difficile est prævidere excessum in potu, vel *certo* scire nullam haberi rationem aut dispensationem ad carnes manducandas; tum quia vix posset famulus ista et alia hujusmodi servitia recusare, quin simul quemcumque famulatum, apud nos saltem, recusare teneretur, quod certe grave importat incommodum.—Cf. S. Alphons. n. 68. et 69.—Kenrick, n. 137.

QUÆR. 2°. *An unquam liceat famulo subjicere humeros vel deferre scalam hero ascendenti ad fornicandum, vi aperire januam, et similia?*

RESP. *Affirm.*, probabilius, quia hæ actiones sunt per se indifferentes, saltem relate ad fornicationem, et tota malitia se tenet ex parte domini illas exigentis.—Verum sola ratio famulatus, vel metus cujuscumque notabilis detrimenti non sufficit ad excusandum, sed requiritur metus mortis, mutilationis, aut similis gravissimi damni. Ratio desumitur non solum ex damnatione propositionis statim citandæ, sed etiam ex propinquitate influxus quem cooperatio habet in peccatum.—Cf. S. Alphons. n. 66. et 68.—Kenrick, n. 141.

QUÆR. 3°. *An possit ancilla ostium domus meretrici aperire?*

RESP. Communius affirmant Doctores, et plerique eam excusant sola ratione famulatus, non autem quando desit alius qui aperiret.—Alii autem theologi contendunt, nunquam licere ostium meretrici aperire, et innituntur prop. sequenti quæ est 51. ab Innoc. XI. damnata: "Famulus qui, submissis humeris, scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, et multoties ei subservit, deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur."—Sed hæc verba *aperiendo januam* intelligi manifesto debent de

aperienda per vim aliena domo, ut ex contextu patet.—Cf. Viva in hanc prop.—S. Alphons. n. 66.—Kenrick, n. 140.

QUÆR. 4°. *An posset famulus ratione famulatus sternere equum homini ad peccandum profecturi, vel eum comitari?*

RESP. *Affirm.*, probabiliter si famulus tantum equum sternat, quia in hoc non videtur magis peccato domini cooperari, quam si ipsi domo egressuro calceamenta aut pileum porrigat. Sed juxta S. Alphonsum non permittendum ipsi foret comitari herum ad locum ubi peccatum est patrandum, nisi grave aliquod damnum incurrere debeat.—Verum non desunt graves theologi qui requirunt utique grave aliud damnum in casu, quo dominus sine famulo ad peccandum non iret, quia tunc cooperatio esset magis necessaria ac proinde proximior; sed si alius famulus non deesset, vel dominus æque pergeret absque famulo, tunc docent sufficere solam rationem famulatus ad eum comitandum.—Omnes tamen excipiunt casum, quo dominus animosior redderetur ad peccandum, famulo comitante, quia tunc cooperatio esset formalis, quæ nunquam licita est.

Hanc solutionem alteri simili casui applicantes, dici potest licere aurigæ aliquem ad lupanar vehere sola ratione famulatus, vel acceptæ mercedis, cum, eo recusante, alius non deesset auriga. Formaliter tamen videtur cooperari qui ignarum ubi sit prostibulum, eo duceret, vel suam operam præstaret ad eum occultius securiusque vehendum.—Cf. S. Alphons. n. 64.—Kenrick, n. 137.—Baller. not. (b) p. 218.—*Revue des sciences eccles.* vol. 9. p. 161.

QUÆR. 5°. *An liceat famulo scribere vel transmittere litteras ad turpia concitantes, aut munera ad meretricem deferre?*

RESP. Nunquam quidem licere videtur hujusmodi litteras scribere, vel transmittere, cum cognoscitur quid contineant, quia turpitudines proferre, aut alteri suggerere est intrinsece malum.—Verum si in istis litteris dicitur tantum ut meretrix expectet tali loco, veniat domum tali hora, aut aliud hujusmodi, tunc malitia se tenet tantum ex parte agentis, ac proinde cooperatio esset solum materialis, quæ, posita proportionata causa, excusari potest. Idem dicendum de transmissione munerum quæ mala non est nisi ex domini intentione et fine. Ita explicandum videtur quod a diversis diversimode docetur de famulo litteras *ama-*

torias aut *munera* deferente.—Cf. Baller. not. (a) p. 219. et not. (a) p. 220.—*Revue des sciences eccles.* loc. cit. p. 158. et seqq.

197. **Quoad operarios.**—QUÆR. 1°. *An liceat operariis ædificare templa hæreticorum?*

RESP. *Neg.*, si hoc postuletur ab hæreticis in odium religionis: secus autem in alia hypothesi, quando justa causa urgeat, secluso tamen scandalo quod, apud nos, vix locum habet.

QUÆR. 2°. *An liceat conficere statuas falsorum deorum?*

RESP. *Affirm.*, si hæc non debeant adhiberi ad falsum cultum, sed ad ornamentum platearum, ædificiorum, etc.: secus autem si sint pagano tradendæ.—Cf. S. Alphons. n. 69.

QUÆR. 3°. *An liceat aliquando pravis libris edendis cooperari?*

RESP. Licet gravi de causa cooperari mediate, seu remote, v. gr., atramentum vel chartam præparare aut libros impressos ordinare.—At immediate cooperari impressioni talium librorum, v. gr., typos ordinare, impressionem dirigere etc., generatim loquendo, licitum non videtur. Dixi *generatim loquendo*, quia in casu gravissimi detrimenti, ad breve tempus tale quidpiam materialiter præstari posse indicat Layman, *de Caritate*, cap. 13. n. 5.

QUÆR. 4°. *Quid dicendum de cooperatione scribarum apud mensarios?*

RESP. Hæc habet Kenrick; "Scribæ apud mensarios non tenentur ad judicandum de eorum agendi ratione utrum justa sit; nec censentur efficaciter concurrere ad fraudem, si forsan adsit, cum nudum præstent ministerium juxta definitas regulas. Secus dicendum si ipsi aliis persuaderent chirographa vendere pretio injusto: vel si rationes falso componant ad fraudem."—Cf. Kenrick, n. 154.

198. **Quoad mercatores.**—QUÆR. 1°. *An liceat mercatoribus vendere aleas, gladios, fucos, mulierum ornamenta etc., cum futurus abusus prævidetur?*

RESP. *Affirm.*, quia hujusmodi venditio per se mala non est, cum res illæ indifferentes sint, et possint ad bonum usum converti. Unica igitur ratio dubitandi desumitur ex prævisio peccato emptoris ad quod impediendum caritas te obligat. At caritas non obligat cum gravi incommodo, et hoc facile adesse posset, præsertim apud nos, si mercatores suspicantes, aut etiam certo prævidentes futurum abusum, recusa-

rent vendere alicui in particulari merces omnibus expositas, et per se indifferentes.—Cf. S. Alphons. n. 71.—Baller. not. (a) p. 223.

QUÆR. 2°. *An liceat vendere venenum?*

RESP. *Neg.*, nisi moraliter constet emptorem illo bene usurum, v. gr., ad confectionem medicinæ etc., quia maxima sequeretur pernicies generis humani, si hoc promiscue liceret. A fortiori autem non licet vendere ea instrumenta (*male protectors*) quæ hodie frequenter adhibentur ad liberius peccandum.—Cf. Vogler, n. 315. et 316.

199. **Quoad caupones.**—QUÆR. 1°. *An liceat cauponibus dare liquores iis qui prævidentur se inebriaturi?*

RESP. Non licet sine gravi ratione, ut patet. Licet autem ob metum gravis alicujus damni, v. gr., sævitiarum, rixarum, etc...; quia caritas non obligat ut alterum a peccato avertamus cum gravi incommodo. Item ad præcavendas blasphemias, quæ sunt graviora mala.—Cf. S. Alphons. n. 69.—*Conc. Plen. Balt.* II. n. 469.

QUÆR. 2°. *Quomodo agendum cum cauponibus qui choreas in ædibus admittunt, ut plures alliciant hospites?*

RESP. Generatim ab hoc avertendi sunt, in quantum fieri potest; quia choreæ, præsertim quæ in cauponis habentur, plerumque minus honeste fiunt, et multis peccatis occasionem præbent. Attamen non semper iis neganda esset absolutio, sed spectandæ sunt circumstantiæ et modus ordinarius quo istæ choreæ fiunt.

QUÆR. 3°. *An liceat dominis hospitiorum quævis folia publica hospitibus legenda proponere?*

RESP. Non possunt admittere ea quæ evidenter et ordinarie sunt religioni et bonis moribus adversa, etiamsi hospites ad ipsos confluere propterea desinant. Possunt tamen admittere ea omnia quæ de rebus mere politicis tractant. Nec videntur teneri ad rejiciendum folium aliquod, eo quod interdum aliquid minus rectum contra fidem contineat, modo generatim religioni non adversetur.

TRACTATUS

DE PRAECEPTIS DECALOGI

DE PRIMO DECALOGI PRÆCEPTO.

Ego sum Dominus Deus tuus...; non habebis deos alienos.—Exod. xx. 2.

Hoc præceptum, qua affirmativum, præscribit in primis actus religionis, quibus Deo debitus cultus tribuitur; qua negativum, prohibet vitia religioni opposita.

CAPUT I.

DE ACTIBUS VIRTUTIS RELIGIONIS.

Actus præcipui religionis sunt adoràtio, oratio, sacrificium, votum, juramentum et sanctificatio quorumdam dierum. De tribus ultimis dicetur in 2°. et 3°. præcepto; de sacrificio autem in tractatu de Eucharistia. Hic igitur tantum de adoratione et oratione.

ARTICULUS I.

DE ADORATIONE.

Adoratio *latius* sumpta est actus quo quis propriam subjectionem alteri exhibet in testificationem ipsius excellentiæ; sic dicuntur aliquo modo adorari Principes et alii in dignitate constituti. At *strictius* adoratio est honor Deo exhibitus propter summam ejus excellentiam, supremumque dominium.

200. ***Dico.*** Datur verum præceptum adorandi Deum. Constat tum ex jure naturali, vi cujus obligamur ad agnoscendam summam Dei majestatem, et supremum ejus dominium in creaturas, tum ex jure divino positivo, quia dicitur, Matth. iv. 10: "Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies."—Ad praxim autem quod attinet, non sunt inquietandi circa adimpletionem hujus præcepti fideles qui præcepto orandi Deum, de quo inferius agetur, sufficienter satisfaciunt: siquidem impossibile prorsus est Deum orare, et ipsum non adorare.

201. Adorationi affinis est *cultus,* qui quatenus est habitualiter Deo

præstitus definiri potest: "complexus illorum actuum, quibus infinitam Dei excellentiam testamur, eidemque famulatum exhibemus."—Cf. Scav. lib. 2. tract. 5. n. 7.

Omissis quæ de necessitate et partitionibus cultus fuse traduntur in dogmatica theologia, hic aliqua subjicimus de cultu, reliquiis, et imaginibus Sanctorum, prout ad praxim facere possunt.

I. Cultus Sanctorum dicitur *dulia* seu veneratio, ad differentiam *latriæ* quæ est proprie *adoratio* et soli Deo debetur.—Dulia autem duplex est; alia *simpliciter talis*, et convenit tum Angelis tum Sanctis omnibus; alia vocatur *hyperdulia* et convenit tantum B. Mariæ Virgini.

II. Nemini licet eos qui e vita cesserunt cum fama sanctitatis alio nomine vocare quam *Servi Dei*, aut *publico cultu* prosequi antequam in album Beatorum vel Sanctorum a Summo Pontifice relati fuerint.

III. Ille cultus dicitur publicus qui non solum exhibetur nomine Ecclesiæ, sed etiam tanquam ab ea institutus, nempe sub ea forma qua ipsa uti solet, ut, ex. gr., Ecclesias aut altaria erigere in honorem alicujus, eum publice invocare in Litaniis, ejus reliquias, sive imagines publice venerandas exponere, aureolis adornare, vel in processionibus circumferre, itemque lampades appendere ad eorum sepulchra.—Has autem imagines vel reliquias privatim asservare, vel ex privata devotione reverenter osculari, etiam coram aliis, esset cultus privatus ac proinde licitus.

IV. Antequam titulus *Sancti*, vel *Beati*, aut etiam *Venerabilis* alicui decernatur, Ecclesia, hodie, maximas adhibet cautelas, quarum summa hæc est. Ordinarii locorum ubi Servus Dei vitam duxit, aut magna patravit ad Dei gloriam, congerunt documenta quibus ipsius sanctitas probetur. Hæc collectio, quæ dicitur *processus Ordinarii*, mittitur Romam, et si recipitur, jam Servus Dei potest vocari *Venerabilis*, et causa dicitur introducta, seu incipit *processus Apostolicus*. In hoc perficiendo diu multumque adlaboratur, in eum præcise finem ut constet tum de exercitio virtutum in gradu heroico, tum de duobus saltem miraculis. Hoc si constat, accedente consensu Pontificis supremi, decernitur titulus *Beati*, et simul jus eum publice colendi. Jus autem istud multis adhuc subjacet restrictionibus.—Quod si ulterius procedit causa, inquirendum est de duobus aliis miraculis, quibus probatis, si nihil aliunde obstet, locum habet *Canonizatio* qua auferuntur omnes

restrictiones appositæ.—Hic processus fit cum cultus non est exhibitus ab immemoriali, in qua hypothesi ejus forma immutanda est.—Cf. Ferraris, V. *Cultus Sanctorum.*

V. De reliquiis et imaginibus præstat ob oculos habere sequentia Decreta, et Responsa:

1°. Eliminandus abusus superimponendi Sanctorum reliquias piasque imagines tabernaculo, quo augustissimum Sacramentum asservatur; neque ante ostiolum tabernaculi servari eas licet etsi sit reliquia S. Crucis. S. R. C. 31. Martii 1821.; 6. Sept. 1845.; 12. Martii 1836.

2°. S. C. indulgentiis sacrisque reliquiis præposita, ad dubium "an praxis separandi reliquias sanctissimæ Crucis D. N. J. C. a reliquiis Sanctorum sit accurata et sequenda?" respondendum esse statuit: *affirmative.*—22. Feb. 1847.

3°. Insignes reliquiæ sunt corpus, caput, brachium, crus, aut illa pars corporis in qua passus est Martyr, modo sit integra et non parva, et legitime ab Ordinariis approbata, sed non os femoris; S. R. C. 8. Apr. 1628.; 12. Apr. 1823.—Spinæ de corona D. N. J. C. inter reliquias insignes computantur, et speciali nota ac cultu dignæ sunt.—S. R. C. 21. Jun. 1632.

4°. Sanctorum reliquiæ quando exponuntur, ultra lampadem debent continuo super altare ardere duo saltem lumina (non tamen nocte); alias non exponantur.—S. R. C. 22. Jan. 1701.

5°. Sub reliquia alicujus Sancti exposita publicæ venerationi inter candelabra, non debet adhiberi palla, ut fit in pluribus Ecclesiis.—S. R. C. 7. Apr. 1833.

6°. In benedictione cum reliquia S. Crucis non licet canere: *benedicat vos Omnipotens Deus, Pater*, etc.—S. R. C. 23. Maj. 1835.

7°. Post expositionem reliquiæ S. Crucis, vel post ejus delationem in processione, benedicendus est populus cum ipsa.—Si vero defertur reliquia Sanctorum, potest cum ea populus benedici; non tamen necessario debet.—S. R. C. 24. Jun. 1683. et 15. Sept. 1736.

8°. Beatorum reliquiæ in processionibus non circumferantur; possunt tamen in altari exponi.—S. R. C. 27. Sept. 1659.—Cf. Scav. vol. 4. p. 99,

ARTICULUS II.

DE ORATIONE.

Oratio *latius* sumpta est elevatio mentis ad Deum, seu quivis pius animæ affectus in Deum et in supernaturalia. Sensu autem *strictiori* est petitio decentium a Deo.—Cf. S. Thom. 2-2. q. 83. art. 1.

202. ***Dico*** 1°. Oratio est certo omnibus adultis necessaria necessitate præcepti, ut evincitur ex multis Scripturæ locis, v. gr., Matth. xiv. 38: "Vigilate et orate;" et Luc. xviii. 1: "Oportet semper orare et non deficere."—Insuper *juxta plures*, oratio est etiam necessaria necessitate medii, quia est medium ordinarium a Deo statutum ad gratias necessarias obtinendas.—Cf. S. Alphons. n. 1.

Dico 2°. Præceptum orandi obligat *frequenter*, ut patet ex citatis textibus, non tamen sine intermissione, quod humanæ imbecillitati impossibile est. Verba igitur, *oportet semper orare*, ex communi Doctorum interpretatione, significant frequenter orandum esse tempore opportuno, et nunquam cessandum ex tædio, torpore, animi dejectione; vel etiam actiones nostras generatim ad Deum esse dirigendas.

203. ***Quæsita.***—QUÆR. 1°. *Quandonam urgeat præceptum orationis?*

RESP. Certum est illud sæpe urgere *per accidens*, quoties nempe obtinendus est aliquis finis ad cujus assecutionem requiritur oratio tanquam medium. Certum est etiam præceptum orationis urgere *per se sæpius* in vita, seu, ut dictum est, *frequenter*; at quænam sit vis harum particularum nihil est apud Doctores incertius. In praxi tamen teneri potest sententia docens non esse damnandos de peccato gravi qui Deum orant saltem semel in anno, tum quia a S. Alphonso non improbatur, tum quia conformior est iis quæ diximus de actibus fidei, spei et caritatis. Cæterum confessarius, magis sollicitus esse debet in inculcanda frequentis orationis necessitate, quam in determinanda gravi omissæ orationis culpa.—Cf. Baller. not. (a) p. 228.

QUÆR. 2°. *An peccat, venialiter saltem, qui omittit preces matutinas aut vespertinas?*

RESP. *Neg.*, *per se*, quia nulla datur lex quæ determinatas preces singulis diebus et certis horis præcipiat.—Dixi *per se*, quia in praxi raro abest aliqua negligentiæ vel acediæ culpa.

CAPUT II.

DE VITIIS RELIGIONI OPPOSITIS.

ARTICULUS I.

DE SUPERSTITIONE.

Superstitio, juxta S. Thomam, est vitium religioni oppositum secundum excessum, non quia plus exhibeat in cultum divinum, quam vera religio, sed quia exhibet cultum divinum vel cui non debet, vel eo modo quo non debet. Quare duplex distinguenda est superstitio, alia ratione *modi*, et alia ratione *objecti*. Iterum ratione modi distinguitur prout cultus qui vero Deo præstatur est vel *falsus*, uti esset servare cæremonias veteris legis quæ Christum venturum significabant, vel *superfluus*, uti esset, v. g., audire Missam ante ortum solis cum certo numero, situ, ordine cereorum, vel sacerdotis qui habeat ætatem Christi morientis. Doctores tamen magis attendunt ad superstitionem ratione objecti, quæ multipliciter committi potest, ut patebit ex sequentibus.—Cf. S. Thom. 2–2. q. 92. art. 1.—S. Alphons. n. 3.

§ I. De idololatria.

204. Idololatria est actio qua, cultus soli Deo debitus, creaturæ tribuitur; id vero fit non tantum sacrificio, sed etiam quovis honoris signo quo quis creaturæ tamquam Deo se submittere intendit, v. gr., genuflexione.—Cf. S. Alphons. n. 12.

Duplex distinguitur idololatria; alia est *materialis*, et alia *formalis*. Prima est inculpabilis, et locum habet cum ex *omnimoda* ignorantia redditur alicui creaturæ honor divinus, v. gr., si sacerdos ex errore invincibili exhiberet adorandam hostiam non consecratam. Altera est vel *perfecta*, cum quis reputans animo idolum esse verum Deum, illud adorat; vel *imperfecta*, cum quis cognoscens certo idolum non mereri cultum, hunc tamen ei reddit ex odio erga Deum aut ex aliquo alio pravo fine; vel demum *simulata*, cum ex metu alicujus damni externum tantum quis exhibet cultum. Quamvis unaquæque ex his tribus sit gravissimum peccatum, omnium tamen pessima est idololatria imperfecta, quæ proinde a multis melius dicitur *malitiosa*.—Cf. Scav. lib. 2. tract. 5. n. 138.—Baller. not. (a) p. 231.

§ II. De vana observantia.

205. Vana observantia est superstitio, quæ media nec proportionata, nec a Deo instituta adhibet ad certum effectum obtinendum. Est autem triplicis generis, scilicet; 1°. ars *notoria*, seu ars acquirendi scientiam sine labore; 2°. ars *sanitatum*, seu ars sanandi variis signis vel rebus sacris; 3°. observantia *eventuum*, qua ex consideratione alicujus eventus fortuiti conjicit quis id quod faustum vel infaustum futurum sit, indeque actiones suas moderatur.—Cf. S. Alphons. n. 14.

206. ***Dico*** 1°. Vana observantia est peccatum grave, quia honorem divinum creaturæ tribuit, dum ab ea exspectat quod a solo Deo exspectandum est; et quia pacto implicito cum dæmone nititur. Veniale tamen sæpe esse potest ex imperfectione actus, ex simplicitate, ex ignorantia aliqua vel ex timiditate, ut evenit præsertim inter rudes in observantia eventuum.—Cf. S. Alphons. n. 15.

Dico 2°. Vana observantia dignoscitur præsertim; 1°. ex insufficientia causæ ad effectum naturaliter producendum; 2°. ex adjunctione vanæ vel falsæ circumstantiæ quasi necessario requisitæ; 3°. ex infallibilitate quæ tribuitur mediis nullo modo infallibilibus.—Hinc,

1°. Superstitionis rei sunt, qui gestant ligaturas quibusdam characteribus consignatas; qui certa invocant nomina ignota, aut certum adhibent numerum crucium vel orationum ad sananda vulnera, ad se invulnerabiles efficiendos, etc.

2°. Item qui gestant quasdam orationes ad *S. Birgittam* aut alias preces, effectum omnino infallibilem ex ipsis exspectantes.—Non tamen vituperandi sunt, imo admodum laudandi, qui numismata pia, sacras effigies aut reliquias Sanctorum gestant, sperantes auxilium divinum specialiter se impetraturos esse.

3°. Item rei sunt superstitionis, qui aliquos dies tanquam faustos, alios vero infaustos habent, ita ut actiones suas exinde dirigant, vel qui ad morbos expellendos requirunt herbas tali festo collectas, etc.

4°. Superstitiosum vero non est observare lunam aut tempora colligendis herbis, cædendis arboribus aptiora, etc., nec res sacras, aut verba S. Scripturæ gestare ad honorem Dei vel Sanctorum, et ad ipsorum auxilium implorandum. Item nec recitare certum numerum oratio-

num, nec facere ea omnia quæ devotionem augere possunt, modo vis infallibilis ipsis non tribuatur.—Cf. S. Alphons. n. 16. et 17.

§ III. De divinatione.

207. Divinatio est inquisitio occultorum ope dæmonis. Hinc convenit cum vana observantia quatenus utraque nititur expresso vel saltem implicito pacto cum dæmone; differt autem quatenus divinatio ordinatur tantum ad occultorum cognitionem, et vana observantia generatim sumpta, ad quemcumque effectum etiam externum sese extendit. Insuper differt ab *arte notoria*, quia hæc directe quærit scientiæ infusionem sine labore; at divinatio adhibet aliqua media quamvis improportionata. Differt demum ab *observantia eventuum*, quia hæc observationibus utitur sine ratione et arte, et ad proprios actus disponendos, illa autem artificiose, et ad speculativam occultorum notitiam.—Cf. Baller. not. (b) p. 231.

Varia distinguuntur divinationis genera, cujusmodi sunt præsertim; 1°. Astrologia judiciaria ex astris; 2°. Augurium ex garritu avium; 3°. Auspicium ex earum volatu; 4°. Aruspicium ex visceribus animalium; 5°. Chiromantia ex lineis manus; 6°. Geomantia ex signis in terra; 7°. Omen ex fortuito casu; 8°. Necromantia ex invocatione mortui; 9°. Oniromantia ex somniis; 10°. Sortilegium ex sortibus; 11°. Oraculum ex idolis; 12°. Vaticinium ex vatibus aut chartis.—Cf. S. Alphons. n. 5. et 6.

208. ***Dico*** 1°. Divinatio expressa, ea scilicet quæ fit per expressam invocationem dæmonis, nunquam a mortali excusari potest. Constat tum ex multis S. Scripturæ locis, v. gr., Deut. xviii. 10., Levit. xx. 6. etc.; tum quia expresse dæmonem invocare, cum eoque pacisci, idem est ac ipsius dominium et auctoritatem agnoscere, quod est intrinsece malum.

Dico 2°. Divinatio tacita, qua scilicet dæmon invocatur adhibendo media nullo modo proportionata effectui consequendo, etiamsi quis aperte protestatur se nullum cum dæmone commercium intendere, est etiam *per se* peccatum grave; at aliquando excusari potest a mortali ob simplicitatem, vel ignorantiam, vel defectum fidei certæ. Ratio *primi* est, quia recursus ad dæmonem quocumque modo fiat, continet in se gravem Dei offensam. Ratio autem *secundi* desumitur ex imperfec-

tione actus. Dixi *etiamsi quis* etc., quia ille agit contra suam protestationem, et actio efficacior est verbis.—Cf. S. Alphons. n. 7. et 8.—Voit, n. 416.

209. ***Quæsita.***—QUÆR. 1°. *An damnandi sint de divinatione qui ex cantu et volatu avium, aut siderum aspectu, futuram tempestatem conjiciunt?*

RESP. *Neg.*, et ratio est, quia sæpe adest, aut adesse potest naturalis nexus inter hujusmodi signa, et prædictum effectum a causa necessaria provenientem. Item damnandi non sunt, propter eamdem rationem qui indolem aut animi statum conjiciunt ex colore vultus vel aliis signis externis, etsi in praxi, ab hujusmodi conjecturis plerumque sit abstinendum, ob judicii temerarii periculum.

QUÆR. 2°. *An graviter peccant qui de sua fortuna, seu futura vita a divinatoribus (fortune tellers) inquirunt?*

RESP. *Neg.*, generatim loquendo, quia deest firmitas fidei; nam sicut vates ex promissione pecuniæ ordinarie moventur, ita illi qui inquirunt plerumque agunt ex simplicitate, joco, aut curiositate. Quare interrogandi sunt pœnitentes de fide quam præstiterint, nisi aliunde cognoscatur. Quod si ipsi quidem jocose egerint, at divinatores serio sese gesserint, difficulter a cooperatione graviter culpabili excusari possunt.—Cf. S. Alphons. n. 10.—Reuter, n. 43.—Kenrick, tract. 12. n. 43.

QUÆR. 3°. *An aliquando licitus sit usus sortium?*

RESP. Sortes *divisoriæ*, quibus decernitur quid cuique sit tribuendum in litibus dirimendis, vel rebus distribuendis, certo licitæ sunt; siquidem omni prorsus superstitione vacant. Sortes autem *consultoriæ*, quibus indagatur divina voluntas, ut sciatur quid sit agendum, non sunt licitæ, nisi fiant speciali Dei impulsu, aut agatur de gravi negotio, in quo aliud consilium desit. Ratio est, quia ex ordinaria providentia non vult Deus, ut ita inquiratur de sua voluntate, sed ad viros prudentes, vel superiores ecclesiasticos recurrendum est. Demum sortes *divinatoriæ*, quibus rei occultæ manifestatio inquiritur, v. gr., ex jactu taxillorum, etc., sunt semper graviter illicitæ, utpote tacitam saltem dæmonis invocationem continentes. Hujusmodi superstitio proprie *sortilegium* nuncupatur, quamvis hoc nomine etiam alia superstitionum genera vulgo veniant.—Cf. S. Alphons. n. 11.

QUÆR. 4°. *An liceat futura ex somniis conjicere?*

RESP. *Neg.*, ordinarie loquendo, quia somnia fere semper ex causis naturalibus proveniunt, v. gr., ex humorum commotione, etc. Aliunde somnia a Deo immissa conjunguntur signis per quæ a somniis naturalibus vel diabolicis certo secerni possint.—Cf. S. Alphons. n. 9.

QUÆR. 5°. *An licitus sit usus virgæ divinatoriæ?*

RESP. Certo est damnandus, quoties virga movetur, vel non movetur ad meram intentionem ejus qui eam manu premit; et ad ea detegenda quibuscum motus virgæ nullam habet connexionem adhibetur. Verum non videtur damnandus usus virgæ ad detegendas aquas vel metalla, si virga super hæc in omni casu æque moveatur, sive quærantur sive non quærantur, modo fiat protestatio contra diabolicam operationem quæ forte adesse possit, excludaturque omnis animus superstitiosus.—*Ita communius recentiores*, quamvis S. Alphonsus usum virgæ divinatoriæ in omni casu reprobet.

QUAER. 6°. *Quid dicendum de tabulis rotantibus, de usu magnetismi, et de spiritismo?*

RESP. 1°. Duplex assignari solet effectus tabularum rotantium, scilicet simplex motus earum, et redditio responsionum sive percussione soli, sive scriptione, ope adjuncti calami. Hic ultimus est certo illicitus propter implicitam saltem dæmonis invocationem; nam tantus effectus non potest attribui neque causæ naturali, quia proportionata non esset, neque Deo quia indecentia et levitas actus in ipsum refunderetur.—Utrum autem simplex *motus* sit illicitus hac eadem ratione, controvertitur, sed certo permittendus non est ratione scandali, periculi etc., quæ adesse facile possunt.

RESP. 2°. Triplex præcipue magnetismi effectus seu gradus exhibetur. Primus effectus est *status somni*, quo sensus penitus consopiuntur, ita ut sæpe, ne maximus quidem fragor ad aures ipsas dormientis arte concitatus, aut ferri igniti ulla vehementia valeant ipsum expergefacere. Secundus est *status somnambulismi*, quo quis usu sensuum omnino destitutus, videt tamen, audit, loquitur, et respondet ad omnia quæ ab ipso postulantur. Tertius demum effectus est *clara intuitio*, seu mira sui cognitio et remediorum ad morbos depellendos; necnon visio actionum aliorum hominum, etiam longe distantium. Porro uti magnetismo ad secundum vel tertium effectum obtinendum, est certo illicitum, tum quia dæmon evidenter suas ibi habet partes, tum quia ita fuit declara-

tum a S. Pœnitentiaria 1. Jul. 1841.—Verum usus magnetismi ad causandum primum effectum, nempe somnum, non videtur esse illicitus vi earumdem rationum; quia somnus ille posset tandem a causa mere naturali provenire; nec verba declarationis S. Pœnitentiariæ per se extenduntur ad illum. Certo tamen est illicitus ex alio capite, scilicet propter violentam privationem usus rationis, periculum lædendi castitatem, scandalum, et alias circumstantias.—Cf. Baller. plures notas p. 238. et seqq.—*Conc. Plen. Balt.* II. n. 33. et seqq.

Resp. 3°. Spiritismus, seu consultatio spirituum ad cognoscendas res absconditas, præsertim ad futuram vitam pertinentes, certo est divinatio proprie dicta, et impietatem magis adhuc redolet quam magnetismus, vel usus tabularum rotantium.—Ratio est, quia ut testantur Patres Baltimorenses, talis cognitio debet necessario adscribi interventui satanico, cum non possit alio modo explicari.—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. n. 36. et seqq.

§ IV. De magia et maleficio.

210. Magia *late* sumpta, seu magia *naturalis* aut *artificialis*, quæ etiam magia *alba* vocatur, est ars faciendi mira saltem apparenter per causas naturales aut hominis industriam, absque ullo dæmonis ministerio.—Stricte autem dicta, magia est ars mira faciendi quæ, licet non supernaturalia sint, vires tamen hominis superant, et proinde ope solius dæmonis explicite vel implicite invocati, fieri possunt.

Maleficium autem est ars nocendi cum dæmonis interventu. Duplex distinguitur, scilicet *amatorium*, et *veneficum*. Maleficium *amatorium* quod dicitur etiam *philtrum*, est ars diabolica, qua lubricus amor vel odium in aliqua persona erga aliam vehementer excitatur per vividiorem humorum commotionem. Maleficium *veneficum* est præcise ars proximo nocendi ope dæmonis, idque variis modis, v. g., morbis, hebetudine, etc.—Cf. S. Alphons. n. 23.

Maleficium vulgo vocatur *sortilegium*, quia per illud sors mala injicitur iis contra quos vindicta, per operationem diabolicam, exercetur. Hinc in jure canonico et in historia ecclesiastica magi et sagæ *sortiarii et sortiariæ* vocantur.

211. Quaeres. *An et quomodo magia et maleficium differant ab aliis superstitionis speciebus?*

RESP. Magia non differt a vana observantia. nisi quod ejus effectus sint magis miri, v. gr., immutatio corporum, etc. Specie autem morali nec a vana observantia differt, nec a divinatione; quia parvi refert, utrum a dæmone occultorum notitia aut effectus mirandi petantur. At maleficium differt specie ab aliis superstitionibus, quia, præter peccatum religioni oppositum, damnum proximi superaddit.

ARTICULUS II.

DE IRRELIGIOSITATE.

Irreligiositas est irreverentia specialis, quæ Deo, vel immediate in se vel mediate in personis aut rebus sacris irrogatur. Præcipuæ ejus species sunt; tentatio Dei, sacrilegium, simonia, blasphemia, et perjurium. De duobus ultimis in 2°. præcepto dicetur; nunc autem de tentatione Dei, sacrilegio et simonia.

§ 1. De tentatione Dei.

212. Tentatio Dei est dictum vel factum quo quis explorat, an Deus sit potens, sapiens, misericors, aut alia perfectione præditus.—Procedit autem ex duplici vitio, nimirum vel ex *infidelitate*, quando quis, dubitans de aliqua Dei perfectione, quidpiam dicit aut facit animo obtinendi a Deo perfectionis illius manifestationem; vel ex mera *præsumptione*, quando quis nihil dubitans de Dei perfectionibus, absque necessitate vult aut divinæ voluntatis manifestationem aut speciale Dei auxilium obtinere per prodigia.—Cf. S. Thom. 2–2. q. 97. art. 1.

Distinguitur tentatio Dei in *formalem* seu *expressam*, et *virtualem* seu *interpretativam*. Prima habetur cum directe intenditur divinarum perfectionum manifestatio, et hæc plerumque ex infidelitate oritur, quamvis possit etiam ex mera curiositate aut præsumptione provenire. Altera autem ea est qua non proprie intenditur ejusmodi manifestatio aut exploratio sed aliquid dicitur aut fit, quod, spectatis circumstantiis, suapte natura eo referri videtur. Sic interpretative Deum tentat, qui in morbo periculoso remedia omnia respuit, volens a Deo tantum sanari.

213. ***Dico.*** Tentatio Dei expressa, si ex infidelitate procedit, est peccatum mortale ex *toto genere suo:* si autem procedit ex curiositate

aut imprudenti fiducia est quidem mortale, at non ex *toto genere suo*. Ratio *primi* est, quia tunc proprie habentur duo peccata, unum contra virtutem religionis, et aliud contra fidem, quod non admittit parvitatem materiæ. Ratio autem *secundi* desumitur non solum ex generali doctrina quod peccata contra solam religionem sunt quidem mortalia, at possunt evadere levia ratione materiæ, sed etiam ex eo quod in eo casu proprie non habetur *exploratio* divinæ alicujus perfectionis, sed potius præsumptuosa divini auxilii *imploratio*, quæ sane admittit parvitatem materiæ. A fortiori autem admitti debet parvitas materiæ in tentatione Dei interpretativa.—Cf. S. Alphons. n. 29. et seqq.—Baller. not. (a) et (b) p. 255.—Hinc:

1°. Graviter peccat contra religionem, qui innocentiam suam probari postulat duello, ferro candenti, etc., vel qui ad martyrium ultro se offert, nisi bona fide aut divina inspiratione excusetur.—Licet tamen a Deo petere miraculum sub conditione, *si ei placuerit*, quoties adsit causa gravis ad nostram aut aliorum salutem, vel ad divinam implendam voluntatem; nam tunc non est tentare Deum, sed Dei auxilium expostulare in tempore opportuno.—Cf. S. Thom. 2–2. q. 97. art. 2.

2°. Item peccat graviter qui absque justa causa periculo mortis se exponit, propterea quod divinum exspectat auxilium; si vero temere tantum agat, quin certo divinæ Providentiæ confidat, non peccat contra religionem, sed tantum contra quintum Decalogi præceptum.

3°. Leviter tantum peccat qui in morbo levi, rejectis remediis, sperat a Deo sanitatem; quia ibi non est gravis deordinatio. Imo ab omni culpa excusatur, si speret se naturaliter, Deo juvante, a tali morbo liberatum iri.—Cf. S. Alphons. n. 30.

§ II. De Sacrilegio.

Sacrilegium est violatio seu indigna tractatio rei sacræ. Triplex distinguitur, scilicet, personale, locale, et reale.

Sacrum hic dicitur quidquid ad divinum cultum publico ritu ex institutione divina vel ecclesiastica deputatur, ideoque specialem reverentiam meretur.—Hinc:

1°. Personæ *sacræ* sunt, quæ cultui divino sunt deputatæ per sacram tonsuram, aut per vota religiosa.

2°. Loca *sacra* sunt ea quæ, publica Ecclesiæ auctoritate, cultui divino dedicantur, ut templa, cœmeteria, sacella publica, etiam non consecrata aut benedicta, non vero sacella privata.

3°. Res *sacræ* sunt eæ quæ ad cultum divinum pertinent vel proxime referuntur, ut sacramenta, vasa consecrata, reliquiæ vel imagines Sanctorum; item quæ pertinent ad ornatum Ecclesiæ vel ministrorum; bona denique ecclesiastica etiam mobilia.—Cf. S. Thom. 2–2. q. 99. art. 3.

214. ***Dico.*** Sacrilegium quod sane specie differt, prout personam, locum, aut rem sacram afficit, quia sanctitas ipsa personæ, loci, aut rei sacræ, moraliter una ab alia differt, est quidem peccatum mortale *ex genere suo*, sed non *ex toto genere suo*. Ratio *primi* est, quia opponitur excellentissimæ virtuti, nempe religioni; et ratio *secundi*, quia per sacrilegium non irrogatur Deo aliqua injuria directe et immediate, ac proinde admittitur in eo parvitas materiæ.

215. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *Quomodo committuntur diversæ species sacrilegii?*

RESP. 1°. Sacrilegium *personale* committitur: 1°. inferendo manus violentas in Clericum vel Religiosum; 2°. luxuriose agendo cum personis Deo dicatis, etiam solis tactibus; 3°. personas ecclesiasticas subjiciendo judicio fori, exceptis casibus a jure vel particulari concordato prævisis.—Non erit autem sacrilegium detrahere de sacerdote, quia ejus tantum persona est sacra, non vero ipsius fama.—Cf. S. Alphons. n. 35.

RESP. 2°. Sacrilegium *locale* committitur: 1°. peccatis omnibus quibus ecclesia polluitur de jure canonico, scilicet, effusione sanguinis aut seminis humani, homicidio, sepultura excommunicati aut infidelis in ecclesia; 2°. peccatis omnibus quæ fiunt contra immunitatem et sanctitatem loci sacri, ut sunt effractio, spoliatio, furtum, rixæ et similia; 3°. actionibus sanctitati loci indecentibus, ut sunt mercatus, conclamationes, strepitus judiciorum, nisi gravis causa excuset.—Cf. S. Alphons. n. 36.

RESP. 3°. Sacrilegium *reale* committitur: 1°. indigna administratione aut susceptione sacramentorum; 2°. indigna tractatione sacrarum reliquiarum, imaginum, etc.; 3°. profanatione vasorum, instrumentorum et ornamentorum sacrorum; 4°. furto rei ad cultum divinum vel ad ecclesiam pertinentis; 5°. abusu Scripturæ, v. gr., verba ejus detorquen-

do ad vana, etc.; 6°. vasorum sacrorum, corporalium, etc., incuria, ab iis qui hæc religiose curare debent.—Cf. S. Alphons. n. 40. et 48.

QUAER. 2°. *An sit sacrilegium violatio personæ voto simplici castitatis ligatæ extra religionem?*

RESP. Controvertitur; nam alii affirmant, quia, dicunt, homo Deo consecratur per quodcumque votum castitatis; alii vero probabiliter negant, quia ad reddendam personam aliquam sacram, non sufficit privata voluntas, sed requiritur publica Ecclesiæ auctoritas.—Cæterum omnes tenent violationem istius voti continere duplicem malitiam, unam contra castitatem, et aliam contra religionem, et tota controversia est utrum peccatum contra religionem vocandum sit verum et stricte dictum sacrilegium, an potius peccatum irreligiositatis, aut perfidiæ in Deum, aut etiam sacrilegium sed lato sensu dictum.—Cf. Suarez, *de Relig.* tract. 3. lib. 3. cap. 1.—Layman, lib. 4. tract. 10. cap. 7. n. 2.—Baller. not. (a) p. 259.

QUAER. 3°. *An omnia peccata luxuriæ in ecclesia commissa sint sacrilegia?*

RESP. Peccata *mere interna*, scilicet delectatio morosa, et desideria peccandi externe extra ecclesiam, non sunt habenda ut sacrilegia, quia locum sacrum non videntur specialiter afficere: secus autem dicendum de desideriis peccandi externe in ecclesia, sive hæc concepta fuerint in ea, sive extra. Quoad peccata autem *externa* certum est committi sacrilegium per actus consummatos, nempe per pollutionem voluntariam, fornicationem, etc., quia per istos actus ecclesia polluitur. Utrum vero committatur etiam per alia peccata externa gravia, v. gr., tactus graviter turpes, controvertitur apud Doctores, et sententia negans probabilis videtur.—Cf. S. Alphons. n. 43. et *de sexto præc. Decal.* n. 459.

QUAER. 4°. *An omne furtum in ecclesia sit sacrilegium?*

RESP. Constat esse sacrilegium omne furtum rei sacræ et etiam rei non sacræ, commissæ tamen loci sacri custodiæ, ut patet ex jure can., cap. Quisquis, 21. § 2. causa 17. quæst. 4. ubi legitur: "Similiter sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, sive sacrum de non sacro."—Verum quoad res quæ casu aut per accidens in ecclesia reperiuntur, ut crumenæ, horologium, etc., controvertitur; sed certo probabilis est sententia negans.—Cf. S. Alphons. n. 39.

QUAER. 5°. *An vasa et vestes sacræ converti possint in usum profanum?*

RESP. *Affirm.*, si res totaliter ita immutetur, ut ad communem usum reducatur, v. gr., si calix igne aut ferro argenti massa fiat. Secus autem, si totaliter non immutetur. Hinc non licet ex veteri casula vestes profanas resarcire, nec ornamenta sacerdotum ad usus profanos applicare. Secus autem de iis quæ non benedicuntur, ut tapetes, candelabra.—Cf. S. Alphons. n. 41.

QUAER. 6°. *An sit sacrilegium tangere vasa sacra?*

RESP. *Neg.*, si fieret a clericis, aut a regularibus laicis sacristis, necnon a monialibus sacristis. Si autem fieret a cæteris laicis, adesset quidem sacrilegium, sed non excederet veniale, et hoc etiam cessaret, interveniente rationabili causa.—Verum si vasa sacra actu contineant sanctissimam Eucharistiam, nemo potest, absque gravi sacrilegio, ea tangere, exceptis sacerdotibus et diaconis, secluso tamen casu necessitatis et periculi profanationis.

Omnibus autem indiscriminatim licet tangere alias res sacras, v. gr., reliquias Sanctorum, ornamenta sacra, exceptis iis, quæ Eucharistiam immediate tangunt. Hæc vero post usum, ter lavari debent, sed saltem semel a clerico in sacris constituto. Quamvis probabiliter hæc *prima lotio* licite fieri posset a simplici tonsurato, præsertim si adesset justa causa, certe tamen nequit fieri a laico aut etiam a moniali absque peccato levi. Secunda autem et tertia lotio a quacumque persona fieri potest.—Cf. S. Alphons. n. 48., et *de Euchar.* n. 382. et seqq.

§ III. De Simonia.

Simonia, a Simone mago sic dicta, est studiosa voluntas vendendi aut emendi pretio temporali aliquid spirituale, aut spirituali adnexum.—Dicitur voluntas *studiosa* non modo quia non secus ac alia peccata *deliberationem* exigit, sed etiam quia ad essentialem ejus malitiam non requiritur ut pactum mutuo consensu, vel reipsa perficiatur, sed sufficit interior vel unius affectio simoniaca, paciscendi nempe, seu obligandi voluntas.

216. Pretium temporale triplicis generis in jure canonico distinguitur, scilicet:

1°. *Munus a manu*, seu retributio rei cujusvis temporalis pretio æsti-

mabilis; 2°. *munus a lingua*, seu patrocinium, quo nomine veniunt laudes, commendationes, preces, etc., ex pacto interponendæ in favorem conferentis rem spiritualem; 3°. *munus ab obsequio* seu servitus quælibet, aut officia alteri præstita, v. gr., famulatus aut simile officium quodlibet.

Triplex pariter est temporale spirituali adnexum; 1°. *antecedenter*, cui accedit spirituale, ut jus patronatus fundo inhærens; 2°. *consequenter*, quod ex spirituali pendet, ut jus decimas percipiendi; 3°. *concomitanter*, ut labor in functionibus sacris. Hujusmodi autem labor adnexus est rei spirituali vel *intrinsece* vel *extrinsece*. Dicitur adnexus *intrinsece*, si a re ipsa non sit separabilis; secus, adnexus *extrinsece* dicitur. Sic celebratio Missæ est labor intrinsece rei spirituali adnexus; defatigatio autem extraordinaria, ut cantus, dilatio ad meridiem, iter longum vel arduum suscipiendum ad celebrandum, et alia similia, ad laborem extrinsece adnexum pertinent. — Res spiritualis hic dicitur tripliciter, nempe *formaliter*, ut gratia sanctificans et dona Sp. S., *causaliter* ut sacramenta et orationes, et *effective*, ut dispensationes.—Cf. Scav. lib. 2. tract. 5. n. 178.

Simonia triplex distinguitur: 1°. *mentalis*, si, nullo interveniente pacto, temporale vel spirituale conferatur cum intentione simoniaca, id est, cum intentione obligandi alterum ad retribuendum spirituale vel temporale; 2°. *conventionalis*, si pactum quidem intercedat, sed vel nullo modo, vel una ex parte dumtaxat, exsecutioni mandatum. Si primum, dicitur conventionalis *pura*, si alterum, *mixta*; 3°. *realis*, si pactum ex utraque parte adimpleatur, saltem inchoate.

Accedit simonia *confidentialis*, cujus materia sunt sola beneficia ecclesiastica. Ipsa tunc habetur, quando quis in electione vel præsentatione ad beneficia, aut in horum resignatione, ex confidentia, seu ex pacto expresso vel tacito et propria auctoritate, aliquid sibi aut alteri reservat circa beneficii fructus, vel circa ipsum beneficium. Distinguitur etiam simonia *juris divini* seu *naturalis*, et *juris ecclesiastici*. Prior habetur, si res simoniace permutata spiritualis sit ex natura sua, ut sunt indulgentiæ, sacramenta, etc.; posterior vero, si res sit spiritualis ex sola Ecclesiæ institutione, ut sunt beneficia.

217. ***Dico*** 1°. Ad simoniam requiritur, ut temporale detur aut accipiatur sive *expresse* et *formaliter*, sive *virtualiter* pro ipsa re spiritu-

ali, et in ejus commutationem, ita ut fiat æquiparatio rei spiritualis cum temporali, seu commutatio ex motivo primario unum pro altero ceu pretio aut justa compensatione habendi. Ratio ex ipsa simoniæ definitione aperta est. Hinc si interveniat aliquod motivum honestum, vi cujus temporale et vicissim spirituale tribuatur, unum non esset amplius alterius motivum, sed solum ejus causa impulsiva, nec proinde simonia foret.

Dico 2°. Licet dare pro pretio temporali adnexum spirituali *antecedenter et concomitanter extrinsece*, modo pretium ob spirituale adnexum non augeatur. Nullatenus vero licet dare pro pretio adnexum spirituali *concomitanter intrinsece*, seu *inseparabiliter*, neque adnexum *consequenter*. Ratio *primi* est, quia res et labor actionis sunt vere in se pretio æstimabiles. Prohibetur tamen jure canonico venditio balsami quod in Chrismate continetur, licet consecrationi præexistat, quia, cum sit modici pretii, Episcopus vendere sacramenta videretur. Advertit tamen Scavini, usum in aliquibus ecclesiis cathedralibus invaluisse, ut aliquid ab ecclesiis particularibus accipiatur pro compensandis sumptibus factis in materia comparanda. Ratio *secundi* est, quia quod est intrinsece adnexum spirituali, ab ipso inseparabile est, unde res ipsa vel actio vendi censeretur. Attamen etiam, secluso labore extrinseco, licite aliquid pro ministerio sacro accipi potest ratione stipendii, seu sustentationis, ut ex praxi Ecclesiæ constat. Postulat enim æquitas naturalis, ut honesta sustentatio concedatur iis qui aliorum utilitati vacant. Hinc Christus, Luc. x. 7: "Dignus est operarius mercede sua."—Et Apostolus, I. Cor. ix. 13: "Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt; et qui altari deserviunt, cum altari participant? Ita et Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere." Ratio *tertii* est, quia illud *consequenter* censetur spirituale, vel spirituali alligatum. Eruitur etiam ex speciali juris canonici dispositione.—Cf. S. Alphons. n. 55.—*Conc. Plen. Balt.* II. n. 369.

Dico 3°. Simonia est peccatum gravissimum; et si sit juris divini et naturalis, materiæ parvitatem non admittit. Si autem simonia sit juris ecclesiastici, potest dari materiæ parvitas, juxta S. Alphonsum. Ratio est, quia res spiritualis quælibet ex comparatione cum re temporali, cum magna injuria in ipsum Deum, vilipenditur. Constat etiam

ex verbis S. Petri ad Simonem magum, Act. viii. 20: "Pecunia tua tecum sit in perditione, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri."—Cf. S. Alphons. n. 50.

218. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *An sit simonia dare principaliter quidem temporale ob spirituale, sed non unice?*

RESP. *Affirm.*, et ratio est, quia etiam sic adest comparatio rei temporalis cum spirituali. Motivum enim quod adjicitur, quantumvis honestum sit, prioris motivi, propter quod principaliter datur temporale, malitiam et impietatem non destruit. Constat etiam ex propositione 45. ab Innoc. XI. damnata quæ sic se habet: "Dare temporale pro spirituali non est simonia, si temporale non datur tanquam pretium, sed tanquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale."—Cf. Viva in hanc prop.—S. Alphons. n. 54.

QUAER. 2°. *An simonia sit pecunia se redimere ab injusta vexatione circa beneficia, aut aliud bonum spirituale, v. gr., sacramenta, etc?*

RESP. *Neg.*, saltem probabilius, quia vexationis liberatio, quæ sola directe intenditur, est quid temporale.—Hinc potes dare pecuniam inimico tuo, si conetur per fraudem impedire electores, ne tibi faveant. In idem Doctores consentiunt, etiamsi solis precibus impedire velit. Non autem potes dare pecuniam iis qui obesse vel prodesse possunt eligendo vel præsentando ad beneficium; etenim offerre illis pecuniam ne obsint, idem foret ac offerre ut prosint, scilicet ut consensum non denegent. Nec tibi licet pecuniam dare competitori tuo, ut desistat ad beneficium concurrere; quia tibi nulla est injusta vexatio redimenda, et viam directe ad beneficium per pecuniam tibi parares, quod simoniacum est.—Cf. S. Alphons. n. 99. et seqq.

QUAER. 3°. *An simonia sit dare vel accipere aliquid pro ingressu in Religionem?*

RESP. Certum est, non licere dare vel accipere aliquid pro solo ingressu; quia hoc esset commutatio rei sacræ, cujusmodi est Religio, cum re temporali.

Certum est etiam, licere monasterio pauperi aliquid exigere pro ingredientis sustentatione, quia tunc non commutatur res spiritualis cum temporali; et alioquin postulat æquitas ut recipiatur aliquid, ne monasterium oneribus gravatum corruat.

Certum est pariter, licere monasterio, prout expresse permittitur a

Concilio Tridentino, sess. 25. cap. 16. *de Reg.*, aliquid exigere pro sustentatione Novitiorum, quia cum non adhuc pertineant ad Religionem, et pro libitu discedere possint, et sæpe reipsa discedant, æquum non est monasterium pro ipsis tam gravi oneri subesse. Religio tamen Fratrum Minorum ex decreto speciali nihil accipere potest.

Certum est tandem, licitum esse Monialibus dotem ab ingressuriexigere, ut constat ex usu ubique recepto et pluribus decisionibus S. C. C. apud Benedictum XIV. *de Synodo*, lib. 11. cap. 6.—Cavere tamen debent ne inhabiles unice propter dotem aut aliud quodpiam emolumentum temporale recipiant: id enim simoniacum esset.

Controvertitur autem, si agatur de monasterio virorum opulento, utrum simonia sit aliquid exigere, ratione solius sustentationis, a recipiendo qui infirmus non est aut senex, et ali potest sine expensis extraordinariis. Sententia verior et communior affirmat cum S. Thoma, 2–2. q. 100. art. 3. ad 4., et S. Alphonso, n. 92. Ratio præcipua est, quia jus vivendi de bonis monasterii est quid *adnexum consequenter* rei spirituali, professioni nempe religiosæ; ergo pretio æstimari et vendi non potest sine simonia. Contradicunt tamen plures, ut videre est apud S. Alphons. loc. cit.—Cæterum nunc fere evanescit omne dubium ob temporum difficultatem. Cum enim, ut advertit iterum S. Alphonsus, n. 92., ad exigendum aliquid a recipiendis, non requiratur arcta necessitas, sed sufficiat illa, qua monasterium non possit alias commode eis alimenta subministrare, pauca inveniuntur monasteria adeo opulenter fundata, ut auxilio alieno pro præsenti et futuro nullatenus indigeant.

QUAER. 4°. *An simoniam committat sacerdos qui pro Missa stipendium supra taxam consuetam aut ab episcopo statutam exigit?*

RESP. *Neg.*, quoad forum internum et coram Deo, nisi mente simoniaca agat; quia, cum habeat titulum exigendi remunerationem, deficit comparatio inter spirituale et temporale. Peccaret quidem contra obedientiam vel justitiam plus æquo exigendo, minime vero contra religionem. Attamen in foro externo ut simoniacus haberetur, eo quod ejusmodi auctarium præsumeretur exigere non pro sustentatione, sed tanquam pretium rei spiritualis, qua de causa plures theologi et canonistæ absolute affirmant eo casu committi veram simoniam.—Cf. Voit, n. 497.—Baller. not. (a) p. 276.

QUAER. 5°. *Quid specialiter dicendum de taxa Missarum pro hac nostra regione?*

RESP. De hac re ita Patres Baltimorenses: "... Quantitas stipendii justi universaliter determinari vix potest. Sacra Congregatio Concilii interrogata, 'quanta debeat esse eleemosyna Missarum manualium,' die 15. Novemb. 1698. respondit: 'attendendam esse consuetudinem loci, vel legem synodalem quatenus adsit; sin minus statuendam esse per episcopum eleemosynam competentem ejus arbitrio.' Sed in eo quod spectat ad quantitatem eleemosynæ ab episcopo determinandam, non potest eadem et universalis regula statui pro omnibus locis in hisce tam longe lateque extensis provinciis, siquidem habito respectu ad locorum et temporum circumstantias, in diversis locis ea minor vel major esse debet. Unde relinquentes singulis ordinariis, ut rerum adjunctis bene consideratis, quantitatem stipendii, quæ ipsis justa esse videtur pro clero suo determinent, hoc solum statuimus, ne quis plus neve regulariter minus exigat, quam episcopo suo opportunum ac justum visum fuerit."—Ita *Conc. Plen. Balt.* II. n. 369.

QUAER. 6°. *Utrum et quid possit, absque labe simoniæ, accipi pro administratione sacramentorum et pro aliis functionibus ecclesiasticis, præsertim in hac regione?*

RESP. 1°. Pro ipsis sacramentis, aut sacramentalibus, aut pro labore ipsis intrinseco, nullibi unquam potest aliquid sumi uti *pretium;* at potest aliquid accipi uti *stipendium* sustentationis, etiam a sacerdote locuplete. Imo, juxta S. Alphonsum, licet etiam pacisci de talibus stipendiis, dummodo non excedatur taxa vel consuetudo. Stipendia ista communiter vocantur *jura stolæ.*—Cf. S. Alphons. n. 55. — Reiff. lib. 5. tit. 3. n. 186. et seqq.

Verum in hac regione attendendum est sequens statutum Patrum Baltimorensium: "Quum, jubente Christo Domino, dona spiritualia gratis accepta gratis danda sint, quumque, teste Apostolo, avaritia sit quædam *idolorum servitus*, quæ quidem in homine Christiano gravis noxa, in veri autem Dei Sacrorum ministro turpissimum facinus est; edicimus, ne quid pro sacramentorum administratione exigere, petere, aut pacisci quisquam audeat."—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. n. 221.

RESP. 2°. Pro quibusnam sacramentis, et functionibus in particu-

lari, juxta consuetudinem apud nos receptam, aliqua eleemosyna recipi possit, sequentibus subjicimus:

1°. *Pro Baptismo*, et *Matrimonio*, si quid offertur, impune recipitur. "Ea quæ pietatis studio," ajunt Patres Baltimorenses, n. 221.—"post collatum Baptisma vel Matrimonium, eleemosynæ nomine, a fidelibus sponte offeruntur, sacerdos, si velit, accipiat, hoc enim apud nos consuetudo tolerat, neque Ecclesia improbat."

2°. Pro *Confirmatione* hæc habet Kenrick, tract. 12. n. 63. "Occasione ministrandi Confirmationem nihil solet dari; sed Episcopo visitationem facienti suæ diœceseos victualia præstanda sunt... In Provinciis Mexicanis solent fideles singuli confirmati dimidium nummum argenteum conferre ad Episcopi impensas: qui mos speciem malam præsefert. Apud nos parochus suppeditat victum."

3°. Pro *Eucharistia* nihil omnino accipi solet.

4°. Pro *Pœnitentia* stricte vetatur quominus quidquam recipiatur quocumque titulo; imo ipsam Missæ eleemosynam in sacro tribunali pœnitentiæ sibimetipsis offerri non sinant confessarii—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. n. 289.

5°. Pro *Extrema Unctione*, si sacerdos iter longinquum fecerit, nil vetat ut accipiantur necessariæ itineris expensæ.—Cf. Kenrick, tract. 12. n. 66.

6°. Pro *Ordine*, juxta Conc. Trid. sess. 21. c. 1. "nihil etiam sponte oblatum, Episcopi... quovis prætextu accipiant."—Verum hac prohibitione non tenentur ii qui iter suscipere debent, quia tunc possunt ejus expensas recipere.—Cf. Kenrick, n. 67.

7°. Pro sepultura ecclesiastica sequentia habent Patres Baltimorenses:

"Ordinarios locorum in Domino enixe hortamur atque obsecramus, ut curent de sepulturis disciplinam quantocius, et quantum fieri possit, ad normam a SS. Canonibus statutam exigendam. 'Pauperes, quibus mortuis nihil aut ita parum superest, ut propriis impensis humari non possint, gratis omnino sepeliantur.' Si quis vero locum aliquem in cœmeterio sibi et hæredibus suis in perpetuum reservatum velit, ita ut nullus alius, ipsis nolentibus, ibi sepeliri unquam possit, pro jure istiusmodi *exclusivo*, ut ajunt, pretium solvi potest. Ex pecuniis ita comparatis dubium haud est, quin habeatur summa, quæ cœmeteriis servandis,

restaurandis, et ornandis sufficiat. Si quid supersit, ad charitatis vel religionis opera promovenda Ordinarii judicio adhibeatur. Districte autem vetamus, ne unquam, quocumque sub prætextu, sine Ordinarii venia, pecunias quæ ex cœmeteriis derivantur, suas facere audeant viri ecclesiastici; id vero si attentaverint, pœnis severissimis plectantur."—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. n. 393.—Kenrick, n. 69.

QUAER. 7°. *Quænam sint pœnæ in simoniacos latæ?*

RESP. 1°. Sola simonia confidentialis et realis in collatione beneficiorum, et realis pro ingressu in Religionem, censuris ecclesiasticis subjacet; nam Pontifex Pius IX. in const. *Apostolicæ Sedis* loquitur tantum de prædictis simoniæ speciebus. Præterea, manent etiamnum firmæ pœnæ a Pontificibus, maxime a Julio II. Const. *Cum tam divino*, 14. Jan. 1505. latæ contra simoniam in electione Romani Pontificis commissam, ut constat ex memorata Pii IX. Constitutione.

RESP. 2°. Pœnæ ob simoniam realem in materia beneficiaria, id est quæ spectat beneficia proprie dicta, tum *sæcularia* tum *regularia*, sunt: excommunicatio Papæ reservata, quæ ex bulla *Apostolicæ Sedis* afficit etiam complices; nullitas electionis, præsentationis, etc., ... ad beneficium; inhabilitas perpetua ad idem beneficium obtinendum; inhabilitas ad alia beneficia, sed, juxta plures auctores, post judicis sententiam tantum declaratoriam.

RESP. 3°. Pœnæ ob simoniam confidentialem completam, id est quando beneficium datum et acceptum est in confidentiam, etiamsi pactum ab altera parte nondum impletum fuerit, sunt: excommunicatio papalis; nullitas resignationis aut collationis factæ in confidentiam; inhabilitas ad idem beneficium, et ad alia obtinenda; privatio beneficiorum et pensionum quæ legitime antea obtenta fuerint, post judicis tamen sententiam criminis declaratoriam; reservatio ejusdem beneficii ad Sedem apostolicam.—Cf. Schmalzgrueber, lib. 5. tit. 3. n. 270.

QUAER 8°. *An sit restituenda res spiritualis simoniace acquisita?*

RESP. 1°. *Affirm.*, quoad beneficia, juxta communem et certam theologorum sententiam. Ratio est, quia jura in pœnam delicti obstant, quominus recipiens aut pretium aut beneficium, possit dominium accepti acquirere. Et cum irrita sit beneficii adeptio, eo ipso nec fructuum acquiri potest dominium, atque adeo ii quoque sunt restituendi.

RESP 2°. *Neg.*, quoad reliqua, licet judex possit in pœnam criminis

restitutionem injungere. Ratio est, non modo quia quædam restitui non possunt, v. gr., sacer ordo, sed etiam quia ut valida sit rei spiritualis, v. gr., SS. Reliquiarum translatio, jure divino non plus requiritur, quam potestas in altero transferendi, in altero recipiendi rei dominium ; atqui, nisi *aliunde* in alterutro sit defectus, hæc potestas adest in utroque quoad rem spiritualem. Ergo.... Si autem translatio valet jure divino, valebit etiam jure humano, cum ab hoc irritæ, nisi solæ provisiones beneficiales simoniacæ, non decernantur.—Cf. Schmalzgrueber, lib. 5. tit. 3. n. 384.

QUAER. 9°. *An restituendum sit pretium simoniace pro re spirituali acceptum ?*

RESP. Si solum intercessit simoniæ crimen, nulla vero justitiæ læsio, non adest obligatio restituendi simoniacum pretium ante condemnatoriam judicis sententiam, nisi ipsum pretium excedat æstimationem commodi temporalis quod cum re spirituali in alterum transfertur. —Ita multi et graves theologi apud Schmalzgrueber, lib. 5. tit. 3. n. 286.

QUAER. 10°. *Cui restituendum sit pretium simoniacum ?*

RESP. 1°. Si datum sit pretium, sed nondum tradita sit res spiritualis, communis sententia docet, pretium illi restituendum esse qui dedit, nisi aliter judex decreverit. Ratio est, quia jura solum contra simoniam realem pœnas statuunt.

RESP. 2°. Si vero utrinque secuta sit traditio, distinguenda a reliquis est causa beneficialis. In hac enim simoniacum pretium ex *cap. De hoc*, 11. *de Simonia*, saltem probabilius, restituendum est ecclesiæ in qua situm est beneficium vel, si superior velit, potest pauperibus distribui, ut advertit S. Thomas, 2-2. q. 100. art. 6. ad 4. Non desunt tamen qui etiam probabiliter arbitrantur restituendum esse danti, ante sententiam judicis.—Cf. S. Alphons. n. 115.

Quoad pretium vero pro alia re spirituali acceptum, cum nihil jure clare decretum reperiamus, superest ut ei restituatur qui illud persolvit. Ratio est, quia *per se, et lege, seu superiore aliud non statuente*, ubi injusta acceptio intervenit, restitutio facienda illi est qui læsus fuit. Atqui in casu læsus ille fuit, qui dedit pretium. Ergo... Proinde si is, qui simoniacum pretium solvit, gratuito solutum remittat, ille, qui istud accepit, licite idem retinet, donec in criminis pœnam ecclesiæ vel pauperibus illud erogare per judicem jubeatur.—Cf. Schmalzgrueber, lib.

5. tit. 3. n. 297. qui dein n. 268. et 301. hanc doctrinam ab objectis vindicat.

DE SECUNDO DECALOGI PRÆCEPTO.

Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.—Exod. xx. 7.

Hoc præcepto prohibetur quælibet erga Deum irreverentia sive per vanam sanctissimi Nominis ejus usurpationem, sive per blasphemiam, sive per juramentum, aut votum vel illicitum vel violatum.

CAPUT I.

DE VANA USURPATIONE NOMINIS DEI ET BLASPHEMIA.

219. Dicitur in vanum usurpari SS. Dei nomen cum sine rationabili causa, aut sine debita reverentia assumitur. Hoc autem multiplici modo fieri potest; v. gr., ex *impatientia* contra creaturas; ex *admiratione* per modum ordinariæ exclamationis; vel etiam *superflue* per modum *interjectionis* tanquam ex mera formula aut consuetudine.

Blasphemia autem est locutio contra Deum per modum contumeliæ. Locutio ista non verbis tantum, sed signis etiam exterioribus, v. gr., gestibus aut actione aliqua indecenti fieri potest. Quocumque modo fiat, si est in Deum contumeliosa, totam blasphemiæ malitiam in se continet; si agatur tamen de reservatione aut de aliis pœnis blasphemiæ inflictis, sola oralis proprie intelligitur.

Blasphemia distinguitur tripliciter, scilicet: 1°. *directa*, vel *indirecta*, prout Dei inhonoratio vel *directe* et formaliter a blasphemante intenditur, vel si in se non intenditur, continetur tamen in dictis Deo injuriosis, quæ ab eo, intentione, v. gr., jocandi, iram manifestandi, proferuntur cum advertentia ad sensum quem verba continent; 2°. *immediata*, vel *mediata*, prout Deum ipsum vel immediate afficit, vel mediate tantum, nempe Sanctos aut res sacras, et in ipsis sanctitatem Dei quam participant; 3°. *hæreticalis*, *imprecativa*, et *mere probrosa*, prout hæresim, vel imprecationem, aut meram contumeliam continet.

220. **Dico** 1°. Usurpare nomen Dei in vanum est quidem semper peccatum, secluso casu inadvertentiæ, at *per se* veniale non exce-

dit. Ratio *primi* desumitur tum ex jure naturæ, quod aperte prohibet hujusmodi usurpationem, tum ex jure positivo; nam Eccli. xxiii. 10. dicitur: "Nominatio Dei non sit assidua in ore tuo." Ratio autem *secundi* est, quia illa irreverentia cum non sit erga ipsam personam Dei, non apprehenditur ut quid grave, ut constat ex communi theologorum interpretatione, et sensu fidelium.—Dixi *per se*, quia potest evadere mortale ratione contemptus, vel iræ in Deum; nam tunc de malitia blasphemiæ participare censetur. Hinc:

1°. Illæ loquutiones apud nostrates adhibitæ "*by God*" vel "*God damn*," *per se* venialem tantum malitiam continent, quia reducuntur ad vanam usurpationem nominis Dei.

2°. Idem dicendum, servata proportione, de inutili usurpatione nominum Sanctorum, et verborum S. Scripturæ. Inutiliter autem at frequenter proferre nomen dæmonis, nonnisi indecentiam aliquam sapit.—Cf. S. Alphons. n. 131.—Scav. lib. 2. tract. 5. n. 272.

Dico 2°. Blasphemia quælibet formalis et deliberata, sive directa sit sive indirecta, sive immediata sive mediata, est peccatum mortale ex *toto genere suo*. Ratio est, quia malitia contumeliæ desumitur ab excellentia personæ cui irrogatur, quæ in casu cum sit infinita, blasphemia habet *semper* et *natura sua* quamdam infinitatem, ac proinde erit semper peccatum mortale.—Dixi 1°. *formalis* et *deliberata*, quia peccatum potest evadere veniale ex imperfectione actus.—Dixi 2°. sive *directa* sive *indirecta*, quia quamvis voluntarium indirectum sit minus intensum, si attendas ad *gradum*, si tamen attendas ad *speciem theologicam* peccati, non differt a directo.—Dixi 3°. sive *immediata* sive *mediata*; nam ait S. Thomas: "Sicut Deus in Sanctis suis laudatur, in quantum laudantur opera, quæ Deus in Sanctis efficit, ita et blasphemia quæ fit in Sanctos, ex consequenti in Deum redundat."—Cf. S. Thom. 2–2. q. 13. art. 1. et 3.

Dico 3°. Blasphematoria habenda sunt *per se* verba, quæ ex communi apprehensione, vel usu patriæ aut regionis, vel ex modo loquendi derisorio aut iracundo, aliisve circumstantiis, Dei inhonorationem continent, et ex communi apprehensione uti blasphematoria reputantur, quamvis per se blasphemiam proprie non sonent. Ratio est, quia *verba* et *formulæ* loquendi efficaciam non habent mere ex vi grammaticali,

sed etiam ex sensu ipsis affixo a communi usu et æstimatione.—Cf. Reuter, n. 442.—Kenrick, tract. 3. n. 37. et seqq.

221. *Quæsita.*—QUAER 1°. *An sit neccessario aperiendum in confessione num blasphemia fuerit directa aut indirecta, immediata aut mediata?*

RESP. *Neg.*, probabiliter: nam sicut blasphemiam esse directam est tantum circumstantia *aggravans*, ita esse mediatam est tantum *imminuens*, sed malitia specifica eadem est in utroque casu. Si vero blasphemia fuerit hæreticalis, illud debet certe aperiri, quia tunc præter virtutem religionis læditur fides.—Cf. Baller. not. (c) p. 291. et not. (a) p. 293.

QUAER. 2°. *An sit blasphemia maledicere creaturis?*

RESP. Est certo blasphemia maledicere creaturis cum relatione ad Deum, v. gr., pluviæ, ventis, ut a Deo imperatis, vel addito verbo *Dei;* item maledicere creaturæ, quæ de se specialem relationem ad Deum habet, v. gr., animæ nostræ, fidei catholicæ, cœlo et similibus. Secus autem dicendum si indignatio feratur in creaturas sine relatione ad Deum. —Quare formula illa a nostratibus adhiberi solita "*God damn your soul*" sive addatur sive non "*to hell*" *per se* est blasphematoria. Imo præter malitiam blasphemiæ continet etiam specificam aliam malitiam contra caritatem.—Dixi *per se*, nam sæpe utraque malitia deest, quia non usurpatur anima tanquam creatura in qua speciali modo relucet divina bonitas, et quia non habetur affectus aut desiderium nocendi proximo.—Cf. S. Alphons. n. 128.—Kenrick, n. 44.

CAPUT II.

DE JURAMENTO.

222. Juramentum est invocatio divini Nominis in testimonium veritatis; et multipliciter distinguitur, scilicet:

1°. *Assertorium*, vel *promissorium*, prout assumitur ad asserendum præsentia vel præterita, aut ad futurum aliquid confirmandum. Hoc autem dicitur *promissorium*, non quia omme juramentum de futuro continet promissionem, sed vel quia sæpius ordinatur ad illam confirmandam, vel quia, etiam secluso quocumque pacto, æquivalet promissioni, quatenus inducit obligationem propositum juratum exsequendi.

2°. *Solemne*, vel *simplex*, prout fit forma jure requisita, solemnibusve cæremoniis, aut iis seclusis.

3°. *Explicitum*, vel *implicitum*, prout Deus expresse in testem invocatur, aut adhibentur in testimonium creaturæ, in quibus attributa divina specialiter relucent.

4°. *Contestatorium*, vel *execratorium* aut *imprecatorium*, prout jurans invocat Deum tantum in testem, vel etiam in vindicem perjurii.

ARTICULUS I.

DE CONDITIONIBUS JURAMENTI.

223. ***Dico*** 1°. Ad essentiam juramenti duo requiruntur, ut ex ipsius definitione patet, scilicet intentio jurandi, saltem virtualis, et formula aliqua, seu signum quo sufficienter exprimatur Deum vel *explicite*, vel *implicite* per creaturas, ut testem invocari, nisi tamen juramentum ad solum Deum dirigatur.—Dixi 1°. *nisi* etc., quia cum juramentum ad solum Deum dirigitur, potest totum consummari in mente jurantis per interiora verba.—Dixi 2°. *formula aliqua* seu *signum*, quia debet considerari juramentum inter homines emissum, tum spectato solo jure naturæ, tum spectato etiam jure positivo; in primo casu sufficit quodcumque signum externum, in altero potest certa verborum formula, certusve ritus requiri sub pœna nullitatis.—Cf. S. Alphons. n. 134. —Hinc:

1°. Non valet juramentum fictum seu mere externum ob defectum intentionis, peccat tamen sic jurans ut constat ex prop. 25. proscripta ab Innoc. XI. quæ sic se habet: "Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive sit gravis."—Verum juxta probabiliorem sententiam veniale tantum, *per se* loquendo, tunc committitur peccatum, quia non profertur nisi mendacium cum vana Nominis Dei usurpatione. Sæpe tamen hoc mortale est ratione damni communis vel particularis.—Cf. S. Alphons. *Hom. Ap.* n. 17.

2°. Est juramentum dicere: *Juro per Deum, per Sanctos, templum, crucem, altare, Evangelium, fidem catholicam, Ecclesiam, cælum, terram.* —Item dicere: *Deum attestor* .... *Sit mihi testis Deus* ... *Deum invoco ut testem.* Secus, si quis juraret per creaturas in quibus non elucet *spe-*

cialiter divina bonitas aut potentia, v. gr., per barbam, etc.—Cf. S. Alphons. n. 134. et seqq.

3°. Non est juramentum dicere: *Novit Deus... Coram Deo loquor*, etc., si hæc *narrative* proferantur; secus vero, si *invocative*, quod dignoscitur ex circumstantiis, vel intentione loquentis. Nec est juramentum dicere: *Est tam verum hoc, quam exsistit Deus . . . quam ego exsisto. . . . quam sum in hoc loco . . . fide boni viri . . . per fidem meam . . . per conscientiam . . . moriar* . . . vel *diabolus me perdat, nisi ita.* Imo nec est juramentum, juxta S. Alphonsum, dicere; *Juro, vel juro ita esse*, nisi præcesserit interrogatio de juramento præstando.—Cf. S. Alphons. ibid.

Dico 2°. Ad liceitatem autem juramenti requiruntur tres conditiones juxta illud Jeremiæ, iv. 2: "Jurabis: Vivit Dominus, in veritate, et in judicio, et in justitia."—Itaque requiritur 1°. *veritas*, scilicet conformitas assertionis cum intentione et cognitione jurantis, ac proinde excluditur mendacium, non vero error. In juramento assertorio veritas respicit exsistentiam facti; in promissorio exsistentiam intentionis. Requiritur 2°. *judicium*, id est ut fiat cum discretione, prudentia, et reverentia, nec sine gravi causa, cujusmodi esset pax confirmanda in familiis, aut major securitas in contractibus, etc. Requiritur 3°. *justitia*, id est, ut juramentum sit de re seu de promissione, proposito, vel assertione licita et honesta.—Cf. S. Alphons. n. 144., et *Hom. Ap.* n. 14.

224. ***Quæsita.***—Quaer. 1°. *Quale sit peccatum jurare sine veritate, judicio, et justitia?*

Resp. ad 1um. Est semper mortale etiam in materia levi; quia Deum adducere in testimonium falsitatis est velle destruere ipsius veracitatem. Constat insuper ex prop. 24. damnata ab Innoc. XI. quæ sic se habet: "Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem." Hoc tamen non impedit quominus jurare quis possit cum morali tantum certitudine veritatis, vel cum restrictione non pure mentali.—Cf. S. Alphons. *Hom. Ap.* n. 14. et 15.

Resp. ad 2um. Veniale est *per se*, id est secluso periculo pejerandi; quia est tantum vana usurpatio nominis Dei.

Resp. ad 3um. Certo mortale est in juramento promissorio si de pa-

trando gravi peccato agatur, quia gravem irreverentiam sapit, Deum invocare ut fidejussorem gravis cujusdam iniquitatis. Imo juxta S. Alphonsum mortale etiam esset, si ageretur de veniali tantum peccato committendo; at Suaresius cum aliis id negat, quia tunc, ajunt, irreverentia esset natura sua levis.—Cf. Suarez, *de Relig.* tract. 5. lib. 3. cap. 19. n. 3.—Baller. not. (a) p. 307.

In juramento autem assertorio, probabilius veniale est *per se* tantum, quia juramentum per se cadit in assertionem, non ut malam, sed ut veram. Sic qui juramento se jactat de fornicatione commissa, quamvis hac jactantia lethaliter peccet, vi tamen juramenti per se non confirmat jactantiam, sed veritatem dumtaxat fornicationis. Excipe, nisi juramentum assumatur tanquam instrumentum seu medium peccandi, v. gr., ad firmandam detractionem.—Cf. S. Alphons. n. 146.

QUAER. 2°. *Quid dicendum de juramento servandi Constitutionem Americanam?*

RESP. Licitum omnino esse, ait enim Kenrick: "Juramentum ad Constitutionem servandam, quam emittunt cives Americani, intelligendum est sensu populari, qui scilicet apud omnes receptus est: nec enim quisque censetur animi sententia amplecti quæcumque in ea continentur: sed pollicetur obedientiam magistratibus, legibusque, juxta Constitutionis tenorem. Quæ de libertate sententiarum et cultus traduntur, de divortii jure, et aliis quibuscumque de rebus, haud necessario postulant mentis assensum; sed obtemperare quis tenetur, et adjuvare ut leges executioni demandentur, salvo semper Dei jure et lege."—Cf. Kenrick, tract. 3. n. 68.

QUAER. 3°. *An liceat alienigenis qui juramentum fidelitatis in sua patria emiserint, huc immigrare, novoque se obstringere juramento ad jura civilia obtinenda?*

RESP. *Affirm.*, nam obligatio juramenti fidelitatis intelligenda est juxta naturalem obligationem remanendi in patria, quæ non subsistit quoties æqua datur causa utilitatis novam patriam acquirendi absque detrimento prioris.—Cf. Kenrick, tract. 5. n. 19.

QUAER. 4°. *An liceat apud nos jurare deosculando Biblia protestantica?*

RESP. *Neg.*, quia talis actus est de se approbativus illius libri et præterea scandalum posset gignere. Neque dicas difficile esse secus agere,

nam petenti dari solet versio catholica, vel etiam permittitur ut juraturus eam secum afferat.

NOTA. *De juramentis servandi secretum, quæ fieri solent apud societates operariorum, dicetur ubi de societatibus occultis in tractatu de censuris.*

ARTICULUS II.

DE OBLIGATIONE JURAMENTI PROMISSORII.

225. ***Dico*** 1°. Omne juramentum promissorium de re licita et honesta, præter obligationem fidelitatis aut etiam justitiæ, obligationem quoque religionis inducit; at nullo modo obligat, si est de re illicita aut plane inutili. Ratio *primi* est, quia, accedente novo vinculo imposito a diversa virtute, nova exurgere debet obligatio. Ratio autem *secundi*, quia juramentum, utpote actus religionis, non potest esse vinculum iniquitatis aut rei otiosæ: neque juramentum istud postea reviviscit, etiamsi res desinat esse otiosa aut illicita, nam juxta juris reg. 18. in 6: "Non firmatur tractu temporis quod de jure ab initio non subsistit."—Cf. Baller. not. (b) p. 307.

Dico 2°. Obligatio juramenti interpretanda est stricte, et naturam actus vel contractus cui adjicitur, omnesque ejus conditiones sequitur. Ratio *primi* est, quia jurans censetur voluisse se obligare quam minime potuit; ratio autem *secundi* est, quia juramentum non mutat naturam actus, sed ei superaddit solam religionis obligationem, et proinde easdem conditiones habere debet.—Præterea obligatio juramenti interpretanda est juxta conditiones tacitas in eo inclusas seu subintellectas, quæ sunt: 1°. si potuero sine gravi damno; 2°. si res non fuerit notabiliter mutata; 3°. si jura aut voluntas superioris non obstent; 4°. si alter fidem reciprocam servaverit; 5°. nisi alter de jure suo cedat.—Cf. S. Alphons. n. 180.

226. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *An detur parvitas materiæ in transgressione juramenti promissorii?*

RESP. *Affirm.*, probabiliter. Etenim in juramento promissorio duo sunt distinguenda, scilicet, veritas actualis promissionis, seu intentionis promissionem exsequendi, et ipsa futura executio promissionis. Porro Deus invocatur quidem uti testis veritatis intentionis; sed ad ipsam executionem quod attinet adducitur tantum uti fidejussor, seu ut per-

sona præbens auctoritatem obligationi quæ oritur ex promissione coram se facta, et aliunde valida, sicut princeps sponsalia coram se contracta sua auctoritate firmiora reddit. Quoniam autem nunc supponimus sinceram fuisse intentionem adimplendi promissionem juratam, malitia hujus transgressionis mensuranda est non ex injuria erga veracitatem Dei, sed tantum ex irreverentia illata ipsius auctoritati. Atqui hæc cum non sit directa et formalis, neque major, imo juxta S. Thomam, minor, illa quæ habetur in transgressione voti, sequitur dari posse parvitatem materiæ in transgressione juramenti promissorii.—Cf. S. Alphons. n. 173., et *Hom. Ap.* n. 13.—Baller. not. (a) p. 308.

QUAER. 2°. *An obliget juramentum promissorium errore aut dolo emissum?*

RESP. *Neg.*, si error aut dolus versetur circa rei substantiam, quia tunc simplex contractus foret invalidus; si vero afficiat circumstantias tantum accidentales, subdistinguendum est: obligat quidem in contractibus *onerosis*, at non in *gratuitis*, saltem probabiliter, si circumstantiæ utut accidentales, hujusmodi tamen sint quæ si prævisæ fuissent ab initio, a promissione simul et a juramento deterruissent.—Cf. S. Alphons. n. 175.—Baller. not. (b) p. 308.

QUAER. 3°. *An obliget juramentum promissorium metu gravi et injusto extortum?*

RESP. Controvertitur; plures affirmant, quia, licet contractus simplex irritus foret spectato jure naturali, firmus tamen efficitur accedente juramento, quod servandum est *ex religione*, quoties absque peccato servari potest. Attamen patroni hujus sententiæ tenent cum S. Alphonso, eum, qui metum passus est, posse juramenti relaxationem petere, ut ab obligatione solvendi excusetur; si vero jam solverit, posse id, quod dedit, in judicio repetere, vel occulte se compensare. Alii autem theologi non pauci simpliciter negant, quia juramentum nequit promissionem de jure naturali irritam confirmare. Juramentum enim sequitur naturam actus, cui adjicitur. — Cf. S. Alphons. n. 174. — Baller. not. (a) p. 309.

QUAER. 4°. *Quomodo cesset obligatio juramenti?*

RESP. Cessat 1°. *ab intrinseco*, sicut lex, cessatione causæ motivæ, notabili materiæ mutatione, etc.; 2°. *ab extrinseco*, tum irritatione commutatione et dispensatione, sicut votum, tum relaxatione seu remissione

obligationis facta ab eo in cujus favorem promissio jurata emissa est, quia juri suo quisque cedere potest.

QUAER. 5°. *An qui habet facultatem delegatam dispensandi in votis, possit etiam dispensare in juramentis piis, id est soli Deo præstitis, de eadem materia?*

RESP. *Affirm.*, in votis juratis, seu quando votum ipsum juramento firmatum est: accessorium enim sequitur principale. At valde controvertitur quoad juramenta independenter a voto aut sine ullo voto emissa. Multi probabiliter affirmant, quia juramenta soli Deo præstita, ob suam cum votis affinitatem, secundum communem hominum æstimationem, ut vota reputantur; unde, quamvis sint duo vincula specie diversa, in ordine ad commutationem et dispensationem reputantur quasi unum et ejusdem rationis. Specialis autem concessio datur quoad juramenta, ex stylo Curiæ, ad majorem securitatem et cautelam. Ita S. Alphonsus qui tamen putat in praxi contrarium tenendum esse, quia, inquit, dispensatio probabiliter tantum valida non potest auferre obligationem certam juramenti præexistentis.—Cf. S. Alphons. n. 190.

CAPUT III.

DE VOTO.

227. Votum est promissio deliberata Deo facta de bono meliori et possibili.—Distinguitur autem tripliciter, scilicet:

1°. *Solemne*, vel *simplex*, prout ab Ecclesia ut tale acceptatur, seu ratum habetur, aut seclusa tali Ecclesiæ acceptatione emittitur.

2°. *Personale*, vel *reale*, prout actio vel omissio, aut res aliqua ab actione personæ separabilis, promittitur.

3°. *Temporarium*, vel *perpetuum*, prout ad certum tempus tantum, aut per totam vitam servandum promittitur.—Cf. Scav. lib. 2. tract. 5. n. 61. et seqq.

ARTICULUS I.

DE CONDITIONIBUS AD VOTUM REQUISITIS.

Conditiones ad voti validitatem requisitæ in ipsa voti definitione continentur, ac duæ sunt præcipuæ scilicet, intentio vera, et materia apta. Quare;

228. ***Dico*** 1°. Ad voti validitatem requiritur vera et deliberata intentio votum emittendi, seu vera promissio de se apta ad obligationem inducendam; votum enim est instar legis cujuspiam, quam vovens, capax alioquin perpendendi onus quod assumit, sibimet imponit.—Hinc votum essentialiter differt a proposito, quia propositum, quantumvis firmum, vinculum obligationis non producit, neque rei propositæ omissio est peccatum, nisi forte quandoque per accidens, v. gr., propter inconstantiam, tædium aut negligentiam, quæ per se peccatum veniale non excedunt.—Cf. S. Alphons. n. 196. et seqq.

Dico 2°. Materia voti debet esse non solum *moraliter* possibilis, sed etiam *moraliter* bona, imo melior quam ejus oppositum. Ratio *primi* est, quia nemo potest se obligare ad aliquid sibi moraliter impossibile; et ratio *secundi*, quia Deus non colitur actione cujus positio non sit melior quam omissio. Bonum autem melius hic intelligitur non solum *absolute* in se, sed etiam *relative* ad circumstantias.—Cf. S. Alphons. n. 202.

229. ***Quæsita.***—Quaer. 1°. *Quanta debeat esse deliberatio in voto emittendo?*

Resp. Communiter a theologis docetur eam deliberationem sufficere ad votum, quæ sufficit ad peccatum mortale.—Verum hoc ita profecto est, si inspiciatur in utroque casu relatio mentis deliberantis ad objectum; sed si attendatur difficilius esse deliberare circa obligationem aliquam assumendam, quam circa violationem alicujus legis, dicendum est majorem requiri judicii discretionem, seu deliberationem ad emittendum votum, quam ad patrandum peccatum mortale.—Cf. Baller. not. (c) p. 313.

Quaer. 2°. *An valeat votum factum cum inadvertentia ad obligationem jam cognitam?*

Resp. *Affirm.*, si qui votum emittit, habitualiter illius obligationem clare cognoscat, quamvis actu ad illam non attendat; vel etiam si ille, qui vovet, etsi clare obligationem non cognoscat, in confuso tamen eam apprehendat, et velit implicite, dum, v. gr., vult vovere hoc vel illud, prout cæteri vovere solent.—Tenendum tamen generaliter est, non majorem induci obligationem præter illam quam quis velit sibi imponere, atque apprehenderit.—Cf. S. Alphons. n. 201.

QUAER. 3°. *An valeat votum ex errore emissum?*

RESP. *Affirm.*, si error respiciat circumstantias accidentales minoris momenti; nam qui vovet censetur se obligare ad subeunda incommoda mere accidentalia quæ in voto adimplendo occurrere possunt. Secus vero respondendum si error versetur circa substantiam rei, aut circa circumstantias accidentales quidem, sed quæ principaliter intenduntur, vel substantiam ipsam notabiliter mutant, aut talis naturæ sunt ut si cognitæ fuissent, votum non fuisset emissum; etenim tunc res promissa non posset dici satis cognita et volita.—Attamen excipi semper debent vota emissa post novitiatum in quocumque ordine approbato; hæc enim invalida non sunt nisi ob errorem proprie et stricte substantialem. Ratio est, quia secus non satis accommodarentur firmitati quæ essentialis est statui religioso.—Cf. S. Alphons. n. 198.—Lugo, *de jure et just.* disp. 22. n. 88.—Baller. not. (b) p. 314. et not. (a) p. 315.

QUAER. 4°. *An valeat votum metu factum?*

RESP. *Affirm.*, si metus, utcumque gravis, modo non adimat usum rationis, oriatur ab intrinseco, vel a causa necessaria extrinseca; etenim ea quæ fiunt ex metu sunt simpliciter voluntaria. *Negative* vero respondendum si metus sit gravis, injustus, et incussus ad extorquendum votum. Ratio est, quia lex naturæ quæ postulat ut jus læsum in integrum restituatur, dictat non posse esse Deo acceptum quod per injuriam a quopiam extorquetur. Constat etiam ex jure canonico quoad vota solemnia Religionis, et probabilius etiam quoad cætera vota, juxta communiorem theologorum interpretationem.—Dixi *si sit gravis;* nam metus levis nunquam invalidat votum, saltem pro foro externo.—Cf. S. Alphons. n. 197.—Baller. not. (b) p. 315.

QUAER. 5°. *An voto teneatur qui dubitat utrum votum vel merum propositum emiserit?*

RESP. *Neg.*, ut constat ex dictis de probabilismo. Notandum tamen quod si ille qui ita dubitat, promittendo credidit se peccaturum si forte rem propositam non exsequeretur, judicari potest eum vere vovisse. Dico *potest*, et non *debet*, quia rudes qui pias aliquas preces suo tempore recitandas, vel se nunquam certam quamdam speciem liquoris bibituros coram sacerdote proponunt, putant sane se peccaturos si promissionem illam postea violent, et tamen certum est eos nullum votum emittere.—Cf. Baller. not. (a) p. 316.

QUAER. 6°. *An valeat votum non peccandi?*

RESP. *Affirm.*, si votum respicit omnia mortalia, vel venialia plene deliberata aut certi generis, v. gr., votum nunquam mentiendi. At non valeret votum evitandi omnia peccata etiam levissima, quia absque speciali privilegio, hoc est impossibile.—Cf. Mazzella, *de Gratia* disp. 2. art. 5.

QUAER. 7°. *An valeat votum de materia jam aliunde præcepta?*

RESP. *Affirm.*, tum quia non repugnat debitorem diversis titulis obligari; tum quia votum hujusmodi est de re bona in se, secus non potuisset præcipi; et est de bono meliori, cum novum vinculum ad majorem fidelitatem et devotionem in adimplenda lege conferre possit.—Cf. S. Alphons. n. 203.

QUAER. 8°. *An valeat votum rei bonæ cum fine pravo, aut conditione mala?*

RESP. ad 1um. *Neg.*, si finis malus se tenet ex parte rei votæ, v. gr. si voveas eleemosynam ad impetrandum felicem furti successum, vel in gratiarum actionem pro latrocinio. Ratio, quia elargitio eleemosynæ in talem finem est actio blasphematoria, quasi Deus ad peccandum opem ferat.—Secus autem dicendum, juxta communem sententiam, si mala intentio *accidentaliter* tantum votum comitetur, et finis pravus, uti ait S. Alphonsus, se prorsus teneat ex parte voventis, v. gr., si quis, vovens ob Dei gloriam, ex vana dein ostentatione libentius *externe* voveat.—Cf. S. Alphons. n. 206.

RESP. ad 2um. *Affirm.*, si votum fiat ex affectu erga rem bonam, ut bona est, etsi conjuncta cum causa seu conditione mala, ut si quis voveat eleemosynam, si non capiatur in furto. Etsi enim furtum malum sit; non lædi tamen non est malum, sed Dei donum: et votum non cadit super malum, sed super bonum, quatenus in se bonum est. Multo magis autem id valet, si votum fiat ex malæ conditionis detestatione; ut si quis voveat eleemosynam, si et quoties blasphemet.—Cf. Layman, lib. 4. tract. 5. cap. 2. n. 7.

ARTICULUS II.

DE OBLIGATIONE VOTI.

230. ***Dico.*** Obligatio voti est semper levis in materia levi: in materia autem gravi est levis vel gravis juxta voventis intentionem. Ratio est, quia votum est quasi quædam lex privata quam quis sibi imponit.—Cf. S. Alphons. n. 211. et 213., et *de Legibus* n. 143.

231. ***Quæsita.***—QUAER 1°. *An aliquis voto alieno ligari possit?*

RESP. 1°. *Neg.*, saltem ratione voti; quia votum est onus personale voluntarie susceptum, et ideo nemo rem vel actionem alienam promittere potest.—Hinc vota parentum filios devoventium cuipiam Religioni, aut ipsis imponentium obligationem, v. gr., certis diebus jejunandi, etc., istos ligare nequeunt. Ligantur tamen parentes ad hoc, ut quantum in ipsis est, salva filiorum libertate, eos opportune moveant ad id, quod pro ipsis voverant, amplectendum, ac multo magis ne filiis id amplecti volentibus obstent,—Dixi *saltem ratione voti;* nam ex *justitia* hæres vota realia defuncti solvere tenetur, et ex *obedientia* saltem, quæ obligationem transfert ad genus virtutis cujus intuitu inducitur, tenentur subditi, tum qui nunc vivunt, tum qui in posterum membra communitatis fient, adimplere vota eorum nomine a magistratu civili, assentiente Episcopo, aut a superioribus religiosis emissa.—Cf. S. Alphons. n. 213. et 216.—Baller. not (a) p. 320.

QUAER. 2°. *Quænam dilatio censenda sit gravis in adimpletione voti graviter quidem obligantis, sed quod affixum non fuerit tempori determinato?*

RESP. Si votum est in *perpetuum* obsequium Dei, puta, ingrediendi Religionem, inserviendi infirmis per totam vitam, etc., probabile videtur posse differri ejus impletionem ad duos vel tres annos absque culpa gravi, præsertim si justa haberetur causa, et ætas voventis non sit provecta. Si vero votum emissum fuerit in *temporaneum* Dei obsequium, uti esset votum tot jejuniorum, peregrinationum, etc., tunc, secluso casu quo per dilationem inducitur periculum votum nunquam implendi, probabile videtur quamcumque dilationem non pertingere ad mortale. —Cf. Baller. not. (a) p. 321.

232. ***Resolves.***—1° Vota realia de suo solvenda sunt; qui autem

nequit de suo solvere, non tenetur ab alio mendicare, ut satisfacere possit. Satisfacit tamen, si alius sive rogatus, sive sponte, pro ipso solvere velit, quamvis ipse satisfacere queat; quia quod dat alter, accedente voventis consensu vel ratificatione, fit ipsius proprium. Excipe, si materia voti realis fuerit determinata, tunc enim ea in *individuo* eroganda est.—Cf. S. Alphons. n. 217.

2°. Votum indeterminatum quoad temporis cessationem, v. gr., de rosario diurno, aut jejunio singulis sabbatis faciendo, obligat perpetuo, nisi aliud ex circumstantiis colligatur. In dubio an votum sit temporaneum vel perpetuum, aut pro mense vel anno, minimum tenendum est.—Cf. S. Alphons. n. 221.

3°. Qui vovit audire Missam per mensem vel annum, probabilius non tenetur in festis audire duas Missas nisi explicite hoc voverit; quia finis voti est, ut singulis diebus fructum sacrificii colligat. Item non tenetur jejunare die Dominica, qui per mensem, annum, vel totam vitam jejunare vovit, nisi expresse ad id sese obligaverit; quia censetur vovere jejunium juxta morem Ecclesiæ.—Cf. S. Alphons. n. 224.

4°. Qui vovit jejunium in vigilia alicujus Sancti, si hæc in diem Dominicam incidat, die sabbati, juxta morem Ecclesiæ, votum adimplere potest.—Cf. S. Alphons. ibid.

ARTICULUS III.

DE CESSATIONE VOTI.

Obligatio voti cessare potest: 1°. ob causas intrinsecas, scilicet cessatione finis seu causæ motivæ, mutatione substantiali materiæ, et impossibilitate sive physica, sive morali, ut de legibus supra dictum est; 2°. ob causas extrinsecas, scilicet irritatione, dispensatione, et commutatione, de quibus singillatim dicendum venit.

§ De irritatione votorum.

233. Irritatio voti est ejus annullatio vel suspensio facta ab eo cujus potestati subest voluntas voventis, aut materia voti. Dicitur autem *directa*, si cadat *directe* in personam seu in voluntatem voventis; *indirecta*, si cadat tantum in voti materiam. In priori casu votum omnino annullatur; in posteriori vero, suspenditur tantum ejus obligatio,

234. ***Dico*** 1°. Omnis superior, potestate dominativa in voluntatem alterius præditus, potest omnia subditorum vota directe irritare. Ratio desumitur ex jure quod tunc superior habet dirigendi voluntatem eorum, et consequenter impediendi quominus suscipiant novam obligationem. Hinc vota particularia Regularium et Monialium irritari possunt: 1°. a summo Pontifice ceu supremo omnium Regularium Prælato; 2°. a superioribus, etiam fœminis, Ordinis vel domus; 3°. ab Episcopo proprio, si Ordines ab ejus jurisdictione non sint exempti.—Cf. S. Alphons. n. 227

Dico 2°. Omnis superior vel dominus, quamvis non habeat potestatem dominativam in voluntatem subditorum, irritare potest indirecte omnia eorum vota in iis in quibus læditur ipsius potestas; quia quisque jus habet, ne in rebus suo dominio subjectis lædatur. Hinc:

1°. Maritus irritare potest vota uxoris quæ juri conjugali, filiorum educationi, vel domus gubernationi præjudicant.

2°. Uxor irritare potest vota mariti quæ matrimonii jura lædunt, ut votum castitatis, longæ peregrinationis, induendi habitum eremitæ, etc.

3°. Herus potest irritare seu suspendere vota famulorum quæ obsequium debitum impediunt vel minuunt, ut votum quotidie Missam audiendi.—Cf. S. Alphons. n. 241. et seqq.

235. ***Quæsita.***—Quær. 1°. *An pater possit directe irritare omnia filiorum vota?*

Resp. *Affirm.*, si filii sint impuberes, ut constat ex jure cánonico, *C. Puella, causa* 20. q. 2. c. 2., determinante jus naturale. Imo non solum a patre vota impuberum directe irritari possunt, sed etiam patris defectu, ab avo paterno, a tutore, et his deficientibus, a matre; imo etiam, saltem probabiliter, a matre cum pater vel tutor est præsens nec tamen contradicit.—Si autem filii sint puberes, affirmative etiam erit respondendum si agatur de votis emissis ante pubertatem, et ipsi remaneant adhuc sub paterna potestate.—Cf. S. Alphons. n. 229. 230. et 238.

Quaer 2°. *An maritus possit irritare omnia vota uxoris?*

Resp. Controvertitur; nam alii negant, et dicunt maritum posse tantum irritare *indirecte* ea vota quæ juribus suis obstant; alii vero melius, cum S. Alphonso, marito jus tribuunt irritandi etiam *directe* vota, stante matrimonio, emissa, quia ut ait Apostolus, Ephes. v. 22. et 23: "mulieres viris suis subditæ sint... quoniam vir caput est mulieris."

—Exinde sequitur conjuges qui mutuo consensu continentiæ votum emiserint, posse iterum uti matrimonio, si maritus *primum* directe irritet votum uxoris, et hæc *postea*, recuperato jure petendi debitum, indirecte irritet votum mariti.—Cf. S. Alphons. n. 234.—Baller. not. (b) p. 326.

Quaer. 3°. *An possit fieri irritatio sine causa?*

Resp. *Affirm.*, quoad validitatem, quia dominus valide disponit de re sua. Imo etiam quoad liceitatem, *per se* loquendo, seu ratione ipsius irritationis; vota enim subditorum emittuntur sub conditione consensus superioris, quem superior *per se* dare non tenetur. At vero *per accidens*, seu ratione circumstantiarum, raro aberit aliqua culpa, vel quia actus est imprudens, vel quia irrationabiliter impeditur profectus spiritualis subditi, etc. Non tamen id ex se, secluso pravo affectu aut gravi subditi nocumento, peccatum veniale excedit.—Cf. S. Alphons. n. 228.—Baller. not. (a) p. 326.

Quaer. 4°. *An superior irritare possit vota a se ratihabita?*

Resp. *Affirm.*, quia nequit sibi adimere potestatem quam in subditos habet. Contra vero si superiorem, qui semel votum subditi irritavit, postea pœnitet, non ideo votum revalidatur. Ratio est, quia per irritationem votum extinguitur; ut autem extinctum reviviscat nihil confert pœnitentia superioris qui irritavit, sed requiritur voluntas subditi qui se iterum voto obliget.—Cf. S. Alphons. n. 239.—Baller. not. (b) p. 326. et not. (a) p. 327.

§ II. De dispensatione votorum.

Dispensatio voti est absoluta ejus condonatio, nomine Dei a superiore legitimo facta.

236. ***Dico*** 1°. Soli Prælati, quibus jurisdictio in foro externo data est, a votis dispensare possunt, quia hæc potestas pertinet ad externam Ecclesiæ gubernationem, sicut potestas ferendi leges et censuras, Hinc solus Papa dispensare potest a votis pro tota Ecclesia; Episcopi autem vel Prælati regulares pro subditis tantum respectivis, et solum in votis Papæ non reservatis.—Cf. S. Alphons. n. 256.

Dico 2°. Ad validitatem dispensationis semper justa causa requiritur, quia cum vota soli Deo fiant, homo nequit ab iis dispensare, nisi tanquam delegatus; sed delegatus nequit dispensare valide sine justa

causa, ut in tractatu de legibus n. 101. dictum est.—Ita communiter cum S. Alphonso n. 250.

237. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *Quænam sint justæ causæ dispensandi in votis?*

RESP. Bonum Ecclesiæ, societatis, familiæ, et ejus etiam qui voto obstrictus est, v. gr., si scrupulis, vel gravibus tentationibus, voti causa, opprimatur; si difficultatem notabilem in voto adimplendo experiatur; si actus vovendi non fuit perfecte deliberatus, etc.—Cf. S. Alphons. n. 252.

QUAER. 2°. *An in votis, ad utilitatem alicujus tertii factis, possit superior dispensare sine ejus consensu in cujus favorem facta sunt?*

RESP. *Affirm.*, si votum non fuerit acceptatum, ut per se patet; imo etiamsi fuerit acceptatum, dummodo tamen votum sit *principaliter* in honorem Dei, et promissio non sit onerosa, id est nullum onus imponat quod jam fuerit acceptatum. Ratio est, quia tunc Deus est principalis causa promissionis, et ille tertius in cujus favorem factum fuit votum si quid juris acquisivit, non acquisivit nisi dependenter a beneplacito Dei.—Cf. S. Alphons. n. 254.—Baller. not. (a) p. 329.

QUAER. 3°. *Quænam sint vota Papæ reservata?*

RESP. Præter vota emissa in communitate religiosa, Papæ reservantur: 1°. votum castitatis perfectæ et perpetuæ, non vero votum virginitatis seu meræ carnis integritatis, aut non nubendi; 2°. votum ingrediendi Religionem aliquam ab Ecclesia approbatam; 3°. votum peregrinationis Hierosolymitanæ ad sepulcrum Christi; 4°. votum peregrinationis Romanæ ad limina Apostolorum; 5°. votum peregrinationis Compostellanæ ad S. Jacobum.—Hæc autem non sunt reservata, nisi sint absoluta, determinata, perfecta ratione materiæ et libertatis. Hinc non sunt reservata vota disjunctiva, pœnalia, conditionata, etiam probabilius, adimpleta conditione; quia votum, ut sit reservatum, procedere debet ex solo et perfecto ad rem promissam affectu.—Cf. S. Alphons. n. 258.

Adverte tamen Episcopis nostris, et per eos Missionariis fere omnibus concedi facultatem "dispensandi ex rationabili causa in votis simplicibus castitatis et religionis."—Quare apud nos, hæc reservatio fere nullam confessariis affert difficultatem, cum aliunde vota prædictarum peregrinationum rarissima sint.

§ III. De commutatione votorum.

Commutatio voti est substitutio alicujus operis loco promissi. Fieri potest triplici modo, scilicet in bonum melius, in æquale, in minus.

238. ***Dico*** 1°. Quicumque habet potestatem etiam simpliciter delegatam dispensandi a votis, habet eo ipso facultatem ea commutandi; qui enim potest plus, potest etiam minus in eodem genere.—Cf. S. Alphons. n. 246.

Dico 2°. Sacerdos delegatus ad vota *mere* commutanda, ea in opus notabiliter minus commutare nequit; quia secus magna ex parte dispensaret, et sic acceptam facultatem excederet.—Dicitur *notabiliter*, quia facultas vota commutandi non adeo stricte est interpretanda, ut ad opus omnino æquale coarctetur, sed latiori sensu accipienda est, adeo ut ad opus aliquantulum minus sese porrigat; secus enim innumeris difficultatibus et scrupulis obnoxia foret, cum difficillimum sit æqualitatem invenire in rebus omnino disparatis. Insuper commutatio debet in allevationem ejus fieri, qui sese voto obstrinxit.—Cf. S. Alphons. n. 247.

Dico 3°. Qui votum emisit, illud in bonum minus propria auctoritate commutare nequit; debet enim Deo dare quidquid promisit. Potest tamen, etiam sine causa speciali, votum suum commutare in opus evidenter melius; quia dum quis peragit opus re promissa perfectius, eo ipso id servat quod promiserat, cum perfectum in perfectiori includatur. Constat insuper ex jure can. cap. 3., *de Jurejurando.*—Opus autem melius in hac re censetur illud quod ad majorem utilitatem spiritualem voventis, ac majus Dei obsequium conducit. Excipe tamen vota Papæ reservata, nisi mutatio fiat in statum religiosum.—Cf. S. Alphons. n. 243.

239. ***Quæsita.***—Quaer 1°. *An possit ille qui votum emisit propria auctoritate commutare opus promissum in aliud omnino æquale?*

Resp. *Affirm.*, probabiliter; quia præsumitur Deus, ob benignitatem suam non minus favorabiliter acceptare opus quoad substantiam æquale, saltem ut hilarius ei præstetur oblatio.—Cf. S. Alphons. n. 244.

Quaer. 2°. *An requiratur causa aliqua ad votum in opus æquale, vel paulo minus, commutandum?*

Resp. *Affirm.*, quoad *liceitatem*, quia secus delegatus prodige commutaret, et potestate commutandi abuteretur. Quoad *validitatem* au-

tem sententia negans a S. Alphonso dicitur probabilis.—Cf. S. Alphons. n. 245.

QUAER. 3°. *An facta commutatione, liceat redire ad primum opus?*

RESP. *Affirm.*, si commutatio facta fuerit in minus vel æquale, quia primum opus est æque gratum Deo; imo etiamsi facta fuerit in melius, quia commutatio fit in favorem voventis.—Cf. S. Alphons. n. 248.

QUAER. 4°. *An debeas redire ad primum opus, si secundum fiat impossibile.*

RESP. *Neg.*, si mutatio facta sit alterius auctoritate, etiamsi tua culpa impossibile fieret; quia prior obligatio per commutationem ipsam dissoluta est. Secus vero si pro tuo arbitrio commutationem feceris, quia tunc non dissolvitur prior obligatio, sed tantum suppleri supponitur per æqualem aut meliorem.—Cf. S. Alphons. n. 249.

DE TERTIO DECALOGI PRÆCEPTO.

Memento ut diem sabbati sanctifices.—Exod. xx. 8.

Tertium Decalogi præceptum naturale est, quatenus præcipit ut aliquod tempus publico divino cultui dedicetur; quatenus vero determinate designat diem sabbati, cæremoniale est, et in lege nova abrogatum; siquidem pro die sabbati Ecclesia diem Dominicam in memoriam resurrectionis Domini nostri Jesu Christi substituit.—Præter autem diem Dominicam Ecclesia instituit alios dies festos ad recolenda Redemptionis nostræ beneficia, vel Sanctorum merita et exempla, mandatque ut illi, non secus ac dies Dominici, sanctificentur.

Hoc præceptum, quatenus affirmativum est, quædam opera præcipit, et quatenus negativum, quædam alia prohibet.

CAPUT I.

DE IIS QUÆ DIEBUS FESTIS PRÆCIPIUNTUR.

ARTICULUS I.

DE OBLIGATIONE AUDIENDI MISSAM.

240. ***Dico*** 1°. Omnes fideles usum rationis habentes tenentur *sub gravi* singulis Dominicis et festis diebus interesse Missæ, ut constat, tum ex variis juris can. locis, præsertim ex cap. Missas 64. *de Consecr.* dist. 1; item ex cap. Omnes 63. *de Consecr.* dist. 1; tum ex omnibus catechismis, in quibus indubium præceptum de Missa his diebus audienda declaratur.—Dixi *sub gravi;* agitur enim de re gravi, tum in se, tum juxta existimationem communem fidelium, et unanimem consensum theologorum.

Dico 2°. Præter istud, nihil aliud, vi præcepti positivi, præstare tenentur fideles. Quamvis enim ideo prohibita sint opera servilia, ut fideles facilius rebus divinis vacare possint, hæ tamen nulla lege præscribuntur; alioquin autem finis præcepti non cadit sub præcepto.—Dixi *vi præcepti positivi,* nam ex lege ipsa naturali tenerentur assistere concionibus seu catechesi diebus festis, si concio sit necessaria ad instructionem christianam vel morum compositionem.—Cf. Suarez, *de Relig.* tract. 1. lib. 2. cap. 16. n. 4.—Elbel, n. 385. et seqq.

Ad Missam autem rite audiendam tria requiruntur: 1°. præsentia corporis; 2°. attentio mentis; 3°. locus debitus. De singulis speciatim dicetur.

§ I. De praesentia corporis.

241. ***Dico.*** Ad Missam rite audiendam requiritur præsentia corporis moralis et continua: moralis, quatenus ita præsens quis esse debet, ubi fit Sacrum, ut possit dici unus e numero assistentium et offerentium Sacrificium: continua autem, quatenus quis perseveret ab initio ad finem Missæ, ita ut graviter peccet, si omittit notabilem ejus partem, et venialiter si partem exiguam omittit.

242. ***Quæsita.***—Quaer. 1°. *An requiratur ad hujusmodi præsentiam moralem ut quis sacerdotem videat aut ejus verba audiat?*

Resp. *Neg.,* prorsus; nam vere dicitur unus de assistentibus qui

Missæ partes distinguit sonitu campanulæ, cantu chori, etc., licet sit post columnam, aut parietem, aut etiam extra ipsam ecclesiam stet in qua turba fidelium nequit contineri, dummodo tamen non sit valde procul a janua. Quanta autem esse possit hæc distantia, quamvis Lugoni spatium triginta passuum non videatur nimia, ex locorum adjunctis debet determinari.—Cf. S. Alphons. n. 312.—Lugo, *de Euchar.* disp. 22. n. 21.—Baller. not. (a) p. 334.

QUAER. 2°. *Quænam omissio reputanda sit gravis aut levis in Missa?*

RESP. Non facile determinari potest; quamvis enim, juxta omnes, tertia pars Missæ sit notabilis, non tamen constat quænam sit tertia pars, cum pars notabilis non tantum a diuturnitate, sed a dignitate etiam dijudicari debeat. Attamen juxta communem sententiam hæc statui posse videntur;

1°. Leve certo est omittere omnia usque ad Epistolam *exclusive*, et probabilius etiam *inclusive*, imo probabiliter etiam usque ad Evangelium *inclusive*, licet S. Alphonsus oppositam sententiam probabiliorem reputet. Et hoc dicendum est etiamsi omittatur *Credo*, quia Credo non est pars regularis. Hinc excusari potest a mortali qui præsens fit Missæ dum sacerdos salutat populum antequam legat versiculum illum qui antea vocabatur *antiphona*, et nunc dicitur *offertorium*. Ratio est, quia quæ præcedunt non pertinent ad sacrificium, sed sunt veluti præparatio ad illud.—Cf. S. Alphons. n. 310.

2°. Grave est, juxta *omnes*, omittere omnia ante Evangelium et simul omnia post communionem; non vero omittere illa tantum quæ communionem sequuntur, imo nec omittere omnia ante Epistolam et omnia post communionem.—Cf. S. Alphons. n. 310.—Lacroix, n. 666.

3°. Gravis habenda est omissio *canonis* a consecratione usque ad Pater *exclusive*, quia est pars notabilis diuturnitate et dignitate. Levis autem reputatur omissio *offertorii*, sumendo hanc vocem simul pro duplici sua acceptione nempe pro recitatione *versiculi* qui in Missali ponitur post Evangelium, et pro *oblatione* panis et vini. Evangelium autem S. Joannis in fine probabiliter non est pars Missæ, quia ante illud jam dimittitur populus per benedictionem.

4°. Grave est omittere consecrationem et communionem; imo et solam consecrationem, quia est pars dignissima, in qua, saltem præcipue,

consistit sacrificii ratio. Quin imo probabilius grave est uni tantum consecrationi non adesse; quia essentia sacrificii probabilius in utraque consecratione consistit.—Utrum vero solam communionem præterire sit grave, controvertitur; affirmativa sententia est S. Alphonso probabilior, quia existimat essentiam sacrificii etiam in communione consistere. Communior tamen sententia eam in sola consecratione reponit. —Cf. S. Alphons. *Hom. Ap.* n. 33.

QUAER. 3°. *An præcepto satisfaciat audiens duas dimidias Missas a diversis sacerdotibus tum simultanee, tum successive?*

RESP. *Neg.*, si audiat simultanee. Ratio deducitur ex interpretatione communi legis, et confirmatur propositione 53. ab Innoc. XI. damnata, quæ sic sonat: "Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit." Si vero audiat successive, iterum negandum est, si consecratio et communio non sint in eadem parte; quia Ecclesia præcipit fidelibus, ut intersint integro et perfecto sacrificio. Illud autem non habetur, saltem quoad integritatem, nisi tum consecratio, tum communio in eadem Missa conveniant. Secus autem dicendum probabiliter, si consecratio et communio in eadem parte Missæ reperiantur; quia tunc ratio integra sacrificii in eadem parte habetur.—Cf. S. Alphons. n. 311., et *Hom. Ap.* n. 34.

QUAER. 4°. *An debeat reliqua audire, qui post consecrationem advenit?*

RESP. *Neg.*, probabiliter, quia jam deest essentia sacrificii; cessat proinde obligatio illi assistendi, cum præceptum per hoc impleri non possit. Verum si quis veniret ante consecrationem tenetur ad reliquam partem Missæ propter rationem contrariam, et communem Doctorum auctoritatem.—Cf. S. Alphons. n. 310.—Baller. not. (b) p. 336.

§ II. De attentione mentis.

Attentio ad Missam duplex distinguitur, *interna* scilicet et *externa*. Prima habetur cum quis animum applicat ad ea quæ a sacerdote peraguntur, et hæc iterum tripliciter distinguitur prout animus applicatur vel ad ipsa verba materialia et actiones sacerdotis, vel ad sensum verborum et mysteriorum, vel tandem ad Deum ipsum per pias preces et meditationes.—Attentio autem externa consistit in cavenda

quavis actione externa quæ impediat mentis applicationem, v. gr., confabulari, pingere, etc.

243. ***Dico.*** Sufficit ad Missam rite audiendam quælibet attentio interna ex tribus modo expositis, at sola externa conjuncta cum voluntate audiendi Missam requiritur ad impletionem præcepti. Ratio *primi* est, tum quia per quamlibet earum attentionum mens dirigitur ad cultum divinum, tum quia theologi omnes, etiam rigidiores, in hoc conveniunt. Ratio autem *secundi* est, quia per attentionem externam simul et voluntatem audiendi Missam sufficienter habetur præsentia humana, moralis et religiosa, et consequenter apta ad colendum Deum.—Atqui hoc omnino, et hoc solum requiritur ad satisfaciendum præcepto. Ergo, etc.—Cf. S. Alphons. n. 313.—Lugo, *de Euchar.* disp. 22. n. 23.

244. QUAERES. *An satisfaciat præcepto qui tempore Missæ peccata confitetur?*

RESP. Controvertitur; sed certe inquietandi non sunt, non solum illi qui, rei alicujus gravis peccati, non possunt ad aliam horam remittere confessionem absque magno incommodo, saltem quia tunc excusantur ab auditione Missæ, sed neque pœnitentes pii qui paucis momentis confessionem absolvunt. Qui autem prolixiorem facerent confessionem, probabiliter, juxta plures, satisfaciunt si tamen aliquo modo ad Missam attendant.—Cf. Baller. not. (a) p. 339.

245. ***Resolves***—1°. Satisfaciunt præcepto Missæ, sacristæ, musici, organistæ, tympanistæ, etc.; quia eorum actus ad Dei cultum referuntur, nec necessariam impediunt attentionem ad ea quæ in altari peraguntur.—Cf. S. Alphons. n. 317.

2°. Satisfaciunt, qui eleemosynas colligunt, modo ad Missam saltem confuse attendant. Si autem prævideant, se hanc attentionem præstare non posse, aliam Missam audiant, si commode possunt.

3°. Satisfaciunt, qui conscientiam tempore Missæ discutiunt, ut confiteantur, vel sacramentalem pœnitentiam persolvunt, aut etiam orationem, quovis titulo debitam, faciunt; quia ita mens ad Deum dirigitur, et aliunde duplici præcepto simul satisfieri potest, si res præceptæ possint eodem tempore præstari. Item qui legunt librum aliquem spiritualem, non tamen historias sacras animo discendi stylum.—Cf. S. Alphons. n. 314.

4°. Satisfaciunt, etiam qui involuntarie distrahuntur, toto licet sacri-

ficii tempore, nisi alienis cogitationibus ita abripiantur, ut nullatenus attendant; tunc enim non magis satisfaciunt, quam involuntarie dormientes per notabilem Missæ partem, licet a peccato excusentur. Dormitans autem interdum inter Sacrum satisfacit, aut saltem non graviter delinquit, modo aliqua ratione advertat ad id quod fit.—Cf. S. Alphons. n. 316.

5°. Minime autem satisfaciunt, qui de re seria confabulantur per notabilem Missæ partem, vel imagines attente considerant, apparatus templi oculis lustrant, inscriptiones aut alia profana legunt, scientias meditantur, pingunt aut alia similia peragunt, nisi hæc fiant interrupte, aut ita ut attentionem non omnino impediant.—Cf. S. Alphons. n. 317.

§ III. De loco debito.

Quoad locum debitum audiendi Missam duplex occurrit quæstio. 1°. An præcepto satisfieri possit in oratoriis privatis?—2°. An sit obligatio assistendi Missæ in parochia, seu Missæ parochiali?—Quare:

I. Quoad oratoria privata.

246. ***Dico*** 1°. Illa tantum sacella hoc nomine vocantur quæ ex privilegio speciali a Romano Pontifice concesso in aliqua domo privata eriguntur ut ibi peragantur divina mysteria.—Non censentur vero privata, sed ut publica sunt habenda, saltem quoad præceptum audiendi Missam, ea oratoria quæ legitime erecta sunt in seminariis, monasteriis, seu domibus Religiosorum vel Monialium, aliarumve communitatum, ut in conservatoriis, carceribus, nosocomiis, et etiam in domibus Episcoporum.—Cf. S. Alphons. n. 318.

Dico 2°. Certum est, satisfacere præcepto audiendi Missam in oratorio privato, omnes qui in Indulto comprehenduntur, nempe dominum oratorii cum suis et familiaribus qui, ejus servitio addicti, famulatus causa sunt ei, tempore Missæ, actu necessarii. Excipiuntur dies festorum præcipuorum, nempe Paschatis, Pentecostes, Natalis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis, Assumptionis, S. Petri, et omnium Sanctorum; item Annuntiationis, Feriæ V. in Cœna Domini, et S. Titularis Ecclesiæ: et his quidem diebus prorsus interdicitur in ejusmodi oratoriis celebrare, nisi *expresse* obtineatur contrarium.—At extranei non satisfaciunt ut constat ex verbis Indulti, quod ordinarie sic sonat: "Vo-

lumus, ut qui de familia non sunt, non censeantur liberi ab obligatione audiendi Missam in ecclesia."—Cf. S. Alphons. n. 319. et seqq.

247. QUAERES. *An teneatur dominus uti privilegio, si ecclesiam adire non possit?*

RESP. *Affirm.*, juxta S. Alphonsum, si sacerdotem commode habere valeat; et hoc quidem, ait S. Doctor, non ex vi privilegii, sed ex vi præcepti quod obligat ad Missam audiendam omnes qui illud sine gravi incommodo implere valent. Hinc addit, teneri privilegiatum, si commode possit, providere de sacerdote, non solum sibi, sed etiam aliis de familia, si quis eorum nequeat ad ecclesiam accedere.—Hæc eadem doctrina applicari debet privilegio altaris portatilis quo gaudent aliqui Missionarii nostrates. Quare ait Kenrick, "Qui habet privilegium celebrandi in altari portatili debet eo uti in die Dominica, festave, si alias Missam ipse audire nequeat, dummodo tamen possit reverenter tantum munus obire, iis in rerum adjunctis in quibus eum versari contigerit. Ceterum si inter acatholicos solus versetur in itinere non tenetur ad celebrandum, cum vix possit debita sacrificio reverentia servari."—Cf. Kenrick, tract. 4. part. 2. n. 15.

II. **Quoad Missam parochialem.**

248. ***Dico*** 1°. Certum est, exstitisse olim obligationem assistendi Missæ parochiali, saltem semel *tribus Dominicis continuis.* Constat ex antiquissima et universali consuetudine Ecclesiæ, innumeris Decretis Conciliorum particularium confirmata, præsertim Conc. Eliberitani, cap. 21. an. 343; Sardicensis, cap. 14. et 15. an. 347; item, ex Bened. XIV. *de Syn.* lib. 11. cap. 14. n. 7.

Dico 2°. Certum est juri antiquo derogatum fuisse partialiter per privilegia Regularibus concessa, etiam post Conc. Trid. Constat præsertim ex constitutione Pii V. *Etsi mendicantium*, an. 1567. ubi dicitur: "Christi fideles audiendo Missam et alia divina Officia in ecclesiis Fratrum hujusmodi (mendicantium) diebus Dominicis et festis, præcepto Ecclesiæ satisfecisse censeantur."

Dico 3°. Certum est autem eidem juri antiquo universaliter derogatum esse generali consuetudine contraria dudum legitime præscripta. Constat tum ex testimonio multorum theologorum; tum præsertim ex Benedict. XIV. *de Synod. diœces.* loco citato, ubi asserit, Decretis Conciliorum et summorum Pontificum obligationem statuentibus dero-

gatum fuisse contraria consuetudine; imo Episcopum pœnis adigere non posse subditos ad Missam neque ad concionem in parochia audiendam, sed tantum illos exhortandos esse, et ideo Constitutiones Episcopi Midensis, hac de re latas, ex Sacræ Congregationis Conc. Trid. sententia reformatas fuisse.

Dico 4°. Ad hanc regionem quod spectat certius adhuc est nullum esse præceptum audiendi Missam parochialem; cum in pluribus Diœcesibus deficiant parochiæ proprie dictæ, ac proinde ait Kenrick: "His in provinciis satisfacit præcepto qui Missam quolibet in loco reverenter audit."—Cf. Kenrick, tract. 4. part. 2. n. 14.

ARTICULUS II.

DE CAUSIS A MISSA EXCUSANTIBUS.

249. ***Dico.*** Excusat a Missa audienda quævis causa mediocriter gravis, seu quæ involvit notabile et saltem mediocre quoddam incommodum vel damnum in bonis animæ vel corporis proprii aut proximi. Constat ex communi theologorum doctrina, et fidelium consuetudine quæ est optima legum interpres.—Cf. S. Alphons. n. 324.

250. ***Resolves.***—1°. Excusantur agroti, infirmi, convalescentes quibus nocet foras prodire, etiamsi nocumentum hoc probabile tantum appareret. Item qui infirmos custodire debent.—Cf. S. Alphons. n. 325.

2°. Excusantur qui custodiunt domum, aut qui cibos parare debent, aut similia necessaria peragere.—Cf. S. Alphons. n. 326.

3°. Excusantur matres et nutrices quæ neminem habent cui relinquant parvulos, nec eos ad ecclesiam ducere possunt.—Cf. S. Alphons. ibid.

4°. Excusantur sæpe qui ab ecclesia longe distant, ita ut ad eam accedere sine magna difficultate, præsertim hiemali tempore, non possint.

5°. Excusantur famuli, si ministerium suum omittere non possint sine gravi detrimento domini, aut si ab eo prohibeantur, nec alium dominum facile invenire queant. Sedulo tamen curare debent ut impedimenta removeant, si possint.—Cf. S. Alphons. n. 327.—Reuter, n. 288.

6°. Excusantur qui si Missam audirent, amitterent occasionem notabilis lucri.—Cf. S. Alphons. n. 332.—Elbel, n. 368.

7°. Excusantur qui notabilem verecundiam paterentur si ad eccle-

siam pergerent; nam verecundia, pro fœminis præsertim, majus incommodum reputatur quam frigus, aut longum iter pedestre. Quare excusari possunt fœminæ ex delicto gravidæ, vel quæ non habent vestes decentes et proprio statui convenientes, aut cum earum proclamationes matrimoniales fieri debent.—Cf. S. Alphons. n. 330.—Kenrick, tract 4. part. 2. n. 20. et 21.

251. QUAERES. *Quænam distantia excuset a Missa?*

RESP. Non potest absolute assignari, sed ex adjunctis personarum, locorum et temporum determinanda est.—Juxta multos regulariter excusat distantia trium milliarium, seu iter pedestre unius horæ, atque etiam quid minus si plueret aut ningeret. Hæc autem distantia apud nos sæpe parva videri posset præsertim in civitatibus ubi currus ad manum sunt, et etiam ruri ubi viri sæpe et facillime utuntur equis.—Cf. S. Alphons. n. 329., et *Hom. Ap.* n. 41.—Kenrick, tract. 4. part. 2. n. 19.

CAPUT II.

DE IIS QUÆ DIEBUS FESTIS PROHIBENTUR.

252. Triplicis generis opera distinguenda sunt: 1°. opera *servilia* seu corporis, quæ nempe per corpus exercentur, et ordinantur immediate ad corporis utilitatem, atque a servis seu mercenariis fieri solent; 2°. opera *liberalia* seu animi, quæ potius animi viribus peraguntur, et ad animum excolendum pertinent, atque a personis liberis ordinarie exercentur; 3°. opera *communia* seu naturalia, quæ ab omnibus indiscriminatim fiunt. Distinguuntur etiam opera *forensia,* quæ ad forum judiciale aut mercatum spectant. Adverte tamen optimam rationem distinguendi inter diversa hæc opera desumendam esse ex consuetudine et communi hominum æstimatione.—Cf. S. Alphons. n. 272.—Kenrick, tract. 3. n. 78.—Baller. not. (a) p. 347.

253. *Dico* 1°. Prohibentur *per se* sub gravi, omnibus fidelibus opera servilia proprie dicta diebus Dominicis et festis integris, id est, toto die naturali, de media nocte ad mediam noctem. Constat tum ex jure canonico, cap. *Licet* 3. *de Feriis,* tum ex consuetudine et praxi perpetua Ecclesiæ.

Dico 2°. Prohibentur etiam opera forensia, nempe actiones foren-

ses, quæ cum apparatu judiciali habentur, ut partes interrogare, testes et advocatos audire, sententiam ferre, etc. Ita ex jure canonico, cap. *Omnes* 1. et cap. *Conquestus* 5. *de Feriis.* Excipe tamen, si quando causa criminalis jam incepta interrumpi sine gravi incommodo vel damno nequeat.—Cf. S. Alphons. n. 284.—Kenrick, tract. 3. n. 83.

Dico 3°. Eodem jure prohibentur mercatus, nundinæ, venditiones publicæ, et alia similia, quæ cum strepitu fiunt. Excipiuntur tamen, ob consuetudinem generaliter receptam, nundinæ ad certam diem constitutæ, si in diem festum incidant, ut declaravit Benedict. XIV. Const. *Ab eo tempore*, etc.—Cf. S. Alphons. n. 286.

Dico 4°. Licita sunt opera *liberalia*, opera *communia*, et opera aliqua quæ videntur *servilia*, sed requiruntur ad quotidianum usum, victum, necessitatem et dispositionem corporis, vestium, vel domus, ut coquere cibos, sternere lectos, verrere domum, et alia quæ commode differri vel anticipari aut non possunt, aut non solent. Ita ex praxi communi et sensu fidelium.

254. ***Quæsita.***—Quaer. 1°. *An liceat sculpere vel pingere die festo?*

Resp. *Affirm.* ad utrumque, saltem probabiliter, quia artes istæ habentur et sunt liberales, vel aliquid medium inter liberales et serviles. Præterea sunt quid scriptioni simillimum quæ certe licita est. Excipe tamen illud genus sculpturæ vel picturæ quod magnum corporis exercitium requirit, et ita forte intelligendus est S. Alphonsus qui sculpturam illicitam esse dicit.—Cf. S. Alphons. n. 280. et seqq., et *Hom. Ap.* n. 10.

Quaer. 2°. *An liceat molere die festo?*

Resp. *Affirm.*, probabilius, si mola volvatur aqua vel vento, quia tunc nullus vel fere nullus hominum labor requiritur. Secus autem si major exigatur hominis cooperatio.—Cf. S. Alphons. n. 277.—Lacroix, n. 578.

Quaer. 3°. *An peccet graviter, qui die festo mandat sex famulis, ut laborent per unam horam?*

Resp. *Neg.*, probabilius *per se*, sive famuli laborent simul, sive successive, quia opera famulorum non uniuntur in unum, et singuli tantum venialiter peccant; ergo venialiter tantum peccat dominus eos ad opus inducens sub veniali culpa vetitum. A fortiori non peccant, saltem

contra hoc præceptum, illi qui hominibus non baptizatis, v. gr., Sinensibus apud nos degentibus, injungunt ut opera servilia exerceant diebus Dominicis.—Cf. S. Alphons. n. 306.—Kenrick, tract. 3. n. 75. et 76.

QUAER. 4°. *Quænam materia sit gravis in opere diebus festis peracto?*

RESP. Plures ita distinguunt: si labor sit *valde servilis*, duæ circiter horæ, si *parum*, tres saltem horæ requiruntur, ut materia gravis censeatur. At S. Alphonsus, pluribus sententiis allatis, magis accedit sententiæ P. Lacroix generaliter concludentis, quod communior et probabilior nunc est sententia, non esse mortale, nisi laboretur saltem multum ultra duas, puta duas horas cum dimidio.—Cf. S. Alphons. n. 305., et *Hom. Ap.* n. 25.

255. Ex hisce solutionibus, quæ ad exemplum datæ sunt, jam patet quid sit tenendum de multis similibus casibus. Nunc vero præstat aliquid practice innuere de tribus præcipuis causis quarum vi cessat obligatio abstinendi ab operibus servilibus. Igitur:

I. Ratione *caritatis* licet die festo 1°. facere quod est necessarium ad infirmos sublevandos; 2°. fodere sepulturam ad mortuum sepeliendum; 3°. laborare pro aliquo paupere determinato, cui ratione gravis necessitatis laborare liceret; non tamen pro pauperibus in genere, nisi peculiaris etiam necessitas urgeat.—Cf. S. Alphons. n. 294., et *Hom. Ap.* n. 17.

II. Ratione *pietatis* licet 1°. facere omnia opera proxime ad cultum Dei inservientia, ut ornare templum, altare, etc.; 2°. verrere ecclesiam, aliaque præparare quæ ad ejus munditiem pertinent. Non autem licet ecclesiam ædificare, reparare, lapides ad hoc secare, ornamenta facere, etc.; quia hæc remotius ad servitium divinum inserviunt.—Cf. S. Alphons. n. 292. et 293., et *Hom. Ap.* n. 17.

III. Ratione *necessitatis* sive propriæ, sive alienæ, tum animæ tum corporis excusantur 1°. pauperes qui aliter se suosque alere non possint, modo privatim, et secluso scandalo laborent; 2°. omnes quorum opera incepta interrumpi nequeunt sine magno damno, ut fundentes ferrum, etc.; 3°. pistores qui panem recentem habere debent, ut ementibus satisfaciant; 4°. sartores qui conficiunt vestes funebres aut nuptiales, quas neque per se neque per alios ante festum perficere valent; 5°. agricolæ, qui ob præteritam aut imminentem pluviam, fœnum vel segetes vertunt, ligant, vehunt; 6°. famuli ad laborandum coacti, si alium domi-

num facile et cito invenire sine magno incommodo non possint; 7°. fabri ferrarii qui equos in via vel a rusticanis adductos calceant, aut vomeres agricolis die sequenti necessarios reducunt; necnon ii qui currus casu fractos, pontes aut vias publicas reficiunt, si opus sine jactura boni publici differri nequeat; 8°. ii qui laborant ad utilitatem publicam urgente aliqua necessitate, v. gr., si agatur de celebranda victoria aut alterius publicæ exultationis gratia; 9°. illi qui diurno labore se sustentant si deberent *notabile* et *extraordinarium* lucrum amittere; 10°. illi omnes qui tabacum plantant si post imbres pridie lapsos timendum sit ne alia desit opportunitas; 11°. qui vasa arboribus ex quibus sacchari liquor fluit, supponunt, eumque in vas aliud deinceps transferunt, quando contingit paucis præterea diebus liquorem manare.—Cf. S. Alphons. n. 296. et seqq.—Kenrick, n. 90. 91. et 93.

DE QUARTO DECALOGI PRÆCEPTO.

Honora patrem tuum et matrem tuam.—Exod. xx. 12.

Hoc præceptum *primario* et *directe* certas imponit filiis obligationes erga parentes: *secundario* autem et *indirecte* respicit parentes. Respicit etiam, quamvis *implicite*, mutuas aliorum superiorum et inferiorum obligationes; at quoniam de istis, servata proportione, idem generatim est tenendum, tantum de obligationibus filiorum erga parentes, et parentum erga filios hic dicemus.

CAPUT I.

DE OBLIGATIONIBUS FILIORUM ERGA PARENTES.

256. Quoniam triplicem respectum habent parentes ad filios, nempe ratione causæ, ratione præeminentiæ, et ratione regiminis; tria sunt officia, quæ filii præstare debent parentibus titulo pietatis, scilicet amorem, reverentiam, et obedientiam. Quare amare eos debent ut suæ existentiæ auctores, revereri ut superiores, eisque tanquam rectoribus a Deo legatis obedire.—Igitur:

257. ***Dico*** 1°. Filii parentes amare debent amore tum *interno*, ipsos pio et benevolo cordis affectu prosequentes; tum *externo*, omne

malum et injuriam ab ipsis propulsantes, necnon externæ benevolentiæ signa iis exhibentes, iisque in necessitate constitutis pro facultate subvenientes. Constat ex ipso jure naturæ; nam quantumvis graves sint defectus quos genitores nostri habeant, et quæcumque sit ratio qua erga nos se gesserint, semper tamen eis debemus vitam et conservationem, quod omnium sane beneficiorum maximum est. Hinc Eccli. vii. 29. et 30: "Honora patrem tuum, et gemitus matris tuæ ne obliviscaris: memento quoniam nisi per illos natus non fuisses; et retribue illis, quomodo et illi tibi."

Dico 2°. Filii exhibere debent parentibus reverentiam tum internam, tum externam, debent scilicet eos agnoscere et tum verbis tum factis tractare ut superiores; etenim sunt tales designati ab ipsa natura.—Hinc Eccli. iii. 9: "In opere et sermone, et omni patientia honora patrem tuum."—Et ibid., 8: "Qui timet Dominum, honorat parentes, et quasi dominis serviet his qui se genuerunt."—Deut. xxvii. 16: "Maledictus qui non honorat patrem suum et matrem; et dicet omnis populus: Amen."

Dico 3°. Filii parentibus obedientiam præstare debent in omnibus licitis et honestis ad eorum educationem pertinentibus, dum sub eorum potestate versantur. Constat ex jure naturali et ex Scriptura, v. gr., Ephes. vi. 1: "Filii, obedite parentibus vestris in Domino; hoc enim justum est."—Coloss. iii. 20: "Filii, obedite parentibus per omnia; hoc enim placitum est Domino."—Dixi 1°. *in omnibus licitis et honestis,* quia in rebus evidenter pravis filii nec obedire debent, nec possunt.—Dixi 2°. *ad eorum educationem pertinentibus;* nam in iis quæ pertinent ad electionem proprii status filii sunt independentes, et graviter peccarent parentes si directe, vel indirecte eos cogerent ad statum religiosum potius quam conjugalem eligendum aut vice versa.—Dixi 3°. *dum sub eorum potestate versantur;* nam si filii v. gr., uxorem ducant novamque familiam constituant vel statum religiosum amplecterentur, quamvis semper debeant parentibus amorem et reverentiam, cessat proprie officium obedientiæ.

258. ***Resolves.***—1°. Graviter peccant filii, si parentes percutiant aut percutere attentent etiam leviter, sed injuriose. Quod crimen vetustis etiam temporibus adeo visum est atrox, ut olim apud Hebræos

morte plecterentur quicumque illud admisissent; nam dicitur, Exod. xxi. 15: "Qui percusserit patrem suum, aut matrem, morte moriatur."

2°. Graviter peccant, si parentibus maledicant, ut patet ex verbis Exod. xxi. 17: "Qui maledixerit patri suo vel matri, morte moriatur;" vel si convicia in eos conjiciant, eosque injuriis aut verbis contumeliosis, quibus sciunt graviter eos offendendos esse, afficiant; si ipsis graviter illudant risu, subsannationibus, gesticulationibus, improperiis, derisionibus, aspectu torvo, etc., modo tamen hæc ex despectu, non vero ex levitate, aut simplici rusticitate fiant.

3°. Graviter peccant si parentes pauperes, miseros, male vestitos despiciant, aut erubescant, aut agnoscere recusent, aut ut incognitos et extraneos habeant. Excipe tamen, si secluso contemptu ac superbia, justam ob causam fingant se illos non agnoscere, v. gr., ad vitandum aliquod incommodum quod incurreret filius, si parentes ejus noscerentur, etc.

259. Notandum hic est non raro in praxi a peccato gravi excusari posse inobedientiam filiorum ob animi levitatem, inadvertentiam, vel ob quamdam negligentiam humanam, et sæpissime ob parvitatem materiæ. Imo sæpe ab omni culpa immunes censeri debent ob defectum præcepti rigorosi. Ut enim peccatum præsertim grave contra obedientiam committatur, requiritur ut parentes videantur stricte præcipere, non vero solum suadere, sollicitare, aut mentem suam significare. Dignoscitur autem præceptum verum injungi ex modo serio seu severo quo res præcipitur, et ax aliis adjunctis, v. gr., ex necessitate et magnitudine rei præceptæ, et pœna apposita, etc.

CAPUT II.

DE OBLIGATIONIBUS PARENTUM ERGA FILIOS.

Parentes multis obligationibus tenentur erga filios, eisque præcipue debent amorem et educationem tum corporalem, tum spiritualem. Igitur:

260. ***Dico*** 1°. Parentes prosequi debent suos filios amore vero, efficaci, et ordinato. Ratio hujus obligationis in ipsis naturæ visceribus et titulo generationis fundatur. Etenim, sicut natura impellente, unusquisque seipsum amare debet, ita parentes filios veluti aliquid sui,

seu carnem de carne sua diligere tenentur.—Dixi 1°. amore *vero*, scilicet tum interno cordis affectu, tum externo procurando eorum bonum quantum in ipsis est.—Dixi 2°. *efficaci* quatenus parentes non debeant ob segnitiem vel crudelem benignitatem remissius agere cum filiis, negligendo eos a vitiis retrahere præceptis severioribus aliisque aptis remediis.—Dixi 3°. *ordinato* quatenus nempe præferri debeat bonum spirituale filiorum eorum bono temporali, et inter diversa genera bonorum temporalium illud quod potius est, et magis ipsis necessarium.—Hinc:

1°. Graviter peccare possunt parentes si pravo affectu in filios incenduntur, eosque suo aspectu dedignantur; 2°. si eos nominibus graviter contumeliosis compellant; 3°. si omnia ipsis concedant aut permittant ne eos contristent; 4°. si uni præ aliis plurimum favent sine justa ratione, cæterosque indifferenter intuentur, aut etiam sicut adulterinos habent.

***Dico* 2°.** Debent parentes filiis procurare congruam educationem corporalem, scilicet non solum nihil positive agere contra ipsorum vitam a momento conceptionis, sed etiam ea omnia media præstare quæ necessaria sunt ad vitam alendam, viresque conservandas et perficiendas, et futurum statum iis præparare juxta propriam conditionem. Constat ex jure naturæ, juxta quam videmus bruta ipsa, postquam fœtus genuerunt, magnopere adlaborare ad vitam ipsis conservandam victumque conquirendum. Hinc:

1°. Graviter peccare possunt parentes si filios domo ejiciunt absque sufficienti ratione, dum non possunt adhuc sibi ipsis satis prospicere; 2°. si diligentiam saltem mediocrem non adhibent ut acquirant bona ex quibus liberos convenienter sustentent, et futuro statui eorum provideant; 3°. si artem statui congruentem aliudve genus decenter vivendi filios non docent, nec docendos curant.

***Dico* 3°.** Tenentur præcipue parentes filiis procurare educationem spiritualem. Ratio est quia homo, præter esse materiale seu corporale, quod cum cæteris animalibus commune habet, donatur a Deo anima rationali ac nobilissima, ad Divinitatis ipsius imaginem creata; et conditus est ut in Deum ceu ultimum finem supernaturalem tendat. Proinde a parentibus maxime in hunc finem instrui et dirigi debet; ideo enim matrimonium ad dignitatem sacramenti evectum est, ut nata proles in Christo renascatur, et ad vitam æternam præparetur.—Hinc:

1°. Graviter peccant aut peccare possunt parentes si data opportunitate

non curant filios quam primum gratia Baptismatis regenerari; 2°. si eos non docent aut doceri satagunt præcipua capita doctrinæ christianæ, eorumque mores non informant a tenerrima pueritia ad normam divinæ legis; 3°. si eos delinquentes non corrigunt, adhibita etiam virga, prudenter tamen, moderate, et opportune; 4°. si demum prava exempla ipsis præbent, aut verba turpia, vel blasphemias coram ipsis proferunt.

261. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *An mater filiolos proprio lacte nutrire debeat?*

RESP. *Affirm.*, cum sententia communi, quia hoc jus naturale postulare videtur. Attamen hæc obligatio non urget sub gravi, quia non apparet in hoc gravis deordinatio. Ab omni autem culpa excusat necessitas, notabilis utilitas, aut consuetudo apud familias nobiles vigens, etc.; sed tunc sub gravi mater bonam, quoad mores et valetudinem, nutricem sibi substituere debet.—Cf. S. Alphons. n. 336. Bened. XIV. *de Syn. diœc.* lib. 11. cap. 7. n. 9. 10. et 11.—Kenrick, tract. 8. n. 85.

QUAER 2°. *An graviter peccent parentes qui nulla, aut futili tantum de causa, prolem recenter natam ad brephotrophia adducunt, aut ad privatorum ædes exponunt?*

RESP. *Affirm.*, et quidem tum contra pietatem quam filiis debent, tum contra justitiam, imponendo brephotrophiis vel privatis onus grave absque ratione. Quod si competenti pecunia redimunt curas in bonum prolis impensas, peccant tantum contra pietatem quia naturalibus prolis exigentiis, in tenerrima præsertim ætate, maternus tantum instinctus potest congrue satisfacere. Accedente autem justa causa, nullum est peccatum; imo tunc parentes etiamsi divites sint, probabiliter non tenentur ad pecuniariam compensationem si publicis brephotrophiis prolem committunt.—Cf. S. Alphons. n. 336. et tract. 5. n. 656.—Kenrick, tract. 8. n. 84. et seqq.

QUAER. 3°. *Quid dicendum de illis parentibus qui, egestate compulsi, aut ad evitandam infamiam, prolem collocant apud brephotrophia protestantica?*

RESP. Si tantum periculo vitandi infamiam hoc faciunt, certo non excusantur a peccato gravi; quia, adhibita pecunia, possent multis aliis mediis propriæ famæ prospicere, et simul æternæ prolis saluti. Quod si maxima opprimuntur egestate, et a fortiori, si egestati superadditur periculum infamiæ, noster Kenrick non audet eos damnare, qui ita pro-

prios filiolos exponunt, cum eo animo tamen et spe, ut, collato nunc baptismo, in posterum meliori modo quo poterunt æternam eorum salutem satagant obtinere.—Cf. Kenrick, n. 84.

QUAER. 4°. *An liceat parentibus filios mittere ad scholas positive malas, cum adest gravissima causa?*

RESP. *Neg.*, prorsus, quia parentes ita agentes prolem exponunt evidenti et proximo periculo æternæ salutis, quod nunquam licere potest, non obstante malo temporali etiam gravissimo, ac proinde parentibus istis absolute deneganda est absolutio nisi resipiscant. Scholas autem positive malas eas voco in quibus hæresis, impietas, aut morum corruptela docetur.

QUAER. 5°. *Quid dicendum de scholis publicis prout generatim apud nos existunt, in quibus nempe præscinditur a religiosa educatione?*

RESP. 1°. Per se loquendo, et inspectis principiis juris tum positivi tum naturalis, hujusmodi scholæ malæ sunt, et nefas est ad eas prolem mittere.

Constat 1°. ex prop. 48. Syllabi quæ sic sonat: "Catholicis viris probari potest ea juventutis instituendæ ratio quæ sit a catholica fide et ab Ecclesiæ potestate sejuncta, quæque rerum dumtaxat naturalium scientiam ac terrenæ socialis vitæ fines tantummodo vel saltem primarium spectet."

Constat 2°. ex *Conc. Plen. Balt.* II. n. 426, ubi sic legitur: "Experientia siquidem diuturna satis superque probavit, quam gravia sint mala, quam intrinseca etiam pericula, quæ juventuti catholicæ ex frequentatione scholarum publicarum hisce in regionibus plerumque obveniunt. Vi enim systematis apud illas obtinentis, nequaquam fieri potest quin simul in magnum fidei morumque discrimen juvenes catholici adducantur. Neque alia profecto ex causa repetendi videntur progressus, quos exitialis illa Indifferentismi, ut vocant, labes hactenus in hac regione maximos habuit, habetque in dies; illa quoque morum corruptela, qua vel tenerrimam apud nos ætatem passim infici ac perdi non sine lacrymis videmus. Consuetudo enim eorum, qui aut falsam aut nullam religionem colunt, quotidiana etiam auctorum lectio et meditatio, qui sanctissimam religionem nostram et instituta, imo cœlites ipsos incessunt, rodunt, nigroque sale adspergunt, paullatim in puerorum Catholicorum animis vim ac virtutem veræ religionis elevant.

Deinde condiscipuli, quibus utuntur, iis plerumque sunt moribus et exemplis, ea loquendi agendique nefaria licentia, ut hoc commercio et usu familiari nostris adolescentibus, (licet domi optime institutis) pudor omnis ac pietas, quasi cera admoto igne, cito absumatur ac pereat."

RESP. 2°. Practice tamen loquendo, adhibitis cautelis quibus periculum imminuitur, et procurata aliunde debita educatione religiosa, quæ in illis scholis deest, non videtur negari posse absolutionem parentibus qui filios ad illas scholas mittunt, præsertim in illis locis ubi vel nullæ vel non satis idoneæ habentur scholæ catholicæ.

Constat 1°. ex *Conc. Plen. Balt.* II. n. 434. et seqq. ubi ita legitur: "In re tanti momenti, serio etiam parentes monendi sunt, ut proli suæ magis magisque invigilent, et pro recta ejus educatione diligenter consulant ac sedulo laborent; cum suis pastoribus pie conspirent, suasque opes generose diffundant, ut scholæ catholicæ parochiales quantocius erigantur ac sustententur.

"Cum autem omnibus in parœciis scholæ exclusive catholicæ, propter rerum angustias, nondum haberi queant, et nullibi sit locus pro institutione quotidiana et necessaria nisi in gymnasiis publicis, eo magis oportet omnes cautelas adhibere, ut exinde quam minimum detrimentum juventus catholica patiatur. Hunc in finem catecheses et scholæ doctrinæ christianæ instituantur. Pueros puellasque in propriam ecclesiam Dominicis et aliis diebus festivis, et quandoque etiam sæpius, pastores convocent, ut eos elementa christianæ doctrinæ studiose et diligenter edoceant."

Constat 2°. ex ratione; nam malitia scholarum istarum consistit tum in ipso systemate separationis educationis religiosæ, tum in periculo circa mores et fidem; atqui parentes qui gravi necessitate compulsi, ad illas mittunt propriam prolem, systema non approbant sed potius subeunt, et pericula, per cautelas adhibitas, vel omnino tollunt, vel magna ex parte imminuunt. Ergo.

Consule omnino apud *Acta S. Sedis* vol. 11. p. 44. Instructionem hac super re recenter missam a S. Congr. de Prop. Fide ad Ordinarios hujus regionis.

DE QUINTO DECALOGI PRÆCEPTO.

Non occides.—Exod. xx. 13.

Hoc præceptum est *expresse* negativum, et *virtualiter* positivum. Quatenus positivum est, præcipit vitæ conservationem, et quatenus negativum, prohibet primario injustam hominis occisionem, et secundario omnem injustam læsionem, vulnerationem aut mutilationem corporis, sive proprii sive alieni.—Ea autem quæ de occisione sive licita, sive illicita statuentur, mutilationi vel cuilibet corporis læsioni, servata debita proportione, applicanda erunt.

CAPUT I.

DE OCCISIONE SUI, SEU DE SUICIDIO.

262. ***Dico.*** Nemini unquam licet se directe occidere; at licet quandoque indirecte concurrere ad sui occisionem. Ratio *primi* est tum quia, ex lege naturali, homo non habet dominium directum in corpus suum, sed solum dominium utile et administrationem, siquidem illud a Deo accepit, eique repetenti reddere tenetur; tum quia homo est relate ad Deum essentialiter servus, conditio autem servi necessario exigit ut non sit in ipsius potestate tempus serviendi definire. Ratio autem *secundi* est, quia indirecte concurrere ad sui occisionem idem est ac ponere actionem ex qua, præter intentionem, propria mors sequatur. Atqui hoc quandoque licere debet, cum scilicet verificantur requisitæ conditiones de quibus dictum fuit in tractatu de actibus humanis n. 9. Ergo, etc.—Cf. S. Thom. 2-2. q. 64. art. 5.—Lugo, *de just. et jur.* disp. 10. n. 9. et 17.

263. ***Resolves*** 1°. Non licet se mutilare, nisi ad conservationem totius corporis sit necessarium, quia homo non est membrorum suorum dominus, sed custos tantum, et quidquid homo est, totum Dei est.—Cf. S. Alphons. n. 373.

2°. Item non licet se mutilare pro bono spirituali, aut ad vitandum quodlibet peccatum. Ut enim ait S. Thomas: "saluti spirituali semper potest aliter subveniri, quam per membri præcisionem, quia pecca-

tum subjacet voluntati. Et ideo in nullo casu licet membrum præscindere propter quodcumque peccatum vitandum." Adde quod ejusmodi mutilatio impotentem aliquem reddit ad generandum, non tamen eximit a tentationibus carnalibus.—Verum S. Alphonsus non rejicit ut improbabilem opinionem eorum qui dicunt hujusmodi mutilationem licitam esse ad vocis conservationem, modo absit morale periculum vitæ et non fiat pueris invitis.—Cf. S. Thom. 2-2. q. 65. art. 1.—S. Alphons. n. 374.—Baller. not. (a) et (b) p. 373.

3°. Nunquam licet macerare corpus ad vitam breviandam, neque, etiam secluso tali fine, immoderatis et prorsus indiscretis pœnitentiis graviter valetudinem pessumdare. Licet tamen, ex virtute, pœnitentiis ordinarie gravibus uti cum certa quadam vitæ abbreviatione; quia, ex communi Doctorum sententia, propter meritum, vel naturæ pravæ mortificationem aliqua longioris vitæ jactura contemni potest.—Cf. S. Alphons. n. 371., et *Hom. Ap.* n. 2.

264. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *An teneatur quis uti remediis extraordinariis ad vitam servandam?*

RESP. *Neg.*, et ratio est, quia præceptum affirmativum non est necessario adimplendum omni modo possibili, sed eo tantum qui est obvius et communis; unde non datur obligatio servandi vitam nisi mediis ordinariis, quæ nempe nec magna adducunt incommoda, nec sumptus pro varia cujusque conditione ingentes exposcunt, neque dolores admodum acerbos causant, etc. Sic, v. gr., non teneris, vitam servandi causa, pati amputationem cruris sive brachii, aut incisionem ventris ad extrahendum calculum.—Nec tenetur virgo operationem pati per manus medici, etiamsi vita periclitetur, quando ob verecundiam id ei gravissimum accidit, majoremque illi horrorem, quam ipsa mors, ingerit.—Cf. S. Alphons. n. 372., et *Hom. Ap.* n. 2.

QUAER. 2°. *An possit puella ad virginitatem servandam se exponere mortis periculo?*

RESP. *Affirm.*, saltem si mors non sit certo secutura, idque tum ob virginitatis amorem, tum ob periculum peccati quod sæpius in tali occasione habetur. Imo probabilius adhuc affirmandum est, licet mors certa secutura sit, nec adsit proximum consensus periculum, quia etiam sola corporis integritas maxime æstimatur, et est ratio sufficiens ut puella quædam possit sui occisionem permittere.—Dixi *possit* et non *de-*

beat, quia hujusmodi puella non tenetur ad mortem pro tali bono subeundam, ac proinde posset etiam permittere sui violationem, modo voluntate positive resistat, et proximum absit consensus periculum. Ratio est quia hæc permissio non est *formalis* ad peccatum alterius cooperatio, sed *materialis* tantum, et justa adest permissionis causa, scilicet mortis periculum.—Cf. S. Alphons. n. 368.—Baller. not. (b) p. 371.

CAPUT II.

DE OCCISIONE PROXIMI.

ARTICULUS I.

DE OCCISIONE REI, SEU MALEFACTORIS.

265. ***Dico.***—Quandoque licet malefactores publica auctoritate occidere, at nunquam privata. Ratio *primi* desumitur non solum ex praxi cujusvis legislationis, et universali omnium consensu; sed etiam ex eo quod Deus, auctor societatis, dicendus est contulisse eidem societati media absolute necessaria ad seipsam conservandam, et ad commune bonum procurandum. Atqui inter hæc media sæpe adnumerari debet mors quorundam malefactorum. Ergo, etc. Ratio autem *secundi* est, quia si liceret malefactores privata auctoritate interficere, omnia cædibus implerentur, et societas ipsa tota perturbaretur; ergo nequit Deus talem auctoritatem conferre, ac proinde remanet tota malitia homicidii, si quando malefactor quicumque privata auctoritate occiditur.

266. ***Resolves.***—1°. Nemini licet aliquem potestati suæ non subjectum verberando punire, nisi accedat consensus saltem tacitus illius qui potestatem habet, v. gr., patris in filium, magistri in discipulum; et ratio est quia actus puniendi supponit potestatem gubernandi.

2°. Non licet patri proprios filios, nec domino proprios servos correctionis causa mutilare aut occidere; ratio est quia punire per mutilationem et occisionem, quæ damnum irreparabile inferunt, requirit sane potestatem perfectam, quam nec pater nec dominus habet.

3°. Non licet custodibus publici ordinis malefactores aufugientes occidere, etiamsi jam fuerint ad mortem damnati, quia rectus ordo postulat ut ad eos occidendos habeatur speciale mandatum a publica auctoritate. Quod si apud nos facilius excusari videantur custodes publici

ordinis, si quando, non temere tamen, arma explodant in malefactores vel resistentes, vel fugientes, id adscribendum est vel juri sese defendendi, vel mandato speciali quod implicite habuerunt.

267. QUAERES. *Quid dicendum de ea ratione agendi erga malefactores, quæ apud nos dicitur "Lynch law?"*

RESP. Est omnino illicita; nam potestas puniendi malefactores pertinet tantum ad legitimam auctoritatem, non autem ad privatos cives. Illa ratio agendi est etiam contra Constitutionem qua regimur; nam—Amendments Art. 5.—dicitur: "Nor (*shall any person*) be deprived of life, liberty, or property without due process of law."—Quare optime ait Kenrick: "Quæ nonnullis in locis aliquando usurpata est a civibus potestas reos pro arbitrio judicandi et puniendi statim, etiam pœna capitis, ab omni justitia et ordine publico abhorret, estque immane facinus."—et alibi: "Gravissime peccare censendi sunt, qui legum spreta auctoritate, supremum vitæ ac mortis jus sibi usurpant, nulla præmissa, vel inani judicii forma." — Cf. Kenrick, tract. 3. n. 142., et tract. 8. n. 165.

ARTICULUS II.

DE OCCISIONE INJUSTI AGGRESSORIS.

268. ***Dico.*** Licet unicuique defendere propriam vitam etiam cum occisione injusti aggressoris, modo tamen servetur moderamen *inculpatæ tutelæ.* Ratio desumitur, tum ex jure canonico, cap. *Si vero.* 8. *de sent. excomm.,* ubi dicitur: "Vim vi repellere omnes leges et omnia jura permittunt;" tum ex jure naturali. Etenim quoniam unusquisque jus habet ad propriam vitam conservandam, habere etiam debet jus adhibendi media quæ sunt ad hunc finem necessaria, nec aliunde illicita. Atqui occidere injustum aggressorem quandoque est unicum medium salvandi propriam vitam, neque per hoc ullius certa jura violantur; siquidem aggressor libere et inique vocando in discrimen vitam alterius, nequit retinere jus in propriam vitam contra jus certum innocentis. Ergo, etc. Addidi tamen servandum esse moderamen *inculpatæ tutelæ,* seu nihil fieri debere contra vitam aggressoris, nisi sit absolute necessarium ad propriam vitam tuendam, quia quod necessitas non ex-

cusat, est contra justitiam.—Cf. S. Thom. 2-2. q. 64. art. 7.—S. Alphons. n. 380.

269. **Quæsita.** — QUAER. 1°. *An liceat occidere aggressorem ebrium vel amentem?*

RESP. *Affirm.*, probabilius, nisi tibi constet eum in statu peccati mortalis versari. Ratio est, quia quamvis ebrius vel amens non sit aggressor tuus *formaliter* injustus, est tamen *materialiter* injustus, nec jus tuum ad vitam per suam ebrietatem aut amentiam amittitur. Si vero certo scias, quod sane rarissimum erit, eum in statu peccati lethalis versari, a quo poterit post phrenesim aut ebrietatem resurgere, e contra vero moraliter credas te esse in statu gratiæ, caritas exigit ut salutem ejus æternam præferas vitæ tuæ temporali. Nihil tamen prohibet, etiam in ista hypothesi, quominus eum ita percutias aut vulneres, ut salva vita, impotens evadat ad nocendum.—Cf. Lugo, *de just. et jur.* disp. 10. n. 143.

QUAER. 2°. *An liceat defendere bona fortunæ magni momenti cum occisione furis, si aliter retineri non possint?*

RESP. *Affirm.*, probabilius, et ratio est, quia unusquisque jus habet conservandi bona magni momenti, et eo ipso adhibendi media ad id absolute necessaria. Aliunde præceptum caritatis non obligat ut quis præferat bona proximi, licet superioris ordinis, nisi quando proximus versetur in extrema necessitate, non autem quando sponte se exponit periculo mortis, et jura alterius lædit. Hac eadem ratione conficitur posse occidi injustum aggressorem pro defensione membrorum.—Cf. S. Alphons. n. 383. et seqq.

QUAER. 3°. *An mulieri liceat occidere invasorem pudicitiæ?*

RESP. *Affirm.*, quia pudicitia est bonum præstantius divitiis; ac proinde si licet occidere aggressorem injustum bonorum fortunæ, id a fortiori licebit ad pudicitiam servandam.—Verum nequit puella occidere aggressorem honoris sui post oppressionem, quia hoc esset vindictam sumere; potest tamen illum percutere et acerbissime tractare præsertim quia, nisi tali modo constantiam suam et displicentiam ostendat, non facile discedet homo nequam, aut facile ad sollicitationem redire poterit. —Cf. S. Alphons. n. 386.

QUAER. 4°. *An liceat occidere injustum aggressorem honoris?*

RESP. *Neg.*, prorsus, si injuria jam fuerit illata, quocumque modo ea

illata fuerit sive verbis, sive factis ; quia id non esset se defendere sed vindictam sumere quod nemini licet. Patet etiam ex secunda parte prop. 30. ab Innoc. XI. proscriptæ, quæ sic se habet: "Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc calumnia vitari nequit: idem quoque dicendum, si quis impingat alapam vel fuste percutiat, et post impactam alapam vel fustis ictum fugiat."—*Negative* etiam respondendum est, si agatur de prævenienda aut propulsanda læsione honoris *verbis tantum* illata, tum quia injuria potest et solet tunc aliis mediis repelli, ac proinde occisio non est necessaria, tum quia aliter innumeris cædibus pateret aditus.—Præterea huc facit prop. 17. ab Alex. VII. damnata, quæ sic sonat: "Est licitum religioso vel clerico calumniatorem gravia crimina de se vel de sua Religione spargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur si calumniator sit paratus vel ipsi Religioso vel ejus Religioni publice et coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur."—Dixi *verbis tantum*, nam si aggressor honoris conetur barbam vellicare, vestes conspurcare, aut quid simile peragere, licebit sane, servato moderamine inculpatæ tutelæ, injuriam propulsare, et si quidem pervicax aggressor repulsus vim adhibeat, et arma arripiat, licitum erit profecto armis arma opponere.—Cf. S. Alphons. n. 381. et 391.—Viva, in prop. citatas.—Lacroix, lib. 3. part. 1. n. 803.—Baller. not. (b) et (c) p. 378.

QUAER. 5°. *An liceat etiam occidere injustum aggressorem proximi?*

RESP. *Affirm.*, in omni casu quo licet propriam vitam vel alia bona magni momenti defendere: imo non solum licet, sed deberet etiam id fieri ratione caritatis. Raro tamen privatus ad hoc teneri videtur propter magna incommoda quæ talis occisio secum ordinarie affert, secluso casu quo persona invasa sit societati valde necessaria, vel tibi sanguine proxime conjuncta.—Cf. S. Alphons. n. 389. et 390.—Baller. not. (c) p. 377.

ARTICULUS III.

DE OCCISIONE INNOCENTIS.

§ I. De occisione innocentis in genere.

270. ***Dico.*** Nunquam licet *directe* occidere innocentem sive auctoritate privata, sive publica. Ratio est, tum quia occisio innocentis est actio læsiva jurium Dei, qui solus habet supremum dominium in vitam, ac proinde intrinsece mala, tum quia est læsiva juris quod innocens habet ad vitam, tum quia est positive prohibita a Deo ipso; nam dicitur, Exod. xxiii. 7: "Insontem et justum non occides."—Hoc autem non prohibet quominus poni possit aliquando actio de se bona aut indifferens, ex qua præter intentionem sequatur mors innocentis, juxta ea quæ dicta sunt de voluntario indirecto, in tractatu de actibus humanis.

271. ***Resolves.***—1°. Non licet occidere lethaliter vulneratos, nec alios quoscumque moribundos, ne diutius patiantur; quia, ex noto effato non sunt facienda mala ad obtinendum bonum.

2°. Non licet occidere innocentem ad satisfaciendum tyranno mortem ejus postulanti, etiam sub pœna urbis subvertendæ, et etiamsi morti suæ ille consentiret: quia nequit proprie consentire cum dominium in propriam vitam non habeat. Probabilius tamen posset cogi ut seipsum tyranno pro bono publico traderet, et probabiliter, si nollet, etiam tradi. —Cf. S. Alphons. n. 393.

3°. Non licet legatos aut obsides occidere, etiamsi hostes, qui illos miserunt, fidem datam non servaverint, et obsides vel legatos ad eos missos injuste interfecerint; quia sunt innocentes. — Cf. S. Alphons. ibid.

§ II. De procuratione abortus.

Abortus est ejectio fœtus immaturi ex utero matris: maturus autem dicitur fœtus quando, nullo alio superveniente periculo, potest per se vivere etiamsi in lucem prodeat ante nonum mensem.

272. ***Dico*** 1°. Nunquam licet *directe* procurare abortum, etiamsi fœtus supponeretur adhuc inanimatus. Ratio est, quia si animatus sit, est homicidium proprie dictum; si vero non sit animatus, est homicidium anticipatum, quia fœtus non animatus ordinatur ex natura sua ad

hominem formandum.—Cf. S. Alphons. n. 394.—Lacroix, n. 823.—Kenrick, tract. 3. n. 127.

Dico 2°. Licet aliquando *indirecte* abortum procurare, seu melius permittere, subministrando videlicet matri, morbo gravi laboranti, remedia fœtui nociva, si conditiones sequentes concurrant, scilicet: 1°. ut agatur de morbo lethali; 2°. ut remedia, fœtui nociva, sint *per se* ad morbum matris curandum *directe* et *immediate* efficacia; 3°. ut subministratio remediorum non impediat collationem baptismi, quia vita spiritualis fœtus prævalet vitæ temporali matris.—Cf. S. Alphons. ibid.—Lacroix, n. 826.—Kenrick, tract. 3. n. 128.

273. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *Quid dicendum de operatione craniotomica, quam multi medici hodiedum adhibent ad salvandam matrem?*

RESP. Hujusmodi operatio est verum homicidium, ac proinde semper et intrinsece mala. Etenim si, juxta S. Thomam, "non debet homo occidere matrem ut baptizet puerum," a fortiori non debet occidi puer ut salvetur vita temporalis matris.

Neque dicas fœtum obliquatum, vel nimis grande caput protendentem comparari posse aggressori saltem materialiter injusto; nam respondetur illum ita esse dispositum ex solo cursu naturæ ac proinde nullo modo posse dici aggressorem. Secus et mater ipsa relate ad fœtum, et qui contagioso morbo laborant relate ad eos qui bene valeant, aggressores deberent dici, ac proinde eos occidere fas esse deberet.

Neque recurras ad auctoritatem, quia hæc aut nulla est aut omnino tenuis; nam ex theologis qui in favorem craniotomiæ citantur, multi contrarium dicunt expressis verbis, v. gr., Kenrick, qui ita loquitur: "Pro re explorata haberi debet, nunquam licere... ut comprimatur caput in utero, ad egressum faciliorem, nec instrumentis fœtum vivum exscindere, ut per partes extrahatur; hæc enim est hominis occisio, quæ per se mala est, ideoque ne quidem ad vitam matris servandam potest licere."—Cf. S. Thom. p. 3. q. 68. art. 11. ad 3.—Kenrick, tract. 3. n. 128.—*Analecta Jur. Pont.* fascicul. 133. p. 547. Mai. 1876.—Ciarmadori, *opusculum de craniot.*

QUAER. 2°. *Utrum saltem liceat partum accelerare quando vita matris secus in discrimen adduceretur?*

RESP. 1°. Si acceleratio ista locum habet post septimum mensem, licita omnino est, imo a pluribus dicitur etiam laude digna; nam non so-

lum matri prodest, sed etiam fœtui qui maturus tunc censeri potest.—Cf. O'Kane, n. 213.—*Dublin Review*, No. 87. art. *Obstetric Morality* p. 118.

Resp. 2°. Si vero partus acceleretur durante illa periodo gestationis qua fœtus utcumque vivus ejici possit, mori tamen postea necessario debet, ex eo quod non adhuc pervenerit ad substantialem maturitatem, dicendum est talem accelerationem vix, aut ne vix quidem a craniotomia differre, ideoque omnino esse damnandam. Nam in eo casu extrahere fœtum de utero est actio natura sua occisiva, non secus ac aerem subducere ab adulto.

Neque dicas mortem fœtus indirecte tantum sequi, ex eo quod non attingitur in se sed tantum scinduntur membranæ quibus involvitur, aut fibræ relaxantur, vel ex eo quod talis ejectio non intenditur uti finis; nam respondetur directe aliquem occidi quoties mors ipsius assumitur uti medium, quodcumque sit genus actionis qua procuratur.

Neque dicas afferri posse pondus auctoritatis in favorem hujus accelerationis; nam quamvis S. Alphonsus dicat: "licitum esse aqua gelida, si alia haberi non possit, puerum mox moriturum baptizare, etiamsi timeretur ex hoc mors acceleranda," id permittit tantum quia "talis actio non tendit ad occisionem sed ad ablutionem." Alii autem Doctores vel loquuntur de pharmaco directe dato ad morbum matris curandum, ut Card. de Lugo, vel de fœtu inanimato quem, erronee quidem, aliqui putabant ceu partem viscerum matris.—Cf. S. Alphons. *de Sacram. Baptis.* n. 106.—Lugo, *de just. et jur.* disp. 10. n. 133.—Salmant. tract. 13. cap. 2. n. 60.—Crolly, vol. 3. n. 118. et seqq.

Quaer. 3°. *Quid practice respondendum sit illis qui hac de re confessarios interrogant?*

Resp. Veritas tota forti animo manifestanda est, si interrogatio bona fide fiat, et persona quæ interrogat prævideatur acquiescere velle; secus præstat tacere, et malum materiale tantum permittere.—Medicis autem timoratis commendanda est praxis illorum, qui, collato primum baptismo, dextere simul et naviter vitam matris satagunt sustentare, donec fœtus cursu naturæ moriatur; tum illum forcipibus extrahunt, et ita matrem salvant.

Quaer 4°. *An liceat puellæ, statim post fornicationem, pharmacum sumere ad fœtum inanimatum expellendum, ne a patre occidatur, aut famam amittat?*

Resp. *Neg.*, prorsus, tum quia hoc esset abortum directe procurare, tum quia damnatum fuit ab Innoc. XI. in prop. 34. quæ sic se habet: "Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur."—Fœminæ autem illæ quæ statim post copulam habitam sese lavant ad ejiciendum semen ne concipiant, licet damnandæ de abortu non videantur, tum quia semen statim ac recipitur nequit dici fœtus, tum quia ejusmodi lotio juxta medicos non impedit aut destruit conceptionem, gravissime tamen peccarent altero peccati genere, nempe onanismi.

CAPUT III.

DE DUELLO.

Duellum proprie dictum est periculosa duorum pugna ex præcedenti condicto de loco, tempore et armis.

274. ***Dico.*** Duellum auctoritate privata susceptum nunquam licitum esse potest; quia non solum repugnat *juri naturali*, cum Deus nulli hominum dominium dederit in suam aut alterius vitam, nec in membra, extra casum defensionis contra actualem aggressorem; sed etiam *juri canonico*, ut constat ex Trident., sess. 25. cap. 19. ubi duellum dicitur: "Detestabilis usus, fabricante diabolo, introductus." — Dixi *privata*, quia si publica auctoritate suscipiatur ad bonum commune, v. gr., ut bellum conficiatur, licitum profecto erit non secus ac bellum.—Cf. S. Alphons. n. 399. 400.

275. ***Resolves.***—1°. Disputari sane potest, practice loquendo, de *conditionibus* duelli quæ omnes requiruntur ad totam malitiam actus, pœnasque incurrendas; at nunquam de *causa* quæ legitimare posset provocationem aut acceptationem ejus, cum sit aliquid intrinsece malum. Quare semel probata existentia duelli in aliquo casu particulari, nulla ratio utcumque gravis unquam excusabit.

2°. Non licet duellum suscipere ea lege, ut uno vulnerato, aut certo numero ictuum completo, pugna cesset; tum quia Clemens VIII. prohibuit etiam duella non fatalia; tum quia ita agentes implicite admittunt quemcumque exitum pugnæ et consequenter totam malitiam duelli contrahunt.

3°. Licet autem pugnare ad meram defensionem, etiam arma acceptando ab adversario, si mors ab ipso intentetur nisi acceptetur pugna, nec adsit alia ratio hoc periculum evadendi; sed non licet se conferre ad alium locum, aut indicere ad defensionem aliud tempus determinatum; quia tunc duellum proprie dictum haberetur.

4°. Non ineunt duellum proprie dictum qui ob injuriam, subita ira excandescentes, et ad pugnam se provocantes statim congrediuntur; quia verius est rixa, quam duellum, quod ex *condicto de loco et tempore* fieri debet.—S. Congr. 5. Octob. 1744.—Cf. S. Alphons. n. 401.

276. Hic referre juvat quinque propositiones circa duellum damnatas a Benedicto XIV. an. 1752. in Const. *Detestabilem.* Sunt sequentes:

1°. "Vir militaris qui, nisi offerat vel acceptet duellum, tanquam formidolosus, timidus, abjectus, et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis alias sibi debitæ ac promeritæ spe perpetuo carere deberet, culpa et pœna vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum."

2°. "Excusari possunt, etiam honoris tuendi vel humanæ vilipensionis vitandæ gratia, duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam."

3°. "Non incurrit ecclesiasticas pœnas contra duellantes latas dux vel officialis militiæ acceptans duellum ex gravi metu amissionis famæ vel officii."

4°. "Licitum est in statu hominis naturali acceptare et offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio eorum jactura propulsari nequit."

5°. "Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui civitatis male ordinatæ, in quo nimirum, vel negligentia, vel malitia magistratus, justitia aperte denegatur."

CAPUT IV.

DE BELLO.

Bellum est pugna multitudinis contra multitudinem extraneam, reipublicæ defendendæ aut vindicandæ causa. Hinc differt: 1°. a *rixa*, quæ est pugna paucorum contra paucos et absque auctoritate, neque in bonum reipublicæ suscepta; 2°. a *seditione*, quæ est tumultus vel conflictus multitudinis contra politicam societatem ad quam pertinet.

277. ***Dico*** 1°. Bellum *per se* licitum est, sive ad injuriam repellendam, sive ad jus suum vindicandum. Ratio est, quia societas quælibet independens ab alia societate, habere debet medium se tuendi contra injuriam, et jus suum vindicandi: interdum vero non suppetit aliud medium ad hunc finem obtinendum, nisi bellum. Etenim, cum altiora desint tribunalia ad quæ nationes seu Principes recurrere queant, solum superest ut ad satisfactionem ab alia societate obtinendam bello utantur.—Cf. S. Thom. 2–2. q. 40. art. 1.

Dico 2°. Ad bellum justum et licitum, sequentia necessario requiruntur: 1°. *auctoritas legitima*, id est suprema, nullum alium superiorem in civilibus agnoscens, et ratio est, quia ubi major auctoritas habetur, hæc de lite judicare debet; 2°. *causa justa et gravis*, quæ sit præponderans incommodis ex bello secuturis, v. gr., regnum vel provincia recuperanda, aut injuria gravis reipublicæ propulsanda, vel subditorum rebellio reprimenda, etc.; 3°. *debitus bellandi modus*, scilicet ut ante bellum a parte adversa requiratur condigna satisfactio; quæ si offeratur, ex justitia acceptari debet; ubi enim bellum desinit esse necessarium, desinit quoque esse justum.—Cf. S. Thom. ibid.

278. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *An milites belligerare possint cum dubio de justitia belli?*

RESP. Si agatur de milite subdito, vel etiam de milite conducto ante bellum declaratum, potest, imo debet obedire ubi bellum non est evidenter injustum, quia in dubio standum est pro superiore.—Si vero agatur de milite nondum conducto, tenetur inquirere de belli justitia, nec in dubio de justitia se locare potest. Ratio est, quia nemo potest cooperari ad aliquem spoliandum re quam possidet, nisi sit certus injuste eam ab illo possideri.—Cf. S. Alphons. n. 408.

QUAER. 2°. *An flagrante bello, licite possint privati cives naves propriis expensis instruere ad naves gentis inimicæ captandas, vel destruendas?*

RESP. Quidquid sit de aliis gentibus, apud nos certe licet, modo *licentia* antea obtineatur a publica auctoritate.—Verum quamvis ii qui licentiam hanc non obtinuerint non solum illicite, sed etiam suo periculo agant, et possint a republica puniri, eis tamen quodammodo favetur, et ab hostium ultione proteguntur.—Cf. Kenrick, tract. 5. n. 30. —Kent, *Comment*, vol. 1. part. 1. lect. 5. n. 96.—Bouvier, *Law Diction.* V. Privateer et V. Prize.

QUAER. 3°. *An capta præda in mari, possint privati illi cives eam sibi adsciscere?*

RESP. *Neg.*, si antea licentiam prædandi non habuerint, nam tunc juxta leges nostras omnia cedunt reipublicæ; ait enim Kent, loc. cit.: "It is the settled law of the United States, that all captures made by non-commissioned captors are made for the government." Secus vero respondendum si, habita prius licentia, prædam in portum deduxerint, et rem judicio tribunalis maritimi subjecerint. Imo etiamsi hanc ultimam formalitatem non observaverint, justitiam commutativam forte non lædunt et ad restitutionem non sunt obligandi.—Cf. Kenrick, n. 31. —Bouvier, *Law Diction.* ibid.

DE SEXTO ET NONO DECALOGI PRÆCEPTO.

Non mœchaberis.—Non desiderabis uxorem ejus (proximi).—Exod. xx. 14.

Sextum Decalogi præceptum prohibet quamlibet luxuriam externam, id est opere patratam.—Nonum vero præceptum prohibet etiam luxuriam mere internam, impudicas nempe delectationes, ac desideria.

279. Ad intelligentiam eorum quæ sequuntur hæc sunt prænotanda:

I. Luxuria est inordinatus appetitus rei venereæ, et consistit in delectatione venerea voluntarie admissa extra matrimonium. Delectatio autem venerea est delectatio orta ex commotione spirituum generationi inservientium, et habetur circa genitalia. Non est igitur confundenda cum delectatione mere sensibili, quæ oritur ex proportione objecti sensibilis ad sensum aliquem, v. gr., objecti visibilis ad visum, audibilis

ad auditum, etc. Primam plures theologi vocant etiam carnalem, et alteram naturalem.

II. Variæ sunt luxuriæ species, prout diversa sunt ejus objecta. Sic specie differunt tactus et aspectus impudici; actus solitarii, et actus cum aliis exerciti; actus consummati, et non consummati; item actus consummati juxta naturam, et actus consummati contra naturam. Hæ autem species alias etiam subordinatas seu inferiores species sub se continent, ut ex dicendis patebit.

III. Luxuria alia est *directe* quæsita, alia *indirecte*. Prior habetur, quando voluptas carnalis præcise in se intenditur; posterior vero, quando aliud intenditur, ex quo voluptas carnalis præter intentionem suboriatur, ut fit in aspectibus vel lectionibus minus castis ex curiositate vel alio fine habitis. Hisce prænotatis:

280. ***Dico*** 1°. Omnis delectatio venerea, si est directe voluntaria, non admittit parvitatem materiæ, ac proinde, utcumque levis ea sit, semper erit peccatum mortale. Ratio est, quia delectatio venerea est quædam inchoata seminis effusio, seu naturalis et necessarius motus ad illam: atqui seminis effusio, si quæratur extra legitimum usum matrimonii, est gravis perturbatio ordinis essentialis, cum ex natura sua tendat ad generis humani destructionem. Ergo, etc.—Dixi *si est directe voluntaria*, nam dari parvitatem materiæ in delectatione venerea *indirecte* tantum volita concedunt omnes, et ratio aperta est; nam tota malitia hujusmodi delectationis desumenda est ex causa; posse autem dari causam leviter turpem, v. gr., curiosam lectionem alicujus libri minus casti, nemo unquam denegavit.—Cf. S. Alphons. n. 415. et 484. —Viva, in prop. 40. damnatam ab Alex. VII.—Baller. not. (a) p. 396.

Dico 2°. Delectatio quæ dicitur sensibilis seu naturalis *per se* caret omni culpa. Etenim delectatio ista in eo proprie consistit quod placeat tactus, vel visus proprii corporis aut alieni propter proportionem et connaturalitatem cum organo tactus vel visus, absque ulla commotione spirituum genitalium; non secus ac si quando tangeretur res blanda, v. gr., felis, holosericum etc., vel aspiceretur res pulchra, v. gr., equus, pratum, et alia quæ naturaliter delectant: atqui in hisce tangendis aut aspiciendis nulla *per se* inest aut inesse potest culpa. Ergo, etc.—Dixi *per se*, nam practice loquendo semper aderit culpa aliqua levis non solum si tactus isti aut aspectus fiant ex curiositate, levitate, aut propter

solam delectationem, juxta ea quæ alibi dicta sunt, sed etiam propter periculum transgrediendi ad delectationem veneream.—Cf. S. Alphons. n. 416.—Viva, loc. cit.—Baller. not. (a) p. 393.

Agendum nunc est de peccatis luxuriæ in particulari, sed de externis tantum, quia de internis alibi satis dictum est.

CAPUT I.

DE PECCATIS LUXURIÆ NON CONSUMMATIS.

ARTICULUS I.

DE OSCULIS IMPUDICIS.

281. ***Dico*** 1°. Oscula ob delectationem veneream habita, in quacumque parte corporis fiant, sunt semper peccatum mortale, et contrahunt malitiam specie diversam pro variis personarum circumstantiis. Ratio *primi* deducitur ex prop. 40. damnata ab Alex. VII. quæ ita se habet: "Est probabilis opinio quæ dicit, esse tantum veniale, osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis." Ratio autem *secundi* est quia oscula immediate et directe attingunt personam cui dantur, ac proinde censentur induere moralitatem actus consummati in quem natura sua tendunt.—Cf. S. Alphons. n. 417.

Dico 2°. Seclusa actuali delectatione venerea, peccatum osculorum mensurandum erit ex periculo illam experiendi, ac proinde si periculum erit proximum, peccatum iterum judicari debet mortale, si autem remotum, peccatum erit vel veniale tantum vel nullum. Periculum autem reputatur *semper* et ex natura sua proximum, si oscula fiant in partibus inhonestis, seu turpibus, quales sunt genitalia et loca ipsis vicina, et *fere semper*, si fiant in partibus minus honestis, sed non turpibus, uti sunt brachia, pectus, et crura. Si vero oscula habeantur in partibus honestis, quales sunt facies et manus, periculum etiam judicatur proximum, saltem ordinarie, si locum habeant sæpe, morose, extra usum patriæ, et inter personas diversi sexus. Ratio omnium per se aperta est, et confirmatur ex communi consensu theologorum, ex consideratione humanæ naturæ, et ex ipsa experientia.—Cf. S. Alphons. n. 417. et seqq.

282. ***Resolves.***—1°. Ordinarie reputanda sunt mortalia oscula quæ dicuntur columbina, linguam nempe in os introducendo, præsertim si non ex joco aut petulantia, sed pressiori modo fiant et inter personas diversi sexus.

2°. Sententia Sanchezii, Salmanticensium et aliorum theologorum asserentium oscula pudica habita inter sponsos de futuro, licet intendatur quæpiam delectatio, quæ sit media inter veneream et naturalem, et adsit levis commotio spirituum genitalium, non esse peccata mortalia secluso periculo pollutionis, vel consensus in copulam, habetur ut practice improbabilis a S. Alphonso. Imo. S. Doctor tenet longe probabiliorem, etiam speculative, et omnino sequendam esse sententiam docentem, tales actus prohibitos esse sponsis eodem modo quo vetantur solutis. Ratio est, quia sponsi nondum jus mutuum habent in corpora, neque etiam jus habent ad copulam, ad quam solam tales actus ordinantur. Verum quia prima sententia non videtur omnino destituta rationibus et auctoritatibus, poterit forte quandoque utilis esse confessariis.—Cf. S. Alphons. *de matrim.* n. 854.—Baller. not. (a) p. 402.

3°. Culpa vacant oscula quæ matres aut nutrices infantibus solent infigere. Idemque saltem ordinarie dicendum de aliis, qui infantes teneræ ætatis, etiam diversi sexus, secluso pravo quovis affectu, deosculantur.

4°. Non statim arguendi sunt de peccato gravi juvenes utriusque sexus qui in nonnullis jocis decenter et sine prava intentione se invicem deosculantur, quamvis ab ejusmodi ludis ob periculum eis adnexum avertendi sint.

ARTICULUS II.

DE TACTIBUS IMPUDICIS.

283 ***Dico*** 1°. Tactus quicumque non secus ac oscula, si ob delectationem veneream fiant, sunt semper graviter peccaminosi, et ejusdem specificæ moralitatis ac actus consummatus in quem tendunt. Ratio utriusque aperta est, et similis illi quæ adducta fuit pro osculis.

Dico 2°. Præter autem casum delectationis venereæ directe intentæ, tactus sunt etiam graviter illiciti, si conjuncti sint cum proximo periculo pollutionis, et nulla detur justa causa excusans. Etenim supposita hujusmodi causa, v. gr., necessitas medendi, jam pollutio inde

sequens non erit amplius directe volita.—Proximitas autem periculi dijudicanda est ex natura partium quæ tanguntur, et ex aliis diversis circumstantiis personarum.

284. ***Resolves.***—1°. Tactus in verendis ejusdem sexus aut partibus vicinis, etiam super vestes, ordinarie non excusantur a peccato gravi, nisi forte ex petulantia, joco, levitate et obiter fiant.—Cf. S. Alphons. n. 420.

2°. *A fortiori*, excluso necessitatis casu, excusari nequeunt a peccato mortali tactus in verendis diversi sexus, etiam brevi tempore habiti.—Probabiliter tamen arguendæ non sunt de gravi culpa ancillæ quæ tangunt pudenda infantium, dum eos vestiunt, nisi morose hoc agant.—Cf. S. Alphons. ibid.—Lacroix, n. 902.

3°. Veniale est *per se* tangere genitalia brutorum, quamvis tamen ea tangere usque ad seminis effusionem, probabilius reputatur mortale a S. Alphonso, non quidem vi perditionis seminis, sed quia talis actus vehementissime excitat. Omnino autem excusantur conjungentes equos aut boves.—Cf. S. Alphons. n 419. et 420.

4°. Veniale etiam est tangere ex levitate, et curiositate partes minus honestas alterius sexus; at mortale si fiat morose et cum commotione spirituum genitalium.

5°. Nullo modo peccant *per se* qui se tangunt ad abstergendas corporis sordes, vel ad pruritum sedandum; si tamen pruritus sit tolerabilis, suadendum est ut a tactibus abstineant.—Cf. S. Alphons. *Hom. Ap.* n. 3.

ARTICULUS III.

DE ASPECTIBUS IMPUDICIS.

285. ***Dico*** 1°. Aspectus turpes sine causa sufficienti habiti, sunt graviter vel leviter peccaminosi, juxta delectationis venereæ periculum; quia hæc est tota ratio cur a jure naturæ prohibeantur. Ad cognoscendam autem periculi proximitatem, attendere oportet ad diversas circumstantias, nempe ad partes, quæ aspiciuntur; ad sexum, ætatem et alias naturales qualitates personæ aspectæ; ad dispositiones sive naturales sive acquisitas personæ aspicientis; ad distantiam et modum quo fiat aspectus.—Cf. S. Alphons. n 421. et seqq.

Dico 2°. Aspectus graviter peccaminosi, secluso casu desiderii, non inducunt malitiam circumstantiarum personæ quæ aspicitur. Ratio est, quia hujusmodi circumstantiæ non influunt in actum, cum visus non attingat objectum immediate sicut tactus, et nemo dicat nos violare personam sacram per visum.—Cf. S. Alphons. ibid.

286. ***Resolves.***—1°. Certo est mortale aspicere actum *copulandi* inter homines, non item inter brutâ, saltem *per se* et ordinarie loquendo, licet adesse possit magnum periculum, et eo majus, quo majora sunt ipsa bruta.—Cf. S. Alphons. n. 419.

2°. Mortale est etiam aspicere verenda personæ diversi sexus, aut partes ipsis vicinas, nisi forte visio fiat a longinquo et per brevissimum tempus. Nec excusaris a gravi, si partes turpes velo tenuissimo et perlucido obtectas aspicias, quia fere talis aspectus libidinem auget, nedum minuat. Excipe tamen 1°. si aspiciens sit puer, vel valde senex, aut valde frigidus ; 2°. si oculi defigantur in infantulum.—Cf. S. Alphons. n. 421.

3°. Veniale autem est *per se* aspicere pudenda ejusdem sexus ; non autem si aspiciens esset valde pronus ad sodomiam, vel magno ardore afficeretur erga personam quam in particulari aspicit.—Cf. S. Alphons. n. 420.

4°. Veniale est etiam *per se* aspicere partes minus honestas mulieris, scilicet brachia, crura et pectus, secluso tamen casu quo aspectus sit repetitus et morosus. Imo a mortali forte nunquam erit excusandus qui ubera mulieris pulchræ nuda cum mora notabili et sine causa aspicit.—Cf. S. Alphons. n. 423.

5°. Aspectus picturarum obscœnarum ex mera curiositate ut mortalia non habentur. In praxi tamen vix a mortali posset excusari vir aspiciens pudenda mulieris depictæ, quia difficulter cavere poterit a delectatione turpi, nisi forte per brevissimum tempus aut in magna distantia fiat, aut nisi picturæ vetustas vim artificii imminuerit.—Cf. S. Alphons. n. 424.

ARTICULUS IV.

DE SERMONIBUS ET LECTIONIBUS IMPUDICIS.

287. ***Dico.*** Turpia seu obscœna loqui, audire, aut legere delectationis venereæ causa vel cum proximo periculo consensus in illam est grave peccatum ut per se patet. Si vero periculum non est proximum, vel proximum quidem sed simul adest causa justa loquendi, audiendi aut legendi illa turpia, peccatum erit aut nullum, aut tantum veniale.

288. ***Resolves.***—1°. Graviter peccant generatim qui sermones permiscent etiam ex levitate de actu conjugali, de licitis et illicitis inter conjuges, de modis impediendi generationem, procurandi pollutionem... præsertim si inter juvenes diversi sexus id fiat. Item qui ob jactantiam narrant propria peccata turpia.

2°. Non est *per se* mortale proferre turpia quidem sed non graviter obscœna, si fiat breviter, per jocum aut vanum solatium, nisi audientes ita debiles sint spiritu, ut grave scandalum patiantur.—Cf. S. Alphons. n. 426.

3°. Non semper ut mortalia sunt habenda tenera colloquia cum personis diversi sexus, quamvis periculis plena sint, præsertim si sint diuturna, sæpe repetita, aut in locis solitariis fiant.—Cf. S. Alphons. n. 422. 426.

4°. Non peccant graviter qui ex mera curiositate legunt libros lepidos, quia ad libidinem non graviter excitant, nec magno periculo exponunt, ut sunt multæ comœdiæ vel poemata.— Si vero ob causam legitimam, v. gr., ad discendum stylum id faciant, nullatenus peccant.

CAPUT II.

DE PECCATIS LUXURIÆ CONSUMMATIS.

Peccata luxuriæ consummata sunt duplicis generis ; alia enim sunt juxta naturam, et alia contra naturam. Prima reducuntur ad fornicationem, adulterium, incestum, sacrilegium, stuprum, et raptum ; et secunda ad pollutionem, sodomiam, et bestialitatem. De singulis breviter dicetur.

ARTICULUS I.

DE PECCATIS CONSUMMATIS JUXTA NATURAM.

§ I. De fornicatione.

289. Fornicatio est copula soluti cum soluta ex mutuo consensu: quare *concubinatus*, qui est commercium habituale soluti cum soluta, et *meretricium*, quod est status mulieris omnibus prostitutæ, ad fornicationem referuntur.

290. ***Dico*** 1°. Fornicatio est semper peccatum mortale, quia graviter prohibetur jure naturæ. Etenim si fornicatio non esset sub gravi interdicta, plerumque homines a matrimonio contrahendo recederent, prolesque ex fornicatione suscepta absque ulla educatione derelinqueretur: atqui hoc cederet in grave nocumentum totius societatis. Ergo, etc. Præterea constat ex I. Cor. vi. 9., et Eph. v. 5.

Dico 2°. Circumstantia concubinatus aut meretricii non est necessario in confessione declaranda, cum *per se* speciem peccati non mutet. *Per accidens* autem sæpius est explicanda ad statum et genus occasionum manifestandum, semperque confessario interroganti aperienda est. Cf. S. Alphons. n. 432.

§ II. De adulterio.

291. Adulterium est copula cum alterius conjuge, seu est accessus ad *torum* non suum.

292. ***Dico*** 1°. Adulterium præter peccatum contra castitatem aliud includit contra justitiam, quod est natura sua mortale, quia continet violationem juris stricti graviter obligantis. Imo si habetur inter duos conjugatos duplex committitur adulterium, quia duorum diversa jura læduntur.

Dico 2°. Adulterium committitur, etiamsi alter conjux consentiat; quia in omni casu violantur jura sacramenti, et contractus indissolubilis; quæ quidem jura natura ipsa exigit, et prorsus inalienabilia sunt.

§ III. De incestu.

293. Incestus est concubitus cum consanguineis aut affinibus intra gradus ab Ecclesia pro matrimonio prohibitos.

294. ***Dico.*** Incestus specie differt ab aliis luxuriæ peccatis, quia

graviter repugnat reverentiæ naturali debitæ parentibus, et consequenter personis quæ proxima conjunctione sanguinis aut affinitatis eis devinctæ sunt.—Cf. S. Alphons. n. 448.

Utrum specie differat incestus cum consanguineis ab incestu cum affinibus, et rursus utrum specie differat incestus pro vario affinitatis et consanguinitatis gradu, atque adeo utrum gradus necessario in confessione exprimendus sit, in tractatu de pœnitentia, ubi de circumstantiis peccatorum aggravantibus, dicemus.

§ IV. De sacrilegio.

295. Sacrilegium, quatenus est luxuriæ peccatum, est violatio personæ vel loci sacri per actum venereum.

296. ***Dico.*** Copula, pollutio, vel quicumque tactus graviter turpis habitus a persona sacra, semper includit grave peccatum sacrilegii; quia præter virtutem castitatis lædit etiam religionem quæ graviter obligat ad personas sacras reverenter tractandas. Quod si hujusmodi tactus exerceatur inter duas personas Deo dicatas, duplex haberetur sacrilegium.—De sacrilegio autem locali certum est ipsum committi per copulam aut pollutionem, sed utrum per tactum etiam admittatur non una est Doctorum sententia ut dictum est n. 217.—Cf. S. Alphons. n. 455. et seqq., et *Hom. Ap.* n. 22.

§ V. De stupro.

297. Stuprum stricte acceptum apud theologos est virginis defloratio.—Deflorari autem dicitur virgo quæ congressu viri naturali ac opere consummato prima vice corrumpitur, ipsa invita.—Dixi *stricte apud theologos*, nam ad normam juris civilis stuprum importat oppressionem cujuscumque mulieris solutæ et honestæ, et latiori sensu cujuscumque mulieris solutæ.

298. ***Dico*** 1°. Stuprum quocumque sensu acceptum semper continet gravem malitiam specie diversam. Ratio est quia, supposita oppressione, quæcumque tandem sit mulier quæ opprimitur, jam præter castitatem, læditur altera virtus, scilicet justitia.

Dico 2°. Quamvis circumstantia virginitatis non sit necessario aperienda in confessione, quia est tantum aggravans, si tamen peccatum stupri est reservatum, tunc erit manifestanda; quia vox stuprum su-

menda est stricte quoties agitur de reservatione, et de pœnis latis contra stupratores in jure canonico.

Dico 3°. Ad stuprum non requiritur ut vis seu violentia physica inferatur; satis est enim ut puellæ alioquin invitæ consensus extorqueatur minis, fraude, dolo aut repetitis ac importunis precibus, quæ ejus constantiam vincant.—Cf. S. Alphons. n. 443.—Baller. not. (b) p. 415.

§ VI. De raptu.

299. Raptus sensu theologico, et pro foro interno, est violentia illata personæ, aut iis quorum potestati subest, explendæ libidinis causa.—Sensu autem apud forum externum usitato, est personæ abductio e loco tuto ad locum non tutum, per vim ipsi aut iis illatam, quorum potestati subest, explendæ libidinis vel matrimonii contrahendi causa.—Cf. Sanchez, *de Matrim.* lib. 7. disp. 12. n. 30.

Violentia in utraque definitione intelligitur sive physica sive moralis seu per metum gravem illata; persona autem, quoad culpam theologicam, intelligitur quælibet, masculus vel fœmina, innupta, nupta vel vidua, honesta vel meretrix; quoad forum externum et pœnas subeundas, quælibet etiam, modo sit honestæ vitæ.—Hinc in omni stupro invenitur malitia raptus, sed non vice versa. Hisce notatis:

300. ***Dico*** 1°. Raptus est peccatum speciale, quamvis pravus actus libidinis non sequatur; et consistit præcipue in injuria quæ infertur per violentiam illatam libidinis causa. Quare circumstantia raptus est necessario aperienda in confessione, sive sequatur fornicatio, adulterium etc., sive non sequatur.

Dico 2°. Non est censendus raptus, si mulier plene consentiat tum abductioni tum violationi, nisi tamen sit *minor* et simul ejus parentes seu tutores aut curatores invite hoc patiantur. Raptus autem aderit, si abductioni tantum et non violationi, aut violationi et non abductioni consensum præbeat.—Cf. S. Alphons. n. 444.

ARTICULUS II.

DE PECCATIS CONSUMMATIS CONTRA NATURAM.

§ I. De pollutione.

301. Pollutio est seminis effusio sine congressu cum alio. Pollutio voluntaria, de qua sola agimus, est vel directe vel indirecte quæsita. Dicitur etiam mollities, et differt a distillatione, quæ est effusio levis alterius humoris subtilioris. In pollutione semen ordinarie cum vehementi delectatione magnaque commotione ejaculatur; distillatio autem cum nulla ordinarie aut levi admodum delectatione et commotione habetur.

302. ***Dico*** 1°. Pollutio *directe* et *perfecte* voluntaria est semper peccatum mortale, ita ut nunquam illam procurare liceat.—Ratio est 1°. quia id eruitur ex verbis Apostoli, I. Cor. vi. 10: " Neque molles ... regnum Dei possidebunt." 2°. quia pollutio intrinsecam habet repugnantiam cum natura quæ seminis effusionem unice ad generationem ordinavit; 3°. quia si aliquando permissa, aut tantum sub veniali prohibita foret, facillime, ob tantam naturæ corruptæ in luxuriam proclivitatem, habitus pollutionis contraheretur, et proinde ordo naturæ brevi subverteretur; 4°. quia damnata fuit prop. 49. ab Innoc. XI. quæ sic se habet: " Mollities jure naturæ prohibita non est; unde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona . . . "—Cf. S. Alphons. n. 476.—Viva, in hanc prop.

Dico 2°. Pollutio *indirecte* seu in causa tantum voluntaria est peccatum grave, quoties causa proxima, et natura sua ad pollutionem tendens, v. gr., cogitationes morosæ de rebus valde libidinosis, sine justa ratione ponitur; est autum veniale quoties causa, quæ ponitur, est remota tantum, seu talis, ut ipsi periculum *per accidens* vel raro adjungatur. Ratio utriusque facile colligitur ex iis quæ alibi dicta sunt de voluntario indirecto.—Cf. S. Alphons. n. 483. et 484.

303. ***Resolves.***—1°. Omnis deliberata seminis effusio, quantumvis parva, est pollutio et proinde peccatum mortale. Item mortale est acquiescere delectationi pollutionis, etiam brevissimo tempore, cum præter intentionem et sponte accidat. A fortiori si pollutio sponte in-

cepta conatu aliquo promoveatur.—Cf. S. Alphons. n. 477.—Lacroix, *de Pœnit.* n. 1034.

2°. Pollutio quæ subsequitur ex tactu, aspectu, vel lectione graviter turpi et absque justa causa posita est peccatum mortale etiam secluso actuali consensu. Ratio est, quia tunc pollutio est voluntaria in causa, cum hæc *per se* grave pollutionis periculum inducant. Peccatum autem veniale erit tantum, si hæc leviter turpia sint, et pollutio præter agentis intentionem sequatur.—Cf. S. Alphons. n. 482. et 485.

3°. Culpa vacat pollutio nocturna, quia a voluntate libera non oritur, nec ullus ei præbetur assensus, ut supponitur, sed nec animum quidem libidinosum semper denotat, cum ex multis causis naturalibus possit provenire, v. gr., ex superfluitate naturæ, ex imbecillitate organorum aut dispositione nervorum. Mortalis autem erit vel venialis, si ante cubitum fuerit causata et prævisa pro majori vel minori advertentia et causæ influxu. Sic pravæ cogitationes voluntariæ, prava colloquia, et alia ejusmodi somnum præcedentia illam mortalem facile reddent. Venialem autem tantum efficiet ordinarie intemperantia in cibo vel in potu, etc. Pariter censeri non debet mortalis pollutio nocturna quæ fit cum imperfecta voluntate et libertate, ut quandoque in semisopitis accidit; judicandum autem est, nullum consensum affuisse, vel ad summum valde imperfectum, quando ordinarie in statu vigiliæ displicet; quia ex ordinarie contingentibus judicandum est. Idem etiam de tactibus nocturnis tenendum est.

4°. Distillatio voluntaria, etiam tantum indirecte, si notabilis sit seu cum notabili spirituum genitalium commotione fiat, peccatum mortale esse potest; quia est gravis deordinatio, et proximum pollutionis periculum inducit. Si vero parva sit et absque notabili commotione distinguendum est: 1°. Si *directe* voluntaria sit, a mortali non potest excusari; quia quæcumque distillatio semper, vel ut plurimum, secum fert commotionem et aliquam seminis effusionem. 2°. Si vero *indirecte* tantum voluntaria sit, facile ab omni peccato excusabitur; quia de tali fluxu non est magis curandum, quam de emissione cujuscumque alterius excrementi quo natura se exonerare solet.—Ita expresse S. Alphonsus, n. 477.

5°. Licet alicui pruritum magnum patienti in verendis illum tactu abigere, etiamsi pollutio sequatur, dummodo pruritus ille ex sanguinis

acrimonia, ut ordinarie evenit, non vero ex libidinis ardore proveniat. Si enim tunc accidat pollutio, secluso consensus periculo, *per accidens* et proinde inculpabiliter accidit. Cæterum adhortandi sunt pœnitentes, ut in quantum fieri sine gravi molestia potest, ab hujusmodi tactibus temperent.—Cf. S. Alphons. n. 483.

304. QUAERES. *An in fœminis locum habeat veri nominis pollutio?*

RESP. *Affirm.*, quamvis enim indubium sit hodie apud medicos, fœminas non effundere verum semen, sed tantum humorem aliquem qui neque essentiales qualitates seminis continet, neque est ad concipiendum necessarius, sentiunt tamen, cum digitis vel instrumento aliquo utuntur, eamdem ipsissimam voluptatem carnalem, quam in congressu cum viro experirentur, eaque habita, satiatæ quiescunt, tanquam si completum esset opus conjugii. Atqui essentialis malitia pollutionis non consistit proprie in materiali perditione seminis, sed in eo præcise quod extra matrimonium quæratur illa eadem voluptas quæ ab auctore naturæ alligata est tantum licito actui congrediendi, tanquam inductiva ad illum. Ergo, etc.

Ex hac solutione peti debet vera ratio cur a multis theologis dicatur spadones, pueros et generatim omnes qui inepti sunt ad copulam proprie dictam, immunes esse a malitia pollutionis, sed tantum tactus impudicos committere. Cum enim impotentes sint ad usum matrimonii nequeunt malitiam illam contrahere quæ consistit in quærenda voluptate matrimonii propria, extra licitum usum illius.—Cf. *Revue des sciences eccles.* vol. 27. p. 586. et vol. 29. p. 98. et p. 205.—Baller. not. (a) p. 417.

§ II. De sodomia.

305. Horrendum sodomiæ crimen est concubitus cum persona ejusdem sexus, vel diversi, sed in vase indebito. Hinc duplex distinguitur; 1°. *perfecta*, quæ est concubitus cum persona ejusdem sexus; 2°. *imperfecta*, quæ est concubitus cum persona diversi sexus extra vas naturale.

306. ***Dico*** 1°. Sodomia est crimen multo gravius simplici pollutione. Constat ex horrore quem apud omnes excitat, tum etiam ex inauditis pœnis a Deo inflictis Sodomæ et aliis civitatibus hoc peccato inquinatis.

Dico 2°. Sodomia perfecta specie differt ab imperfecta, quia ferri

in sexum et in vas indebitum duplicem continet specialem malitiam. Verum quamvis sodomia imperfecta sit et ipsa grande peccatum, cum tamen simpliciter nominatur sodomia, perfecta tantum intelligitur, præsertim ubi agitur de censuris et reservatione, nisi superior contrarium declaraverit.—Cf. S. Alphons. n. 471.

307. QUAERES. *An sit in confessione declarandum quis fuerit agens aut patiens in sodomia?*

RESP. *Neg.*, quia species peccati eadem est; at circumstantia pollutionis quæ in agente facilius accidere potest omnino declaranda est.—Cf. S. Alphons. n. 468.

§ III. De bestialitate.

308. Infandum et execrandum bestialitatis crimen est concubitus cum bestia.

309. *Dico* 1°. Bestialitas est gravissimum inter luxuriæ peccata, tum quia maxime repugnat naturæ rationali commisceri cum bestia, tum quia gravissime puniebatur in antiqua lege; dicitur enim Exod. xxii. 19.: "Qui cum jumento aut pecore coierit, morte moriatur; pecus quoque occidite." Imo peccatum istud est horribilius ipsa sodomia, quia accedere ad diversam speciem magis adhuc distat a recto ordine quam accedere ad sexum aut vas indebitum.—Cf. S. Alphons. n. 474.

Dico 2°. Tactus impudici cum bestiis, quamvis non sint peccata bestialitatis proprie dicta, sunt tamen declarandi, quando aliqua venerea delectatio ex eis quæritur. Non autem videtur circumstantia necessario declaranda, si quis mediante lingua jumenti, aut alterius bestiæ, voluptatem veneream aut pollutionem in se excitet. Nec est necesse explicare in confessione, cujus speciei fuerit bestia, neque utrum fuerit mas aut femella.—Cf. S. Alphons. n. 474.

DE SEPTIMO ET DECIMO DECALOGI PRÆCEPTO.

Non furtum facies.—Non concupisces domum proximi tui, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.—Exod. xx. 15. 17.

Septimum Decalogi præceptum prohibet omnem injustitiam externam in bonis fortunæ proximi.—Decimum vero etiam peccata *interna* concupiscentiæ, id est desiderii bonorum proximi et actionis injustæ, vetat. Cum de variis injustitiæ peccatis circa bona fortunæ dicturi simus in tractatu particulari de justitia et jure, nihil est quod de duobus hisce præceptis hic addatur.

DE OCTAVO DECALOGI PRÆCEPTO.

Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.—Exod. xx. 16. —*Non falsum testimonium dices.*—Matth. xix. 18.

Hoc præceptum, quatenus est negativum, prohibet *præcipue* et *primario*, ne dicatur falsum testimonium, tum in judicio, tum extra judicium; *indirecte* et *secundario*, ne lædatur fama et honor proximi. Quatenus autem affirmativum est jubet juxta Catechis. Rom. de 8. præc. n. 2., "ut simulatione, fallaciisque sublatis, dicta et facta nostra simplici veritate metiamur." Quare hoc præcepto prohibetur: 1°. perjurium in proximum; 2°. mendacium; 3°. detractio; 4°. contumelia; 5°. judicium temerarium et suspicio injuriosa. De singulis decendum, excepto perjurio, de quo satis in secundo præcepto.

CAPUT I.

DE MENDACIO ET RESTRICTIONE MENTALI.

310. Mendacium est locutio contra mentem, vel, ut ait S. Augustinus, est "dicere aliquid scienter aliter ac sentimus." Si fiat nutibus vel aliquo facto, vocatur *simulatio*, quæ iterum dicitur *hypocrisis* quando quis alterius personam simulat, v. gr., cum peccator simulat personam justi.—Ad verum mendacium non requiritur ut habeatur *expresse* in-

tentio falleudi, nam ut ait idem S. Doctor; "Omnis qui mentitur contra id quod animo sentit loquitur voluntate fallendi."—Cf. S. Thom. 2–2. q. 110. art. 1.—S. August. *Enchir.* c. 18. et 22.

Triplex distinguitur mendacii genus: 1°. *damnosum* quo injustum damnum alicui infertur; 2°. *officiosum,* quod propriæ vel alienæ utilitatis gratia profertur; 3°. *jocosum,* quod dicitur ex joco et sola nugandi causa.

311. A mendacio autem valde differt restrictio mentalis quæ est actus mentis verba alicujus propositionis ad alium sensum, quam naturalem et obvium, detorquentis vel restringentis; unde fit ut vera non sint, nisi sumantur juxta sensum quem in mente loquentis habent.—Duplex autem distinguitur, nempe *pure* seu *stricte mentalis,* si sensus loquentis percipi nullo modo possit, et hæc *proprie mentalis* dicitur, et *late* seu *improprie mentalis,* si sensus propositionis ex adjunctis possit colligi.

312. ***Dico*** 1°. Mendacium proprie dictum est sane aliquid intrinsece malum, sed veniale peccatum non excedit si est jocosum, aut etiam officiosum: si vero est damnosum erit leve aut grave peccatum pro quantitate damni illati. Ratio *primi* est, tum quia rectæ rationi repugnat signis locutionis uti contra eorum naturalem finem et institutionem, hominisque unitatem velle quasi destruere; tum quia admissa liceitate mendacii, ordo societatis, qui mutuo commercio et fide nititur, omnino subverteretur. Ratio autem *secundi* desumitur ex communi consensu theologorum, ex fidelium persuasione, et ex ipsa natura illius repugnantiæ cum recta ratione, quæ sane gravis non apparet. Demum ratio *tertii* est, quia in mendacio damnoso præter virtutem veracitatis læditur justitia quæ obligat sub gravi vel levi juxta damnum quod infertur.—Cf. S. August. lib. *de mend.*, et *cont. mend.*—S. Thom. loc. cit. art. 3. et 4.

Dico 2°. Nunquam licet uti restrictione *pure* seu *proprie mentali,* quia ut ex ejus definitione patet, hoc esset simpliciter mentiri. At aliquando licet *ex justa causa* uti restrictione *late* id est *improprie mentali,* quando sensus a loquente intentus *intelligi* possit. Ratio est, quia hoc non est malum *in se,* cum proximus non *proprie* decipiatur, sed ex justa causa tantum permittatur ejus deceptio: aliunde ad bonum societatis requiritur ut medium adsit licite celandi secretum; aliquando

autem aliud medium non suppetit præter restrictionem *late* seu *improprie* mentalem.—Dixi, *ex justa causa;* quia si usus talium restrictionum absque *proportionata* causa permitteretur, nemo posset aut vellet alteri credere; hoc autem in maximum humanæ societatis damnum cederet. —Cf. S. Alphons. *de secund. præc. Decal.* n. 151. et 152.—Lacroix, lib. 3. n. 287.

313. ***Resolves.***—1°. Errant sane qui malitiam mendacii vel unice vel primario reponunt in eo quod jus audientium lædatur. Ex hoc enim deduceretur Deum posse quandoque falsum dicere, quod plane destrueret nostram fidem.—Cf. Mazzella, *de Virt. inf.* n. 698.

2°. Non sunt mendacia locutiones tropicæ, ironicæ, hyperbolicæ, quæ ut tales facile ab audientibus accipi possunt, et solent. Multo minus parabolæ, quibus tam frequenter ipse Christus utebatur.

3°. Non mentiuntur qui fabulas conscribunt, vel ex joco dicunt aperte falsa, quia tunc verba proferuntur, et intelliguntur cum alia significatione superaddita, at admissa a colloquentibus.

4°. Culpa non caret, qui utitur restrictione late mentali, 1°. si id faciat absque ratione, sed ex sola intentione decipiendi, quia est abusus signorum; 2°. si interrogans habeat jus inquirendi aut imperandi veritatis confessionem, quia juri illi respondet *regulariter* in subdito obligatio fatendi veritatem sine ambiguitate.—Cf. S. Alphons. loc. cit. n. 154.

5°. Possunt tamen uti hujusmodi restrictione omnes personæ publicæ interrogatæ de rebus suæ fidei commissis, ut sunt secretarii, legati principum, duces exercituum, magistratus, advocati, medici, chirurgi, obstetrices, et quisquis officium et rationem habet veritatem aliquam occultandi. Si enim secreta his personis commissa violarentur, gravissima inde sequerentur incommoda in societate.

6°. Item potest famulus, jussu domini, negare ipsum esse domi, quamvis adsit; quia talis locutio generatim usu recepta est ad significandum, eum non esse domi, quatenus videri aut visitari possit. Attende tamen ad locorum consuetudinem.—Cf. S. Alphons. loc. cit. n. 165.

7°. Licet addere juramentum restrictioni late et non stricte mentali, quia juramentum sequitur naturam actus cui adjicitur.—Cf. S. Alphons. loc. cit. n. 151.

CAPUT II.

DE DETRACTIONE.

314. Detractio est injusta violatio famæ, seu denigratio, aut imminutio bonæ æstimationis quam alii habent de vita et moribus proximi absentis.—Dicitur *absentis*, tum quia plerumque ille cui detrahitur physice abest, tum quia si adest, verba proprie non diriguntur ad illum, et consideratur quasi absèns.

Detractio dicitur *simpliciter talis* si fama proximi violetur revelatione criminis veri; denominatur autem *calumnia*, si famæ violatio ex appositione criminis falsi sequatur. Utraque duplici modo fieri potest: 1°. *directe*, si falsum crimen imponatur, si verum amplificetur, si occultum manifestetur, si opus bonum sinistre accipiatur; 2°. *indirecte*, negando nempe bona opera proximi, vel illa minuendo, vel etiam quandoque tacendo, aliis laudantibus, vel frigide laudando.

315. ***Dico*** 1°. Omnis detractio est peccatum mortale ex genere suo, quia opponitur justitiæ quæ obligat sub gravi, et quoniam bona famæ sunt meliora bonis fortunæ, detractio per se est peccatum gravius quam furtum.—Verum gravitas vel levitas detractionis non est mensuranda præcise ex gravitate defectus seu criminis quod de proximo narratur, sed præcipue ex gravitate damni quod proximus ex eo pati potest. Quare ad cognoscendam in casu particulari gravitatem peccati, attendendum est ad qualitatem tum personæ *detrahentis*, tum personæ *læsæ*. Ratio est, quia major vel minor fides præstabitur pro majori vel minori loquentis auctoritate, et majus vel minus sequetur famæ detrimentum pro ratione majoris vel minoris æstimationis qua persona læsa gaudet.—Cf. S. Alphons. n. 967.

Dico 2°. Quamvis in nullo unquam casu liceat falsum crimen alteri apponere, cum mendacium sit aliquid intrinsece malum, licet tamen, justa de causa, crimen alterius occultum etiam cum jactura famæ ipsius manifestare; quia possunt adesse hujusmodi circumstantiæ quibus jus proximi ad faman conservandam a potiori jure elidatur, et tunc neque caritas urgeret, quia hæc non obligat cum gravi incommodo, neque justitia, quia non datur jus contra jus prævalens.—Cf. S. Alphons. n. 968. et 972.

Dico **3°.** Detractor tenetur ex justitia, quantum fieri potest, tum ad reparandam famam injuste ablatam, tum ad compensanda omnia damna temporalia ex diffamatione provenientia et aliquo modo prævisa. Ratio *primi* est, quia per ablationem famæ irrogata est injuria damnosa per læsionem juris stricti quod in integrum resarciri debet. Ratio autem *secundi* est, quia omnia damna provenientia ex detractione tribuenda sunt detractori, ut causæ eorum efficaci. Adverte tamen obligationem restituendi famam esse personalem, obligationem vero reparandi damna, quæ ex diffamatione orta sunt, esse realem et proinde ad hæredes transire.—Cf. S. Alphons. n. 991. et 996.

Dico **4°.** Restitutio famæ alio modo facienda est a calumniatore ac a simplici detractore. Etenim calumniator tenetur dicta retractare, et quidem *per se* etiam cum jactura propriæ famæ, si aliter reparatio fieri nequeat; quia melior est conditio innocentis quam nocentis, et malitiæ suæ imputare debet quidquid propterea est passurus. Simplex vero detractor dicta retractare nequit, quia sic mentiretur, sed alio modo, quantum in ipso est, famam restituere debet, dicendo, v. gr., se male locutum fuisse, se erravisse, aut quid simile; non enim hi solum errant qui a veritate, sed etiam qui a rectitudine recedunt, juxta illud Prov. xiv. 22.: " Errant qui operantur malum." Sed sæpe modus ille non sufficit apud intelligentes et astutos, qui potius ex his formulis conjiciunt, verum esse crimen, quod non asseritur aperte esse falsum. Tunc igitur detractor, tacendo de dictis, data occasione, cum dexteritate et veritate laudare et honorare debet eum, cui detraxit.—Cf. S. Alphons. n. 992.

316. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *An sit gravis detractio revelare uni viro prudenti aliquod peccatum mortale alicujus, quod multum quidem dedecoret at non habeat specialem malitiam?*

RESP. *Neg.*, probabiliter, et ratio est, quia cum fama consistat in communi æstimatione hominum, non censetur absolute diffamatus qui apud unum vel alterum dumtaxat bonum nomen amisit.—Cf. S. Alphons. n. 973.

QUAER. 2°. *An specie differant detractiones in materiis specie diversis?*

RESP. *Neg.*, probabiliter, quia licet tales detractiones materialiter specie distinguantur, moraliter tamen unam hominis famam lædunt,

non secus ac contumeliæ sunt ejusdem speciei propter unitatem honoris contra quem tendunt. Quare confessarius inquirere non debet de quibusnam materiis detraxerit pœnitens, non solum quia de obligatione non constat, sed etiam quia a cognitione diversæ materiæ detractionis facile devenire posset ad cognitionem ipsius personæ cui detractum est, et ita ipsa confessio a detractionis vitio non esset immunis. Imo quia probabile etiam est detractiones de diversis materiis, si aliunde non interrumpantur, unum esse numero peccatum, confessarius abstinere debet ab inquirendo non solum *quænam* fuerint materiæ detractionis, sed etiam num fuerint *plures*.—Cf. Lugo, *de Pœnit.* disp. 16. n. 265.—Baller. not. (a) p. 429.

QUAER. 3°. *An crimen publicum revelari possit illud ignorantibus, at degentibus in eodem loco ubi crimen jam est publicum?*

RESP. *Affirm.*, saltem absque peccato gravi, quia, amissa fama relate ad communitatem, in qua quis vivit, per publicitatem criminis sive hæc sit juris sive facti, jam nequit amplius grave damnum irrogari. Si vero quæratur an crimen jam publicum in uno loco possit revelari ubi crimen adhuc ignoratur, respondetur multum disputari apud theologos, sed juxta S. Alphonsum aliosque non paucos, probabiliter non esse mortale sive crimen manifestetur ubi facile et brevi erit publicandum, sive agatur de locis ad quæ divulgatio vel nunquam vel non nisi post diuturnum tempus est perventura.—Cf. S. Alphons. n. 974. et 975., et *Hom. Ap.* n. 12.—Lugo. *de just. et jur.* disp. 14. sect 5.

QUAER. 4°. *Quid sentiendum de more apud nos vigente divulgandi totam vitam eorum, qui in supremos Magistratus aut Legislatores eligendi sunt?*

RESP. Est certo licitum sive justitia inspiciatur sive caritas, ea crimina manifestare quæ, utut occulta, candidatum minus idoneum reddunt muneri in quod esset eligendus, tum quia bonum commune prævalere debet privato, tum quia ad mentem Constitutionis qua regimur, et universalis consuetudinis, candidati illi censentur cedere de jure suo statim ac consentiunt electioni populari.—Verum hac in re adesse debet limes, ac proinde damnandi sunt illi qui vel pruritu omnia divulgandi, vel studio partium abducti ea etiam attingunt crimina quorum notitia nihil confert ad bonum publicum.—Cf. Kenrick, tract. 10. n. 139.

QUAER. 5°. *An peccet graviter ille qui gravia et occulta peccata alterius refert tantum ut ab aliis audita, v. gr., si dicat : fertur, narrant, audivi de tali hoc vel illud ?*

RESP. Certo peccat graviter contra caritatem et justitiam, si ita ea referat ut alii sint merito iis credituri, v. gr., si asserat se ea quæ narrat audivisse a persona fide digna, quia tunc causam sufficientem credendi malum præbet; secus autem si probabiliter fides dictis non adhibeatur, quia tunc nulla infamia inde orietur. Si vero audita referat coram iis qui probabiliter ea credent ex levitate aut malitia propria, peccat quidem contra caritatem, quia quisque sub gravi tenetur ex caritate tollere occasionem damni alterius cum facile potest, at non contra justitiam, quia non est efficax causa damni.—Cf. S. Alphons. n. 977.

QUAER. 6°. *Quomodo peccant audientes detractionem ?*

RESP. Sicut totam malitiam detractionis contrahunt, ac proinde justitiam lædunt, qui ita audiunt ut novos stimulos detrahentibus adjiciant, sic omnino excusantur qui, ubi advertunt detractionem, discedunt, sermonem expungunt, aut faciem avertunt atque tristes se ostendunt, juxta illud Prov. xxv. 23 : "Dissipat facies tristis linguam detrahentem."—Verum, extra duplicem hunc casum, distinguendum est inter personas particulares et superiores. Persona particularis plerumque aut omnino aut saltem a gravi peccato excusatur, si detractionem non impediat, ex verecundia aut timore vel etiam ex negligentia, etiamsi commode possit, modo de illa non gaudeat, nec præter infamiam aliud damnum accedat. Ratio est, quia in hac materia sæpe constare nequit correctionem esse profuturam; imo sæpe periculosum est, et merito timeri potest, ne detractio potius augeatur vel producatur. At superior peccat contra caritatem, si detractionem non impediat in quantum commode potest, etiamsi de ea non gaudeat; quia illi specialis obligatio incumbit corrigendi detrahentem, aut damno subditi infamati obviandi. Probabilius autem non peccat contra justitiam neque superior detrahentis, quia non tenetur invigilare bono alterius non subditi; neque superior infamati, quia ipsi non incumbit ex justitia bono temporali subditi attendere.—Cf. S. Alphons. n. 979. 980. et 981.

QUAER. 7°. *Quænam sint causæ a restitutione famæ excusantes ?*

RESP. Sequentes communiter admittuntur : 1°. si delictum quod uni

vel pluribus revelasti, ex alia via publicum evaserit, aut si fama alio modo reparata sit, v. gr., per sententiam judicis, etc.; 2°. si prudenter judicetur criminis memoriam, temporis decursu, oblivione deletam esse; 3°. si restitutio famæ fieri nequeat sine vitæ periculo, quia vita est bonum ordinis superioris; item si restitutio famæ sit multo minoris valoris, ac jactura quam pati deberet diffamator, v. gr., si esset homo honoratus et præsertim bono publico vel religioni valde utilis; 4°. si reparatio sit moraliter impossibilis ob nimiam locorum distantiam aut alias speciales difficultates, quæ præsertim in reparatione detractionis simplicis reperiuntur; v. gr., si qui audierunt detrahentem, a præoccupata opinione revocari non possint; 5°. si judicetur detractioni fidem adhibitam non fuisse ab audientibus, ut fit sæpius, quando in iræ calore detrahitur; 6°. si infamatus obligationem expresse vel tacite remiserit, modo remittere possit; imo quandoque sufficit condonatio præsumpta. Eam autem remittere non potest, quando ex ejus infamia sequitur scandalum, aut damnum vel commune vel suorum, etc., v. gr., si agatur de infamia sacerdotis, magistratus, etc.—Cf. S. Alphons. n. 997. et 998.

QUAER. 8°. *An qui est materialiter tantum calumniator, quia scilicet manifestavit crimen falsum quod putaverat esse verum, debeat famam restituere cum periculo amittendi suam?*

RESP. Calumniator materialis, detecto errore, tenetur ad restitutionem, at non tam stricte quam qui calumniam fecit per injuriam formalem: hic enim tenetur cum detrimento famæ suæ etiam æquali, primus non item, sed tantum quatenus sine suo notabili incommodo potest.—Cf. S. Alphons. n. 993.

QUAER. 9°. *An detur obligatio restituendi famam ex simplici detractione materialiter tantum injusta, v. gr., si quis detrahat ex inadvertentia?*

RESP. *Affirm.*, statim ac advertitur ad injustitiam, pari modo quo incendens alterius domum, sine culpa formali, tenetur ignem extinguere, statim ac advertit, si commode potest, secus damnum quod inde sequitur ipsi imputabitur.—Cf. S. Alphons. ibid.

QUAER. 10°. *An infamans teneatur famam restituere etiam coram iis, qui crimen a se revelatum mediate acceperint?*

RESP. *Neg.*, si non prævidit, ne in confuso quidem, propagationem

suæ detractionis, et a fortiori, si ante, vel post violationem famæ, secretum postulavit; nam tunc non est vera et injusta causa extensionis damni.—Secus vero dicendum si ideo detraxit, ut audientes adduceret ad infamiam repetendam, quia tunc ii censendi sunt tanquam causa instrumentalis qua utitur detractor.—Verum si adfuit quidem prævisio propagationis, at non expressus et positivus animus nocendi ope audientium, juxta S. Alphonsum, *verius* tenetur, quia sola prævisio sufficit ut detractor dicatur vera causa totius damni. Attamen videtur posse excusari a tali onere non solum ratione impossibilitatis moralis, quæ sæpe adest, sed etiam quia tandem vera causa tanti damni est actio libere posita ab audientibus. Præterea, teste Card. de Lugo, praxis confessariorum est ut non imponatur tale onus.—Cf. S. Alphons. n. 991. —Lugo, *de just. et jur.* disp. 15. n. 15. et 16.

QUAER. 11°. *An excuseris a restitutione famæ, si etiam læsus tuam famam violaverit, nec restituere velit?*

RESP. Negant multi theologi, sed probabilius affirmandum cum S. Alphonso; quia non teneris alteri jus suum reddere, si ille recusat tibi reddere tuum.—Cf. S. Alphons. n. 999.

CAPUT III.

DE CONTUMELIA.

317. Contumelia est injusta honoris læsio præsenti et scienti irrogata. Honor autem est externa testificatio æstimationis quæ de alicujus excellentia interne habetur. Præsens vero aliquis esse potest, vel personaliter seu physice, vel moraliter per imaginem, perque aliud in quo aliquatenus repræsentetur.—Contumelia fieri potest sive *negative*, per omissionem honoris hic et nunc debiti; sive *positive*, verbis nempe, factis, aut signis contemptus. Quando fit verbis, diversa nomina sortitur, quæ sæpe indiscriminatim usurpantur, aliquatenus tamen inter se discrepant. Dicitur enim *convicium*, si naturales defectus; *contumelia* simpliciter, si defectus morales; *improperium*, si indigentiam, generis vel conditionis vilitatem, objiciat.—Cf. S. Thom. 2-2. q. 72. art. 1. ad 3.

Ad contumeliam referuntur: 1°. *irrisio*, qua quis verbis et risu contemnitur; 2°. *subsannatio*, qua quis gestibus ridiculis irridetur; ab ea

differunt, quia contumelia honorem deprimere intendit, hæ vero pudorem et verecundiam causare.—Cf. S. Thom. 2-2. q. 75. art. 1.

318. ***Dico.*** Contumelia est peccatum mortale ex genere suo, et strictam inducit obligationem reparationis. Ratio *primi* est, tum quia in æstimatione hominum honor sæpe plus reputatur quam fama, ac proinde contumelia gravius peccatum est quam detractio, tum quia Matth. v. 22. dicitur: "Qui dixerit fratri suo . . . Fatue, reus erit gehennæ ignis." Ratio autem *secundi* est, quia jus læsum et reparabile debet reparari.—Cf. S. Alphons. n. 966.

319. ***Resolves.***—1°. Honor publice per contumeliam ablatus, publice est restituendus coram illis qui dehonorationis testes fuerunt, vel saltem ita, ut satisfactio ad ipsorum notitiam pervenire possit. Sufficit autem, ut satisfactio fiat per aliam personam, quæ nomine dehonorantis veniam petat.—Cf. S. Alphons. n. 984.

2°. Ea honoris restitutio requiritur, quæ censeatur sufficiens ad manifestandam æstimationem juxta personæ offensæ conditionem, ac proinde si qui dehonoravit fuerit superior, sufficiet si dehonoratum salutet, aut ei benevolentiam ostendat.—Cf. S. Alphons. n. 986.

3°. Si inhonoratus vindictam sumpsit, v. gr., alterum percutiendo, vulnerando etc., plerumque pro honore non requiritur ulterior satisfactio; quia ille pro satisfactione videtur acceptare vindictam, alter vero non resistendo videtur fateri suam culpam et æstimationem de altero. —Cf. S. Alphons. n. 989.

4°. In praxi multoties expedit ut confessarius omittat monere pœnitentem, in bona fide existentem, circa satisfactionis obligationem, maxime si prævideat monitionem non profuturam esse; vel si putet eum, qui dehonoratus fuit, facile id condonare, aut recusaturum esse reparationem præsertim publicam, ne memoria injuriæ apud alios redeat, aut ne ipse rubore magis afficiatur, etc.—Cf. S. Alphons. n. 988.

CAPUT IV.

DE JUDICIO TEMERARIO, SUSPICIONE, ET DUBITATIONE TEMERARIA.

320. Judicium temerarium est firmus assensus ex levibus indiciis formatus de aliquo peccato vel defectu proximi; suspicio autem temeraria est quædam inclinatio ad assensum de malo proximi ex insufficienti ratione, seu est assensus inchoatus, quo quis, ex insufficienti ratione, judicat probabiliter latere aliquod fundamentum male opinandi de proximo. Demum dubitatio temeraria est suspensio animi in neutram partem se determinantis circa honestatem proximi.

321. ***Dico*** 1°. Judicium *temerarium* est peccatum mortale ex genere suo. Ratio est, quia unusquisque jus habet ad bonam sui existimationem apud singulos, nec malus præsumi debet, donec probetur. —Verum ad gravitatem judicii temerarii requiritur: 1°. ut sit firmum, seu citra dubium; 2°. ut sit plene deliberatum et voluntarium; 3°. ut sit in re gravi de persona determinata et cognita; 4°. ut innixum sit indiciis quæ uti levia et inepta ad judicandum cognoscantur. Ratio horum est, quia secus non esset verum judicium, neque vere temerarium, neque graviter proximo injuriosum.—Cf. S. Alphons. n. 962.

Dico 2°. Suspicio et dubitatio temeraria, sunt venialia tantum ex genere suo. Ratio est, quia ob debilem et facile mobilem adhæsionem ordinarie leve tantum damnum proximo afferunt, cum famam non tollant, sed tantum minuant et dubiam reddant.—Cf. S. Alphons. n. 963.

322. ***Resolves.***—1°. Non peccat graviter qui de proximo sinistre judicat, si judicium innititur indiciis ad prudentem probabilitatem sufficientibus, quia moralis certitudo et vera probabilitas non adeo distant, ut censeatur gravis injuria habere quasi certum quod est valde probabile.—Cf. S. Alphons. n. 962.

2°. Non peccat graviter qui judicando non advertit plene ad motivorum insufficientiam, quamvis advertat se minus prudenter judicare, vel si negligentiam tantum levem admittat in repellendo judicio.—Cf. S. Alphons. ibid., et *Hom. Ap.* n. 1.

3°. Non peccat graviter qui temere judicat de aliquo indeterminato inter plures, v. gr., alicujus cœtus vel communitatis, vel etiam de aliquo determinato quidem, sed sibi ignoto.—Cf. S. Alphons. ibid.

4°. Suspicio vel etiam dubitatio plane temeraria, nulli scilicet innixa rationi, peccatum mortale esse potest, si versetur circa peccata valde extraordinaria et gravia ratione conditionis personarum quas respicit; quia hujusmodi suspicio aut dubitatio major injuria est, quam judicium etiam firmum circa peccata minus gravia.—Cf. S. Alphons. n. 964.

5°. Licet damna præcavere ex timore non omnino imprudenti; atque ita, v. gr., potes res tuas sub custodia servare, ne surripiantur a peregrino domi tuæ commorante; quia, etsi non possis positive judicare hunc vel illum esse furem, potes tamen optime tibi consulere, cum certo scias inter homines esse aliquando fures, quamvis a furto alieni existimentur.—Cf. S. Thom. 2–2. q. 60. art. 4. ad 3.

APPENDIX.

DE VIOLATIONE SECRETI.

323. Secretum hic dicitur quidquid vel ex natura sua, vel ex speciali contractu, occultum servari debet.—Triplex distinguitur et est 1°. *naturale*, si ab ipsa natura rei celandæ imponatur, v. gr., si quid scias quod manifestare nequeas sine gravi alterius læsione sive in æstimatione, sive in bonis, etc: 2°. *promissum*, si quis, arcanum ab alio audiens vel casu discens, promittat se id non revelaturum; 3°. *commissum*, si quis alteri quidpiam manifestet, et simul ab ipso silentium circa illud tacite vel expresse exigat.

324. ***Dico*** 1°. Secretum *naturale* in re gravi obligat sub gravi, et quidem ex justitia, nisi justa causa excuset. Ratio est, quia ex revelatione secreti sequitur damnum proximi, qui jus habet, ne sine causa rationabili lædatur.

Dico 2°. Secretum *promissum*, præter obligationem secreti naturalis, quam ratione materiæ aliquando inducere potest, vi solius promissionis, obligat graviter vel leviter juxta intentionem promittentis; leviter, si promittens, ut sæpe fit, ex fidelitate tantum; graviter in materia gravi, si ex justitia se obligare voluerit.

Dico 3°. Secretum *commissum* seu *communicatum*, quod dicitur etiam rigorosum, obligat sub gravi ex justitia, et quidem strictius quam

secretum mere naturale, atque etiam promissum; quia præter obligationem naturalem urget etiam obligatio ex contractu oneroso expresse vel tacite suscepta.—Cf. S. Alphons. n. 970.—Baller. not. (a) et (b) p. 440.

325. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *Quænam sint causæ justæ manifestandi secretum quodcumque etiam si sit commissum?*

RESP. Sunt 1°. consensus recte præsumptus illius cujus interest secretum occultari; 2°. divulgatio rei aliunde profecta; 3°. damnum ex secreto *secuturum* Reipublicæ, vel privatis innocentibus, vel ipsi committenti, aut etiam illi cui committitur secretum.—Dixi *secuturum*, quia si agatur de damno jam illato non potest licite revelari secretum commissum quamdiu damnificator ipse se prodere non tenetur, etsi secretum naturale aut promissum possit, imo debeat judici legitime interroganti manifestari, ut damnum jam illatum vindicetur. Ratio discriminis est, quia obligatio, quæ secretum naturale aut promissum afficit est essentialiter conditionata, et veluti supervenit obligationi præexistenti respondendi judici legitime interroganti. At si sermo est de secreto commisso, judex vel superior nequit abrogare jus naturæ, quod exigit illud servari debere, nisi alia via res sit jam cognita.—Cf. S. Alphons. n. 970. et 971.—Baller. not. (a) p. 441.

QUAER. 2°. *An possis revelare secretum, si promiseris illud servare etiam cum vitæ jactura?*

RESP. *Affirm.*, si illud exigat bonum commune, quia tunc hujusmodi promissio est natura sua invalida. Secus vero respondendum si agatur de tuo proprio damno simpliciter gravi, quia juri tuo expresse renuntiasti, et illicitum non est permittere ut incurras grave damnum ad promissionem servandam.—Cf. S. Alphons. n. 971.

QUAER 3°. *An peccet graviter qui revelat secretum uni vel alteri viro probo sub eodem secreto?*

RESP. *Neg.*, probabiliter *per se;* quia in hoc casu gravis injuria erga alium committi non videtur, nisi tamen reveletur personæ cui secretum tibi committens specialiter voluisse illud celari merito præsumitur.—Dixi, *per se;* quia in praxi, ob circumstantias secreti, revelatio facile gravis evadet, quando scilicet personas, quibus acceptum secretum committis, nimis leviter supponis ita discretas, ut illud sint certo servaturæ.—Cf. S. Alphons. n. 971.

Quaer. 4°. *An graviter peccet aperiens aut legens alterius litteras?*

Resp. *Affirm.*, quia jure naturali et jure gentium gravis obligatio inest secreta litterarum illæsa servandi; secus commercium humanum pessumdaretur. Excipe tamen casus sequentes: 1°. si adsit consensus tacitus aut præsumptus illius qui scribit, vel illius ad quem litteræ mittuntur; 2°. si cognoscatur vel præsumatur litteras continere res levis momenti; 3°. si justa de causa fiat, v. gr., ad damnum publicum aut privatum avertendum, modo non plus legatur quam ad hunc finem necessarium est; 4°. si litteræ ex levitate aut ex aliqua inadvertentia aperiantur.—Cf. S. Alphons. *de Peccatis* n. 70., et *Hom. Ap.* n. 5. et. 6.

TRACTATUS

DE PRAECEPTIS ECCLESIAE

326. Multa existunt præcepta Ecclesiæ particularia: hic de iis tantum loquemur quæ universos fideles respiciunt, cujuscumque sint status vel conditionis. In iis proponendis non parum differunt Doctores; hæc tamen differentia provenit potius a modo loquendi quam ab ipsa rei substantia. Juxta Kenrick, cui consonant catechismi plurium Diœceseon hujus regionis, ita enunciantur:

I. Sacrum Missæ officium dominicis festisque reverenter audito.

II. Peccata tua singulis saltem annis confitere.

III. Sacram Eucharistiam saltem semel in anno, circa festum Paschæ, sumito.

IV. Dies jejunii et abstinentiæ servato.

V. Decimas pastoribus dato, vel alia ad sustentationem subsidia.

VI. Matrimonium contra Ecclesiæ vetitum noli celebrare.—Cf. Kenrick, tract. 4. part. 2. n. 1.

DE PRIMO ECCLESIÆ PRÆCEPTO, SEU DE SANCTIFICATIONE FESTORUM.

Cum de obligatione et de modo audiendi Missam diebus dominicis et festis, necnon de abstinentia ab operibus servilibus, quam præfata formula non refert sed supponit, satis dictum fuerit ubi de 3°. Decalogi præcepto, hic aliquid tantum exponetur de auctore, et de numero horum festorum.

327. I. Solus Papa universæ Ecclesiæ festa indicere potest, quia solus in Ecclesiam universam jurisdictione gaudet. Episcopi quoque festos dies instituere in propria diœcesi possunt: habent enim facultatem leges in sua diœcesi condendi. Attamen ex præsenti disciplina, ne nimia Ordinariorum facilitate ultra modum dies festi multiplicentur, vetantur Episcopi, ne, clero fidelibusque inconsultis, aut contradicenti-

bus, festa statuant. Quinimo non desunt qui putent eam potestatem Episcopis ablatam esse ab Urbano VIII. Constit. *Universa*, in qua hæc habentur: "Locorum Ordinarii in Domino monentur, ut ad ecclesiasticam ubique servandam æqualitatem, de cætero perpetuis futuris temporibus ab indictione sub præcepto novorum festorum abstineant."—Et revera S. C. Rituum ad quæstionem: "An Episcopus, in sua Diœcesi, possit alia festa instituere de præcepto præter illa quæ in dicta Bulla (Urbani VIII.) expressa sunt?" respondendum censuit: *Negative*, 23. Jun. 1803.—Cf. S. Alphons. *de tertio præc. Decal.* n. 266

328. II. Multa olim instituta sunt festa, quæ decursu temporum, refrigescente fidelium fervore, in desuetudinem abierunt, vel auctoritate ipsa ecclesiastica abolita sunt. Etenim Urbanus VIII. Const. *Universa*, 13. Sept. 1642. multa festa suppressit, novumque dierum festorum elenchum statuit ut sequitur:

"Apostolica auctoritate decernimus et declaramus, infra scriptos dumtaxat dies pro festis ex præcepto colendos esse . . . Dominicos scilicet dies totius anni; Nativitatis D. N. J. C.; Circumcisionis; Epiphaniæ; Resurrectionis cum duabus sequentibus feriis; Ascensionis; Pentecostes cum duabus pariter sequentibus feriis; Sanctissimæ Trinitatis; Solemnitatis Corporis Christi, et Inventionis S. Crucis, necnon festivitatum Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, et Nativitatis Deiparæ Virginis; Dedicationis S. Michaelis Archangeli; Nativitatis S. Joannis Baptistæ; SS. Petri et Pauli, S. Andreæ, S. Jacobi, S. Joannis, S. Thomæ, SS. Philippi et Jacobi, S. Bartholomæi, S. Matthæi, SS. Simonis et Judæ, et S. Matthiæ; item S. Stephani, protomart.; S. Laurentii, martyris; S. Sylvestri, Papæ et Conf.; S. Josephi, etiam Conf.; et S. Annæ, Deiparæ Genitricis; Solemnitatis omnium Sanctorum; atque unius ex principalioribus Patronis in quocumque regno sive provincia, et alterius pariter principalioris in quacumque civitate, oppido vel pago, ubi hos Patronos haberi et venerari contigerit."

Huic catalogo addendum est festum Immaculatæ Conceptionis B. M. V. quod de præcepto haberi voluit Clemens XI. per Constit. *Commissi Nobis*, 6. Dec. 1708.

Pius VI., propter temporum calamitatem, fidelibus Romanis condonavit obligationem quædam festa celebrandi. Hæc autem sequentia sunt, scilicet: festa SS. Apostolorum, præter SS. Petri et Pauli solem-

nitatem; duæ feriæ quæ Pascha et Pentecosten sequuntur; Inventio S. Crucis; festa S. Annæ, S. Laurentii, S. Stephani, SS. Innocentium, S. Sylvestri, Nativitatis S. Joannis Baptistæ, S. Michaelis, et S. Josephi; quæ tamen tria postrema postea restituta sunt. Cæterum circa alia nihil per hoc immutatum fuit quoad obligationem Pastoribus impositam Missam *pro populo* celebrandi; ideoque standum est adhuc catalogo Urbani VIII. Ita solemniter a Pio IX. fuit declaratum per Constitut. *Amantissimi*, 3. Maii, 1858.

329. III. In Statibus hisce Fœderatis, juxta præsentem disciplinam, novem tantum, præter dominicos, dies festi celebrantur, nempe quinque in honorem Jesu Salvatoris, et sunt dies Natalis ipsius, Circumcisionis, Epiphaniæ, Ascensionis, et Corporis Christi; tres in laudem B. M. V. scilicet, Immaculatæ Conceptionis, Annunciationis, et Assumptionis; et demum, unus in honorem Omnium Sanctorum.—Verum hæc disciplina patitur paucas exceptiones in aliquibus diœcesibus Prov. Neo-Aureliæ, S. Francisci, S. Fidei, S. Ludovici, et Chicago.—Cf. Kenrick, tract. 4. part. 2. n. 3.—*Conc Plen. Balt.* II. tit. 7. cap. 1. et p. cl. Decr. v.

DE SECUNDO ECCLESIÆ PRÆCEPTO, SEU DE ANNUA CONFESSIONE.

330. ***Dico.*** Datur præceptum annuæ confessionis et probatur ex can. 21. Conc. Later. 4. qui sic se habet: "Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata solus confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio sacerdoti."

331. ***Quæsita.***—QUÆR. 1°. *Quomodo computandus sit annus hac in re?*

RESP. Non conveniunt Doctores; nam quidam computant ab una ad aliam confessionem, alii ab initio Januarii ad finem mensis Decembris, et alii demum, quibus favet recepta fere ubique consuetudo, computant a paschate ad pascha.—Cf. S. Alphons. *de Sacram. Pœnit.* n. 662.—Lugo, *de Pœnit.* disp. 15. n. 154.

QUAER. 2°. *Quinam confessarius intelligendus sit nomine proprii sacerdotis?*

RESP. Nomine *proprii sacerdotis* intelligitur quicumque fuerit ab

Episcopo approbatus, ut fuse probat Benedictus XIV., et, ut ait S. Alphonsus, "certum est ex præsenti universali consuetudine, quidquid antiqui aliter dixerint." Addit S. Doctor hoc esse intelligendum etiam "invito parocho." Et re quidem vera ex mente Christi et Ecclesiæ, exceptis monialibus et religiosis generatim propter speciales quasdam rationes, plena omnibus et semper concedi debet libertas eligendi confessarium inter sacerdotes omnes approbatos; ac proinde non leviter errant qui vel publice vel privatim prohibent fideles sive parochianos ne hac libertate quocumque tempore utantur, et minis illos obligant ut in propria ecclesia, aut proprio parocho confiteantur.—Dixi *omnibus et semper;* nam si libertas ista concedenda est decurrente anno et tempore paschali, a fortiori concedenda est iis qui sunt graviter infirmi.—Cf. S. Alphons. *de Sacram. Pœnit.* n. 564. 565. et 670.—Benedict. XIV. *de Synod.* lib. 11. cap. 14. n. 2. et seqq.

QUAER. 3°. *Quandonam pueri censeantur annos discretionis attigisse, ut præcepto annuæ confessionis adstringantur?*

RESP. Quando sunt capaces peccati mortalis; quod non ex ætate solum, sed præcipue ex gradu ingenii vel boni malique discretione judicandum est. Satis autem discretionis inesse censetur in iis qui jam apprehendunt, malum esse mendacium, aut inobedientiam, aut de impuris quibusdam actionibus erubescunt. Hinc Pastores animarum tenentur puerulos etiam septennes ad confessionem sensim præparare, et eos, in quibus animadvertunt mortale peccatum etiam dubium, absolvere, saltem intra annum vi Concilii Lateranensis. Graviter igitur *errant,* neque excusari possunt confessarii qui pueros sibi commissos nunquam ante primæ communionis ætatem absolvere volunt. In dubio de discretione absolvantur sub conditione.—Cf. S. Alphons. *de Sacram. Pœnit.* n. 662. et 666., et *de quarto præc. Decal.* n. 270.—Baller. not. (a) p. 447.

QUAER. 4°. *An ille, qui non gravatur mortalibus, teneatur confiteri venialia, ratione præcepti annuæ confessionis?*

RESP. *Neg.,* quia Ecclesia confessionem faciendam statuit, quæ est ex Christi institutione præcepta. Christus autem nullam aliam præcepit confessionem nisi peccatorum mortalium, ut explicat Concilium Tridentinum sess. 14.—Cf. S. Alphons. *de Sacram. Pœnit.* n. 667.

QUAER. 5°. *An ille, qui intra annum obligationis, quocumque modo computetur, venialia tantum, aut semel aut sæpius, confessus est, teneatur adhuc præcepto annuæ confessionis, si ante finem anni in peccatum mortale lapsus fuerit?*

RESP. *Affirm.*, et ratio est, quia præceptum semel in anno confitendi respicit confessionem peccatorum mortalium, ut dictum est supra. Hinc, quemadmodum non tenetur confiteri is qui sola venialia habet, ita etiam non censetur satisfecisse præcepto per confessionem venialium, qui postea eodem anno peccatum mortale committit.—Cf. S. Alphons. *de Sacram. Pœnit.* n. 669.—Suarez, *de Pœnit.* disp. 35. n. 9. et 12—Lugo, *de Pœnit.* disp. 15. n. 162.

DE TERTIO ECCLESIÆ PRÆCEPTO, SEU DE COMMUNIONE PASCHALI.

332. ***Dico*** 1°. Præceptum communionis paschalis, non secus ac præceptum annuæ confessionis, divinum est quoad substantiam, ecclesiasticum vero quoad temporis determinationem. Constat de hoc præcepto ex perpetua Ecclesiæ praxi, ex innumeris Conciliis, et Constitutionibus pontificiis, et præsertim ex Conc. Trid. sess. 13. can. 9.: "Si quis negaverit, omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, juxta præceptum sanctæ matris Ecclesiæ; anathema sit."—Tempus paschale, ex declaratione Eugenii IV. incipit a Dominica Palmarum et terminatur Dominica in Albis. Potest tamen ex consuetudine, necessitate, vel privilegio aut etiam a confessario in casu aliquo particulari justa de causa ampliari. Utrum autem solius Episcopi auctoritate protrahi possit quoad omnes diœcesanos, affirmant nonnulli Doctores, negat vero Benedictus XIV. *de Synodo*, lib. 12. cap. 6. n. 10.

Ceterum pro hac regione S. Sedes jam benigne annuit ut, nisi restringatur ab unoquoque Episcopo, tempus communionis paschalis computetur a prima Dominica Quadragesimæ inclusive ad Dominicam SS. Trinitatis pariter inclusive.—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. n. 257.

Dico 2°. Communio paschalis in propria parœcia sumenda est, ut aperte colligitur tum ex variis SS. Pontificum Constitutionibus, tum

etiam ex generali Ecclesiæ praxi. Hinc præceptum Eucharistiæ suscipiendæ triplex est: 1um. spectat ipsam communionem, 2um. tempus, 3um. vero locum: ubi autem vel postremum vel secundum impleri nequit, duobus aliis, vel certe primo satisfaciendum est.

Verum apud nos, deficientibus parochiis proprie dictis, non est urgendum præceptum quod respicit locum, excepta tamen California, ut patet ex Conc. Prov. S. Francisci habito an. 1874., ubi n. 16. ita habetur: "Declaramus Rectores earum parœciarum, quæ habentur uti parœciæ proprie dictæ, teneri ad omnia munia Parochorum erga fideles intra limites suarum ecclesiarum constitutos adimplenda; fideles autem jus habere ad subsidia spiritualia ab illis ceu a propriis animarum Rectoribus recipiendum, ac specialiter teneri ad ipsos recurrere pro Communione paschali, Baptismo, Viatico, Extrema Unctione, et Matrimonio."

333. ***Quæsita.***—QUAER 1°. *An qui tempore præscripto omisit communionem, teneatur, quamprimum potest, communicare?*

RESP. *Affirm.*, et ratio est, quia tempus minime determinatum est ad finiendam obligationem, sed ad eam urgendam; id enim clare indicare videntur verba Concilii Lateranensis: *saltem semel in anno . . . ad minus in paschate*; et Tridentini: *singulis annis, saltem in paschate*; quibus verbis præcipitur quidem ut communio tempore paschali fiat, sed simul atque principaliter ut ultra annum non differatur. Plures tamen et graves Auctores, quorum sententiam S. Alphonsus ait non esse contemnendam, arbitrati sunt præceptum communionis omnino affixum esse tempori paschali, ipsumque, elapso hoc tempore, penitus cessare.—Cf. S. Alphons. *de Sacram. Euchar.* n. 297.

QUAER. 2°. *An teneatur ad communionem qui, nondum incœpto tempore paschali, prævidet se fore impeditum?*

RESP. Valde controvertitur; sed negandum esse videtur, tum juxta sententiam eorum qui dicunt hoc præceptum ita affixum esse tempori paschali, ut extra illud nulla sit alia obligatio, tum juxta eos qui docent, transacto tempore paschali, adhuc remanere obligationem communicandi singulis annis. Nam hi ultimi simul docent, juxta communem sententiam universali usu comprobatam, annum computandum esse a paschate ad pascha, ac proinde communionem factam tempore paschali nondum incœpto, nullo modo esse impletivam præcepti.—At-

tamen illo tempore jam incœpto, teneris quamprimum huic obligationi satisfacere, si impedimentum prævideas, imo teneris auferre impedimenta etiam gravia, quia præceptum istud est etiam divinum, et gravis momenti.—Cf. S. Alphons. *de Sacram. Euchar.* n. 298.

QUAER. 3°. *An peccet graviter qui differt communionem ad primam vel secundam diem post elapsum tempus paschale?*

RESP. *Affirm., per se*, et ratio est, quia licet hujusmodi dilatio in se parva videri possit, est tamen satis notabilis præ duratione temporis paschalis juxta jus commune. At quoniam apud nos hoc tempus ex indulto Apostolico extensum est ad centum fere dies, dilatio unius aut alterius diei certe non debet censeri notabilis.

DE QUARTO ECCLESIÆ PRÆCEPTO, SEU DE ABSTINENTIA ET JEJUNIO.

334. ***Dico*** 1°. **Exstat præceptum ecclesiasticum abstinendi a carnibus certis quibusdam diebus.** Constat ex variis SS. Pontificum Constitutionibus, ex omnibus Catechismis, ex universali consuetudine, et omnium theologorum consensu. Imo præceptum abstinentiæ apostolicum reputatur, non secus ac præceptum jejunii, a quo primis Ecclesiæ sæculis non separabatur.

Dico 2°. **Extat etiam præceptum ecclesiasticum jejunandi, scilicet abstinendi determinatis diebus tum a certa ciborum qualitate, tum a cibis quibuscumque juxta formam ab Ecclesia præscriptam.** Constat ex variis SS. Pontificum Constitutionibus et ex omnibus Provinciarum ecclesiasticarum Catechismis.

Dico 3°. **Utrumque hoc præceptum, quamvis juxta communem theologorum sententiam admittat parvitatem materiæ, per se tamen obligat *sub gravi*.** Ratio est, tum quia materia præcepta gravis est, tum quia, ad jejunium quod spectat, damnata fuit ab Alex. VII. prop. 23. quæ sic se habet: "Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subjicere præcepto."

Dico 4.° **Nisi detur sufficiens excusatio, vel legitima dispensatio, primum præceptum obligat omnes omnino fideles habentes usum rationis; alterum autem eos tantum qui vigesimum primum ætatis annum**

jam compleverint. Constat ex communi consuetudine et theologorum omnium doctrina.

Dico 5°. Præceptum abstinentiæ præter tempus jejunii urget: 1°. feria sexta cujuslibet hebdomadæ in universo orbe christiano, nisi in hanc diem incidat Nativitas Domini; 2°. die Sabbati, nisi legitima consuetudo alicubi aliter præscripserit.—In hac vero regione possumus vesci carnibus diebus Sabbati *vi indulti*, quod antea generaliter concessum fuerat ad viginti annos; sed anno 1868. S. Pontifex Pius IX. jussit ut unusquisque Episcopus qui tali indulto indigere se putaret, expositis rationibus, in particulari recurrere deberet ad sedem Apostolicam.—Præceptum autem jejunii urget tempore quadragesimæ, quatuor temporum et quarumdam vigiliarum quarum numerus non idem est ubique. Apud nos quatuor tantum servantur, scilicet Nativitatis Domini, Pentecostes, Assumptionis B. M. Virginis, et omnium Sanctorum. Jejunatur etiam in plerisque nostris diœcesibus singulis feriis sextis adventus.—Cf. S. Alphons. n. 1010. et seqq.—Kenrick, tr. 4. part. 2. n. 37. et seqq.—*Conc. Plen. Balt.* II. . . . .

NOTA.—*Plura dubia quæ præceptum simplicis abstinentiæ respiciunt, solutionem habebunt in iis quæ de jejunio dicentur.*

CAPUT I.

DE NECESSARIIS JEJUNII CONDITIONIBUS.

Jejunium ecclesiasticum tribus tanquam partibus constat, scilicet: 1°. unica comestione, per 24. diei horas, vespertina refectiuncula adjecta; 2°. abstinentia a carnibus et lacticiniis; 3°. tempore ad refectionem sumendam determinato.

ARTICULUS I.

DE UNICA REFECTIONE ET REFECTIUNCULA.

335. ***Dico.*** Primaria et essentialis conditio jejunii consistit in unica refectione, ut constat tum ex unanimi consensu theologorum, tum ex praxi et sensu fidelium; nemo enim jejunare dicitur qui sæpius per diem manducat, dum e contrario bene concipitur jejunium sine abstinentia a carnibus et lacticiniis.—Attamen præter consuetam refectionem

licet sumere sub vespere refectiunculam ex levioribus cibis, ut constat ex consuetudine universali a multis sæculis introducta, et ab Ecclesia tolerata, imo tacite etiam approbata.—Cf. S.Alphons. n. 1004. et 1024.

336. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *An possit mane, illæso jejunio, sumi frustulum panis cum haustu cafei, vel theæ, aut aliquid simile?*

RESP. *Affirm.*, probabilius, modo quantitas parva sit, scilicet non excedat duas uncias. Ratio desumitur ex universali fidelium consuetudine, quæ valere debet in unaquaque regione aut provincia etiamsi nondum adhuc ibi invaluerit. Etenim cum expositum fuerit: "usum sumendi mane diebus jejunii, parva quantitate, cafeum aut chocolatum cum frustulo panis . . . nondum in Canadam fuisse introductum," et simul petitum fuerit: "utrum tuta conscientia tolerari aut permitti possit in memorata regione Canadensi, ut mane diebus jejunii, parva quantitate sumatur cafeum aut chocolatum cum frustulo panis?"—S. Pœnitentiaria die 21. Nov. 1843. respondit "eos qui talem usum sequuntur non esse inquietandos."—Quare si hoc vel alio simili præsidio adhibito, potes ferre jejunium, quod aliter non ferres, ipsa jejunii obligatio a te exigit ut illud præsidium adhibeas.—Cf. S. Alphons. n. 1023. —Lacroix, lib. 3. part. 2. n. 1324.—Baller. not. (b) p. 455.—*Nouvelle Revue Theol.* vol. 4. p. 431.

QUAER. 2°. *An liceat sæpius per diem tantillum panis vel alterius cibi sumere præter frustulum matutinum?*

RESP. *Neg.*, quia non permittitur a consuetudine, nisi, ut habent theologi, semel aut iterum antequam bibatur *ne potus noceat.* Quare parvæ comestiones non solum sunt peccata venialia seorsim sumptæ, sed etiam peccatum grave, si sæpius eodem die repetitæ in gravem materiam coalescant. Etenim damnata fuit ab Alex. VII. prop. 29. quæ sic jacet: "In die jejunii, qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium."—Adverte insuper parvas istas comestiones per totam diem repetitas illicitas esse non solum si *præter* frustulum, sed etiam si *loco* ipsius sumantur, et ratio est, quia licitum sane est frustulum sumere, sed eo solum tempore, quantitate, et qualitate quæ a consuetudine permittitur.—Cf. S. Thom. 2–2. q. 147. art. 6.—S. Alphons. n. 1018. et seqq.

Quaer. 3°. *An liceat, illæso jejunio, sæpius per diem bibere?*

Resp. *Affirm.*, si agatur de illis liquidis quæ de se ordinantur, et communiter adhibentur ad sitim sedandam, juxta theologorum axioma; *Liquidum non frangit jejunium.* Imo licet etiam sumere unum ex hujusmodi liquidis, v. gr., vinum, cum expressa intentione sedandi famem. Ratio est, quia lex jejunii præcipit tantum abstinentiam a cibo, non autem a potu, et juxta S. Thomam, "statutum legis positivæ non attendit intentionem observantis, sed ipsum actum, eo quod modus virtutis non cadat in præcepto, sed est finis præcepti."—Quod autem de vino hic dicitur, applicandum est, pro moribus nostris, cerevisiæ, cafeo, et theæ, quia hæc non habent naturam cibi, sed potus. Idem dicendum esse videtur, etiamsi parum quid sacchari, et aliquæ guttulæ lactis admisceantur cafeo aut theæ, quia tum etiam retinent naturam potus.—Cf. S. Thom. 4. dist. 15. q. 3. art. 4. q. 1.—S. Alphons. n. 1022.—Kenrick, tract. 4. part. 2. n. 45.

Quaer. 4°. *An frangat jejunium potus aquæ saccharo et succis aureorum aut citreorum malorum immixtæ?*

Resp. *Neg.*, nisi tantam eorum substantiæ copiam aquæ immisceas, ut potus ille rationem cibi habere censeatur. Ratio est, quia ex communi æstimatione, qui talem mixtionem (*lemonade*) sumeret non diceretur manducare sed bibere. Imo S. Alphonsus concedit illam sumi posse etiamsi sit gelu concreta (*ices, etc.*)—Non idem, ut patet, dicendum, si ageretur de lacte gelu concreto (*ice-cream*), quia lac præsertim si sit spissum non potus sed cibi habet rationem.—Cf. S. Alphons. n. 1022.

Quaer. 5°. *Quid dicendum de potione chocolati?*

Resp. Solutio pendet a quantitate chocolati quæ aquæ miscetur. Illi qui unam unciam cum dimidia immitti faciunt in cyathis ordinariis, vel, imminuta tali quantitate, panem substituunt pro rata, et semel in die utuntur tali adminiculo, certe non sunt inquietandi—Si autem sæpius quis velit per diem hac potione uti, oportet ut multo minor quantitas chocolati adhibeatur.—"Qua ratione," ait Kenrick, "apud nos paratur, potus plane habet rationem, et instar theæ vel cafei sumi potest."—Cf. S. Alphons. n. 1023.—Kenrick, loc. cit. n. 45.

QUAER. 6°. *An qui inculpabiliter duplicem in die refectionem sumpsit, errore detecto, aut ablata causa excusante, teneatur sub gravi a tertia abstinere?*

RESP. *Neg.*, probabiliter, et ratio est, quia cum essentia jejunii in unica comestione sita sit, post binam refectionem, jejunium factum est impossibile. A fortiori autem tertiam refectionem superaddere potest qui culpabiliter duas jam sumpsit, quia hic non solum *materialiter* sed etiam *formaliter* jam læsit præceptum. Secûs autem dicendum in utrôque casu, si ageretur non de quantitate, sed de qualitate ciborum, quia hoc est præceptum divisibile.—Cf. S. Alphons. n. 1030., et *Hom. Ap.* n. 20.—Baller. not. (a) p. 456.

QUAER. 7°. *Quid si die jejunii inadvertenter jentatus fueris?*

RESP. Si parum quid sumpseris, v. gr., unam aut alteram cibi unciam, debes ex more jejunare, quin tamen refectionem ac cœnulam consuetis horis deseras; non enim fuit *substantialiter* læsum jejunium. Si vero sumpseris quantitatem integræ cœnulæ æquivalentem, transferre debes prandium ad vespertinum tempus, vel si nolis aut non possis ita agere, sumpto prandio hora consueta, cœnulam vespertinam ita debes imminuere ut eam reducas ad frustulum panis cum haustu cafei vel theæ quod solet mane sumi a jejunantibus.—Si demum quantitas quam sumpsisti consuetæ refectioni par fuerit, tunc probabiliter ad nihil teneris. Ratio est, quia ex dicendis inferius, hora refectionis ita pertinet ad essentiam jejunii ut non possit multum anticipari, ac proinde sumpto jentaculo, quod æquivalet refectioni, versus horam octavam vel nonam, substantia jejunii probabiliter facta est impossibilis.

QUAER. 8°. *Quænam cibi quantitas sumi possit in refectiuncula seu cœnula?*

RESP. Juxta S. Alphonsum et multos alios theologos, qui communi consuetudini innituntur, *octo circiter cibi unciæ*, saltem ordinarie loquendo, sumi possunt.—Alii ad aliam regulam recurrunt, et permittunt quartam partem cœnæ, scilicet refectionis principalis quam quisque solet diebus jejunii sumere. Hæc ultima regula nimis vaga vel scrupulis obnoxia est. Quantitas octo unciarum nemini deneganda videtur, major autem concedenda iis quibus hæc non sufficeret ad vires reficiendas et gravi esset incommodo. Sane statui nequit regula omnino fixa, cum etiam ad complexionem, munera obeunda, durationem jejunii,

etc., attendi debeat. Licet in genere sumere quantum necessarium quis ducit ad evitandam indispositionem, quæ ipsum impediat quominus officia sua convenienter obeat. Habenda etiam est ratio propriæ regionis, sicubi major cibi quantitas necessaria est.—Cf. S. Alphons. n. 1024.—Baller. not. (b) p. 457.

Variis in locis ex inducta consuetudine in vigilia Nativitatis, aut in cœna Domini sumere licet quantitatem duplo majorem, sed hæc consuetudo non ubique viget.

QUAER. 9°. *Quœnam ciborum qualitas adhiberi possit in cœnula?*

RESP. Multum hac de re disputatur a theologis, variæque regulæ assignantur, sed imprimis servanda est locorum consuetudo. Sicut enim ipsa cœnula sumi non posset nisi a consuetudine permitteretur, ita etiam ad consuetudinem recurrendum est, ut videamus quantum, et præsertim quid sumere liceat. Quare male quis deduceret, independenter a consuetudine, posse in cœnula adhiberi ova aut etiam butyrum ex eo quod lacticinia permittantur in principali refectione. Imo fieri potest ut alicubi vi consuetudinis butyrum sumi posset non autem caseus, aut pisces parvi permittantur non autem magni. Apud nos autem caseum et butyrum concedit consuetudo: concedit etiam ova sed non ubique.—Cf. S. Alphons. n. 1027. et 1028.—Kenrick, loc. cit. n. 46.—Baller. not. (b) p. 459.

QUAER. 10°. *An liceat in cœnula sumere offam, seu panem decoctum cum aqua et aliquo alio cibo a consuetudine concesso?*

RESP. *Affirm.*, sed tunc non licet uti octo unciis panis, liquido præciso, sed tantum quatuor, aut quinque. Ratio est, quia panis per decoctionem et fermentationem cum aqua aliam naturam acquirit, ita ut ex iis quid unum fiat, et evadat una substantia major. Idem pariter dicendum de aliis decoctionibus (*mush*) quæ ex farre, aut oryza solent fieri.—Concedi autem potest, ait S. Alphonsus, ut inter ipsam refectionem quis panem aqua aut vino intingat, et sic etiam octo uncias panis vino madefacti sumat; quippe nulla hic intervenit fermentatio; et liquor, cum inserviat tantum ad vehiculum, non computatur.—Cf. S. Alphons. n 1029.—Salmant. cap. 2. n. 77.

ARTICULUS II.

DE ABSTINENTIA A CARNIBUS.

337. ***Dico.*** Omnibus fidelibus ratione utentibus interdicuntur carnes singulis jejunii diebus, et tempore quadragesimali etiam ova, et lacticinia. *Primum* constat ex declaratione Bened. XIV. in Epist. encyclica *Non ambigimus,* ac proinde contra in quod plures antiquiores theologi habent, duplex lege jejunii imponitur præceptum, unum quod respicit quantitatem, et aliud qualitatem ciborum, et dispensatus vel impotens quoad unum, non ideo est ab altero excusandus. *Alterum* vero constat ex praxi Ecclesiæ, ex dispensationibus quæ conceduntur, et ex prop. 32. ab Alex. VII. damnata, quæ sic se habet: "Non est evidens quod consuetudo non comedendi ova et lacticinia in quadragesima obliget."—Dixi *tempore quadragesimali,* quia aliis diebus jejunii nulla lege generali imponitur abstinentia ab ovis et lacticiniis, quamvis Romæ servetur in quibusdam diebus.—Cf. S. Alphons. n. 1005. et 1013.

338. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *Quid venit nomine carnis, ovorum et lacticiniorum?*

RESP. Nomine carnis veniunt omnia animalia in terra viventia ac respirantia, ut communiter admittunt theologi ex regula tradita a S. Thoma, ac proinde ranæ, testudines, etc. non prohibentur. Nomine autem ovorum et lacticiniorum intelliguntur omnia ea quæ originem ex carne ducunt, et habent rationem cibi.—Circa abstinentiam a carnibus admittitur parvitas materiæ, et multo facilius circa abstinentiam ab ovis et lacticiniis.—Cf. S. Alphons. n. 1011.

QUAER. 2°. *Quid dicendum de usu laridi?*

RESP. Certum est non licere illud edere per frusta ad instar obsonii, quia ita caro reputatur. Licet tamen eo uti etiam in serotina refectiuncula sive tanquam condimento, sive ad decoquendos cibos dummodo antea fuerit liquatum. Verum hæc conditio, quæ requiri videtur a S. Pœnitentiaria, satis servatur si laridum liquefiat in ipsa decoctione ciborum, et separentur particulæ carneæ et spissiores.—Dixi *etiam in serotina refectiuncula,* tum quia permissum fuit a S. Pœnitentiaria 16. Jan. 1834, tum quia, teste Kenrick, ita fert consuetudo apud

nos vigens—Nunquam vero in concessione condimenti laridi intelligitur adeps cujuscumque alterius animalis, præter suillum.—Cf. *Acta S. Sedis*, vol. 1. p. 424. n. 16. 17. et 18.—Kenrick, tract. 4. part. 2. n. 37.

QUAER. 3°. *Utrum concessa dispensatione vel stante ligitima consuetudine sumendi lacticinia, hoc ipso ova etiam intelligantur permissa ?*

RESP. *Affirm.*, quia ova et lacticinia dicuntur *æquiparata*. Excipe tamen casum restrictionis expressæ. Excipe etiam serotinam refectiunculam in qua id solum sumi potest quod expresse permittitur vi indulti aut consuetudinis.

QUAER. 4°. *Quid importat lex de non permiscendis epulis ?*

RESP. Lex ista consistit in eo quod dispensati ad carnes diebus jejunii nequeant in eadem refectione sumere carnes et pisces.—Dixi 1°. *in eadem refectione*, quia eadem die licite sumi possunt carnes in una refectione et pisces in altera.—Dixi 2°. *carnes et pisces*, quia nullibi vetitum est permiscere in eadem refectione carnes cum lacticiniis, ovis et leguminibus quibuscumque, vel etiam lacticinia, ova et legumina cum piscibus. Nomine autem piscium hic veniunt non solum pisces proprie dicti sive recenter capti, sive sale siccati, sed etiam testacea marina quæ *fructus maris* improprie dicuntur scilicet: encrasicholi, harengi, ostreæ, cancri et similia (*anchovies, herrings, sardines, oysters, crabs, clams, lobsters, etc.*). Constat de lege ipsa ex Const. Benedicti XIV. *Non ambigimus;* de interpretatione autem legis hic data constat ex variis responsis a Bened. XIV. ad Archiepiscopum Compostellæ datis die 10. Junii, 1745, et a S. Pœnitentiaria 16. Jan. 1834.— Cf. *Acta S. Sedis*, vol. 1. p. 422. et seqq.

QUAER. 5°. *Utrum lex de non permiscendis epulis complectatur etiam dies dominicos in quadragesima, et alios dies jejunii extra quadragesimam ?*

RESP. *Affirm.*, ad utrumque, ut constat tum ex citatis responsis Bened. XIV. ad Archiepiscopum Compostellæ, tum ex responso S. Pœnitentiariæ dato 8. Jan. 1834.—Cf. *Acta S. Sedis*, ibid.

QUAER. 6°. *Utrum lex prædicta respiciat dies simplicis abstinentiæ per annum ?*

RESP. *Neg.*, tum quia lex ista est connexa cum lege jejunii, tum quia ita declaravit S. Pœnitentiaria die 15. Feb. 1834. Quare, illi quibus

feriis sextis per annum, quacumque ex causa, indulgetur esus carnium, licite possunt eas permiscere cum ostreis et piscibus.

QUAER. 7°. *Utrum obligatio epulas non miscendi attingat solummodo eos qui ad jejunium, scilicet ad unicam refectionem tenentur, vel respiciat etiam eos qui sunt dispensati aut exempti a lege jejunii?*

RESP. Antea poterat hac de re controverti, nam lex de non miscendis epulis, aiebant aliqui, est aliquid accessorium relate ad ipsam legem jejunii; ac proinde cessare debet ubi id quod principale est cessat. Accedit quod S. Pœnitentiaria interrogata ut mentem suam aperiret, responderat: "Consulat quisque probatos auctores."—Nunc vero lis tota evanuit; nam proposito dubio ab Episcopo Bajonensi, scilicet: "Utrum obligatio de non miscendis piscibus cum carne diebus quadragesimæ attingat omnes qui vi indulti carnibus vesci possunt, vel solummodo eos qui jejunant?" Congregatio S. R. et U. I. die 23. Junii, 1875 rescribi mandavit: "Affirmative quoad primam partem; Negative quoad secundam." — Cf. *Acta S. Sedis*, vol. 1. p. 423. n. 9., et vol. 15. p. 144.—Baller. vol. 2. not. (a) p. 1078.

QUAER 8°. *Utrum iis qui ad jejunium non tenentur, et quibus licet vi indulti vesci carnibus, liceat his vesci pluries in die?*

RESP. *Affirm.*, dummodo Episcopus in concessione indulti non ponat expressam limitationem, restringendo scilicet esum carnium ad unicam refectionem pro omnibus, etiam pro iis qui ad jejunium non tenentur. Hanc autem limitationem ponere, nuper S. Pœnitentiaria in responsione ad Episcopum Buffalensem, declaravit "non expedire." Quare licebit iis qui ad jejunium non tenentur pluries in die vesci carnibus sive Ordinarii locorum hanc liceitatem declaraverint, sive nihil dixerint—Cf. *Acta S. Sedis*, vol. 1. p. 423. n. 7. et 8. cum notis, et vol. 14. p. 568.—Sarra, p. 489. et seqq., sed præsertim Cf. *Nouvelle Revue Theol.* ser. 2. vol. 2. p. 251. et seqq.

ARTICULUS III.

DE HORA REFECTIONIS.

339. ***Dico.*** Quamvis primitus unica refectio non sumeretur, diebus jejunii, nisi versus solis occasum, nostris tamen temporibus licite ea sumi potest fere sub meridie, ut constat ex universali consuetudine, et theologorum consensu.—Cf. S. Alphons. n. 1016. et *Hom. Ap.* n. 9.

340. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *An hora refectionis pertineat ad essentiam jejunii, ita ut graviter peccet, qui notabiliter eam anticipet?*

RESP. Controvertitur: S. Alphonsus sententiam affirmantem omnino tenendam docet; at negant alii non pauci Doctores qui horam habent ceu quid accidentale. Quoniam praxis consona est sententiæ S. Doctoris, hæc videtur præferenda, nisi legitima locorum consuetudo aliud permittat.—Dicitur in quæsito *qui notabiliter eam anticipet;* nam nullum adest dubium de eo qui refectionem notabiliter *postponeret,* omissa refectiuncula, quia sic antiquam praxim jejunandi imitaretur. —Cf. S. Alphons. n. 2016., et *Hom. Ap.* n. 21., et *QQ. Reform.* n. 13.

QUAER. 2°. *An frangatur jejunium, si cœnula meridie, refectio autem vespere sumatur?*

RESP. Non frangitur essentialiter, et proinde si fiat sine causa, non excedit peccatum veniale. Verum etiam ab hoc veniali excusat causa rationabilis, et loci aut conditionis consuetudo. Imo multis in locis ex consuetudine hodierna fieri potest cœnula hora decima matutina, et refectio vespere, ut constat ex resp. S. Pœnit. dato 19. Jan. 1834. Quod autem hic dicitur de hora decima transferri potest, pro moribus nostris, ad nonam aut etiam octavam horam, et inquietari non debent qui, sumpta refectiuncula, locum dein petunt ubi hora nona parati esse debent negotiis gerendis.

QUAER. 3°. *Quamdiu prandium protrahi possit?*

RESP. Nihil absolute circa hoc determinari potest; non videtur autem absque aliqua culpa protrahi posse ultra duas horas.—Cf. S. Alphons. n. 1020. et *Hom. Ap.* n. 10.

QUAER. 4°. *An frangat jejunium, qui refectionem interrumpit, et elapso intervallo ad eam rursus accedit?*

RESP. Si interruptio sit levis, v. gr., unius quadrantis, omni culpa caret, etiamsi absque ratione fiat. Si vero interruptio sit valde notabilis, v. gr., duarum horarum et absque ratione protracta, non potest excusari a peccato gravi, quia dici nequit unica refectio. Si autem interruptio gravi de causa habeatur, nullum est peccatum ad mensam redire, etiam mora notabili interposita, quando præcedens refectio sufficiens non fuerit; quia Ecclesia nunquam intendit obligare ad diem sine sufficienti refectione transigendam.—Cf. S. Alphons. n. 1020.

QUAER. 5°. *An ille, qui a mensa surrexit cum animo non amplius comedendi, possit iterum mensæ accumbere?*

RESP. *Affirm.*, probabiliter, si convivæ adhuc comedant, vel si in mensa apponatur novum ferculum quod ipse ignorabat apponendum. Ratio est, quia adhuc moraliter idem prandium censetur.—Cf. S. Alphons. n. 1020.

QUAER 6°. *Si quis mane, itineris causa jentaculum, sumpserit teneatur jejunare, si postea non proficiscatur?*

RESP. *Affirm.*, si jentaculum æquivaleat cœnulæ, quia tunc, facta inversione, jejunium est adhuc substantialiter possibile. Secus vero respondendum propter rationem oppositam si jentaculum æquivalet ordinariæ refectioni.

CAPUT II.

DE CAUSIS A JEJUNIO EXCUSANTIBUS.

Causæ excusantes a jejunio ad tres præcipue revocari solent, scilicet: 1°. ad impossibilitatem sive physicam, sive moralem; 2°. ad pietatem vel caritatem; 3°. ad dispensationem, sicut de aliis præceptis dictum est.

341. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *Quinam sunt illi qui certo excusantur a lege jejunii?*

RESP. Certo excusantur: 1°. pauperes ostiatim mendicantes; 2°. ægroti, infirmi convalescentes et debiles, iique omnes qui nisi sæpe per diem aliquid sumant notabilem capitis dolorem aut vertiginem patiuntur; 3°. illi omnes qui exercent opera admodum laboriosa, v. gr., lapicidæ, agricolæ, figuli textores, lanarii, fullones, bajuli, aurigæ, nautæ remigantes, fabri ferrarii, lignarii, et murarii, cursores qui litteras deferunt, pistores, sutores, etc.—4°. Mulieres prægnantes aut lactantes, etc., etc.

Hisce multisque aliis enumeratis hæc addit Kenrick, n. 60: "Si adjiciamus specialia regionum harum adjuncta, facile patebit paucos ad hanc legem, quæ olim tam arcte servabatur haberi obligatos. Plerique profecto fideles hisce in provinciis vel colendis agris, vel alii gravi labori vacant; præterquam quod cibi esuriales, quibus semel per diem vescens quis satis reficiatur, non facile comparentur, et quæ ex solo Americano nascuntur, succi et nutrimenti plurimum dicantur haud

continere. Ideo missionariis cavendum est, ne occasionem peccandi aliquibus ex errore præbeant, veteri disciplinæ arctius inhærendo."—Cf. Kenrick, tract. 4. part. 2. n. 49. et seqq.—S. Alphons. n. 1033. et seqq.

QUAER. 2°. *An excusentur a jejunio senes sexagenarii?*

RESP. *Affirm.*, sive sint certo sive dubie viribus debiles. Si autem viribus polleant, controvertitur apud Doctores; sed juxta S. Alphonsum probabilis est sententia eos excusans, tum propter consuetudinem, tum præsertim quia hujusmodi senes ex defectu caloris indigent cibo frequentiori.—Cf. S. Alphons. n. 1036.

Quod de sexagenariis viris hic dicitur, ab aliquibus applicatur fœminis quinquagenariis, tum quia hæ sicut citius pubertatem acquirunt, ita citius senescunt, tum quia naturaliter debiliorem habent stomachum. Hanc sententiam S. Alphonsus non dicit probabilem, sed tamen damnare non audet, nec præterea ipsi deest aliarum auctoritatum pondus.—Cf. Baller. not. (a) p. 465.

QUAER. 3°. *An excusentur a jejunio illi omnes, qui etsi vacent operi laborioso, sunt tamen adeo robusti ut facile jejunare possint?*

RESP. *Affirm.*, probabiliter, et ratio est, quia in hisce omnibus debet attendi ad id quod communiter, et *per se* contingit, non autem ad exceptiones. Præterea si secus esset jam aperiretur janua multis scrupulis et anxietatibus.—Cf. S. Alphons. n. 1043.

342. Inutile est multos alios casus enumerare de quibus theologi agunt. Ob oculos tamen semper haberi debet Ecclesiam ceu piam matrem velle utique exercitium pœnitentiæ, sed non imminutionem laboris, aut grave aliquod extrinsecum nocumentum. Quod si dubium habeatur de sufficientia causæ excusantis, recurratur ad dispensationem.—Juvat demum hic referre concessionem factam militibus et nautis Americanis de qua sic loquitur Kenrick: "Concessit Pius IX. ad preces Episcopi Buffalensis, ut milites et nautæ Americani ab abstinentiæ lege eximerentur universim, sex diebus exceptis, nempe Feria quarta Cinerum, tribus ultimis hebdomadæ sanctæ diebus, et in Vigilia Assumptionis B. M. V. et Natalis Domini. Id intelligendum de iis qui actu inserviunt in castris, navibus, præsidiis, non autem qui ex venia absunt.—Familiæ, cum iis communi victu utentes, eo gaudent privilegio, non item quæ procul degunt."—Cf. Kenrick, tract. 4. part. 2. n. 37.

DE QUINTO ECCLESIÆ PRÆCEPTO, SEU DE PASTORUM SUSTENTATIONE.

343. Hoc præceptum est juris naturalis, et positivi, tum divini, tum ecclesiastici. Naturalis quidem quatenus importat necessariam sustentationem ministrorum Ecclesiæ; nam, ut egregie probat S. Thomas, naturalis ratio dictat, ut sicut his qui communi utilitati invigilant, scilicet principibus et militibus et aliis hujusmodi, stipendia victus debentur a populo, ita etiam iis qui divino cultui ministrant ad salutem totius populi, populus ipse suppeditet necessaria victus. Hoc eodem sensu præceptum istud est etiam juris divini positivi ut constat ex Matth. x. 10.—et I. Cor. ix. 7. et seqq.—Verum addit S. Thomas, "determinatio certæ partis est reservata ordinationi Ecclesiæ." Porro primordiis Ecclesiæ hujusmodi determinatio nulla erat, et sacerdotes sustentabantur fidelium donis sponte collatis, præsertim iis quæ occasione sacrificii celebrandi offerebantur. Antiquo huic mori successit decimarum solutio quam plura injunxerunt Concilia, nono præsertim sæculo. At hodie plerisque in locis decimæ sublatæ sunt, et Clerus sustentatur vel beneficiorum redditibus, vel pensione a Gubernio accepta, vel fidelium incerta oblationum largitate, prout apud nos obtinet. Incerta quidem ea est et diversa juxta diversarum diœceseon statuta et consuetudines, at nemini forte huc usque defuit.—Cf. S. Thom. 2–2. q. 87. art. 1.—Kenrick, tract. 4. part. 2. n. 62. et seqq.

344. *Quæsita.*—Quaer. 1°. *An censendi sint rei peccati mortalis fideles qui, apud nos, nihil unquam conferunt in pastorum sustentationem?*

Resp. Hac de re ita scribit Kenrick: "Id omnibus persuasum esse debet, oportere ut singuli pro sua parte aliquid conferant, ne sustentatione necessaria indigeant sacerdotes; sed quamdiu nulla certa lege onus injungitur et definitur, non audemus peccati mortalis damnare eum, qui omittit æquam portionem conferre, quoties non est periculum ne sacerdotes ea de causa indigeant, vel alii fideles nimis graventur. Illi autem qui præ avaritia recusant quid dare, in iis quæ indicavimus adjunctis, videntur graviter rei, et indigni venia sacramentali: violant

enim legem Christi Domini de ministrorum Evangelii sustentatione, et se aliosque objiciunt discrimini salutis."—Cf. Kenrick, loc. cit. n. 64.

QUAER. 2°. *An sacerdotes qui æquam non habent sustentationem a suis fidelibus, possint extra limites suæ Parochiæ eleemosynas colligere?*

RESP. *Neg.*, nisi habeant veniam proprii Episcopi scripto concessam. Ita enim statuerunt Patres Baltimorenses: "Cum ex sacerdotum vagorum et ignotorum discursu ad eleemosynas a fidelibus colligendas gravia oriantur incommoda, visum est districte prohibere ne sacerdos aliquis, absque episcopi sui venia, scripto concessa, extra congregationem sibi commissam eleemosynas petat, vel in alia diœcesi absque Ordinarii licentia. Quod si sacerdos aliquis hanc legem transgredi præsumpserit, hortamur Episcopos ut suspensionis censura eum statim innodent. Religiosi autem meminerint sui superioris licentiam secum afferre."—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. n. 119.

QUAER. 3. *Quid dicendum de illis sacerdotibus, qui intra Missarum solemnia, ab altari discedunt, Ecclesiamque circumeunt ad oblationes colligendas?*

RESP. Sunt prorsus damnandi, ut patet ex sequentibus Patrum Baltimorensium verbis: "Fertur . . . quod non sine maximo animi dolore accepimus, nonnullos aliquibus in locis esse sacerdotes, qui ipsa intra Missarum solemnia, ab altari recedant, ædemque sacram circumeant a singulis fidelibus eleemosynam petentes.—Quem turpissimum abusum, Ecclesiæ sacrisque ejus ritibus injurium, quique Catholicorum ruborem et indignationem, Acatholicorum vero irrisionem et contemptum provocat, reprobamus, et prorsus extirpandum decernimus. Qua in re singulorum Episcoporum conscientia oneratur."—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. n. 364.

NOTA.—*De sexto Ecclesiæ præcepto agetur ubi de impedimentis Matrimonii.*

TRACTATUS

DE JUSTITIA ET JURE

PARS PRIMA

DE NATURA ET PRINCIPIIS JUSTITIÆ ET JURIS.

CAPUT I.

DE NOTIONIBUS GENERALIBUS JUSTITIÆ ET JURIS.

ARTICULUS I.

DE NATURA JUSTITIÆ.

345. Justitiæ nomen a *justo* derivatum videtur. Justum autem dicitur quod est adæquatum et commensum cum sua regula; unde justitia in genere vocatur quidquid efficit hanc adæquationem.—Hinc et gratia sanctificans, et complexus omnium virtutum, et quicumque habitus bonus solent et possunt vocari justitia; nam in omnibus istis adæquatio quædam habetur vel cum ultimo fine, vel cum regula totali aut partiali honestatis.

Verum *strictiori* sensu justitia definitur a S. Thoma post Ulpianum: "Constans et perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi."—Dicitur 1°. *constans*, quia est propositum habituale, deliberatum et firmum.—Dicitur 2°. *perpetuo* non quidem ex parte actus, sed ex parte objecti, quatenus homo justus vult jus suum cuique *semper* tribui.—Dicitur 3°. *cuique*, quia justitia est semper ad alterum, atque adeo requirit diversitatem personarum, nemo enim justus erga seipsum dici potest, aut sibi facere injuriam, quia hæc est læsio juris, altero invito.

Definitio S. Thomæ a recentioribus paulo immutata, ita exhibetur: "Virtus moralis inclinans voluntatem ad constanter et perpetuo reddendum unicuique jus suum ad æqualitatem."—Cf. S. Thom. 2–2. q. 58. art. 1.—Lugo, disp. 1. n. 1. et seqq.—Lessius, lib. 2. sect. 1. n. 1.—Crolly, vol. 1. n. 17. et 22.—Scav. lib. 2. tract. 6. n. 287.

346. Justitia quadruplex distinguitur, scilicet legalis, distributiva, vindicativa, et commutativa, non quatenus sint totidem species ejusdem generis, sed quia primæ tres participant aliquomodo de justitia commutativa, quæ sola est stricte talis.

1°. Justitia *legalis* inclinat quemque ad reddendum societati, cujus est pars, officia omnia, quæ a bono communi requiruntur. Hinc et ad subditum, et ad ipsum Principem pertinet, quatenus utrumque ordinat ad communitatem veluti partem ad totum. Vocatur *legalis*, quia munus ejus præcipuum est ut legum, quibus bonum commune procuratur, observationem promoveat. Vocàtur quoque *generalis*, eo quod nullus sit virtutis actus, quem non possit, et aliquando non debeat, propter bonum commune imperare.—Deficit autem hæc virtus a ratione justitiæ rigorosæ, tum quia non est omnino ad *alterum*, cum pars non sit quid prorsus diversum a toto, tum quia non respicit jus stricte dictum seu proprietatis. Hinc qui leges non observant rebelles aut nefarii dicuntur, non autem injusti.—Cf. S. Thom. 2-2. q. 58. art. 5.—Lugo, disp. 1. n. 68.—Crolly, vol. 1. n. 36. et seqq.—Baller. not. (e) p. 473.

2°. Justitia *distributiva* ea est, qua honores, officia, et onera communia distribuuntur inter membra societatis secundum debitam proportionem meritorum vel facultatum. Residet proprie in superiore; eam tamen participant etiam subditi non *formaliter*, sed *affective*, quatenus justæ distributioni a superiore factæ acquiescunt; non secus ac reus qui justæ pœnæ acquiescit, suo modo exercet justitiam vindicativam.—Adverte tamen quod si sermo est de distributione honorum et aliorum bonorum communium debitum est in ipso superiore, qua tali, erga societatem, quæ sola jus habet ut honores dignioribus dentur; non autem erga ipsos digniores ac proinde nemo unquam putavit Principem teneri ad restitutionem erga aliquem quantumvis digniorem, eo quod aliquod bonum commune aut honorem ei non contulerit.—Sed si sermo est de distributione onerum sæpe aliæ justitiæ concurrunt: ex parte enim superioris existit jus necessaria onera imponendi, et ex parte subditorum debitum legibus, quibus hæc onera imponuntur, obediendi; et hæc est justitia legalis. Præterea superior habet debitum onus proportionate majus imponendi ei, qui majores habet facultates; et hæc est justitia distributiva; quam sane læderet, si imposito onere uti decem quod aliunde justum reputatur civi diviti uti centum, postea idem onus

imponat alteri qui sit duplo ditior. Demum concurrere potest justitia commutativa, tum si superior onera non necessaria a civibus exigat, tum si aliquos oneribus inæqualibus opprimat.—Cf. S. Thom. 2–2. q. 61. art. 1. 2.—Lugo, disp. 1. n. 59.—Crolly, vol. 1. disp. 4. § 1. n. 48. et seqq.

3°. Justitia *vindicativa* inclinat Principem ad sontes pœnis congruis pro societatis bono plectendos. Consistit igitur in congrua punitione reorum in bonum publicum, et ad alias justitias facile potest revocari; ad *legalem* quidem, quatenus promovet bonum commune; ad *distributivam*, quatenus debitam proportionem in infligendis pœnis sontibus observat; et ad *commutativam*, quatenus ex officio judex eam exercet. Ex his enim omnibus efficitur ut punitio *congrua* esse dicatur: unde multi justitiam *vindicativam* non habent tanquam peculiarem justitiæ speciem a cæteris distinctam.—Cf. Baller. not. (b) p. 475.

4°. Justitia *commutativa* inclinat voluntatem ad jus suum strictum unicuique privato reddendum, servando æqualitatem rei ad rem, id est rei redditæ ad rem debitam. Hæc spectat tantum privatos, ut a se invicem distinctos; et si quandoque interveniat inter communitatem et cives, id fit ubi communitas se gerit aut accipitur non ut totum, sed ut pars aut particularis persona, quæ contractu aut quasi-contractu alteri particulari personæ obligatur. Vocatur autem *commutativa*, quia circa commutationes et contractus præcipue versatur. De hac sola agemus, quia sola presso sensu nomen justitiæ sibi vindicat.

ARTICULUS II.

DE NATURA JURIS.

347. *Jus* latiori sensu sumitur 1°. pro peritia legis seu jurisprudentia; 2°. pro lege seu regula justi, et sic dicitur jus naturale, positivum, humanum, civile, canonicum, jus gentium, etc.; 3°. pro sententia judicis, et inde vox *judex* quasi jus dicens.—Verum strictiori sensu, et *active* sumptum, jus est legitima potestas quam quis habet circa rem suam, vel ad rem sibi debitam; *passive* vero idem est ac justum et æquum, seu est id quod habenti talem potestatem propter ipsam debetur.—Jus *passivum* igitur est ipsum debitum; *activum* est titulus seu ratio debiti.

348. Jus præcipue dividitur in jus in re, et jus ad rem.—Jus *in re*

illud est, quo rem ipsam quis habet sibi obligatam. Hoc jus confert actionem realem, quæ scilicet rem ipsam immediate attingit; quocirca quisquis hoc jure gaudet, rem suam repetere potest, quocumque transierit. Jus autem *ad rem* illud est, quod quis habet, *ut res fiat sua*, seu ut res sibi obligetur. Dat actionem personalem contra impedientem acquisitionem rei; unde dicitur jus personale, quia personam immediate attingit.

ARTICULUS III.

DE PRINCIPIIS GENERALIBUS JURIS ET JUSTITIAE.

349. I. Deus solus est vere et absolute Dominus rerum omnium. Ratio est, quia cum ipse solus sit supremus creator et conservator omnium rerum, res omnes ab ipso solo absolutam habent dependentiam.—Hinc sequitur 1°. nullum ens creatum posse possidere respectu Dei, scilicet uti aliqua re tanquam absolute sua; et 2°. jus proprietatis enti creato inesse non posse nisi Deo volente.

II. Homo potest esse proprietarius erga alium hominem. Ratio est, quia hoc ex nullo capite repugnat: non ex parte hominum, quia hi cum sint natura æquales, non dependent, quoad hoc, alii ab aliis; non ex parte ipsarum rerum, quia hæ potius habent aptitudinem ut possideantur, et in usum adducantur, quamvis non a diversis simul propter earum finitudinem; neque demum ex parte Dei, quia Deus vult ut bonis creatis utamur tanquam mediis ad vitam conservandam, ut constat ex natura bonorum illorum, et ex hominis exigentia.

III. Si homo quilibet bona quædam legitime sua fecerit, in illa jus per se inviolabile acquisivit. Ratio est, quia posita illa conditione, Deus qui et aptitudinem et exigentias homini dedit ad usum rerum, immediate communicat jus in illas; jus autem illud nequit absque deordinatione ab alio homine violari.—Hinc sequitur 1°. dari præceptum naturale a Deo ipso promulgatum atque sancitum, vetans ne jus alterius lædatur, et præcipiens, ut si quando læsum fuerit, in integrum restituatur; 2°. illum qui injuste rem alienam usurpat, reum evadere tum erga proximum, tum erga Deum: erga proximum quidem, quia lædit ejus independentiam naturalem; erga Deum, violando jus divinum proximo communicatum, et simul præceptum naturale jus prædictum observari jubens.

IV. Justitia commutativa obligat sub gravi, et cum onere restitutionis. Ratio *primi* desumitur, tum ex eo quod in Scripturis non semel pœna æterna decernitur iis qui justitiam commutativam violant, tum quia violatio juris alieni, cum sit essentialiter nociva, ex natura sua magnam inducit deordinationem inter mutuum hominum consortium, et repugnat caritati, quæ movet ad volendum alterius bonum. Ratio autem *secundi* est, quia justitia commutativa respicit æqualitatem rei ad rem, quæ tantum per integram restitutionem induci potest, cum semel fuerit violata.

V. Cæteræ justitiæ species *per se* obligant etiam sub gravi, sed non cum onere restitutionis. *Primum* constat ex eo quod, inspectis earum definitionibus, sequeretur grave nocumentum totius societatis, si vel impune, vel sub levi tantum possent violari. *Alterum* autem colligitur ex eo quod non possit dari onus restitutionis, ubi vel deest æqualitas, vel respectus ad alterum, scilicet ubi restitutio ipsa non est possibilis.—Verumtamen sæpe justitia commutativa aliis adjungitur, et sic inducitur onus restitutionis. Quare restituere tenetur magistratus vel judex, qui propter gravem negligentiam in puniendo, causa est, cur privati vel communitas grave damnum patiantur, non vi justitiæ legalis prætermissæ, sed violati contractus quo, assumendo officium, se *implicite* obligavit ad damna subditorum præcavenda.

CAPUT II.

DE PRÆCIPUIS JURIS SPECIEBUS.

ARTICULUS I.

DE SPECIE JURIS QUOD DICITUR DOMINIUM.

350. Dominium in genere et lato sensu acceptum significat quamcumque potestatem : quandoque adhibetur ad exprimendam specialiter potestatem jurisdictionis, et quandoque etiam ipsam rem possessam.—Verum hic stricto sensu sumitur pro jure proprietatis, et definiri solet, "facultas disponendi de re aliqua tanquam sua in omnem usum lege vel pacto non prohibitum."—Cf. Molina, disp. 3. tract. 2.—Lugo, disp. 2. n. 2. et 3.—Carriere, n. 16.

351. Dominium præcipue dividitur in *perfectum* et *imperfectum*, prout est jus disponendi, tum de re ipsa tum de ejus utilitate, vel tantum de alterutro.—Hoc ultimum, nempe dominium imperfectum, iterum dividitur in *directum* et *indirectum*, quod etiam *utile* vocatur, prout respicit solam rei proprietatem vel solam ejus utilitatem.

Hic quoque facienda est mentio de dominio quod dicunt *altum*. Hoc dominium consistit in jure quod suprema auctoritas in societate habet disponendi aliquando ex gravissima causa de bonis privatorum in bonum communitatis, v. gr., de agro alicujus civis ad viam construendam. Sed tunc debet dari justa compensatio; et de hoc, apud nos, est specialiter provisum in ipsa Constitutione; nam, Amend. art. 5. in fine, dicitur: "*Nor shall private property be taken for public use without just compensation.*"—Hinc quoniam dominium altum non confert jus disponendi, sed potius jus emendi rem aliquam in bonum commune, debet revocari ad potestatem *jurisdictionis*, potius quam ad jus proprietatis.

§ I. De objecto dominii.

352. ***Dico.*** Quamvis possit homo habere dominium tum *utile* tum *directum* in bona fortunæ legitime acquisita, relate tamen ad bona animi et corporis non habet nisi dominium *utile*. Ratio *primi* est, quia ex una parte, res materiales naturalem habent aptitudinem ad nostram vitam sustentandam, et ex alia, homo non solum potest, sed tenetur etiam suam vitam conservare per earum usum; præterea multæ sunt res materiales quarum usus importat earundem destructionem, et hæc necessario supponit dominium directum. Ratio autem *secundi* est, quia Deus solus est supremus dominus totius hominis; nam dicitur Deuter. xxxii. 39: "Ego occidam et ego vivere faciam."—Habet tamen homo dominium utile animi et corporis quia debet iis uti ut tendat ad suum finem consequendum.

353. ***Quæsita.***— QUAER. 1°. *An homo habeat dominium suæ famæ?*

RESP. *Affirm.*, juxta sententiam communem; nam etiam circa famam homini competunt primarii actus dominii, ut eam labore acquirere, ejus restitutionem condonare, etc. Ergo . . . Attamen prudentia exigit, ut eam non prodigat sine justa ratione, et aliquando tenetur *sub*

gravi eam sedulo servare ratione scandali, damni familiæ removendi, etc.—Cf. S. Alphons. *de octavo præc. Decal.* n. 983.

QUAER. 2°. *An possit homo dominium utile habere in alium hominem?*

RESP. *Affirm.*, et ratio est, quia homo quilibet est dominus propriæ operæ; ac proinde potest illam alienare in propriam utilitatem, et in dominium alterius tradere. Dominus enim pro arbitrio de objecto dominii sui disponere potest. Hinc homo potest de jure naturali etiam in perpetuum se alteri vendere quoad dominium utile, quia est dominus suæ operæ non tantum pro aliquo tempore, sed in perpetuum. Quare *per se* non repugnat juri naturæ *servitus*, seu status subjectionis perpetuus quo quis pro alimentis tenetur omnes operas suas alteri præstare.—Ex quotuplici autem titulo oriri possit servitus, res est difficultatibus plena, et ad praxim quod attinet, hodie, apud nos, nihil habet utilitatis.—Cf. Lugo, disp. 6. n. 11. et seqq.—Kenrick, tract. 8. n. 97.

§ II. De subjecto dominii.

354. ***Dico.*** Omnis et solus homo est dominii capax. Ratio est, quia juxta S. Thomam fundamentum dominii est natura rationalis. Et re quidem vera omnis et solus homo cognoscere potest utilitatem rerum, eas velle sibi applicare, si nullius sint, atque de iis ita sibi applicatis disponere in proprium finem propriumque commodum. Præterea ille solus capax est juris, seu dominii, qui capax est injuriæ; ille autem solus patitur injuriam, qui invitus eam patitur: debet autem esse invitus non quidem per voluntatem, qua velit rem suam, sed per voluntatem qua velit retinere jus ad rem ipsam, seu obligare alios ne eam auferant. Atqui bruta non possunt habere talem voluntatem, cum nec obligationem moralem, nec turpitudinen cognoscere possint. Ergo, etc.

Hinc nec parvuli nec ipsi amentes sunt incapaces dominii, ut constat ex omnium populorum usu, et ex ratione nuper data; nam ut dictum est, dominium fundatur in rationali hominum natura, ejusque potentiis, non autem in actuali earum potentiarum exercitio.—Cf. S. Thom. 2–2. q. 66. art. 1.—Lugo, disp. 3. n. 1.

Punctum I.

De dominio filiorumfamilias.

355. Filiifamilias proprie hic dicuntur illi qui ex legitimo matrimonio orti, aut legitimati, cujuscumque sint sexus, adhuc paternæ potestati subjacent.—Dixi 1°. ex *legitimo matrimonio orti, aut legitimati,* quia de dominio eorum qui sunt spurii, judicandum est tantum juxta æquitatem juris naturæ, non autem juxta speciales legis dispositiones.—Dixi 2°. *adhuc paternæ potestati subjacent;* quia cum solum filii non adhuc emancipati reputentur a lege tanquam *infantes,* tantum circa eorum dominium dantur limitationes ac proinde quæstio de ipsis solummodo institui potest.

Emancipatio autem fieri potest vel per legem generalem, vel per privilegium, et specialem declarationem, et in diversa filiorumfamilias ætate, pro diversitate regionum.—Apud nos, exceptis duobus vel tribus Statibus, emancipatio locum habet anno vigesimo primo tam pro masculis, quam pro fœminis.—Cf. Wells' *Every man his own lawyer,* p. 240.

356. Quaeres. *Quænam possint esse diversa bona filiorumfamilias, quodque ii dominium exercere valeant?*

Resp. 1°. Ex *Jure Romano* bona filiorum sunt: 1°. *castrensia,* id est occasione militiæ acquisita; 2°. *quasi-castrensia* seu acquisita ex aliquo officio publico, v. gr., judicis, medici, etc.; 3°. *adventitia,* quæ proveniunt ex hæreditate aut donatione, non tamen a patre, aut intuitu patris facta; 4°. *profectitia,* quæ filius ex bonis paternis lucratur, v. gr., agendo negotiationem cum pecunia patris; vel quæ ei dantur intuitu patris.—Porro bonorum *castrensium,* vel *quasi-castrensium* filius habet tum dominium proprietatis, tum usumfructum: administrationem etiam habet si *pubertatem* acquisivit. *Adventitiorum* autem proprietas pertinet ad filium; at ususfructus, et administratio ad patrem: *profectitia* demum in omnibus pertinent ad patrem.—Cf. S. Alphons. n. 488.

Resp. 2°. Quoniam, ut ait Kenrick: "hæ distinctiones non vigent in jure quo utimur," quæstioni propositæ respondendum est distinguendo inter casum quo filiusfamilias bona recipit titulo donationis aut hæreditatis, et casum quo ea acquirit vi laboris aut industriæ.—In primo casu, administratio spectat ad patrem, sed dominium proprietatis, et

usus fructus ad filium.—In altero, nova distinctione opus est; vel enim 1°. filius laborat extra domum paternam et non alitur a patre, et tunc poterit bona, quæ lucratur, sua facere, quia dimissus est sive dimissus reputatur; vel 2°. filius laborat in domo paterna aut extra, et alitur a patre, et tunc omnia quæ lucrantur pertinent ad patrem.

Verum in isto ultimo casu triplex exceptio facienda est in favorem filii; 1°. si pater remittit de jure suo, et censetur remittere si permittit ut filius contrahat matrimonium; 2°. si filius ex sua conditione non teneatur laborare; 3°. si *evidenter* et *indubie* plus quam alii de familia laboraverit.—Hæc ultima sententia licet aliquando in praxi teneri possit saltem post factum, non est tamen passim publice docenda propter incommoda quæ per abusum sequerentur.—Cf. S. Alphons. n. 488. et 544.—Lessius, lib. 2. cap. 12. n. 81.—Kenrick, tract. 10. part. 1. n. 41.—Kent, *Comment.* vol. 2. n. 191. et seqq.

PUNCTUM II.

De dominio uxorum.

357. Ex jure *Romano* bona uxoris sunt triplicis generis, scilicet:

1°. *Dotalia,* seu bona quæ uxor jam possidebat, vel quæ ipsius pater ei concessit ad matrimonium contrahendum: horum administratio et usus fructus sunt penes maritum, sed dominium directum penes uxorem.

2°. *Paraphernalia,* seu bona, quæ uxor sibi reservavit præter dotem: hæc ad eam pertinent pleno jure.

3°. *Communia,* seu bona quæ pacto inter conjuges habito, aut determinatione legis, in societatem quamdam conferuntur: horum dominium tum directum tum utile ad utrumque conjugem pertinet.—Cf. S. Alphons. n. 489.—Elbel, n. 69.

358. Verum in hac regione tria prædicta nomina aliter accipiuntur, et diversum est in illa uxorum dominium. Etenim:

1°. "*Dotalia* uxoris bona, juxta mores nostros," ait Kenrick, "sunt tertia pars bonorum immobilium, quæ maritus durante matrimonio possederit, quæ idcirco non potest alienare, in uxoris præjudicium, nisi ipsa, seorsim interrogata a magistratu, libere consenserit, et subscribendo suo renunciaverit juri. Si maritus testamento uxori legaverit quæ-

dam bona, ut dos ejus excluderetur, penes eam est ea respuere, ut suo jure fruatur. Ceterum nonnisi per vitam suam jus ejus manet, eaque defuncta, transit ad mariti hæredes."—Cf. Kenrick, n. 45.—Bouvier, *Law Diction.* V. Dower.

2°. *Paraphernalia* apud nos audiunt omnia bona quæ ad vestitum vel ornamentum mulieris pertinent, juxta ipsius conditionem, et quibus durante matrimonio usa est: hæc post mortem mariti omnino pertinent ad uxorem.—Cf. Kenrick, n. 42.—Bouvier, *Law Diction.* V. Paraphernalia.—Wells' *Every man*, etc., p. 82.

3°. *Communia* bona ea sunt quæ marito et uxori simul acquiruntur titulo emptionis aut donationis habitæ durante matrimonio. Hæc bona uterque conjux possidet quasi essent unica persona, adeo ut nequeat alteruter ea vendere absque alterius consensu.—Cf. Kenrick, n. 44.—Kent, *Comment.* vol. 4. part. 6. lect. 55.

359. **Quæsita.**—QUAER. 1°. *An uxor possit facere eleemosynas ex bonis communibus?*

RESP. *Affirm.*, etiamsi alioquin habeat bona propria, modo id fiat juxta consuetudinem aliarum mulierum ejusdem conditionis. Ratio est, quia uxor non est serva sed socia; quamdam ergo administrationem habere debet in domo mariti. Præterea maritus merito præsumitur consentire in ea quæ fiunt ab uxore juxta honestum conditionis et regionis morem; et si invitum sese exhibeat, talis dissensus censetur irrationabilis, quia maritus uxorem privare nequit jure ei a legitima consuetudine concesso.—Cf. S. Alphons. n. 540.—Kenrick, n. 46.

QUAER. 2°. *An peccet uxor dando aliquid de bonis communibus ad sublevandam necessitatem parentum, vel filiorum quos ex anteriori matrimonio susceperit?*

RESP. *Neg.*, si propria bona non habeat, et per hoc non desint necessaria marito, et ejus familiæ. Ratio est, quia jure naturæ tenetur uxor prædictos consanguineos sublevare, ac proinde maritus in id consentire rationabiliter præsumitur.—Cf. S. Alphons. n. 542.—Kenrick, n. 46.

QUAER. 3°. *An uxor bona hoc modo data restituere teneatur cum, mortuo marito, venerit in hæreditatem bonorum dotalium, aut ante mortem ipsius paraphernalia acquisierit?*

RESP. *Neg.*, si bona data sint parvi momenti, quia tunc habentur ut eleemosynæ communes, quæ, si fiunt moderate, restitutionis onus secum

non ferunt. Imo *negative* etiam respondendum, saltem probabiliter, si bona subtracta sint majoris momenti; quia onera omnia, quæ stante matrimonio uni conjugum naturaliter obveniunt, alteri communia censentur, ac proinde maritus nequit esse rationabiliter invitus.

PUNCTUM III.

De dominio clericorum.

360. Bona clericorum quadruplicis generis distinguuntur, scilicet: 1°. *Patrimonialia*, quæ proveniunt ex paterna hæreditate, aut ex qualibet alia causa profana, puta ex donatione, successione, etc.; 2°. *Quasi-patrimonialia*, quæ vocantur etiam *quasi-ecclesiastica* vel *casualia*, et ea sunt quæ acquiruntur occasione et intuitu functionum, v. gr., Missam celebrando, concionando, etc.; 3°. *Ecclesiastica*, quæ ex beneficiis Ecclesiæ, v. gr., ex redditibus beneficiorum, etc., percipiuntur; 4°. *Parcimonialia*, quæ clericus seponit parce vivendo ex beneficii fructibus, et quæ honeste vivendo consumere posset.

361. **Dico.** Clerici habent perfectum dominium in bona patrimonialia, quasi-patrimonialia, et parcimonialia, ita ut de iis disponere ad libitum possint. Ratio est, tum quia dominium illud nullibi invenitur restrictum, tum quia in hoc conveniunt theologi omnes etiam rigidiores.—Verum si sermo sit de bonis *ecclesiasticis*, possunt profecto clerici iis uti ad honestam sustentationem, quia ad hunc finem instituta sunt beneficia; tenentur tamen omne superfluum in pauperes, vel in alia pia opera erogare. Ratio eruitur ex præcepto Ecclesiæ, quod ex innumeris Conciliorum, et SS. Canonum decretis perspicuum est.—Cf. Benedict. XIV. *de Synod.* lib. 7. cap. 2. n. 4.— S. Alphons. n. 491.— Lugo, disp. 4. n. 23.

362. **Quæsita.**—QUAER. 1°. *An teneantur ad restitutionem clerici male impendentes superflua bonorum ecclesiasticorum?*

RESP. Affirmative respondent rigidi quidam theologi, uti Collet et Antoine, quia, dicunt, clerici sunt tantum administratores et œconomi bonorum ecclesiasticorum. At probabilis est sententia negans, quia quamvis constet de præcepto dandi hæc superflua, non constat tamen de origine hujus obligationis, num scilicet proveniat ex justitia.—Probabilis etiam dicitur hæc sententia a S. Alphonso in suis prop. reforma-

tis, præsertim propter auctoritatem S. Thomæ. Adverte insuper quod ad gravitatem culpæ violati hujus præcepti ecclesiastici requiritur quantitas multo major quam in furto, scilicet, juxta veriorem sententiam, pars vigesima circiter superfluorum.—Cf. S. Thom. 2–2. q. 185. art. 7.—S. Alphons. n. 491., et *QQ. Reform.* n. 10.

QUAER. 2°. *Utrum pensio annua quæ ex locatione scamnorum datur nostris Missionariis assimilanda sit bonis ecclesiasticis?*

RESP. Affirmativam sententiam tenet Kenrick, n. 37.—At argumentum quod deducit ex pensionibus a gubernio datis in Gallia, debile omnino est; tum quia illæ pensiones virtualiter nihil aliud sunt quam redditus beneficiorum quæ gubernium antea usurpaverat, ac proinde eorundem naturam retinent; tum quia responsiones datæ a S. Pœnitentiaria 19. Jan. 1819., 19. Aug. 1821., et 9. Aug. 1824. pro sacerdotibus Galliæ et Belgii, non sunt extendendæ ad casum omnino diversum.—Quare putamus negativam sententiam esse probabilem.

QUAER. 3°. *An saltem haberi debeat hac in re uti beneficium collatio alicujus fundi Ecclesiæ adjacentis, ut Missionarius ex ipsius fructibus sustentetur?*

RESP. *Neg.*, quia ratio beneficii includit essentialiter perpetuitatem, quæ non invenitur in casu proposito; nam Missionarius ille non est inamovibilis. Kenrick tenet contrarium, sed ut nobis videtur, absque solido fundamento.—Cf. Scavini lib. 3. n. 659.—Kenrick, n. 36.

PUNCTUM IV.

De dominio auctorum.

363. ***Dico.*** Quilibet homo ex jure naturali jus habet in fructum sui ingenii seu industriæ. Si enim res fructificat domino, *a fortiori* hoc verum esse debet de facultatibus internis, cum nihil magis homini proprium esse possit. Quare inventor alicujus artis strictum jus habet, ne secretum suum surripiatur et, se invito, in publicum divulgetur; quod si fiat, damnificator pro ratione injuriæ illatæ ad restitutionem tenebitur.—Cf. Wells' *Every man*, etc., p. 204. et seqq.

364. ***Quæsita.***— QUAER 1°. *An violet jus alienum, qui opus manuscriptum sine consensu auctoris typis edat?*

RESP. *Affirm.*, et ratio est, quia apud omnes constat opus manuscriptum non esse publici juris, sed sub dominio auctoris jacere. Idem dicendum de eo qui typis ederet lectiones publicas alicujus professoris, vel concionem oratoris; nam publice docere aut concionari non est tradere opus suum alteri edendum et vendendum.—Excipe tamen si quis concionem jam auditam iterum tradit e suggestu, tanquam ab ipso compositam, tum quia per hoc non proprie sibi vindicat rem alienam, tum quia priori oratori non necessario, et per se nocet.—Cf. Carriere, n. 61.

QUAER. 2°. *An ille qui librum typis edidit, jus habeat impediendi ne quisquam illum prælo committat et vendat cum damno auctoris, aut bibliopolæ cui auctor jus suum transmisit?*

RESP. *Affirm.*, de jure positivo vigente in plerisque locis, non secus ac in hisce Statibus, dummodo tamen adimpletæ sint conditiones, seu formalitates a lege requisitæ. Si vero agatur de jure naturali controvertitur, atque aliquibus probabilis videtur sententia negans, quia auctor tamdiu habet jus in opus suum, quamdiu remaneat suum, scilicet non tradatur in communitatem, et sic veluti evadat de jure communi. Quare juxta istos si quis in hac regione typis mandaret librum in Europa vulgatum, sine venia auctoris, stricte loquendo et inspecto solo jure naturæ, non videtur esse accusandus de temporali damno pecuniæ quod auctor inde pateretur.—Dixi 1°. *stricte loquendo*, quia tali ratione agendi sin minus jus proprie dictum, lædi videtur publica honestas et naturalis decentia.—Dixi 2°. *inspecto solo jure naturæ*, quia si per internationalem stipulationem contrarium provisum fuerit, violator certe teneretur ad mulctam solvendam et congruam compensationem.—Dixi 3°. *de temporali damno pecuniæ*, nam si idem aut fere idem liber ederetur sub alio nomine, tunc verus auctor damnificaretur in bonis famæ, quod nunquam licere potest, et hujusmodi peccatum speciali nomine designatur apud omnes gentes.—Cf. Carriere, ibid.— Kenrick, tract. 10. part 1. n. 13. et 14.

§ III. De acquisitione dominii.

Dominium præcipue acquiri potest: 1°. occupatione; 2°. præscriptione; 3°. accessione; 4°. contractibus. De contractibus agemus in tractatu particulari, nunc vero tantum de primis tribus modis acquirendi dominium.

PUNCTUM I.

De acquisitione dominii per occupationem.

365. Occupatio est realis apprehensio rei capacis dominii cum animo eam sibi acquirendi. Quare quinque requiruntur conditiones; nam ex parte *subjecti* requiritur 1°. ut ponatur aliquis actus externus, quia non sufficit simplex desiderium aut intentio; et 2°. ut habeatur animus acquirendi dominium. Ex parte autem *objecti* requiritur 1°. ut id quod apprehenditur sit *res* aliqua *corporea;* 2°. ut res ista sit capax dominii, cujusmodi certe non est, v. gr., oceanus, aer, etc.; 3°. ut insuper sit nullius, quia nequit oriri jus contra jus præexistens et permanens.—Plures theologi exigunt etiam ut occupatio non prohibeatur aliqua lege positiva, quæ rem alteri domino reservet, v. gr., Reipublicæ; sed hæc conditio in aliis continetur.

366. ***Dico.*** Verificatis omnibus prædictis conditionibus, occupatio est legitimus modus acquirendi dominium. Ratio desumitur tum ex jure naturæ, tum ex praxi et jure positivo omnium gentium.

Quoniam casus frequentiores acquirendi dominium per occupationem occurrunt circa animalia, et res inventas, de his tantum dicemus.

I.—De animalibus.

367. Triplicis generis animalia distinguuntur, scilicet *silvestria, mansueta*, et *mansuefacta.*—Silvestria seu fera ea sunt, quæ natura libere vivunt extra hominis consortium, uti lepores, cervi, pisces, aves, etc. Mansueta seu domestica sunt, quæ naturalem habent cum homine consuetudinem, atque ad ipsum sponte sua redeunt, uti oves, equi, gallinæ, etc.—Mansuefacta sunt, quæ ad naturalem quidem libertatem nascuntur, hominis tamen industria ea privantur, ejusque consortio assuescunt, uti aves, quæ arte et industria mansuefiunt, columbæ, apes, etc.

Plures quartam classem addunt, nempe *efferata*, quæ vel connaturalem mansuetam indolem jam exuerint, aut pristinam feram, postquam fuerunt mansuefacta, resumpserint.—Cf. Baller. not. (a) et (b) p. 500.

368. ***Dico*** 1°. Animalia *silvestria* seu *fera* fiunt primi occupantis, quia nullius sunt, et aliunde eorum occupatio jure naturali licita est. Quod si in dominium alicujus redacta fuerint, tamdiu ad eum pertinent quamdiu custodia retineantur, nec naturalem libertatem recuperaverint. Recuperasse autem libertatem censentur, cum ita custodiam effugerunt, ut earum consecutio difficilis sit; et tunc ita desinunt esse sub dominio, ut alterius occupantis fieri possint, veluti si numquam dominum habuissent.

Dico 2°. Animalia ex natura sua *silvestria*, sed *mansuefacta*, prioris domini remanent, quamdiu custodiam ipsius non evaserint, aut consuetudinem revertendi non amiserint; ejusmodi enim animalia ad possessorem pertinent, tum ratione occupationis, tum etiam ratione educationis et detentionis.—At vero si custodiam domini evaserint, aut revertendi consuetudinem amiserint, alterius primi occupantis fiunt, quia suam primam naturam recuperarunt.

Dico 3°. Animalia *mansueta* seu *domestica* pertinent semper ad primum dominum quantumvis aberrent; unde non possunt ab alio occupari. Ratio est, quia animalia domestica numquam possunt dici recuperasse suam libertatem, cum ex natura sua libertatem nullam habere existimentur.

369. ***Resolves.***—1°. Examen apum quod ex tuo alveari evolaverit, eo usque tuum est, quamdiu in conspectu tuo remanet, nec difficilis tibi evasit prosecutio; secus fit primi occupantis. Qui tamen in alterius fundo arborem invenit in qua continetur examen apum, jam per hoc non acquirit dominium, sed oportet ut eas in alveari includat. —Cf. Kenrick, loc. cit. n. 56.—Kent, *Comment.* vol. 2. part. 5. lect. 35. n. 350.

2°. Columbæ fugientes proprio motu, quin fraude attractæ sint, fiunt ejus, in cujus columbario sedem figunt. Secus si fraude, v. gr., cibo omnino extraordinario, seu valde exquisito attractæ fuerint.—Cf. Lugo, disp. 6. n. 42. et seqq.

3°. Pisces qui in mari versantur, vel in fluminibus navigabilibus, et in quæ æstus maris ascendit, capientibus cedunt; at in fluviis minori-

bus jus piscandi plerumque servatur vicinis riparum dominis. — Cf. Kenrick, loc. cit. n. 57.—Kent, *Comment.* vol. 3. part. 6. lect. 52. n. 411. et seqq.

4°. Justitiam lædit qui ostreas capit in ea parte fluminum, ubi ab alio fuerunt reservatæ, aut in quam aliquis jus piscandi habeat exclusivum; nam per hoc reputantur *inclusæ*.

5°. Non peccat contra justitiam commutativam qui venatur aut piscatur in fundo alterius absque ejus licentia, dummodo tamen fundus sit pervius, vel si est clausus, tantæ sit extensionis ut singula animalia facile venatorem aut piscatorem effugere possint; quia hujusmodi animalia neque sunt pars fundi, neque possunt in illis adjunctis considerari uti jam apprehensa a domino fundi.—Cf. Lugo, disp. 6. n. 72.

6°. Fera læsa aut laqueo capta, est vulnerantis, vel illius qui laqueum tetendit, si ita est vulnerata, aut capta ut non sit evasura, quia tunc, et non aliter, dicetur apprehensa.—Ita theologi quibus consonat noster Kent qui ait: "*The possession must be so far established by the aid of nets, snares, or other means, that the animal cannot escape.*"— Cf. S. Alphons. n. 604., et *Hom. Ap.* n. 71. —Kent, *Comment.* vol. 2. part. 5. lect. 35. n. 349.

II.—De rebus inventis.

370. Quadruplicis generis distinguuntur bona, quæ inveniri possunt, scilicet: *thesauri*, *res nuper amissæ*, *bona derelicta*, et *bona vacantia*. De singulis dicetur in particulari quid sint, et ad quem spectent.

371. I. *Thesaurus* ex jure Romano est, summa pecuniæ abscondita cujus memoria non extat.—Verum juxta leges multarum gentium, non secus ac apud nos, nomine thesauri, hodie, intelligitur non solum pecunia, sed et quæcumque alia res mobilis pretio æstimabilis abscondita.— Quare ait Kent: "*Goods found hidden in the earth go under the denomination of treasure-trove.*" — Cf. Kent, *Comment.* vol. 2. part. 5. lect. 35. n. 358.—Kenrick, loc. cit. n. 61.—Crolly, vol. 1. n. 641.

372. ***Dico*** 1°. Thesaurus ex *jure naturali* certo pertinet ad inventorem, si inventor sit etiam dominus fundi. Si autem thesaurus invenitur in fundo alieno, multum quidem disputatur, sed sententia probabilis tenet tunc etiam thesaurum pertinere ad inventorem. Ratio est, quia

thesaurus nequit haberi ut pars fundi, ac proinde idem statuendum de eo ac de animalibus sylvestribus captis in fundo non clauso.

Dico 2°. Ex *jure Romano* thesaurus ad inventorem etiam pertinet, si inventor sit simul possessor fundi ubi thesaurus jacebat: secus videndum est num *casu* thesaurum invenerit, an ex *industria*. Si casu, jus habet in dimidiam partem; si ex industria totus thesaurus cedit domino fundi. Adverte tamen 1°. requiri sententiam judicis quæ declaret adfuisse *industriam*, ut inventor teneatur ad illam dimidiam partem thesauri domino fundi tradendam quam si industria defuisset, sibi retinere potuisset; 2°. dominum fundi hic audire qui dominium directum habet; 3°. inventorem censeri non qui primo tetigerit thesaurum, sed qui illum viderit, aut visibilem reddiderit.

Dico 3°. Ex *jure Anglico*, thesauri omnes pertinent ad regem non solum cum in aliqua parte dominii nationalis, sed etiam cum in privato aliquo fundo inveniuntur. Imo olim pœna capitis mulctabantur qui inventum thesaurum abscondebant. Attamen lex ista videtur esse tantum pœnalis; nam ut adnotat Crolly, vix hodie est homo timoratæ conscientiæ qui inventum thesaurum non retineat—Cf. Crolly, n. 642.

Dico 4°. Ad hanc regionem quod attinet, excepta Louisiana, ubi vigent dispositiones juris Romani et Gallici, in aliis Statibus, leges nihil statuunt de thesauro, ac proinde quæstio solvenda est juxta normam juris naturæ, quod semper inventori favet.—Status Neo-Eboracensis imitatus fuerat hac in re jus Anglicum; quare omnis thesaurus ibi inventus ad fiscum pertinebat, sed hæc dispositio fuit omissa in emendatione legum illius Status.—Cf. Kenrick, loc. cit. n. 61.—Kent, *Comment.* loc. cit. n. 358.

Ex dictis colliges 1°. lapillos, gemmas, ambram, corallum, in littore maris aut alibi inventa pertinere ad inventorem, quia hæc non sunt pars fundi; 2°. fodinas vero ferri, plumbi, carbonis, argenti, auri, etc.; pertinere ad dominum fundi, tum quia hæc censentur pars fundi, tum quia ita statuunt leges moresque nostri.—Cf. Kenrick, n. 59.

373. II. *Res nuper amissæ* dicuntur bona illa mobilia, quæ a domino involuntarie relinquuntur. Differunt a thesauro, tum quia non sunt absconditæ aut infossæ, tum quia ordinarie sunt recenter perditæ.

374. ***Dico.*** Certum est res nuper amissas domino comparenti esse reddendas, quia amissionis factum non est titulus ad dominum re

sua spoliandum. Insuper ex effato ab omnibus recepto, "ad retinendum sufficit sola intentio; ad occupandum autem requiritur realis apprehensio cum legitima habendi intentione," sequitur neque dominum amisisse jus, quia retinuit intentionem, neque inventorem illud acquisivisse, quia occupatio non fuit legitima.

375. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *Ad quid teneatur inventor statim post inventionem rei?*

RESP. Sæpe tenetur ex *caritate* ad rem suscipiendam ne pereat, et ita malum domini avertat. Verum, re suscepta, tenetur ex *justitia* ad ipsius curam gerendam; nam tunc exurgit inter ipsum et dominum quasi-contractus qui dicitur *gestio negotiorum.* Tenetur etiam ex *justitia* non solum ad rem non occultandam, sed etiam ad media idonea adhibenda, quibus dominus inveniri possit: dicuntur autem idonea ea media quæ sunt proportionata valori rei, et circumstantiis temporis, loci, et personarum.—Cf. Baller. not. (a) p. 504.

QUAER. 2°. *Utrum adhibitis mediis idoneis ad dominum cognoscendum, et illo non comparente, possis rem inventam retinere?*

RESP. Controvertitur; nam multi censent rem inventam tunc esse pauperibus vel aliis piis usibus impendendam; quia dominus, cum adhuc retineat jus in rem suam, præsumendus est hanc habere voluntatem. —Verum alii theologi probabilius dicunt dominum tunc penitus amisisse facultatem re sua utendi, atque adeo non amplius habere illius dominium. Non est igitur quærenda voluntas prioris domini, utpote qui, amisso moraliter dominio, nihil de ea disponere potest. Ergo res illa moraliter habenda est ut *derelicta*, et capax ut fiat *primi occupantis*, ac proinde si postea compareat dominus cum res jam fuerit consumpta, pretium non est restituendum.—Cf. S. Alphons. n. 603.—Lugo, disp. 6. n. 140.—Lacroix, lib. 3. part. 2. n. 86.—Kenrick, loc. cit. n. 62.—Crolly, n. 415.—Kent, *Comment.* vol. 2. part. 5. lect. 36. n. 356.

376. III. *Bona derelicta* vocantur ea quæ dominus abjecit cum animo non amplius ea possidendi. Hæc abjectio dupliciter contingere potest, vel *positive* cum quis vestes jam attritas, calceos perforatos, aut quid simile inter inutilia amandat; vel *negative* cum quis ea colligit quæ retinere cupit, nihil curans de reliquis, ut v. gr., de spicis, et uvis accidit post messem aut vindemiam.

377. ***Dico.*** Bona derelicta quicumque sit modus derelinquendi, licite fiunt primi occupantis. Ratio est, quia statim ac fuerunt derelicta evaserunt bona nullius, ac proinde capacia occupationis. Suspicienda tamen est consuetudo regionis cum sermo est de bonis derelictis *negative*, quia ex consuetudine cognoscitur num dominus habuerit animum abjiciendi dominium.

378. QUAERES. *Utrum reputanda sint bona derelicta ea quæ in mari, aut prope ripam inveniuntur post naufragium, aut ex metu illius projecta?*

RESP. *Neg.*, et ratio est, quia dominus non habuit animum abjiciendi bona illa, et semper retinet spem ea, saltem partialiter, recuperandi. Obstant etiam leges positivæ. Hinc supremus cœtus Statuum Fœderatorum anno 1825. sect. 9. statuit: "*If any person shall plunder, steal, or destroy any money, goods, merchandise, or other effects, from or belonging to, any ship or vessel, or boat, or raft, which shall be in distress, or which shall be wrecked . . . every person so offending shall be guilty of felony, etc.*"—Dicitur in quæstione *post naufragum aut ex metu illius projecta,* quia distinguenda sunt bona quæ ad vitam vel navem salvandam voluntarie fuerunt relicta (*derelict at sea*), ab iis quæ (*wrecks*) ex diffractione navis proveniunt absque ullo actu voluntatis.—Responsio autem afficit utrumque casum.—Cf. Kenrick, n. 65. et 66.

379. IV. *Bona vacantia* sunt ea omnia quæ relinquuntur a defuncto, qui neque hæredes habeat neque testamentum fecerit.

380. ***Dico.*** *Ex jure naturali* bona vacantia fiunt primi occupantis, nam nullum amplius dominum habent. Ex jure autem positivo, apud nos etiam vigente, hæc bona addicuntur fisco; sed hoc videtur restringendum ad sola immobilia, saltem ante judicis sententiam.—Cf. Carriere, n. 285. et 359.—Kenrick, n. 63.

381. QUAERES. *Quid dicendum de bonis alienigenarum, qui in hac regione, absque testamento, decesserint, sed habeant tamen hæredes naturales?*

RESP. Illa bona certe non possunt dici vacantia, quia quamvis in aliquibus Statibus addicuntur fisco, de jure tamen naturali ad hæredes transeunt.—Dixi in *aliquibus*, quia in Marylandia, Pennsylvania, Illinois, et Ohio illa bona distribuuntur hæredibus instar bonorum quæ ad cives pertinent. Hæc legum liberalitas, ubi non viget, Kenrick

existimat hæredes illos naturales obligari tantum in foro externo ad illa bona non percipienda.—Cf. Kenrick, n. 64.—Kent, *Comment.* vol. 2. part. 4. lect. 25. n. 61. et 70.

PUNCTUM II.

De acquisitione dominii per præscriptionem.

382. Præscriptio est medium institutum ad acquirendum aliquod jus, vel ad se liberandum ab aliqua obligatione, sub conditionibus a lege statutis. Hinc patet duplicem esse præscriptionem ratione materiæ: alteram acquisitivam, qua jus aliquod acquiritur; liberativam alteram, qua quis ab aliquo onere vel servitute liberatur. Quamvis indiscriminatim utraque dicatur præscriptio, prima tamen in jure vocatur *usucapio*, et secunda simpliciter *præscriptio.*—Cf. Scavini, lib 2. n. 386.

383. ***Dico.*** Præscriptio debitis vestita conditionibus est legitimum medium acquirendi dominium, etiam in conscientia; nam non solum jus civile et canonicum sexcentis in locis illam habent ut legitimam, sed jus etiam naturale, etsi non immediate, eam exquirere videtur, tum ad certitudinem dominii quarumdam rerum stabiliendam, et ita finem imponendum litibus; tum ad segnitiem dominorum præcavendam. Quare juxta S. Thomam, si quis vere præscripserit, non tenetur ad restitutionem, si postea appareat antiquus dominus.—Conditiones autem ad legitime præscribendum sunt quinque, scilicet, aptitudo rei, bona fides, titulus, factum possessionis, et tempus requisitum. Hæ conditiones sunt omnino necessariæ, et quidem intellectæ juxta leges loci in quo fit præscriptio: Ratio est, quia vis immediata ad transferendum dominium per præscriptionem desumitur a lege humana.—Cf. S. Thom. Quodl. 12. q. 16. art. 24.—S. Alphons. n. 504. 507. et 517.

Conditiones ad præscribendum hisce versiculis exprimi solent:

Non usu capies, nisi sint tibi talia quinque:
Sit res apta, fides, titulus, possessio, tempus.

Pauca de singulis dicendum.

I.—Res praescriptibilis.

384. Ea omnia et sola generatim præscribuntur, quæ sub dominium et commercium privatum veniunt, et ad quorum acquisitionem dari potest titulus qui sit legitimus tum jure naturæ, tum jure positivo.—Etenim cum finis præscriptionis sit dominium transferre ex auctoritate legis, talis translatio fieri nequit de re quæ ex natura sua vel ex legum dispositione in dominium privatorum venire non potest.—Hinc ea omnia quæ sunt contra jus divinum, ecclesiasticum, aut nationale stricte sumptum, ut v. gr., obedientia debita superioribus, limites diœceseon, plateæ, et viæ publicæ, nullo modo possunt præscribi.—Cf. S. Alphons. n. 515.—Kenrick, tract. 10. part. 1. n. 75.

II.—Bona fides.

385. Bona fides in hac materia est conscientia vel existimatio sincera qua quis judicat rem a se possessam esse suam.

386. ***Dico.*** Bona fides omnino requiritur non solum ad præscriptionem *acquisitivam*, sed etiam ad *liberativam*. Ratio est, quia *formalis injuria* nequit transire in *jus*; quare ait S. Thomas: "quæ sine peccato esse non possunt nulla præscriptione firmantur."—Confirmatur ex 2. reg. juris in 6. quæ sic se habet: "Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit."

Verumtamen si sermo sit de præscriptione ad te liberandum ab aliqua *servitute passiva* prædiorum rusticorum, bona fides consistit in hoc, ut nullum ponatur obstaculum quo alter ab usu juris sui impediatur. Ratio est, quia præscribens nullo ligatur debito erga eum contra quem præscribit; nec tenetur, decurrente præscriptionis tempore, monere alium, ut contra ipsum servitutis jure utatur.—Dixi prædiorum rusticorum, quia in servitutibus urbanis, quoniam non potest contra eas præscribi sine aliquo actu positivo præscribentis, requiritur, ut hic ponatur cum bona fide.

Hinc sequitur dispositiones juris civilis in quantum bonam fidem non exigunt, aut eam tantum in principio possessionis exigunt, pro foro interno non valere, et habendas esse uti meram denegationem recursus, idest *actionis* contra alium.

387. QUAERES. *An hæres qui ignoret malam fidem antecessoris possit unquam legitime præscribere?*

RESP. *Neg.*, si succedat *titulo universali*, quia hujusmodi hæres ita repræsentat personam defuncti, ut succedat in omnes obligationes et onera ipsius; ac proinde cum prædecessor ob malam fidem nunquam potuisset præscribere, nec hæres poterit, quia in ipsum transmittitur vitium illud radicale. Et idem probabilius dicendum de eo qui mediate succedit, modo tamen successio sit titulo universali.—Cf. S. Alphons. n. 512. et 516.—Lugo, disp. 7. n. 59. 60. et 61.—Baller. not. (b) p. 516.

III.—Titulus.

388. Titulus est id cui innititur translatio dominii et respondet quæstioni, cur possides?— Omissis hic tum titulo *vero*, de quo nequit esse controversia, cum nemo præscribat contra seipsum, tum titulo *vitioso*, qui cum careat aliqua conditione a lege requisita, nullius utilitatis esse potest; tres alii enumerantur tituli nempe *coloratus*, *existimatus*, et *præsumptus*. Primus est apparentia causæ de se sufficientis ad transferendum dominium, sed occulta laborantis nullitate, v. gr., si emam rem a Titio putans esse Titii, cum sit Martini. Alter adest, cum prudenter creditur interfuisse verus titulus, licet non interfuerit, v. gr., si filius ex hæreditate possideat rem, quæ a patre putetur empta, cum empta non fuerit. Tertius demum reducitur ad diuturnitatem temporis.—Cf. Scavini lib. 2. n. 388.

389. ***Dico.*** Titulus coloratus aut existimatus requiruntur ad præscriptionem, et sufficiunt: requiruntur quidem, nam si ambo desunt, deerit etiam bona fides, sine qua præscriptio non habetur; sufficiunt autem, tum quia ita salvatur bona fides, tum quia secus requireretur titulus verus quod est absurdum. Quare titulus *præsumptus* vel reducitur ad existimatum, si sermo est de præscriptione *longissimi temporis*, vel valebit tantum pro foro externo; nam præscriptio in foro conscientiæ absque bona fide, ut jam dictum est, repugnat, ex alia parte bona fides non est possibilis cum adest titulus tantum præsumptus, præsertim post breve tempus ab initio possessionis.—Cf. Baller. not. (b) p. 509. et (c) p. 511.

IV.—Possessio.

390. Possessio est detentio rei, vel fruitio juris, quam quis per se vel per alium, nomine tamen proprio, exercet. Detentio rei dicitur *possessio* simpliciter, et fruitio juris *quasi-possessio*. Utraque dividitur in *naturalem*, *civilem*, et *mixtam*.—Cf. Schmalzgr. lib. 2. tit. 12. n. 4.—Baller. not. (a) et (b) p. 508.

391. *Dico.* Possessio omnino requiritur ad præscriptionem, quod patet tum ex reg. 3. juris in 6: "Sine possessione præscriptio non procedit;" tum ex ipsa natura rei.—Verum ut sit apta ad præscribendum gaudere debet variis conditionibus; scilicet, debet esse 1°. *dominativa*, seu res debet haberi animo proprietarii non vero depositarii, locatarii etc.; 2°. *tranquilla*, ita ut nulla litis contestatio de re intercesserit; 3°. *certa*, hoc est non æquivoca; 4°. *continuata* seu non interrupta, donec tempus requisitum compleatur.—Plures requirunt etiam ut sit *publica*, scilicet ut res non occultetur ei contra quem præscribitur; sed hæc conditio est tantum necessaria pro foro externo, quia pro foro interno jam continetur in bona fide.

V.—Tempus requisitum.

392. Certum est 1°. requiri aliquod tempus ad præscriptionem, ut patet, tum ex ipsa voce *usucapio*, tum ex omnibus juribus positivis; 2°. longius vel brevius de *facto* esse hoc tempus pro diversitate legum, et naturæ rei præscribendæ; nam mobilia, generaliter loquendo, citius præscribuntur, quam immobilia.

In hac regione, posita multiplicitate Statuum qui proprias leges sibi faciunt, magna est varietas durationis temporis requisiti ad præscribendum. Quare pro bonis immobilibus in Statu *Maine* requiruntur 40 anni; in *Alabama*, et *Louisiana*, 30; in *Kansas*, *Nebraska*, *Ohio*, *Pennsylvania*, 21; in *Connecticut*, *Vermont*, et *Virginia*, 15; in *Indiana*, *Michigan*, *Mississippi*, et *Nevada*, 10; in *Florida*, *Georgia*, *N. Carolina*, *S. Carolina*, et *Tennessee*, 7; in *California*, 5; in cæteris Statibus, 20. Pro bonis autem mobilibus minus adhuc requiritur.—Cf. Wells' *Every man*, etc., p. 321.—Bouvier, *Law Diction.*, V. Limitation.

393. Quaeres. *Quandonam præscriptio dicitur interrupta, et quandonam suspensa?*

RESP. Dicitur interrupta cum ob impedimentum interpositum ita cessat ut iterum inchoari debeat. Hoc autem duplici modo fieri potest: 1°. *naturaliter*, si præscribens amittat possessionem per tempus a lege determinatum, aut si mala fides superveniat; 2°. *civiliter*, si lis moveatur *juridice* circa possessionem, nec interpellatio a judice rejecta fuerit. —Dicitur autem suspensa quando impedimentum ei objicitur, ne *procedat ulterius*, et hoc dupliciter contingere potest; 1°. ratione personarum, ut, v. gr., pupilli, insani, captivi, et generatim omnes illi qui sive ex jure naturæ, sive ex dispositione legis positivæ nequeunt agere contra volentem præscribere; 2°. ratione alicujus *causæ extrinsecæ*, v. gr., pestis, belli, etc., quæ facit ut persona aliunde habilis, nequeat agere.—Cf. Wells, et Bouvier . . . loc. cit.

PUNCTUM III.

De acquisitione dominii per accessionem.

394. Accessio est modus acquirendi dominium in rem aliquam, propterea quod res illa rei nostræ adjiciatur; hoc fieri potest vel natura tantum operante, vel arte, vel utraque simul. Hinc triplex distinguitur accessio, *naturalis*, *artificialis*, et *mixta*.

395. I. Accessio naturalis fit dupliciter: *nativitate*, seu quando animali nostro aliud nascitur ex commixtione cum alieno: hac in re axioma est, *partus sequitur ventrem;* 2°. *alluvione* quæ, si est *lenta* et extendit meum fundum vel per *adductionem* novæ terræ vel per *recessum* fluminis, illa additio ad me pertinebit; at si est *repentina*, proprietas non computatur amplius ad *filum medium aquæ* sed ad pristinos limites.

396. II. Accessio artificialis etiam duplici modo contingere potest: 1°. cum ars vel opera mea conjungitur cum re aliena, quod dicitur accessio per *specificationem*, et tunc si bona fide hoc factum fuerit, generaliter loquendo apud nos, illud quod per hujusmodi specificationem resultat dabitur ei qui posuit operam, cum onere solvendi alteri pretium rei; 2°. cum opera mea simul et res mea conjunguntur cum re aliena, et tunc vel habetur accessio per *adjunctionem*, si nullo modo id quod resultat potest separari, ut esset pictura meis coloribus et a me facta super muro tuo, in quo casu, res ad eum pertinet qui posuit ele-

mentum pretiosius; vel accessio habetur per *confusionem* aut *commixtionem*, ut v. gr., si ex meis simul et tuis racemis facerem vinum, aut ex meis tuisque spicis frumentum colligerem, et tunc, stante bona fide, res dividenda est juxta principia æquitatis, secus leges favent illi qui passus est injuriam.

397. III. Accessio mixta habetur cum, natura simul et arte operante, res aliqua rei meæ accedit; v. gr., si tuas arbores in meo fundo plantares: porro in hoc casu res pertinebit ad dominum soli, præstita debita compensatione. Hinc duo sequentes versiculi:

Quidquid plantatur, seritur vel inædificatur,
Omne solo cedit radices si tamen egit.

Adverte tamen quod si sermo sit de illis, qui apud nos vulgo dicuntur *squatters*, Kenrick ait, leges ipsis favere, ne agri inculti jaceant.—Cf. Kenrick, n. 67. et seqq.—Bouvier, *Law Diction.* V. Accession.

ARTICULUS II.

DE SPECIE JURIS QUOD DICITUR USUS VEL USUSFRUCTUS.

398. *Usus* est jus utendi re aliena, salva ejus substantia.—Dicitur 1°. *jus* quia hic usus est verum dominium, et non competit illis qui habent tantum *usum facti*, v gr., religiosis stricte dictis.—Dicitur 2°. *salva ejus substantia*, quia jus destruendi rem, aut *abutendi*, pertinet ad eum qui habet dominium directum, seu proprietatis.—*Ususfructus* est jus utendi simul et percipiendi fructum e rebus alienis, salva pariter earum substantia. Quare ususfructus plus importat quam usus.

399. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *Quænam sunt jura et onera usufructuarii?*

RESP. Usufructuarius plenum usum et fruitionem rei alienæ habet, ita ut pro nutu suo possit de fructibus rei disponere sive per se, sive per alium. Onus tamen habet utendi re aliena ut bonus paterfamilias, eamque talem reddendi, qualis reperiri debet post bonam administrationem. Præterea ei incumbit onus tum custodiam præstandi, tum expensas, si modicæ sint, subeundi, tum etiam faciendi sumptus ut naturales fructus ex ea percipiat. Ratio horum omnium est quia usufructuarius personam proprietarii quoad dominium utile agere censetur. Verum sæpe ex diversis conventionibus jura ista et onera modificantur.

QUAER. 2°. *Quomodo cessat usufructus?*

RESP. Cessat 1°. morte usufructuarii; 2°. tempore statuto; 3°. interitu totius rei; 4°. consolidatione; v. gr., si usufructuarius fiat dominus rei; 5°. omnimoda mutatione, v. gr., si pratum fiat stagnum; 6°. abusu, quo per usufructuarii culpam res deterior evadat; 7°. renuntiatione usufructuarii, modo non fiat in fraudem creditorum.—Cf. Kenrick, n. 94. et seqq.—Bouvier, *Law Diction.* V. Tenant.

ARTICULUS III.

DE SPECIE JURIS QUOD DICITUR SERVITUS.

400. Servitus est, jus alicui competens in re aliena, vi cujus dominus rei in ea aliquid pati vel non facere tenetur in illius utilitatem.—Dicitur *jus in re,* non in persona; si enim persona tantum obligaretur ad aliquid patiendum vel non faciendum diceretur *obligatio,* non *servitus.* Unde servitus proprie est aliquid dominii quod tollitur ab eo qui servitutem debet, et accedit illi cui ipsa debetur. Ablatio hujus dominii dici consuevit *servitus passiva,* et accessio, *servitus activa.*—Cf. Scavini lib. 2. n. 517.

401. Multipliciter dividitur servitus. 1°. ratione *originis* est *naturalis, legalis,* et *conventionalis,* prout ex dispositione locorum, vel ex lege, vel ex mera conventione partium oritur; 2°. ratione *modi* est *continua,* et *non continua,* prout durare potest absque hominis facto, ut est servitus *aquæductus,* aut sine eo exerceri nequit, v. gr., servitus *itineris.* Iterum est *apparens* vel *non apparens,* prout exteriori signo aperte declaratur, v. gr., janua, fenestra, etc., aut tali signo caret, ut v. gr., prohibitio ædificandi in quopiam loco etc.; 3°. ratione *objecti* est *urbana* vel *rustica,* prout prædio urbano, vel rustico adnexa est. Prædium urbanum dicitur omne ædificium habitandi causa erectum, sive in urbe sive in villa, et hortus ei annexus.—Prædia rustica dicuntur ager, vinea, pratum, pecorum stabulum a domo sejunctum. Urbanæ servitutes sunt quatuor: 1ª ut lignum in tuam parietem admittatur; 2ª ut stillicidium in tuas ædes recipiatur; 3ª. ut murus altius non attollatur; 4ª. ut fenestra in muro non aperiatur. Hæ duæ ultimæ non videntur vigere apud nos. Servitutes rusticæ aliæ dicuntur *nominatæ,* et sunt *iter, actus, via, aquæductus,* et aliæ *innominatæ,* ex eo quod carent nomine speciali in jure.—Cf. Kenrick, n. 97. et seqq.

PARS SECUNDA

DE VIOLATIONE JURIS PER FURTUM.

CAPUT I.

DE NATURA ET MALITIA FURTI.

402. Furtum in genere est ablatio rei alienæ, domino rationabiliter invito. Dicitur autem simpliciter furtum si fiat occulte; rapina, si fiat aperte cum vi domino illata; sacrilegium, si fiat circa rem sacram.

403. ***Dico.*** Omne furtum simplex est peccatum grave ex genere suo, quia opponitur justitiæ quæ obligat sub gravi, et quia in Scripturis, v. gr., I. Cor. vi. 10. fures a regno Dei excluduntur. Verum furtum sacrilegum et rapina speciem malitiæ diversam constituunt: illud, quia præter justitiam violat religionem; ista, quia injustæ ablationi rei alienæ addit injuriam personæ illatam. Cæteri autem modi, vel alia objecta furti, speciem non mutant, quia per ista damnificationis natura non mutatur.

404. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *Quænam materia censenda sit gravis in furto, attentis circumstantiis hujus nostræ regionis?*

Antequam respondeatur, quædam sunt præmittenda:

I. Valde difficile est hanc materiam rigorose determinare, ut constat tum ex ipsa confessione Doctorum, tum ex deficientia alicujus mensuræ. Verum necessarium prorsus est, ut quod æquius apparet, determinetur, ne salus animarum, et existentia proprietatis in periculum adducantur. —Cf. Lugo, disp. 16. n. 21. et seqq.—Baller. not. (a) p. 527.

II. Juxta communem sententiam, quæ omnino tenenda videtur, materia hæc spectanda est tum *absolute*, tum *relative*. Materia absolute gravis ea est, quam nunquam sine gravi culpa attingere licet, cum ejus ablatio censeatur semper, et respectu omnium, graviter injuriosa. Ratio est, quia si proportio omnimoda semper servanda foret inter omnes conditiones, profecto maxima quantitas ad grave furtum requireretur ubi quis a ditissimo homine aliquid surriperet: hoc autem in societatis damnum sane cederet. Oportet tamen ut materia furti consideretur etiam relative, et ratio est, quia gravitas furti sicut gravitas

cujuslibet injuriæ pendet præsertim a majori vel minori privatione, dolore, et reluctantia voluntatis, quam patitur ille cui surripitur. Attendendum tamen est ad reluctantiam voluntatis, ut inter homines *communiter* et *rationabiliter* habetur, non vero respectu ad homines majori vel minori amore pecuniæ allectos.—Cf. S. Alphons. n. 526.—Lugo, disp. 16. n. 28. et 29.—Baller. not. (b) p. 527.

Hisce prænotatis, nunc ad quæstionem :

Resp. Apud nos quinque dollaria videntur esse materia *absolute gravis.* Hoc colligitur tum ex sensu multorum theologorum et missionariorum ; tum ex proportione quæ videtur adesse inter talem summam, nostris usibus impensam, et materiam absolute gravem prout hæc hodie statuitur a theologis in diversis Europæ partibus. Accedit auctoritas clarissimi Kenrick, et legis civilis aliquorum Statuum, ubi furtum quinque dollariorum habetur uti limes diversi nominis, et diversæ pœnæ.—Cf. Crolly, vol. 3. n. 284.—Kenrick, tract. 3. n. 171.—*Cod. civ. Maryland*, vol. 1. art. 30. sect. 98. 100. p. 230.

Materia autem *relative* gravis ita videtur statuenda ; quarta pars dollarii, vel triginta oboli pro indigentibus qui mendicant, unum dollarium pro ordinariis operariis, duo pro mechanicis, et tria pro ordinariis divitibus. Ratio est, quia ablatio talis materiæ videtur importare respective gravem damnificationem.

Quaer. 2°. *Quænam materia requiratur, ut furta uxorum, filiorum, et famulorum gravia evadant?*

Resp. 1°. Quoad uxores difficile habetur casus materiæ gravis in furto, tum quia, ut alibi dictum est, apud nos, unicam faciunt personam cum maritis, quoad bona communia ; tum quia hi ordinarie non censentur rationabiliter inviti ad donationes, et alias expensas etiam secretas quæ non sint omnino prodigæ ; at si uxor prodige utatur divitiis communibus, ea quantitas requiritur, ad gravitatem furti, quæ sufficit ad grave damnum marito inferendum, et quod ex circumstantiis judicari debet. Tunc autem communius docetur ipsam teneri ad restitutionem vel ex paraphernalibus, vel diligentius laborando, seu curam gerendo de re familiari.—Cf. Kenrick, tract. 3. n. 169.

Resp. 2°. Certum est apud omnes, in furtis filiorum plus requiri ad gravem materiam constituendam, quam in furtis extraneorum ; quia paterfamilias est minus invitus, aut saltem minus rationabiliter invitus

in priori casu, quam in posteriori, et sæpe invitus est magis quoad modum, quod nempe clam accipiatur, quam quoad substantiam. Quare dicunt multi theologi, requiri pro iis summam duplo majorem, quam pro extraneis; sed nulla regula generalis assignari potest; res enim a variis personarum vel conditionum circumstantiis plerumque definienda erit.—Cf. S. Alphons. *Hom. Ap.* n. 32.

RESP. 3°. Pro famulis pendet etiam a majori liberalitate vel tenacitate dominorum, ex qualitate vel situ rei subreptæ, v. gr., si sit comestibilis vel non, custodita vel aperta, etc. Juxta multos per furta minuta facta a famulis in cibis et esculentis, quæ non solent caute servari, generatim non devenitur ad mortale, modo hæc non vendantur aut e domo educantur, aut sint pretii extraordinarii. Si autem famuli furentur pecuniam aut res sedulo custoditas, non requiritur quantitas major ad peccatum grave, quia domini tunc non sunt minus inviti erga ipsos, quam erga alios.—Cf. S. Alphons. *Hom. Ap.* n. 34.—Kenrick, tract. 3. n. 168.

QUAER 3°. *An furta minuta coalescant ad gravem materiam constituendam?*

RESP. *Affirm.*, sive facta sint adversus eamdem personam, sive adversus plures, dummodo tamen non ponatur inter ipsa magnum intervallum. Etenim in primo casu illa furtula, facile unita ratione temporis, grave damnum certe inferunt: præterea damnata fuit ab Innoc. XI. prop. 38. quæ sic se habet: "Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis."—In altero autem casu haberetur grave damnum illatum societati, cujus ordo perturbaretur si illa furtula apud diversos facta, et repetita brevi intervallo, non prohiberentur sub gravi. Aliam rationem addit Card. de Lugo, scilicet unumquemque dominum in particulari tunc graviter damnificari non quidem *formaliter*, sed *radicaliter*. —Dixi *dummodo non ponatur inter ipsa magnum intervallum;* nam furtula quæ raro fierent neque societati, neque privatis grave afferunt nocumentum. Magnum autem intervallum computatur juxta veriorem sententiam spatium duorum mensium. Excipe tamen casum quo ab initio habeatur intentio perveniendi ad summam notabilem, quia tunc furtula semper coalescunt, utut longum sit intervallnm quo ad invicem

separantur.—Cf. S. Alphons. 530. et seqq.—Lugo, disp. 16. n. 37. et seqq.—Vogler, n. 133.

Quaer. 4°. *Quomodo computanda sit gravitas materiæ in furtis minutis?*

Resp. Æquius et communius dicendum videtur quod si furtula fiant apud eamdem personam, sive physice sive moraliter unam, puta societatem aliquam viarum ferrearum, et simul discontinuatim, scilicet sæpius quam unoquoque bimestri, at non una die aut eadem occasione; vel si fiant apud diversas quidem personas, sed eodem tempore, scilicet una die, una eademque occasione, seu sub iisdem circumstantiis, tunc materia censetur gravis quando ex dimidia parte excedet summam ad furtum grave requisitam.—Si vero utrumque concurrat, hoc est, si furtula fiant apud personas omnino diversas, et simul non una eademque die aut occasione, tunc materia existimabitur gravis quando erit duplo major. Adverte tamen quod cum furtula hæc fiant apud personas omnino diversas, communem mensuram furti gravis in utroque prædicto casu desumi non debere ex gravitate relativa, sed absoluta; nam damnum tunc non uni sed pluribus individuis, aut societatibus particularibus infertur absque gravi uniuscujusque injuria, ut supponitur.—Cf. S. Alphons. n. 530 —Baller. not. (c) p. 531.

405. ***Resolves.***—1°. Si post efficacem retractationem præcedentium furtulorum, sive efficacia ista fuerit effectiva, sive affectiva tantum, sed tamen vera et seria, fiat aliud furtulum ex novo quodam motivo, aut ex diversa quadam occasione, non videtur hoc cum præcedentibus coalescere.

2°. Qui post completam materiam gravem, leve quid adhuc furatur, vel venialiter tantum peccat, vel si graviter, eo solum sensu, quatenus idem peccatum mortale jam commissum terminatur ad posterius hoc furtulum.—Cf. S. Alphons. n. 538.—Lessius, lib. 2. cap. 12. n. 44.—Lugo, disp. 16. n. 43.

3°. Qui levi furto complet materiam gravem ab aliis apud eamdem personam inchoatam, secluso casu conspirationis, leviter tantum peccat. Neque dicas graviter peccare, qui levi ictu occidit aliquem jam ab aliis vulneratum, quia vita est in indivisibili, et tota ab hoc levi ictu destruitur.—Cf. Lugo, disp. 16. n. 53. et seqq.—Lessius, lib. 2. cap. 12. n. 52.

4°. Graviter peccant mercatores falsis ponderibus utentes, quamvis

singulis vicibus in parva materia defraudent; quia ad materiam gravem intendunt pervenire, aut certe norunt se ad eam perventuros esse.

5°. Inter fures recensendi sunt qui circumvagantur, ementitis rationibus cives pecunia emungentes. Quod si sint vere pauperes, at ærumnas suas exaggerant, aut mentiuntur, peccabunt sane contra veracitatem, at non contra justitiam.—Cf. Kenrick, tract. 3. n. 176.

6°. "De juvenibus in seminariis gratis educatis, vel privatorum impensis, ea spe ut ecclesiastico inserviant ministerio, tenendum est, eos fraudem facere, si seminaria ingrediantur absque animo se sacris muneribus dicandi, et eo tantum consilio ut litteris imbuantur, vel otio indulgeant; ideoque ad reparandum damnum teneri. Opus autem non est ut certi omnino sint suæ vocationis; nam otium sanctum iis ideo conceditur, ut de tanto incepto consilium maturius habeant; sed nec temere debent ingredi, nec in sacris ædibus morari, postquam spem abjecerunt, et propositum. Quod si sua culpa faciant ut indigni habeantur, non ideo videntur ad restituendum obligati, quoties animus fraudandi defuerit: nec enim donatores censendi sunt conditionem restituendi apposuisse ob inertiam, vel alias culpas consuetas."—Ita Kenrick, n. 178.

CAPUT II.

DE CAUSIS A FURTO EXCUSANTIBUS.

ARTICULUS I.

DE NECESSITATE QUAE POTEST A FURTO EXCUSARE.

406. ***Dico.*** Quamvis necessitas communis quam scilicet patiuntur ordinarii mendicantes, certo non excuset a furto, quia secus direptionibus multis pateret aditus, et sic societas subverteretur; excusat tamen necessitas extrema, ac proinde potest quilibet quamdiu in ea invenitur, tantum de bonis alienis sumere quantum satis est ad se a tali necessitate eximendum. Ratio est, quia bona vitæ sunt superioris ordinis quam bona fortunæ; ideoque quæcumque sit origo istorum, cum veniunt in collisionem, illa debent necessario prævalere. In tali itaque casu omnia fiunt communia, adeoque accipiens rem alienam ad suam necessitatem extreman expellendam, accipit rem vere communem, quam suam facit sicut ante bonorum divisionem contingebat. Imo

non solum suis ipse manibus, sed per alium etiam, quasi per procuratorem rem illam accipere potest quin ulla malitia furti contrahatur.—Cf. S. Thom. 2-2. q. 66. art. 7.—S. Alphons. n. 420.—Lessius, lib. 2. cap. 12. dub. 12.

407. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *An in necessitate gravi liceat sumere de bonis alienis sicut in necessitate extrema?*

RESP. Valde controvertitur tum de solutione ipsa, tum de valore argumenti, quod ii qui negant desumunt ex prop. 36. damnata ab Innoc. XI. quæ sic se habet: "Permissum est furari non tantum in extrema necessitate sed etiam in gravi." Etenim non constat utrum prop. hæc damnata sit propter vocem *gravi* an potius propter verbum *furari.*—Ad solutionem autem quæstionis quod attinet, dicendum videtur ipsam totam pendere ex valore, qui attribuitur voci *gravi;* quare si necessitas illa ita sit gravis, ut dicenda sit *quasi-extrema*, vel *gravissima*, ut plures Doctores loquuntur, tunc de ea idem tenendum ac de extrema; secus si sit minus gravis ita ut attingat communem. Necessitas autem ista quasi-extrema tunc adesse censetur, cum quis est in probabili periculo incurrendi mortem, amittendi membrum aliquod principale, incidendi in captivitatem perpetuam, aut subeundi gravissimum aut perpetuum morbum.—Cf. S. Alphons. n. 520., et *Hom. Ap.* n. 15.—Lugo, disp. 16. n. 154.—Lessius, loc. cit.—Baller. not. (a) p. 534. et not. (a) p. 536.

QUAER. 2°. *An ille qui est occidendus a latronibus, vel cui imminet perpetua aut gravissima captivitas, aut aliud simile infortunium, nisi magnam tradat pecuniæ summam, possit eam surripere, si nequeat secus se a tanta necessitate liberare?*

RESP. *Affirm.*, juxta sententiam communiorem et probabiliorem, dummodo dives per talem ablationem non constituatur in æquali necessitate, et pauper id tantum accipiat, quo absolute indiget. Ratio est, quia, fatentibus omnibus, extrema necessitas causa est, cur in hoc casu bona fiant indigenti cum divite communia; ergo tam late patet bonorum communio ac ipsa necessitas, potestque indigens tantum sibi assumere, quantum ad hanc sublevandam necessarium est.—Neque dicas, 1°. non posse pauperem sibi providere per medium insolitum et extraordinarium; medium enim ejusmodi insolitum forte est et extraordinarium relative ad communem, non autem ad præsentem necessitatem, ut sup-

ponimus.—Neque dicas, 2°. divitem in hoc casu non teneri ad dandum cum tanto sui dispendio, ergo nec pauperem sumere posse; nam respondetur divitem quidem non teneri ad dandum, quia ex sola caritate obligatur, quæ non urget cum tanto incommodo, sed teneri ex justitia ad non impediendum pauperem quominus jure suo utatur et occupet bona sibi in tantis angustiis absolute necessaria.—Neque demum dicas, 3°. privilegium surripiendi aliena in extrema, aut quasi-extrema necessitate non esse extendendum ad casus ex mera hominum malitia provenientes, tum quia ista limitatio nullo solido nititur fundamento, tum quia deest ipsi pondus auctoritatis.—Cf. S. Alphons. n. 520.—Lugo, disp. 16. n. 146. et seqq.

408. ***Resolves.***—1°. Pauperi in extrema necessitate posito plus auferre non licet, quam sibi est necessarium. Unde si sufficiat solus usus rei, v. gr., equi, cessante necessitate, obligatio restituendi manet.—Cf. S. Alphons. *Hom. Ap.* n. 15.

2°. Si extreme indigens habeat alibi in re vel in spe probabili, unde solvere possit, non potest rem alienam subducere, nisi cum onere restitutionis; quia necessitas non exigit ut accedat rei proprietas, quando sufficienter re mutuo accepta vel commodata sublevari potest.— Cf. S. Alphons. *Hom. Ap.* n. 19.

3°. Qui vero in extrema egestate rem alienam consumpsit, ad nihil post usum rei tenetur, si nullam probabilem spem habuit fore ut aliquando restituere posset, etsi postea ad meliorem perveniat conditionem.—Cf. S. Alphons. *Hom. Ap.* ibid.

4°. Dives res suas occultans vel alia utens industria ne pauperi succurrat, cessante pauperis necessitate, non tenetur ad restitutionem, quia peccavit tantum contra caritatem. Quod si *per vim* impediat pauperem a re quapiam sumenda, tum peccat quidem contra justitiam, at cessante necessitate, atque adeo jure pauperis, cessaret etiam onus restitutionis.—Cf. S. Alphons. *Hom. Ap.* n. 20.—Lugo, disp. 16. n. 142.

ARTICULUS II.

DE OCCULTA COMPENSATIONE, QUAE POTEST A FURTO EXCUSARE.

409. Occulta compensatio, quæ dicitur etiam *extra-legalis* est rei propriæ recuperatio per occupationem alienæ. De hac sola nobis hic est agendum, non autem de compensatione quæ vocatur *legalis*, et locum habet quando duo sibi invicem debitores in solutum assumunt rem alteri debitam.

410. ***Dico*** 1°. Occulta compensatio aliquando justa et licita esse potest, si gaudeat requisitis conditionibus statim exponendis. Ratio est, quia his positis, nulla fit injuria debitori, neque ulla sequitur perturbatio ordinis juris, neque Reipublicæ. Ac 1°. Nulla injuria fit debitori; nam ex hypothesi in tali compensatione accipis tantum id, quod certo tuum est, seu quod ex stricta justitia tibi debetur. 2°. Nulla est ordinis juris perturbatio, siquidem supponitur, vel judicem adiri non posse saltem sine notabili incommodo, vel eum jus suum parti læsæ restituere non valere. Non enim prætermitti id dicitur, quod incassum quæreretur. 3°. Nulla est perturbatio seu damnum Reipublicæ; satis enim ei consulitur per cautiones in conditionibus apponendis.—Cf. S. Alphons. n. 521.—Lacroix, lib. 3. part. 1. n. 959.

Dico 2°. Conditiones communiter requisitæ ad liceitatem occultæ compensationis sunt sequentes:

1°. *Ut debitum sit certum* saltem moraliter. Ratio est, tum quia, in dubio melior est conditio possidentis, tum, juxta eos qui hoc axioma dicunt valere tantum pro dubio negativo, quia est certo prohibitum alterum probabiliter damnificare.—Si tamen dubium non versetur circa ipsius debiti existentiam, sed potius circa modum quo liceat se compensare, v. gr., utrum possit aliquis compensare famam alioquin certo læsam cum pecunia, aut infamiam cum infamia data, etc.; neque injusta, neque illicita erit compensatio quæ fiet cum credito hac ratione tantum probabili.—Cf. S. Alphons. n. 521.—Lugo, disp. 16. n. 87. et seqq.—Salmant. tract. 13. cap. 1. n. 318. et seqq.—Baller. not. (a) et (b) p. 538.

2°. *Ut debitum non possit aliter recuperari*, saltem sine gravi incommodo; nam si creditor possit per meram petitionem vel recursum ad

judicem obtinere quod sibi debetur, jam se compensando, injuriam publicæ potestati facit, adeoque contra juris ordinem delinquit.

3°. *Ut sumatur res in eadem specie*, si fieri possit, quia secus res debitoris sine ejus consensu, et proinde injuste, permutatur.

4°. *Ut damnum debitoris præcaveatur*, scilicet procurando ut debitor periculo bis solvendi non exponatur, si forte restituturus sit.—Hinc si casus ille aliquatenus prævideatur, aliquo modo monendus est, v. gr., per fictam renuntiationem, seu condonationem, etc. Si autem, facta compensatione, restituat, ipsi iterum erit restituendum. Cæterum casus ille rarus erit; siquidem compensatio licita non est, nisi ubi nulla adest spes probabilis debiti recuperandi.—Cf. S. Alphons. n. 521.

411. ***Quæsita***—QUAER. 1°. *An famuli judicantes salarium esse infra operam a se præstitam, uti possint occulta compensatione?*

RESP. *Neg.*, saltem generatim loquendo, cum sententia communi. Constat 1°. ex prop. 37. ab Innocentio XI. damnata: "Famuli et famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario quod recipiunt."—Constat 2°. ex ratione; nam agerent contra pactum, cum in minus pretium consenserint, et aliunde nihil ipsis debetur, nisi pretium de quo conventum est. Præterea, si id liceret, via innumeris furtis panderetur: famuli enim sibi facile persuaderent stipendia esse justo minora, et sic nulla securitas dominis superesset.—Idem etiam dicendum, ex paritate rationis de omnibus operariis, artificibus et mercatoribus, qui ad compensationem recurrere vellent prætextu vilioris pretii quo operas suas locaverint, vel merces suas vendiderint.—Dixi *saltem generatim loquendo;* quia excipiunt non pauci; 1°. si famulus vi aut metu compellatur ad consentiendum in pretium inæquale; 2°. si necessitate compulsus in illud consenserit, modo tamen dominus alios famulos eodem vili pretio non invenisset, vel hunc rogantem ex misericordia non exceperit; 3°. si invitus operibus indebitis gravetur.—Cf. S. Alphons. n. 522. —Baller. not. (c) p. 539.

QUAER. 2°. *Quid speciatim dicendum, hac in re, de iis qui præsunt curribus per vias ferreas ductis, prout apud nos solet?*

RESP. Si *judicio hominum timoratorum*, pretium quod recipiunt est revera injustum, scilicet infra minimum, theologice loquendo, licet ipsis occulte se compensare, verificatis tamen omnibus conditionibus ad hoc

requisitis et superius enumeratis. Ratio est, quia, domini tunc essent irrationabiliter inviti: imo aliqui dicunt eos proprie non esse invitos, neque ignaros hujus compensationis; atque ideo tam parvum salarium ipsis concedere, quia supponunt aliquid occulte sumi: illa autem diversa et in dies nova media, quibus utuntur ad fraudes præcavendas, ordinari ad inhonestos homines comprimendos qui limites justæ compensationis vellent prætergredi.—Verum, practice loquendo, confessarius prudens omnino esse debet in hac quæstione: quare de ea nunquam loquatur publice, sed tantum privatim dum excipit confessiones, aut munere theologi consiliarii fungitur. Præterea talem compensationem facilius post factum concedat, et quasi *evasive*, propter periculum quod ordinarie habetur si secus ageretur.

QUAER 3°. *An uti possit occulta compensatione, qui damnatur a judice ad solvendum debitum quod certo non contraxit, vel cui certo jam satisfecit?*

RESP. *Affirm.*, quia sententia judicis est injusta, utpote innixa falsa præsumptione facti; ac proinde in conscientia obligare nequit. Licet enim standum semper sit sententiæ judicis in *materia juris*, nisi de lege seu sententia evidenter injusta agatur; secus tamen, secluso scandalo, si judex certo erret circa factum, quod ex errore verum putat; aliunde vero judex non habet facultatem dominium transferendi; neque qui sententiam favorabilem obtinuit, detecto errore, rem sibi adjudicatam servare potest.

PARS TERTIA

DE RESTITUTIONE.

SECTIO I.

DE RESTITUTIONE IN GENERE.

Duplex hic ponitur sectio, quia ea quæ dicenda sunt alia simpliciter respiciunt obligationem restituendi jus læsum, independenter ab origine ex qua provenit restitutio facienda, et alia pertinent ad casus particulares, quomodo scilicet facienda sit restitutio quando determinata quædam bona læsa fuerint.

CAPUT I.

DE OBLIGATIONE RESTITUTIONIS.

412. ***Dico.*** Restitutio, scilicet reparatio juris alieni læsi in bonis fortunæ, si de materia gravi agatur, est absolute necessaria ad salutem, sive in re, sive saltem in voto, cum hic et nunc fieri nequit. Ratio est, quia hujusmodi restitutio est unicum medium reparandi justitiam læsam, ac proinde servandi illam; servare autem justitiam, est servare legem Dei. Ergo, etc. Quare ait S. Augustinus, epist. 153. ad Maced.: "Non remittetur peccatum nisi restituatur ablatum cum restitui potest."—Præceptum autem restituendi, juxta S. Thomam, *verbaliter* quidem est affirmativum, sed *formaliter* est negativum, ac proinde obligat singulis momentis.—Cf. S. Thom. 2–2. q. 62. art. 1. 2. et 8.

413. ***Resolves.***—1°. Si quis non possit restituere ex bonis ejusdem ordinis, non tenetur restituere ex bonis ordinis diversi, quia cum inter bona diversi ordinis nequeat fieri comparatio, neque compensatio fieri potest. Attamen per justitiam vindicativam potest a judice vel a superiore imponi, ut quis, pro injuria circa unum bonorum genus, aliquid præstet in bonis alterius ordinis; sed ratione pœnæ tantum, non vero ratione justitiæ. Læsus insuper jus habet apud judicem denuntiandi illum a quo injuriam accepit, adeoque ab isto pecuniam accipiendi, ut denuntiationem omittat; sic, v. gr., mulier ab aliquo

violenter oppressa, violatorem ad judicem compellere potest, vel pecuniam a nebulone exigere, ut juri suo renuntiet. — Cf. S. Alphons. n. 627.

2°. Ex læsione juris alieni *affectiva* tantum nequit dari obligatio restitutionis externæ et realis, quia reparatio et læsio debent ad invicem respondere. Hinc nihil debet restituere judex malevolus proferens sententiam quam putat injustam, si reipsa justa est; vel ille qui rapit rem quam existimat alienam dum sui ipsius est.— Cf. S. Alphons. n. 556.

3°. Qui leve damnum proximo intulit tenetur ad restitutionem erga dominum læsum sub levi, et cum incommodo rei proportionato; debet enim reparari injustitia levis sub levi, sicut gravis sub gravi. Dari tamen potest casus quo sub gravi quis tenetur ad materiam levem restituendam cum scilicet fur surripuit quod materiam gravem attingit quidem at non excedit. Tunc enim non requiritur sub gravi, nisi restitutio illius summæ quæ gravitatem materiæ complet, at in se gravis esse non potest.—Cf. S. Alphons. n. 553.

4°. Absolutione indignus merito habetur, qui recusat restitutionem saltem promittere; qui hæredibus suis curam restituendi relinquit, dum per seipsum id facere potest; qui ære alieno gravatus, in victu, vestitu, famulatu . . . , ejusmodi expensas subit, ob quas prævidet, se postea debitorum suorum solutioni imparem fore. Idem dicendum de illo qui, bona gaudens fortuna, non vult statum suum paulatim minuere, ut creditoribus satisfaciat. Cum eo autem, qui, bis vel ter se restituturum pollicitus, promissis minime stetit, prudentis confessarii erit judicare an restitutio ante absolutionem exigenda sit, necne.

5°. Nec absolvendi sunt qui futiles prætextus afferunt ad restitutionem differendam, v. gr., qui dictitare solent: *Non afferam bona mea in tumulum . . . ; restituent hæredes . . . , statuam in testamento faciendam esse restitutionem . . . ,* vel: *Jam præcepi filiis meis ut quamprimum ipsi restituant . . .* Male enim dispositi reputandi sunt, qui facere nolunt hic et nunc, quidquid moraliter possunt ad proximo satisfaciendum: 1°. quia indesinenter urget restitutionis præceptum, et creditor injuriam et sæpe etiam damnum ex dilatione patitur; 2°. quia male providetur restitutioni faciendæ, hanc committendo hæredibus, et isti enim similiter ad vitæ suæ finem protrahere eamdem possunt; 3°. quia forte deerit

tempus testamentum condendi, vel, si condatur, forte etiam variis de causis aut prætextibus executioni illud non mandari continget.

6°. Caute agere debet confessarius cum moribundis restitutioni obnoxiis. Sic autem procedere poterit: 1°. Si pœnitens videatur esse in bona fide, nec supersit tempus eum de sua obligatione prudenter monendi, aut prævideatur non profuturam esse monitionem, hac omissa, erit absolvendus. 2°. Si vero fructus monitionis speretur, aut si pœnitens non sit in bona fide, fortiter simul et suaviter admonendus erit de restitutionis obligatione, et ad illam statim peragendam adjuvandus. 3°. Si obligatio occulta sit, nec statim fieri queat, erit inducendus æger ad summam pecuniæ sibi confessario, seu potius, si fieri possit, viro fideli committendam, ut postea creditori secrete committatur, vel ad eam summam in testamento ipsi relinquendam, omissa restitutionis mentione. 4°. Si obligatio non sit occulta, nec statim adimpleri possit, confessarius efficiat ut per hæredes certo facienda curetur, sive per schedulam creditori tradendam, sive alia ratione.

CAPUT II.

DE RADICIBUS RESTITUTIONIS.

414. Radices restitutionis dicuntur causæ ex quibus oritur obligatio restituendi. Ex triplici autem capite desumuntur, scilicet: 1°. ex acceptione rei alienæ; 2°. ex injusta damnificatione; 3°. ex injusta cooperatione: quæ, quoad rem quidem, ad alterutrum e præcedentibus facile revocari posset, verum ad majorem dicendorum distinctionem seorsum opportunius tractabitur.

ARTICULUS I.

DE ACCEPTIONE REI ALIENAE.

415. ***Principium.***—Solus rei dominus habet dominium in eam ubicumque illa hic et nunc inveniatur. Hoc omnia jura statuunt, et ratio confirmat; nam esse dominum alicujus rei involvit essentialiter ideam disponendi de ea, et consequenter jus excludendi alios ab illius possessione. Dicitur autem *ubicumque*, etc., quia ad retinendum dominium sufficit sola intentio, quin requiratur continuatio realis occupationis.

Ex hoc principio generali sponte sua fluunt quatuor notissima axiomata quæ sæpe sæpius in decursu hujus tractationis recurrent, scilicet: 1°. *Res clamat domino; 2°. Res fructificat domino; 3°. Res naturaliter perit domino; 4°. Nemo ex re alterius locupletari injuste debet.*

Verum hæc principia, præterquam quod aliquando juxta diversas locorum leges diversam sortiuntur applicationem, insuper modificantur pro diversa possessoris conditione. Potest enim quis rem alienam possidere vel cum bona, vel cum mala, vel cum dubia fide. Dicendum itaque est: 1°. de possessore bonæ fidei; 2°. de possessore malæ fidei; 3°. de possessore dubiæ fidei.

§ I. De possessore bonae fidei.

416. Possessor bonæ fidei ille est, qui invincibiliter ignorat rem a se possessam esse alienam, ac prudenter judicat esse suam, v. gr., quia illam acquisivit titulo dominii *de se translativo*, puta, hæreditatis, legati, donationis, aut emptionis. Supponitur autem illum rem possessam nondum præscripsisse; secus enim jam non esset detentor *rei alienæ*, sed suæ.

417. ***Dico.*** Possessor bonæ fidei etsi, statim ac novit rem a se possessam esse alienam, certo teneatur eam adhuc extantem in toto vel in parte domino restituere; ad nihil tamen tenetur si, durante bona fide, eam amiserit, consumpserit, aut quomodocumque destruxerit, modo absque ullo *titulo*, seu injuste, ditior inde non evaserit. Ratio *primi* est, quia res clamat domino, et ratio *secundi*, quia res naturaliter perit domino.

418. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *An possessor bonæ fidei teneatur restituere diversos fructus quos, durante bona fide, percepit?*

RESP. *Neg.*, si sermo sit de fructibus *industrialibus*, qui scilicet possessoris industriæ potissimum tribuuntur, aut etiam de *mixtis*, ea parte qua industriales sunt. Secus autem dicendum de fructibus *naturalibus*, qui nempe ex ipsa rei substantia, sine ulla aut modica hominis opera proveniunt; et *civilibus*, qui non sunt fructus proprie dicti, sed ut tales in jure habentur, ut sunt redditus annui, pretium locationis domus, etc. Ratio utriusque est, quia sicut persona possessoris naturaliter fructificat sibi ipsi per industriam et laborem, ita res, puta fundus aliquis, domino fructificare debet per naturalem productionem graminum.—

Cf. S. Alphons. n. 610.—Kenrick, tract. 10. part. 2. n. 172.—Baller. not. (b) p. 547.

QUAER. 2°. *Ad quid teneatur possessor bonæ fidei, si rem a fure emptam alteri vendiderit?*

RESP. 1°. *In casu evictionis,* id est si dominus rem suam ab emptore vindicaverit, venditor emptori pretium reddere tenetur. Ratio est, quia venditio rei alienæ, vel est omnino irrita, ut quidam sentiunt, et tunc pretium non est venditoris sed emptoris, vel, prout docent communiter, et Jure Romano statuitur, firmitate saltem caret, et est rescissioni obnoxia; interveniente ergo evictione, contractus resolvendus est, et emptor recursum ipso facto in venditorem acquirit: quippe pretium ab emptore accipiendo se implicite obligavit ad damnum reparandum, si forte futura esset evictio. Idem ob eamdem rationem dicendum in casu spontaneæ restitutionis ab emptore factæ. Hoc ultimum tamen negat Lugo, cum Lessio, quando spontanea restitutio, venditore non admonito, facta, damnum injustum huic infert, impediendo ne pretium suum recuperare possit.—Cf. S. Alphons. n. 601.—Salmant. tract. 13. cap. 1. n. 89. et seqq.—Lugo, disp. 17. n. 109.—Lessius, lib. 2. cap. 14. n. 28.

RESP. 2°. *Extra casum evictionis,* vel spontaneæ restitutionis ex parte emptoris, res difficultate non caret et acriter controvertitur. Verum, inspecto solo jure naturæ, probabilis apparet sententia eorum qui tenent possessorem bonæ fidei tunc posse retinere pretium rei venditæ; nam obligatio restituendi domino neque urget ratione injustæ damnificationis, quia egit in bona fide, neque ratione rei acceptæ quia hæc non invenitur amplius apud venditorem, sed apud emptorem.—Neque dicas rem inveniri apud venditorem in *æquivalenti,* nam recurritur ad *æquivalens* cum res periit, et aliquis exinde ditior evasit, non autem cum res tota adhuc existit in suo naturali statu. Præterea contractus ille fuit probabiliter validus, quatenus emptor habens dominium in pretium, volensque illud transferre, de facto transtulit in venditorem, quamvis venditor non transtulerit dominium in rem, et ideo a multis vocatur contractus *claudus.*—Cf. S. Alphons. n. 601. et 800.—Lugo, disp. 17. n. 106. et seqq.—Less. lib. 2. cap. 14. n. 29.—Salmant. tract. 13. cap. 1. n. 88.

Eadem solutio, quoad duplicem responsionem et hypothesim, danda

esse videtur si possessor bonæ fidei rem alienam gratuito acceptam alteri vendiderit.—Neque dicas possessorem in hoc casu evadere ditiorem re alterius; nam si emptor revera transtulit dominium in pecuniam, ita ut contractus *claudus* locum habuerit, possessor non evasit ditior injuste.—Cf. Card. Gousset, n. 930.

QUAER. 3°. *Ad quid teneatur possessor bonæ fidei si rem alienam vendiderit, et illa in manibus emptoris perierit?*

RESP. Valde controvertitur inter theologos, qui tamen multo facilius concedunt venditori posse retinere pretium, si rem alienam habuerit *titulo oneroso*, quam si eam acquisiverit titulo *gratuito*. Etenim dicunt, venditorem neque teneri ad aliquid dandum *ratione rei*, quia illam jam non habet, neque *ratione damni*, cum non fuerit causa ejus interitus. Sed hæc eadem ratio valere debet pro casu quo res habita fuerit titulo gratuito; et si venditor tunc ditior evasit, injuste tamen non egit.

QUAER. 4°. *An possessor bonæ fidei subducere possit expensas necessarias, quas in re conservanda vel augenda subiit?*

RESP. *Affirm.*, imo subducere potest etiam expensas *utiles*, secus enim dominus plus, quam suum est, reciperet. Nihil autem repetere potest pro expensis mere voluptuariis; quia æquum non est, ut dominus solvat expensas quæ nullam sibi utilitatem afferunt; quamvis possit eas sibi retinere si separari queant, intacta rei substantia. Inter expensas autem non sunt computandi casus fortuiti, nec damna *per accidens*, causata. Sic, v. gr., si in colendo agro alieno perierint equi tui, valor equorum deduci nequit, sed tantum æstimatio laboris facti ab equis pro agri cultura.

QUAER. 5°. *An qui rem furtivam bona fide emit, possit eam furi reddere ad pretium suum recuperandum?*

RESP. *Neg.*, si compareat dominus rem suam ab illo repetens; tunc enim debet eam ipsi reddere, etiam cum pretii sui jactura; quia de jure naturali dominus rem suam occupare potest ubicumque eam reperiat. Actio tamen emptori datur in furem. Si vero dominus sit quidem cognitus, sed rei inscius, probabilius potest emptor rem furi remittere, ut pecuniam recuperet; quia emptor non tenetur rem domino servare cum proprio damno, imo potest damnum domini permittere, ut proprium caveat. Si vero fur aut alius venditor non appareat, aut pecuniam reddere nolit, emptor, cognito domino, rem aliis vendere non po-

test, nec in proprios usus convertere, ut se servet indemnem, quia non est rei dominus; sed eam domino reddere debet, non obstante pretii jactura. Recursum autem in venditorem servat; et si eum invenire nequeat, damnum ipse debet subire.—Cf. S. Alphons. n. 569.—Carriere, n. 1042.

§ II. De possessore malae fidei.

Possessor malæ fidei ille est, qui certo cognoscit rem, quam accipit aut possidet, non esse suam.

419. ***Dico.*** Possessor malæ fidei non solum restituere debet rem ipsam in *individuo*, vel in *æquivalenti*, si amplius non existat, et insuper id omne in quo factus est ditior injuste; sed etiam tenetur ad compensandum omne damnum ex injusta acceptione proximo illatum. Ratio est, quia damnificator formaliter injustus non minus justitiam violat, et ad restitutionem tenetur, quam simplex detentor rei alienæ. Potest tamen retinere fructus omnes industriales et deducere expensas tum necessarias, tum utiles; imo et mere voluptuarias, ubi intacta rei substantia, separari possunt, nisi in pœnam delicti ad expensas amittendas condemnatus fuerit.—Cf. S. Alphons. *Hom. Ap.* n. 74. et 77.

420. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *An teneatur ad restitutionem fur qui surripuit rem secus certo perituram?*

RESP. *Affirm.*, deductis tamen expensis factis cum pretio operæ adhibitæ ad rem a periculo liberandam. Ratio est, quia res illa non cessavit ad dominum pertinere, licet summo periculo exposita fuerit.—Excipiunt plures probabiliter, si fur consumat rem in certo periculo remanentem, v. gr., esculenta vel poculenta incendio jam peritura; quia res non liberata a periculo nullius est valoris pro domino. Plures hoc extendunt ad casum in quo res aliena proximo periculo subducitur et statim consumitur: v. gr., si sumas vinum alienum jamjam incursu hostili certo invadendum, illudque cum familia aut amicis bibas, quia etiam in tali casu res censetur nullum, aut fere nullum habere valorem.—Cf. S. Alphons. n. 620.—Lugo, disp. 18. n. 77. 144. et seqq.—Elbel, n. 80.

QUAER. 2°. *An fur teneatur ad restitutionem, si res furtiva apud ipsum perierit?*

RESP. *Affirm.*, sive perierit culpa furis vel alterius cujuslibet, sive

absque ulla culpa. Ratio est, quia in eo casu quoniam furto adscribenda est destructio rei, fur tenetur de ea respondere. Excipe casum mortis naturalis ex vitio intrinseco, aut etiam violentæ, v. gr., ex incendio, sed quæ eodem tempore locum habuisset apud ipsum dominum, quia tunc damnum non posset adscribi furto.—Dixi *eodem tempore*, quia si peritura fuisset antea, et furto adscribendum est, quod non perierit, jam ad dominum, dum penes furem manebat, clamabat, nec periisset, si jam fuisset restituta; si vero postea peritura fuisset apud dominum, urget eadem obligatio restitutionis pro fure, qui eo instanti, quo res penes se periit, obligationem restituendi contraxit. Aliqui requirunt etiam quod res pereat apud furem *eodem periculo;* sed de necessitate hujus conditionis non constat saltem inspecto solo jure naturæ. —Cf. S. Alphons. n. 620.—Lugo, disp. 18. n. 141.—Vogler, n. 501.—Carriere, n. 1072.

QUAER. 3°. *Ad quid teneatur possessor malæ fidei, quando res varium habuit valorem tempore detentionis?*

RESP. Attendendum est in tali casu, tum ad causam talis diversitatis, num scilicet res ex intrinseco et naturali augmento, vel potius ex variabili æstimatione hominum diversum habuit valorem; tum ad intentionem domini, num scilicet consumpsisset, vel rem illam potius vendidisset, et quidem quo tempore vendidisset, et juxta mensuram damni ex istis circumstantiis cogniti, fur obligandus est ad restitutionem. Verum quia fere non innotescunt omnes præfatæ circumstantiæ, plerumque urgenda est sola compensatio valoris, quem tempore furti res habebat.—Cf. S. Alphons. n. 621.—Lugo, disp. 18. n. 132.—Lacroix, lib. 3. part. 2. n. 233.—Carriere, n. 1073.

QUAER. 4°. *Quid, si res aliena per manus plurium malæ fidei possessorum transierit ex donatione aut venditione?*

RESP. Quoad rem, hæc restituenda est ab eo qui eam adhuc tenet vel in alium valorem mutavit, aut consumpsit, aut quovis modo amisit. Hoc autem deficiente, tenetur raptor. Quod si neuter debito suo satisfecerit, cæteri per æquas portiones rei pretium solvere debent. Tandem, in cæterorum defectu, quisque ad totum tenetur. Quoad autem rei fructus et damna, singuli ad compensationem tenentur pro parte temporis, quo unusquisque rem detinuit; si autem reliqui pro sua damnificationis et fruitionis parte non compensant, totius damni reparatio

singulis incumbit, pro rata tamen temporis elapsi a die quo successive facti sunt rei alienæ injusti possessores.

QUAER. 5°. *An ille, qui scienter rem alienam emit a fure, possit ipsam huic reddere ad pretium recuperandum?*

RESP. Controvertitur, fere ut in casu simili possessoris bonæ fidei; sed probabilis est, juxta S. Alphonsum, sententia affirmans, quia licet iste peccaverit, rem mala fide emendo, post emptionem tamen jus habet, haud secus ac possessor bonæ fidei, ad contractum rescindendum. Præterea rem furi reddens, hanc non in pejori, ac ipse illam invenit, ponit conditione.—Cf. S. Alphons. n. 570.

§ III. De possessore dubiae fidei.

Possessor dubiæ fidei ille est qui motus probabili quadam ratione, dubitat de certitudine sui juris ad possidendum, sive dubium istud cum ipsa possessione cœperit, sive, ea decurrente.

421. ***Dico.*** Possessor dubiæ fidei, sive a principio, sive in decursu tantum possessionis dubitaverit, serio inquirere tenetur, ut dubium deponat; secus enim se exponit periculo rem alienam ex culpabili negligentia retinendi. Si vero facta diligenti inquisitione dubium perseveret, rem totam retinere potest dummodo ante obortum dubium bona fide possidebat. Ratio est, quia possessio cum bona fide incepta creat de se maximam præsumptionem de justitia possessionis, et possessori jus certum attribuit, quod, nisi aliis rationibus vel præsumptionibus fortioribus vincatur, in foro tum interno tum externo prævalere debet. —Si vero dubium præcesserit possessionem, inspiciendum est quo titulo cœpit possidere; nam si in dubio incœpit possidere spoliando alium possessione sua et dubium postea perseverat, tenetur rem totam restituere priori possessori, quando non constat hunc mala fide incepisse rem possidere; quia ratio quæ nuper ipsi favebat, nunc contra ipsum retorquetur. Si vero rem accepit alio titulo, v. gr., emptionis, et post examen diligens adhuc dubium perseverat, an ille a quo accepit ejus sit dominus, restituere debet, pro rata dubii, probabili domino, vel pauperibus, si dominus ignoretur. Ratio est, quia possessio incepta cum dubia fide ipsi non favet, et ideo non potest totum retinere; nec aliunde videtur teneri ad totum restituendum, cum dubitet utrum res sit aliena,

et non sua.—Cf. S. Alphons. n. 625.—Lugo, disp. 17. n. 80. et 86.—Lacroix, n. 568.—Carriere, n. 1094. et seqq.

422. ***Quæsita.***—Quaer. 1°. *Ad quid teneatur qui accepit rem aliquam mala fide, ratus rem esse alienam, et postea dubitat an res sua sit, necne?*

Resp. Æquiparandus est ei qui possessionem cum dubia fide incepit; prior enim æstimatio falsa reperitur, nec proinde in solutione casus attendenda est. Perpende igitur utrum sua possessione alterum spoliaverit, necne, et resolve juxta ea quæ nuper dicta sunt.

Quaer. 2°. *Ad quid teneatur possessor dubiæ fidei, si inquirere neglexerit, et dominus compareat?*

Resp. Generatim post dubii initium tractandus est ut possessor malæ fidei; obligandus est igitur non solum ad rem domino reddendam, sed etiam ad damna omnia ei resarcienda. Excipiendus tamen videtur is qui incepit possessionem bona fide, et deinde, oborto dubio, inquirere neglexit, putans dominum difficilius inveniri posse; hic enim possessori bonæ fidei æquiparandus foret.—Cf. Lessius, lib. 2. cap. 14. n. 23.—Carriere, n. 1088.

Quaer. 3°. *An possessor dubiæ fidei, qui bona fide incepit possidere ad restitutionem teneatur, si, facta inquisitione, inveniat rem probabilius alienam esse?*

Resp. *Neg.*, quia ex possessione certa jus moraliter certum oritur. Insuper donec alter jus suum certum probaverit, valet axioma: *Melior est conditio possidentis.*—Cf. S. Alphons. *de consc. dubia*, n. 35.

Quaer. 4°. *Quid dicendum si dubium sit non circa titulum, sed an aliquis possessionem bona vel mala fide inceperit?*

Resp. Favendum est possessori, quia delicta non præsumuntur, sed probari debent. Attamen si quis reperiatur actu in mala fide, et dubitetur an inceperit cum hac mala fide possidere, præsumi debet eum malæ fidei ab initio fuisse; quia *semel malus semper præsumitur esse malus*, juxta 8. reg. juris in 6.—Cf. Lacroix, n. 567.—Lugo, disp. 18. n. 16.

ARTICULUS II.

DE INJUSTA DAMNIFICATIONE.

423. Damnificator injustus ille dicitur qui proximo nocet in bonis fortunæ, quin tamen ditior inde evadat. Alius est *formaliter* et alius *juridice* tantum injustus, prout culpa fuerit *theologica* vel *juridica*.—Culpa autem *theologica* ea dicitur, quæ includit offensam Dei, id est peccatum formale, sive mortale sive veniale. Culpa vero *juridica* est omissio diligentiæ, unde alteri damnum provenit, sive ea sit formale peccatum, sive non. Hæc iterum distinguitur et ex communi interpretatione juris Romani, est vel *lata*, vel *levis*, vel *levissima*. Culpa *lata* est omissio diligentiæ quam communiter adhibere solent homines in similibus negotiis. *Levis* est omissio diligentiæ quam adhibere solent homines prudentiores et diligentiores. *Levissima* est omissio diligentiæ quæ adhiberi solet solum a prudentissimis et diligentissimis.—Cf. S. Alphons. n. 549.—Kenrick, tract. 10. part. 2. n. 177.

424. **Dico.** Injustus damnificator restituere tenetur totum id quod æquivalet tum rei damnificatæ, tum damnis prævisis, et præter ipsam rem damnificatam obvenientibus. Ratio est, quia secus dominus læsus non fieret omnino indemnis, quod ad justitiam reparandam requiritur.—Verum ut ad hoc teneatur ex jure naturæ, ac proinde in foro conscientiæ, ante quamlibet sententiam judicis, necesse est ut damnificaverit *vere*, *efficaciter* et *formaliter*. *Vere* quidem, quatenus violaverit jus strictum per læsionem justitiæ commutativæ; *efficaciter*, quatenus fuerit non tantum *occasio*, sed propria causa damni, ita ut effectus ipsi possit et debeat imputari; *formaliter* tandem, quatenus adverterit ad actionem injustam, et coram Deo proprie peccaverit.—Dixi *ante quamlibet sententiam judicis*, quia post sententiam judicis potest obligatio restituendi in conscientia oriri etiam ex culpa mere juridica. Obediendum enim est justæ judicis sententiæ; secus leges securitati publicæ non providerent, et inanes forent: atqui sententia, de qua agitur, est justa, quia lex ista fertur pro bono communi et tendit ad homines cautiores reddendos, ne aliis damnum inferant.—Cf. S. Alphons. n. 550. et seqq., et *Hom. Ap.* n. 29. et 41.—Billuart, dissert. 7. art. 4.

425. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *An requiratur culpa theologica ad inducendam restitutionis obligationem pro damno illato rei alienæ, quæ detinebatur ex contractu aliquo, v. gr., locationis, depositi vel commodati, etc.?*

RESP. Controvertitur; sed sententia affirmans est, juxta S. Alphonsum, valde probabilis, nisi speciale pactum intercesserit. Ratio est, quia obligatio reparandi injuriam debet pertinere ad idem forum ad quod pertinet injuria ipsa.—Dixi *nisi speciale pactum intercesserit*, quia tunc scienter et libere assumitur specialis obligatio. Semper autem adesse speciale hoc pactum, non quidem *expresse* sed *implicite*, affirmant theologi qui negantem sententiam tenent, sed nullo solido argumento id probant.—Cf. S. Alphons. n. 554.—Lugo, disp. 8. n. 106.—Lacroix, n. 177.—Antoine, part. 2. cap. 3. q. 2. et. 5.

QUAER. 2°. *An teneatur ad restitutionem qui inculpabiliter quidem causam damni posuit, sed postea illud non impedivit, licet impedire potuisset?*

RESP. *Affirm.*, et ratio est, quia quisque tenetur ex justitia impedire ne actio sua proximo noceat; ergo tenetur etiam impedire ne malum ex actione sua secutum perseveret; ac proinde, cognito errore, illum corrigere debet, et ni faciat, tunc peccat graviter, et obligationem assumit reparandi omnia damna quæ ex hoc proveniunt.—Cf. S. Alphons. n. 564.

QUAER. 3°. *An reparari debeat damnum sequens ex causa culpabiliter quidem posita, sed jam retractata, quando damnum infertur?*

RESP. *Affirm.*, saltem si damnum illud fuerit determinatum, et in specie præcognitum. Ratio est, quia damnificator tunc proprie totam malitiam contraxit et obligationem restitutionis assumpsit; atqui tunc non affective tantum sed etiam effective, et realiter agendo nocuit; ergo ita etiam reparare debet injuriam, et simplex retractatio voluntatis non sufficit.

QUAER. 4°. *An reparari debeat damnum per accidens quidem, sed vacando operi illicito, illatum?*

RESP. *Neg.*, quia damnum illud non est voluntarium, cum ne in confuso quidem prævisum fuerit. Nec refert quod actio fuerit illicita; hoc enim ad justitiæ rationem nihil pertinet. Sic clericus, qui venationi contra Ecclesiæ prohibitionem vacando, hominem pro fera occidit,

non magis injustitiæ reus est, quam laicus qui hoc fecisset.—Cf. Vogler, n. 170.—Lugo, disp. 8. n. 72. et 82.—S. Alphons. *Hom. Ap.* n. 39.

QUAER. 5°. *An tenearis reparare damnum quod alicui ex errore intulisti, dum alteri nocere intenderes, v. gr., si incendas domum Caji, quam putas esse domum Titii inimici tui?*

RESP. Valde controvertitur inter theologos, sed probabilis videtur, cum S. Alphonso et aliis, sententia negans. Ratio est, quia in hoc casu actio damnificans est *materialiter* tantum injusta erga Cajum, et erga Titium *affective* tantum injusta.—Verum quidem est tunc verificari omnes conditiones requisitas ad restitutionem urgendam ex injusta damnificatione, sed non relate ad *eamdem personam,* quod est omnino necessarium.—Cf. S. Alphons. n. 620.—Lugo, disp. 17. n. 75.—Lacroix, n. 200.

QUAER. 6°. *Ad quid teneatur ille qui damnum grave quidem intulit, sed cum culpa levi, v. gr., defectu advertentiæ, etc.?*

RESP. Probabilius ad nihil tenetur. Etenim obligari non potest neque sub gravi, neque sub levi: non *sub gravi,* quia gravis obligatio cum culpa levi proportionem non habet; non *sub levi,* quia levis obligatio non habet proportionem cum re gravi.—Cf. S. Alphons. n. 552.—Lugo, disp. 8. n. 56.—Vogler, n. 109.

QUAER. 7°. *An qui grave damnum intulit per plures culpas veniales deliberate commissas, teneatur sub gravi totum illud damnum reparare?*

RESP. *Affirm.*, si damnum illatum est *eidem personæ,* licet damnificator graviter non peccaverit. Ratio est, quia hic tenetur reparare totum damnum voluntarie et libere commissum; atqui totum damnum libere illatum est, et insuper grave est in hypothesi; ergo illud totum est reparandum, et ni damnificator hoc faciat, tunc quidem graviter peccabit. Secus vero erit respondendum, saltem probabiliter, si damna minuta diversis personis illata fuerint; quia nemo grave damnum passus est, ne radicaliter quidem, sicut quando fiunt furtula minuta.—Cf. Vogler, n. 124. et 126.—Lugo, disp. 8. n. 69.

QUAER. 8°. *An tenearis reparare damnum alicui obveniens occasione injustæ actionis tuæ, v. gr., si furatus fueris, et furtum illi imputetur?*

RESP. *Neg.*, sive non prævideris, sive prævideris illud damnum, imo etiamsi ex industria egeris ut actio tua ipsi imputetur. Ratio est, quia

intentio, utcumque injusta, non efficit, ut illud opus sit externe et materialiter etiam injustum respectu tertii, quod de se tale non est. Excipe tamen si quando tales fuerint circumstantiæ, ut inter eas et gravem de altero suspicionem vera daretur connexio, aut si quis expresse iis uteretur mediis, quæ de se gravissimam suspicionem præbent alterum accusandi.—Cf. S. Alphons. n. 635. et 636.—Lacroix, n. 157.

QUAER. 9°. *An dominus teneatur reparare damnum per sua animalia proximo illatum?*

RESP. *Affirm.*, si ex culpa theologica, in animalia invigilare neglexerit. Quisque enim ex jure naturali tenetur animalia sua diligenter custodire, ne damnum aliis inferant, sicut præcavere debet ne ex actionibus suis proximo detrimentum eveniat. Seclusa vero culpa theologica, non tenetur quidem ante judicis sententiam, at certo tenetur post sententiam ut patet ex dictis.—Verum ad nos quod attinet, hæc habet Kenrick: "Legibus plerisque Americanis, sicut et Anglica, animantia damnum inferentia retinentur, donec læso satisfiat, et publica auctoritate venduntur, si dominus negligat ea redimere. Quod si prædii dominus sepe legitima illud includere omiserit, nihil potest recuperare, sed ipse tenebitur ad damnum reparandum, si animal vulneraverit vel occiderit."—Cf. Kenrick, tract. 10. part. 2. n. 185.

ARTICULUS III.

DE INJUSTA COOPERATIONE.

Cooperatio ad damnum proximi novem modis fieri potest. Quinam illi sint, superius n. 194. dictum est; at hic adverte, sex priores modos esse positivos, et tres posteriores negativos. De singulis breviter dicetur.

§ I. De jubente.

426. *Jubens* seu *mandans* dicitur qui ob proprium suum commodum, seu in sui gratiam, alium movet jussione, precibus, vel aliis mediis ad damnum alicui inferendum. Dicitur ob *proprium commodum*, quia in eo differt mandans a consulente; ubi enim est mandatum, exsecutor agit nomine et in gratiam mandantis; ubi autem est consilium, agit proprio nomine, et in sui, vel alterius tertii gratiam. Hinc non est necessarium ut mandans sit superior mandatarii.—Cf. Carriere, vol. 3. n. 1168.—Baller. not. (b) p. 573.

427. ***Dico.*** Mandans tenetur ad reparandum omne damnum quod vi mandati illatum est, quia ipse est causa principalis moraliter quidem at efficaciter movens alium ad nocendum; et cum aliunde supponatur formaliter injustus, sequitur omnes conditiones injustæ damnificationis in ipso verificari.

428. ***Resolves.***—1°. Mandans non tenetur ad restitutionem, si mandatum revocaverit antequam damnum fuerit illatum, et revocatio innotescat mandatario ante executionem mandati; quia tunc non influit in damnum.

2°. Si vero mandans non revocaverit mandatum, etsi pravam voluntatem retractaverit, aut revocaverit quidem, sed non tempestive, vel demum si constat revocationem tempestive factam, non fuisse auditam aut intellectam a mandatario ob surditatem vel distractionem, ad restitutionem tenebitur, quia damnum sequitur vi prioris mandati.

§ II. De consulente.

429. ***Dico.*** Quisquis injustum consilium alteri dederit, tenetur ad illud retractandum, sive sciens et volens id præbuerit, sive bona fide; secus tenebitur ad reparanda omnia damna vi consilii sui secutura. Ratio *primi* est, quia, dato injusto consilio, ipsius retractatio est unica via reparandi læsam justitiam. Ratio autem *secundi*, quia damna quæ sequuntur vi consilii, imputari debent consulenti tanquam causæ veræ et efficaci.

430. ***Resolves.***—1°. Consulens ad restitutionem non tenetur, si exsecutor æque bene et eodem modo damnum fuisset illaturus absque dato consilio, quia tunc damnum non est effectus consilii.—Cf. S. Alphons. n. 561.

2°. Neque ad restitutionem tenetur si consilium plene revocaverit ante exsecutionem, sive consilium fuerit *nudum*, sive *vestitum*, seu motivis innixum. In hoc tamen ultimo casu oportet ut adhibeat in retractatione alia motiva saltem æque efficacia.—Cf. S. Alphons. n. 559.

3°. Si duo simul consulant furtum alicui qui eorum consilio inductus furetur, uterque tenetur ad restitutionem; nam licet etiam, altero tantum consulente, furtum patratum fuisset, de facto tamen uterque consilio suo influxit, et eo ipso uterque causa fuit furti.—Cf. S. Alphons. n. 561.—Lugo, disp. 19. n. 2.

4°. Quamvis consulens *secundario* tantum teneatur ad restitutionem, quia *primario* tenetur executor, quippe qui agit nomine proprio, non eximitur tamen ab obligatione reparandi damnum quod consuluit, si exsecutor, quem monuit ad restituendum, non restituat. Ratio est, quia efficaciter in damnum cooperatus est; cooperatio autem efficax reparationem efficacem necessario exigit.

431. QUAERES. *An vel quomodo teneatur ad restitutionem dans consilium doctrinale nocivum ex ignorantia graviter culpabili?*

RESP. Si dans consilium, id agat ex suo statu vel officio, v. gr., advocatus, medicus, confessarius, etc., tenetur ad restitutionem de damno injusto quod ex suo consilio sequitur, sive erga petentem consilium, sive erga illum contra quem datur. Ratio est, quia societas jus habet, ut ille scientiam habeat muneri suo convenientem. Si vere consulens non sit talis persona, quæ ratione muneris vel status sui peritiam præ se ferat, 1°. non tenetur erga petentem consilium, nisi agat ex consilio doloso, seu nisi affectet magnam peritiam, qua caret; 2°. obligatur tamen erga tertiam personam, quæ inde damnum patitur, si ipse propriam imperitiam noverit, et damnum secuturum saltem in confuso præviderit.— Cf. S. Alphons. n. 564.

§ III. De consentiente.

432. ***Dico.*** Consentiens ad restitutionem tenetur, quotiescumque scienter ac libere emittit suffragium vel sententiam ex quibus directe pendet violatio juris stricti alterius, id est, quoties dat consensum efficacem in damnum seu injuriam proximi. Ratio est, quia tunc ipse est vera, efficax, et injusta causa damni alieni.

433. ***Resolves.***—1°. Non tenetur ad restitutionem qui per suum suffragium impedit alium a consecutione boni ad quod nullum jus habebat, seclusa tamen fraude, aut pacto speciali; quia in hoc, non autem in illo casu violaretur jus strictum.

2°. Non tenetur de damno qui suffragium prius datum authentice revocat, antequam consumetur nequitia; neque suffragans bona fide, quamvis hic, detecto errore, teneatur ex justitia votum suum revocare. Ratio est quia primus non influit *efficaciter*, et alter non influit *injuste.*

3°. Tenetur de damno qui abstinet a suffragio ferendo, quod ex officio foret dandum, et cujus omissio esset causa efficax damni injusti, non

autem qui abstinet a suffragio dando ex mera benevolentia, et de re alteri indebita.

434. QUAERES. *An teneatur ad restitutionem consentiens, qui dat injustum suffragium, si non desint alia suffragia jam ad damnum sufficientia?*

RESP. Certum est 1°. consentientes omnes æque ad restitutionem teneri, si de condicto suffragia dederint; cum, inita conspiratione, omnium sit unica actio moralis.—Certum est 2°. omnes consentientes contrahere obligationem restituendi, quando eodem tempore suffragium tulerunt; quia, cum nullus tunc prior fuerit neque posterior, sententia resultans ex suffragiorum summa singulis suffragantibus merito tribuitur.—Certum est 3°. non excusandos esse a restitutione eos, qui primi dant suffragium, antequam numerus sit completus, etiamsi prævideant non defuturos alios qui consentiant, quia vere influunt in damnum; quamvis enim sine illis esset inferendum, per illos tamen partialiter de facto infertur.

Utrum vero, seclusa conspiratione et simultanea suffragiorum collatione, possint excusari a restituendi obligatione ultimi suffragantes, quando jam votorum numerus ad negotii definitionem requisitus expletus est, *controvertitur.* Plures graves theologi affirmant, quia ejusmodi suffragatores nullo modo sunt causa damni, cum jam illud sufficienter ab aliis præparatum ac determinatum fuerit. Negant alii, quia, cum nunquam perfecta censeatur sententia, nisi concludatur per omnium suffragiorum collationem, ultimi non secus ac primi in sententiam injustam influunt.—Cf. S. Alphons. n. 566.—Lugo, disp. 19. n. 17.—Vogler, n. 302.

§ IV. De palpone.

435. *Palpo* dicitur qui laudando, adulando, vituperando movet alium ad damnificandum. De palpone hæc tenenda:

1°. Qui induxit alium ad damnum inferendum proponendo laudem aut secus ignominiam secuturam, tenetur de damnis. Talis enim cooperatio se habet instar consilii, cum nempe agendi motiva de se communiter efficacia proponuntur.

2°. Qui homini injuria affecto ita repræsentant hujus injuriæ magni-

tudinem, ut ille commotus vindictam sumat, ad restituendum tenentur, modo saltem probabiliter damnum secuturum esse adverterint.

3°. Non tenetur autem ad restitutionem, qui facinus jam patratum approbat vel ratum habet, nisi causa sit, cur non fiat restitutio, aut nova damna inferantur.—Cf. S. Alphons. n. 567.

§ V. De recursu.

436. *Receptans*, seu recursum præbens ille est qui scienter ac libere latroni vel alteri damnificatori præbet assecurationem. De eo hæc statuenda:

1°. Receptans tenetur de damnis provenientibus a sua ratione agendi. Etenim præbens assecurationem furis voluntatem in proposito vel furandi, vel non restituendi, vel iterum furandi, efficaciter ac injuste determinat, aut firmiorem efficit.

2°. Pariter ad restitutionem tenentur mercatores et præsertim caupones, qui accipiunt furta filiorumfamilias, servorum, etc., vel ea occultant, aut etiam sibi vindicant in pretium mercium, compotationum, etc.

3°. Inter receptantes computandi non sunt illi qui amicos vel consanguineos malefactores domi recipiunt; nec illi qui eos sub spe emendationis occultant, vel iis ostendunt viam qua fugere possint, cum ad carcerem vel ad necem quæruntur.—Cf. S. Alphons. n. 568.

§ VI. De participante.

Participans duplex est: alius in præda, alius in actione damnosa.

437. ***Dico.*** Participans in præda ad illam tantum partem restituendam tenetur quam accepit et apud se detinet, quia quoad illam tantum comparatur furi. Participans vero in actione damnosa ad totum tenetur, quotiescumque illius cooperatio realiter influxit in substantiam damni, et a peccato formali excusari nequit: quia tunc ipsius actio erit vere, efficaciter, et injuste damnificans.—Cf. S. Alphons. n. 571.—Billuart, dissert. 8. art. 13.—Carriere, n. 1197.

438. ***Resolves.***—1°. Non tenetur ad restitutionem qui ex metu tam gravi cooperatur quoad damnum in bonis fortunæ, sive cooperatio sit mediata, sive immediata, ut damnum illatum proximo sit multo minus illo quod tibi imminet, et hujusmodi naturæ, ut proximus tunc censeri debeat non esse rationabiliter invitus. — Dixi *quoad damnum*

in bonis fortunæ, quia quoad bona vitæ, dominus debet semper esse necessario invitus.—Cf. S. Alphons. n. 471.

2°. Non tenentur ad restitutionem mercatores qui indiscriminatim arma vendunt, etsi cognoscant aliquos generatim iis abusuros esse ; quia cum necessitas faciendi commercium eos excuset a peccato, necessario etiam eos excusat ab obligatione restituendi. Si vero prævideant in specie aliquos prædictis armis esse proxime abusuros, ea vendere non possunt ob ordinarium lucrum, sed requiritur causa gravis, prout major vel minor est spes abusum impediendi.—Cf. Vogler, n. 315.

§ VII. De cooperatoribus negativis.

439. Cooperatores negativi ii sunt, qui non impediunt damnum proximi, cum ex officio illud impedire teneantur. Dicuntur vulgo *mutus, non obstans, non manifestans.* 1°. *Mutus* ille est, qui non loquitur, non clamat, non præmonet damnificandum, dum ad id ex officio vel contractu tenetur. 2°. *Non obstans* dicitur, qui, dum infertur damnum, non obstat, rem non custodit, licet id ex justitia præstare debeat. 3°. *Non manifestans* vocatur, qui, post damnum illatum, damnificatorem domino læso, vel superiori non denuntiat, licet ex officio atque adeo ex justitia denuntiare debeat. Cæterum eadem principia, eædemque applicationes morales omnibus hisce conveniunt.

440. ***Dico.*** Ratione damni non impediti, omnes et soli illi ad restitutionem obligantur, qui ex officio illud impedire tenebantur. *Omnes* quidem, quia, supposito officio, jam existit contractus, vel quasi-contractus qui obligat ex justitia : *soli* autem, quia, deficiente officio, vis obligationis tota est a caritate. Verum necesse est insuper ad onus restitutionis imponendum, ut qui ex officio damnum impedire tenentur, illud possint impedire sine gravi onere, quia nec contractus, nec lex positiva, cum gravi incommodo, saltem ut plurimum, obligare solent.—Cf. S. Alphons. n. 573.

441. ***Resolves***—1°. Famuli non tenentur ad restitutionem, saltem probabiliter, quando ex culpa non impediunt damna domino illata, quia non conducuntur nisi ad laborem, et ad generalem assistentiam. Excipe tamen eos qui speciali rei custodiendæ præponuntur, et negative se habent dum vident damnum illi inferri.—Cf. S. Alphons. *de*

quarto præc. Decal. n. 344.—Baller. not. (a) p. 582. not. (b) p. 582. et not. (a) p. 583.

2°. Superior non tenetur saltem quoad forum internum, ad reparandum damnum a suis subditis illatum, etiamsi damnum non impediendo graviter peccaverit. Ratio est, quia qualitas superioris *per se* non sufficit, ut quis constituatur quasi sponsor de damnis subditorum. Excipe tamen si ipsius silentium positivo impulsui æquivaleat.—Dixi *quoad forum internum*, nam ad forum externum quod attinet, et præcise de *famulis*, juxta jus nostrum, superior tenetur si vel expresse vel implicite vult aut approbat damnum a famulo allatum. Censetur autem hoc damnum velle cum famulus illud causat sub immediata ejus supervisione, aut ex naturali et culpabili negligentia ipsi domino cognita.—Cf. S. Alphons. n. 578.—Kent, *Comment.* vol. 2. part. 4. lect. 32. n. 259.

3°. Ob eamdem rationem nec maritus, nec pater tenetur de damnis ab uxore, aut a filiis minoribus illatis. In foro autem externo quandoque tenentur, sed quibus in casibus, et qua ratione videas apud Kent, *Comment.* vol. 2. lect. 28. et 29.

CAPUT III.

DE CIRCUMSTANTIIS RESTITUTIONIS.

442. Præcipuæ circumstantiæ restitutionis hoc versu continentur :

Quantum restitues, cui, quo ordine, quomodo, quando?

ARTICULUS I.

QUANTUM SIT RESTITUENDUM.

443. Quantitas restitutionis mensurari debet ex quantitate rei acceptæ, vel ex quantitate damni illati, aut influxus in injuriam proximi. Cum speciales difficultates de sola *solidaritate* occurrant, de ea solum specialiter agemus.

444. *Solidaritas*, seu obligatio restituendi *in solidum* est onus incumbens singulis cooperatoribus integrum damnum illatum reparandi. Duplex distinguitur: scilicet *absoluta*, quæ locum habet, quando quis tenetur totum damnum reparare; et *conditionata*, quando singuli cooperatores restituere tenentur pro aliis cooperatoribus deficientibus.

445. ***Dico*** 1°. Quilibet ex cooperatoribus concurrens efficaciter ad damnum, ita ut hoc *totum ei moraliter adscribi possit,* tenetur ad restitutionem in solidum, id est in integrum, sive absolute, sive saltem conditionate. Ratio est, quia quilibet est causa efficax et injusta totius damni, et proinde totum reparare debet.—Dicimus autem alicui cooperatori certo totum damnum adscribi posse in duplici casu, scilicet: 1°. *quoties illius cooperatio est necessaria,* licet non sufficiens, ad totum damnum inferendum; 2°. *quoties cooperatio fit ex conspiratione efficaci,* qua damnificatores ita se efficaciter ad damnum excitant, ut, singulis non concurrentibus, damnum non eveniret.—Cf. S. Alphons. n. 579.—Vogler, n. 342.

Dico 2°. Quicumque est causa principalis damni, tenetur restituere in solidum *absolute;* cæteri autem cooperatores æquales, vel causæ secundariæ, *conditionate* tantum tenentur. Ratio est, quia principale agens, uti mandans, dux, etc., ipso facto in se suscipit absolute totum onus damni reparandi, cum ipse primario illud inferat, nec utatur aliis nisi velut instrumentis ad proximum damnificandum.

446. ***Quæsita.***—QUAER 1°. *An detur obligatio restituendi in solidum, ubi cooperatio influit quidem in totum damnum rei individuæ, sed non est de se sufficiens, nec necessaria, neque procedit ex conspiratione stricta, v. gr., si quatuor asportent trabem, quam tres etiam asportassent?*

RESP. *Neg.*, quia, cum tota ratio obligationis sit influxus in damnum, illa non debet esse major quam ipse influxus.—Aliunde qui concurreret ad partem damni dividui, licet cum aliis concurreret ad totum damnum quatenus pars confert ad totum complendum, sane ad totum restituendum non teneretur; ergo, *a pari,* qui concurrit partialiter ad damnum individuum, partialiter tantum ad damni reparationem tenetur, quia causam partialem posuit.—Cf. S. Alphons. n. 579.—Lugo, disp. 19. n. 82.—Vogler, n. 343.

QUAER. 2°. *An tenearis in solidum, si actio tua fuit quidem sufficiens ad totum damnum inferendum, sed minime necessaria, neque ex conspiratione processit, v. gr., si ignem domui alienæ simul cum pluribus aliis apposueris?*

RESP. *Neg.*, saltem probabiliter, et ratio est, quia licet actio damnificativa sufficiens fuerit ad totum damnum, non habuit tamen nisi influxum partialem in illud, cum nec fuerit necessaria, neque commu-

nis cum aliis ex conspiratione. Ergo non est causa moralis totius damni. Nec refert quod de re *individua* agatur, quia cooperatio ad totum damnum non extenditur.—Attamen id intellige, quoties sine tuo concursu damnum nihilominus evenisset; secus enim etiam actio tua ad illud necessaria dicenda foret.—Cf. S. Alphons. n. 679., et *Hom. Ap.* n. 55.

447. Hic omnino advertendum est monitum S. Alphonsi, scilicet: in praxi, raro expedire ut rudibus manifestetur obligatio reparandi totum damnum, licet certo teneantur in solidum, dummodo tamen damnificaverint uti causæ secundariæ tantum. Ratio est, quia hujusmodi obligatio rudibus non potest facile persuaderi. — Cf. S. Alphons. *Hom. Ap.* n. 54.

ARTICULUS II.

CUI SIT RESTITUENDUM.

448. **Dico.** Si dominus est certus et notus, ipsi restituendum est, ut patet, excepto casu, quo res subducta, fuerat deposita, locata, aut commodata; nam tunc non domino, sed illi restitui debet apud quem inveniebatur titulo depositi, locationis, aut commodati.—Ratio est, quia actualis possessor nequit sine injuria privari jure custodiæ, usus vel possessionis, nisi ipse consentiat. Si vero dominus sit dubius, aut incognitus, vel si licet cognitus sit, adiri non possit, statuendum est ut sequitur:

1°. Si post diligentem inquisitionem adhuc dubius sit dominus; vel dubium vertitur inter paucos, vel inter multos. Si prius, ipsis pro rata restituendum est, vel ad compositionem inducendi sunt domini præsumpti. Si posterius, v. gr., quia aliquis vendens in aliqua civitate defraudavit multos in pondere vel pretio, restitutio facienda est augendo eodem modo pondus vel mensuram, aut pretium minuendo erga ementes ordinarios, qui damnificati præsumuntur, si facile fieri possit; secus restitutio pauperibus facienda est.

2°. Si dominus sit plane incognitus, vel si, licet cognitus, moraliter tamen neque immediate neque mediate adiri queat, distinguendum est: vel enim res aliena bona fide acquisita possidetur, vel mala. Si bona, tunc agendum est ut in rebus nuper amissis, quarum dominus inveniri non potest et proinde vel in causas pias sunt erogandæ, vel etiam a pos-

sessore retineri possunt. Si vero mala fide, possessor tali re omnino se exspoliare debet, atque in opera pia aut communi bono utilia impendere. Et idem dicendum de eo qui restituere debet vi damnifiationis injustæ. Ratio est, tum quia ex sensu communi dominus incognitus per pauperes vel pias causas censetur repræsentari, tum quia ita fert consuetudo quæ est optima legum interpres. Et quamvis aliqui dicant debitorem posse ea impendere in utilitatem quamlibet publicam etiam profanam; ordinarie tamen generali consuetudini standum est in praxi. Nunquam autem possessor malæ fidei, aut damnificator injustus debitum retinere potest prætextu quolibet, etiam paupertatis; quia nemo ex malitia sua commodum reportare debet.—Cf. S. Thom. 2–2. q. 62. art. 5.—S. Alphons. *Hom. Ap.* n. 64. 67. et 69.

449. QUAERES. *An quando creditor tuus coactus fuit cessionem bonorum facere, ipsi vel ejus creditoribus restituere debeas?*

RESP. Quoniam in casu cessionis bonorum ordinarie, juxta leges civiles, assignatur aliquis administrator, huic sane facienda est restitutio, saltem ad evitandum periculum iterum restituendi. Quod si quacumque de causa, nullus adsit qui bonorum administrationem gerat, restitutio fieri potest creditori, si debitum sit exiguum, si probus sit, et credas illum esse creditoribus restituturum; item si versetur in gravi necessitate, et debito illo valde indigeat ad vitam ducendam, quia ut docent communiter theologi, bona cedens potest subducere ea quæ ad vivendum omnino necessaria sunt. Imo etiam in quocumque casu fieri potest et debet creditori ratione justitiæ, et tantum ratione caritatis urgere potest obligatio monendi suos creditoros. — Cf. S. Alphons. n. 699.—Gousset, n. 772.—Baller. not. (a) p. 588.

ARTICULUS III.

QUO ORDINE SIT RESTITUENDUM.

Ordo restitutionis spectari potest tum ex parte eorum qui restituere debent, quando plures in idem damnum cooperati sunt, tum ex parte eorum quibus restituendum est.

§ I. De ordine restitutionis inter cooperatores.

450. Ad ordinem restitutionis *in solidum* assignandum inter cooperatores in damnum alienum, inspiciendum est, num aliquis eorum dam-

ni causa sit *principalis,* seu primaria ; num *secundaria,* seu subordinata; num denique *collateralis,* seu æqualis. Cooperatores enim in damnum concurrere possunt vel eodem modo seu gradu, vel modo diverso. Hisce notatis :

451. ***Dico.*** Si omnes *eodem modo* concurrerint, singuli æqualiter *in solidum conditionate* restituere debent, absque ullo ordine determinato, quia nemo eorum majus periculum suscepit. Dixi *conditionate,* id est, quando cæteri cooperatores non restituerent, vel nullus *in solidum* solveret. Si vero *diverso modo* concurrant, distingues iterum: nam vel ex furto, vel ex mero damno restituendum est. Si *ex furto,* primo loco tenetur possessor, qui rem habet in individuo vel in æquivalenti, vel qui illam injuste consumpsit; deinde mandans, vel raptor, si mandans desit; tertio tenentur cæteri cooperatores positivi; tandem cooperatores negativi. Si autem *ex damno,* tenetur primo mandans, quando aliquis adfuit: est enim causa principalis; secundo exsecutor, etiam quando nomine *mandantis alicujus egit,* quia relative ad alios, juxta communem sententiam, est causa principalis; deinde cæteri cooperatores positivi; demum cooperatores negativi.—Cf. S. Alphons. n. 580., et *Hom. Ap.* n. 60.—Vogler, n. 361.

452. ***Resolves.*** — 1°. Ad nihil tenentur causæ secundariæ, si causa principalis restituerit aut remissionem debiti obtinuerit; causæ enim secundariæ tantum tenentur in defectu causæ principalis, cujus obligatio cessavit.—Cf. S. Alphons. n. 581.

2°. Si una ex causis minus principalibus restituit, causa principalis tenetur eam indemnem facere, quia minus principalis jus creditoris contra principalem acquirit.—Cf. S. Alphons. ibid.

3°. Si creditor solvat ab obligatione causam secundariam, non ideo liberatur causa principalis, quia obligatio principalis causæ est independens ab obligatione causæ secundariæ. Imo quamvis uni e secundariis creditor remittat, non ideo liberæ sunt aliæ causæ secundariæ ab obligatione suam partem restituendi, nisi condonatio fuerit omnino plena, vel talis merito præsumi possit.—Cf. S. Alphons. ibid.

§ II. **De ordine restitutionis quoad creditores.**

Agendum hic est de solo casu, in quo debitor ad satisfaciendum omnibus suis creditoribus impar est; secus enim nullus ordo in solvendis debitis necessario servandus est.

453. ***Dico.*** Primo loco satisfaciendum est *privilegiatis*, deinde *hypothecariis*, et demum creditoribus *communibus*. Ratio per se patet, et desumitur quoad creditores privilegiatos ex legibus positivis, et quoad hypothecarios ex speciali contractu, et ex ipsa natura rei.—Adverte tamen credita privilegiata diversa esse pro diversitate regionum. Apud nos, in *casu mortis*, sunt plerumque funeris et ultimi morbi expensæ, et deinceps quæ fisco supremo debentur, et judicio probata sunt. In casu autem *cessionis bonorum* sunt salaria quæ operariis et famulis debentur propter operam præstitam intra ultimos sex menses, modo non excedant quinquaginta dollaria.—Cf. Kenrick, tract. 10. n. 91.—Kent, *Comment.* vol. 2. lect. 37. n. 419.—Wells' *Every man*, etc., p. 594.

454. ***Resolves.***—1°. Debita ex delicto non sunt necessario solvenda ante debita ex contractu oneroso, quia ex nullo jure constat de illorum prælatione. Utraque autem præferenda sunt debitis ex titulo gratuito, nam qui gratuito promittit, apponit semper tacitam conditionem: si commode præstare valeam.—Cf. S. Alphons. n. 688. et 689.

2°. Neque creditores pauperes divitibus, neque priores tempore posterioribus sunt necessario præferendi, tum quia de hac juris prælatione ex nullo capite constat, tum quia persona debitoris, quæ sola obligatur, æquo modo sese habet ad omnes dictos creditores.—Cf. S. Alphons. n. 690. et 691.—Lugo, disp. 20. n. 161.—Vogler, n. 439.

455. Quaeres. *Utrum debitor, sciens statum suum labilem, possit alicui creditori non petenti integre satisfacere?*

Resp. *Neg.*, quia, cum omnes creditores sint jure æquales, nec ullus inter illos jus suum prosequatur, et proinde per diligentiam nemo potior in petendo evadat, postulat æquitas naturalis, ne alicui integra restitutio fiat cum aliorum præjudicio.—Si tamen aliquis creditor solutionem ita acceperit, quin eam petierit, probabiliter ad restitutionem non tenetur. Ratio est, quia potuisset, etiam extra judicium, solutionem urgere, quin aliis creditoribus faceret injuriam; ergo potest etiam absque eorum injuria illam acceptare.—Verum excipiendus est

casus quo talis solutio per legem declaratur invalida. Porro, apud nos, invalida habetur tum solutio facta creditori petenti *extrajudicialiter*, si hic potuit cognoscere statum labilem debitoris, et ea facta fuerit intra quatuor menses prævios cessioni bonorum; tum etiam solutio facta intra sex menses a debitore cognoscente labilem suum statum.—Cf. S. Alphons. n. 692.—Wells' *Every man*, etc., p. 599.

ARTICULUS IV.

QUOMODO SIT RESTITUENDUM.

456. ***Dico.*** Generatim requiritur et sufficit ut restitutio eo modo fiat, quo justitia violata plene seu ad æqualitatem reparetur. Ratio est, quia plena reparatio justitiæ est finis principalis obtinendus in restitutione.

457. ***Resolves.***—1°. Non est necessarium *per se*, ut restitutio palam fiat; imo sæpe eo modo fieri nequit, quando famæ quoque et honori restituentis consulendum est.

2°. Non est necessarium ut restitutio fiat per ipsum debitorem, sed fieri per alium potest, modo res domino reddatur. Potest aliquando fieri per confessarium; magna tamen cautela tunc opus est, tum ut sigillum confessionis illæsum remaneat, tum ut pœnitens resciat creditori reipsa satisfactum fuisse, ne ulla suspicio contra confessarii probitatem suboriri queat.

3°. Non est necessarium ut restitutio fiat advertente domino; quia hoc non requiritur ut hic sit indemnis. Unde debitor restituere potest, v. gr., augendo pondus vel mensuram in vendendo, aut debitum opus in laborando, et sexcentis aliis modis.

4°. Potest fieri restitutio per simulatam donationem, quia id quod debetur est res, et non requiritur ut debitor externe fateatur se solvere. Verum si creditor gratitudine motus aliud donum illi rependat, hoc esset restituendum; quia donatio ista non videtur plene *voluntaria* et *spontanea*.—Cf. Carriere, n. 1265.

458. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *Quo loco et cujusnam expensis facienda sit restitutio?*

RESP. Si obligatio restituendi sit ex re bona fide accepta et retenta, restitutio non necessario facienda est in alio loco, quam in quo nunc res

existit; nec hujusmodi debitor in alium locum, ubi jam dominus forte degit, rem transmittere tenetur. Ratio est, quia non tenetur dominum in statum pristinum restituere, ex quo illum non dejecit per formalem injuriam. Si vero obligatio restituendi orta sit ex delicto, restitutio facienda est in loco, in quo dominus rem esset possessurus si ablata non fuisset, idque debitoris sumptibus. Ratio est, quia creditor debet indemnis servari, et nullum ex iniquitate debitoris damnum pati, sed in statum pristinum restitui.—Cf. S. Alphons. n. 677.

QUAER. 2°. *An debitor ex delicto etiam expensas solvere debeat pro re domino remittenda, si illæ expensæ valorem rei ipsius superent?*

RESP. *Affirm.*, si excessus non sit valde notabilis, quia et debitor, committendo injustitiam, tale onus in se suscepit, et dominus non tenetur rei suæ jacturam pati. Secus autem dicendum si istæ expensæ essent maximæ respectu valoris rei remittendæ. Tunc autem, ex præsumpta creditoris voluntate, restitutio pauperibus facienda esset. Recta enim ratio et caritas dictant, creditorem non posse exigere, ut sibi fiat restitutio cum quibuscumque expensis. Quanta autem esse debeat jactura debitoris, ut a restitutione ipsi domino facienda excusari possit, non conveniunt theologi. Hanc regulam sat communiter tradunt: Quando omnibus pensatis, damnum quod debitor patietur, damnum creditoris tantum duplo superat, non est sufficiens, ut dominus re sua privetur. Si vero hanc proportionem superet, sufficit ut restitutio saltem differatur. Sed pro variis circumstantiis hæc regula modificanda est.—Cf. S. Alphons. n. 598.—Lugo, disp. 20. n. 185. et seqq.—Vogler, n. 415.

QUAER. 3°. *An debitor iterum restituere debeat si debitum per personam fidelem miserit, et illud casu, vel culpa tertii pereat?*

RESP. Debitor *ex possessione bonæ fidei* ad nihil tenetur; quia, seclusis culpa et pacto, res perit domino, qui est ipse creditor. Neque debitor *ex contractu* ad aliquid tenetur, si agatur de re alterius existente in natura, accepta in commodatum vel depositum, etc., quia res perit domino, nisi aliter conventum sit. Secus, si agatur de pretio solvendo; quia debitor dominium in illud servat, donec ad creditorem pervenerit, et respondere debet de casibus pretii transmissi, usquedum in manus ejusdem tradatur. Demum debitor *ex delicto* a restitutione non liberatur, et tamdiu ad illam obstrictus manet, quamdiu dominum

vere indemnem non effecerit; quia semper remanet culpabilis causa damni quod hic patitur. Attamen S. Alphonsus non audet damnare excusantes hujusmodi debitorem qui per confessarium rem debitam remisit.

Excipe casum triplicem, in quo ab omni onere debitor eximitur, nempe: 1°. si dominus designaverit personam, per quam sibi rem debitam mitti velit; 2°. si creditor personam quidem non elegerit, sed debitori reliquerit libertatem eligendi quam vellet, modo prudens et fidelis eligatur; 3°. si persona hæc arbitrio judicis designata fuerit.—Cf. S. Alphons. n. 705.

QUAER. 4°. *Quomodo restituendum pro damnis Reipublicæ illatis?*

RESP. Restituendum est per media ab ipso Gubernio constituta, si habeantur. Attende igitur ad varias locorum leges et consuetudines. Apud nos duo præsertim modi videntur aptiores. Primus est ut destruatur tanta quantitas pecuniæ chartaceæ aut sigillorum (*stamps*) quanta æquivalet pecuniæ vel damnificationi. Alter est ut restitutio fiat publico thesaurario Gubernii generalis, aut particularis cujusque Status, prout casus fert, cum obligatione ut hoc inscribatur in aliqua ephemeride ab ipso debitore designata.

ARTICULUS V.

QUANDO SIT RESTITUENDUM.

459. De circumstantia temporis hæc pauca sunt notanda:

I. Quoad debita *quælibet*, generatim restituendum est quamprimum fieri potest sine gravi incommodo. Jus enim naturale exigit, ut rem alienam, invito rationabiliter domino, non retineas. Hinc: 1°. qui culpabiliter differt restitutionem, manet semper in peccato et absolvi nequit. Insuper si ex dilatione restitutionis damna domino obveniant, ea compensare tenetur. 2°. Si quis, habens propositum restituendi, aliquo tempore differat citra grave domini incommodum, non facile damnandus est de peccato mortali, imo nec de veniali, si aliqua sit causa differendi, v. gr., spes occasionis commodioris, etc. 3°. Qui vellet restituere per partes, cum facile possit totum restituere, non esset absolvendus; quia dominus etiam in hoc est rationabiliter invitus. Idem dicendum de eo qui, cum per vitæ decursum possit restituere, differt

tamen usque ad mortem; vel qui, in periculo mortis constitutus, rejiceret absque ratione sufficienti obligationem restituendi in hæredes suos; nisi forte de restitutione bonorum incertorum agatur.—Cf. S. Alphons. *Hom. Ap.* n. 104. et 105.

II. Quoad debita *ex injuria*, compensanda sunt damna omnia saltem ordinaria quæ ex dilatione secuta sunt, etiam quando mora fuit inculpabilis.—Dixi *ordinaria*, quia extraordinaria non possunt prævideri.—Cf. S. Alphons. *Hom. Ap.* ibid.—Vogler, n. 426.

III. Quoad debita *ex contractu*, generatim standum est conditionibus contractui appositis circa tempus, vel circa alias circumstantias; nisi prudenter præsumatur aliam esse alterius contrahentis voluntatem.—Hinc: 1°. restitutio seu potius solutio fieri debet tempore, de quo expresse vel tacite conventum est. 2°. Debitor anticipare potest, si terminus solutioni assignatus sit in ejus favorem, ut ordinarie fieri solet; secus vero, si idem terminus in creditoris utilitatem vergat, ut, v. gr., in præstatione pecuniæ cum lucro percipiendo.

CAPUT V.

DE CAUSIS A RESTITUTIONE EXCUSANTIBUS.

460. Causæ istæ aliæ excusant *in perpetuum* et aliæ *ad tempus.* Primæ sunt *remissio*, seu condonatio debiti libere facta ab ipso creditore, *compensatio* ab eodem privata auctoritate peracta, et *præscriptio* legitime acquisita a debitore. Aliæ autem reducuntur ad impotentiam sive *physicam*, sive *moralem.*

461. ***Dico.*** Impotentia sive physica, sive moralis excusat hic et nunc a restitutione facienda, seu potius suspendit obligationem. Ratio *primi* est, quia ad impossibile nemo tenetur; et ratio *secundi* quia in moralibus dicitur impossibile quod est valde difficile, et quod decenter et honeste fieri nequit. Insuper creditor non censetur rationabiliter invitus huic temporaneæ excusationi.—Cf. S. Alphons. *Hom. Ap.* n. 117.

462. ***Resolves.***—1°. Vir nobilis qui restituere non potest nisi se privet famulis, equis, armis, et ita a statu suo desciscat; vel civis primarius, nisi obeat artem mechanicam sibi insuetam; vel opifex, nisi vendat artis suæ instrumenta, aut magnum damnum subeat, restitutionem

differre potest, et debita paulatim solvere. Neque exceptio, quam aliqui ponunt, scilicet, nisi hujusmodi debitor culpabiliter, v. gr., ludis et crapulis in talem necessitatem se conjecit, necessaria videtur S. Alphonso. Oportet tamen ut status e quo debitor non tenetur desciscere fuerit juste acquisitus.—Cf. S. Alphons. *Hom. Ap.* n. 118.

2°. A restitutione probabiliter excusatur qui, debiti immemor, aliquid creditori suo gratuito dedit, quod debito æquivaleat; quia quisque censetur velle prius obligationi justitiæ satisfacere quam meræ liberalitati.—Cf. S. Alphons. n. 700. et *Hom. Ap.* n. 120.

3°. Si tum creditor tum debitor jam sint in necessitate gravi, sed debitor restituendo in extremam incideret, probabiliter a restitutione excusatur, quæcumque sit origo debiti. Excipe tamen si res ipsa in specie adhuc existat. Si tamen creditor solus reperiatur in necessitate gravi, et debitor restituendo in illam decidat, restituere debet juxta omnes.

463. QUAERES. *An cessio bonorum sive voluntaria illa sit, sive judiciaria, in perpetuum excuset a restitutione facienda?*

RESP. *Neg.*, prorsus quoad cessionem *voluntariam*. Ratio est, quia quamvis creditores tunc componant cum debitore de certa tantummodo parte solvenda; sic tamen agunt, quia plus habere nequeunt, nec propterea renuntiant juri, quod ad integram solutionem habent, si debitor aliquando solvere queat.—*Negative* etiam respondendum quoad cessionem *judiciariam*, quia illa cessio est merum beneficium, quod lex concedit debitori bonæ fidei et infelici ut bona cedens libertatem conservet et a coactione in foro externo immunis evadat. Etenim ex una parte futura illa immunitas quæ in perpetuum conceditur a lege (*forever discharged from all debts and claims*), nequit attingere forum internum; et ex alia restricta ad forum externum favet etiam creditoribus, quatenus infelix debitor, ita poterit facilius novas divitias congerere.—Quare ait Kent: "*It was stated by the Chief Justice, in giving the opinion of the Supreme Court of the United States, in Sturgess v. Crowninshield, 4. Wheaton, 122., that the insolvent laws of most of the States only discharge the person of the debtor, and leave his obligation to pay out of his future acquisitions in full force.*"—Cf. S. Alphons. n. 669.—Billuart, dissert. 8. art. 20.—Kenrick, n. 211.—Kent, *Comment.* vol. 2. n. 394 et 395. Note.—Wells' *Every man*, etc., p. 598.

SECTIO II.

DE RESTITUTIONE IN SPECIE.

Præter damnificationem generatim inspectam in bonis fortunæ, considerari debet damnificatio in bonis animi et in bonis corporis.

De hac speciali damnificatione igitur dicendum, deque obligatione restitutionis quæ exinde provenit.

CAPUT I.

DE RESTITUTIONE OB DAMNUM IN BONIS ANIMI.

464. ***Dico.***—Quisque tenetur ex justitia reparare damnum, quod efficaciter et injuste attulit proximo in bonis tum naturalibus tum supernaturalibus animi, dummodo damnum istud in eodem ordine reparari possit. Ratio *obligationis* est, quia jus non minus strictum quisque habet ne in bonis hujusmodi lædatur, quam in bonis fortunæ. Ratio autem *conditionis* appositæ est, quia secus reparatio non est possibilis.

465 ***Resolves.***—1°. Qui vi, mendacio, fraude, metu injusto induxit aliquem in peccatum lethale, tenetur sub mortali ex justitia ad damni reparationem, vim vel seductionem tollendo, errorem manifestando, etc. Qui autem sine vi aut fraude, sed tantum consilio induxit aliquem ad peccandum lethaliter, tenetur quidem ex caritate ad consilium illud revocandum, non vero ex justitia, quia *scienti et volenti non fit injuria.*—Cf. S. Alphons. n. 660. et 661.

2°. Qui dolo induxit alium in errorem præsertim practicum, ex quo damnum grave oriri illi possit in materia morum, ex justitia tenetur reparare damna quæ inde proveniunt, et idcirco omni cura eum ab errore removere. Idem dicito de errore speculativo circa fidei articulos.

3°. Qui per vim, metum gravem, vel fraudem, aliquem ab ingressu religionis impedivit, aut jam ingressum ad religionem deserendam induxit, ex justitia tenetur fraudem et dolum amovere; quisque enim jus habet, ne injuste a consecutione aut possessione tanti boni impediatur vel abstrahatur.—Cf. S. Alphons. n. 662.

4°. Qui alium privavit, v. gr. usu memoriæ, etc., per venenum, philtrum,

etc., tenetur ex justitia reparare id omne, quod ex damno injuste illato reparabile est.

5°. Qui fraude impedit, ne alter scientiam, artem ... addiscat, vel alios doceat, tenetur fraudem depellere, et damna temporalia, quæ inde sunt orta, reparare.

6°. Qui ex officio docere debet artem vel scientiam, tenetur errores corrigere, si quos alicujus momenti admiserit.—Dixi *ex officio*, quia si gratuito et sine obligatione alicujus pacti doceat, et nullum aut parum admodum profectum in audientibus procurat ex negligentia vel ignorantia culpabili, secluso casu fraudis aut doli, vel specialis damni ex errore quem docuit provenientis, ad reparationem non tenetur.

CAPUT II.

DE RESTITUTIONE OB DAMNUM IN BONIS CORPORIS.

ARTICULUS I.

DE RESTITUTIONE OB HOMICIDIUM.

466. ***Dico.*** Quamvis homicida vel mutilator voluntarius et injustus ad nihil teneatur, præcise pro vita vel membro, saltem ad rigorem juris, quia hæc bona non sunt pecunia æstimabilia; tenetur tamen ad compensanda omnia damna temporalia, si quæ ex homicidio, vel mutilatione *directe* secuta fuerint. Ut autem cognoscatur quid proprie restitui debeat, et quibus personis, distinguenda sunt tria genera damnorum. Nam 1°. alia fiunt ipsi occiso, vel mutilato, ut, v. gr., expensæ pro curatione vulneris, et horum reparatio facienda est etiam hæredibus, post mortem, nisi persona occisa ea condonaverit: 2°. alia irrogantur uxori, filiis, patri et matri, qui omnes non solum de facto sustentabantur a persona occisa, vel mutilata, sed etiam, ex ipsa natura, jus habebant ad hanc sustentationem, et horum solutio semper facienda est, nisi condonetur ab illis iisdem qui damnum passi sunt; 3°. alia demum fiunt creditoribus quibuscumque personæ occisæ vel mutilatæ, et hæc contrahuntur cum habetur intentio eis directe nocendi.—Cf. S. Alphons. n. 631. 634 et 939., et *Hom. Ap.* n. 82. et 83.—Lugo, disp. 11. sect. 4.—Baller. not. (a) (b) et (c) p. 606.

467. ***Resolves.***—1°. Homicida probabiliter non tenetur ad restitutionem erga uxorem et filios occisi pro damnis futuris, si isti sibi facile subvenire possint. Ratio est, quia proxime cognati non habent jus strictum, nisi ad ea quæ occisus ex stricta pietate ipsis erogare debuisset: atqui in prædicto casu obligatio ex pietate non fuisset stricta.—Ergo, etc.—Cf. S. Alphons. *Hom. Ap.* n. 87.—Reuter, n. 384.—Lacroix, lib. 3. part. 2. n. 309.—Elbel, n. 315.

2°. Si occisor præviderit quidem damna creditorum occisi, sed ea indirecte tantum intenderit, non tenetur ad ea reparanda, quia tunc eorum est tantum causa per accidens.—Cf. S. Alphons. n. 634.

3°. Si homicida morte plectatur quin damna reparaverit, adhuc tenentur hæredes ad ea reparanda, quia per pœnam satisfit quidem justitiæ vindicativæ, sed non commutativæ.—Cf. S. Alphons. *Hom. Ap.* n. 90.

4°. Qui alium occidit in duello, sive fuerit provocans sive acceptans, probabiliter non tenetur ad ea damna reparanda, quæ unice attingunt ipsam personam occisam, et ab ea remitti possunt. Ratio est, quia occisus acceptans aut provocans ad duellum censetur voluisse condonare obligationem, quam potuisset condonare, prout est illa quæ exurgit ex damnis primi generis.

ARTICULUS II.

DE RESTITUTIONE PROPTER STUPRUM ET FORNICATIONEM.

468. ***Dico.*** Stuprator aut fornicator ad nihil tenetur pro damno mere naturali, seu pro amissione virginitatis, quia damnum illud nequit pecunia compensari.— Idem dicendum de damno temporali, quod ex turpi consortio subsecutum est, excepta prolis educatione, quando mulier sollicitationi consenserit, quia scienti et volenti non fit injuria. Si vero stuprator vi, fraude, dolo, minis puellam violaverit, tenetur reparare omnia damna ei vel ejus parentibus obvenientia, quia horum damnorum est causa efficax et injusta.—Cf. S. Alphons. n. 640. et 641.—Elbel, n. 220.—Lugo, disp. 12. n. 11.

469. QUAERES. *Ad quid tenetur fornicator erga prolem spuriam?*

RESP. Si matrem vi oppresserit, ad omnes expensas nutritionis et educationis tenetur, ut patet ex dictis. Attamen in ejus defectu, mater

curam filii suscipere debet, licet nullam culpam admiserit, *quia mater est;* sed tunc recursum servat in corruptorem, qui omnes expensas, quas occasione prolis illa fecit, ipsi compensare tenetur.— Si vero mulier in peccatum consenserit; ambo tenentur ex æquo ad expensas, si inspiciatur jus naturæ; at si attendatur tantum ad leges civiles, tunc:

1°. Ex *jure Romano* mater tenetur alere infantem per tres annos, et postea ei pater providere debet.

2°. Ex *jure nostro*, hæc habet Kenrick: "Leges Statuum Fœderatorum, magistratuum vel judicum arbitrio plerumque permittunt definire quid sit solvendum; eum patrem habentes quem mater jurata affirmat prolem genuisse."—Istis consonat Kent qui ait: "*The mother or reputed father, is generally in this country chargeable by law with the maintenance of the bastard child; and in New York it is in such way as any two justices of the peace of the county shall think meet; and the goods, chattels, and real estate of the parents are seizable for the support of such children, if the parents have absconded. The reputed father is liable to arrest and imprisonment until he gives security to indemnify the town chargeable with the maintenance of the child. These provisions are intended for the public indemnity, and were borrowed from the English statutes on the subject; and similar regulations to coerce the putative father to maintain the child, and indemnify the town or parish, have been adopted in the several States.*"—Cf. Kenrick, tract. 8. n. 85.—Kent, *Comment.* vol. 2. part. 4. lect. 29. n. 215.

ARTICULUS III.

DE RESTITUTIONE PROPTER ADULTERIUM.

470. ***Dico.*** Si adulter vi aut metu gravi consensum mulieris extorserit, solus ad totum damnum reparandum tenetur, ut per se patet. Si vero mulier libere consenserit in adulterium, uterque adulter tenetur in solidum ad omnia damna familiæ reparanda, quia omnia utrique imputanda sunt, tanquam causæ efficaci et injustæ.—Quare ambo restituere debent omnes sumptus, quos maritus in prole alenda et educanda sustinuerit, et si filius illegitimus cum legitimis jam hæreditatem acceperit, istis pro rata facienda est compensatio.—Cf. S. Alphons. n. 659.

471. ***Resolves.***—1°. Mulier adultera si paraphernalia habeat, ex ipsis restituere debet marito et filiis læsis per donationes manuales, per contractum, testamentum, legata, etc. Si non habeat, diligentius familiam administret, parciorque sit in sumptibus privatis, laboret diligentius, in quantum status permittit.

2°. Si tamen nequeat alio modo damnum reparare quam per criminis sui confessionem, ad hanc non tenetur, tum quia communiter hæc revelatio sine magna infamia, et sæpe etiam sine periculo mortis, vel odii perpetui, aliorumve gravium malorum fieri nequit; tum quia difficile damnum reparare etiam per id posset, præsertim cum filius matri fidem adhibere non teneatur. Excipiunt multi si mater sit perditæ famæ; sed neque tunc filius tenetur credere ejus testimonio.—Cf. S. Alphons. n. 654. et 655.—Baller. not. (a) p. 610.

3°. In dubio an proles sit mariti, aut adulteri, vel ex hoc adultero potius quam ex alio, nulla imponi potest stricta obligatio quia de ea non constat; in neutro enim casu potest certo designari verus pater prolis ac proinde vera causa damni. Excipe tamen cum S. Alphonso: 1°. si adulter secundus adverterit saltem implicite se incertitudinis illius causam fore; 2°. si adulteri ex communi consilio adulterium patraverint.—Cf. S. Alphons. n. 658.

4°. Probabiliter non tenentur ad resarciendas impensas adulteri vel fornicatores opulenti, si prolem ad brephotrophium miserint. Ratio est, quia brephotrophia erecta sunt pro omnibus indiscriminatim infantibus qui a parentibus abjiciuntur. Neque obstat, quod subsidia a Statu pro istis parvulis præbeantur; quia hæc pro puerulis derelictis generatim tribuuntur, quin ad parentes attendatur. Insuper hujusmodi hospitia instituta sunt eo fine, ut infantes illegitimi liberentur a periculo mortis tum æternæ, tum temporalis, cui maxime exponerentur, nisi in piis illis locis exciperentur. Quot enim parentes impios et barbaros infamiæ metus adegit, sive ad abortum prolis suæ procurandum, sive ad necem ipsi inferendam? Porro filii divitum non minus ac filii pauperum tale periculum incurrunt. Attamen conveniunt omnes, in praxi, enixe adhortandos esse genitores ad aliquid, saltem titulo pœnitentiæ, brephotrophio tribuendum.—Cf. S. Alphons. n. 656.—Lugo, disp. 13. n. 3.—Kenrick, tract. 8. n. 84.

APPENDIX.

DE OBLIGATIONE SOLVENDI TRIBUTA.

472. Tributi nomine intelligitur pensio, quam subditi solvunt de propriis bonis Gubernio ad sumptus Reipublicæ communes. Alia sunt tributa *directa*, quæ actualia et determinata bona privatorum afficiunt; alia *indirecta*, quæ immediate respiciunt certas merces, et mediate tantum personas quæ eas transvehunt, vendunt, emunt, etc.

473. ***Dico*** 1°. Impositio tributi est actus supremæ et legitimæ auctoritatis, ac proinde ad hanc solam pertinet decernere utrum et quantum sit ab unoquoque solvendum. Ratio est, quia ad illam tantum pertinet adducere societatem ad bonum commune, ad quod tributa se habent uti media ad finem.—Cf. S. Alphons. n. 615.

Dico 2°. Præter legitimam auctoritatem tres aliæ conditiones requiruntur ut impositio tributorum evadat licita; scilicet 1ª *justitia causæ*, quæ est necessitas boni communis; 2ª *proportio tributi* cum necessitate occurrente, nempe quod populus non magis gravetur quam ejus bonum postulat; 3ª *æqualitas in personis*, nempe quod ii qui majores habent divitias plus solvant.—Cf. S. Alphons. n. 615.

474. ***Quæsita.***—Quaer. 1°. *Utrum leges quæ respiciunt solutionem tributorum, generatim spectatæ obligent in conscientia, vel censendæ sint pœnales?*

Resp. Juxta sententiam, quam S. Alphonsus vocat *communissimam* et *probabiliorem*, leges hæ obligant in conscientia. Patet 1°. ex Scriptura sacra; nam Christus, Matth. xxii. 21. ait: "Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari,". et Apostolus, Rom. xiii. 5: "Subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam; ideo enim et tributa præstatis . . . Reddite ergo omnibus debita: cui tributum tributum, cui vectigal vectigal." Patet 2°. ex ratione: nam suprema auctoritas tenetur in conscientia ad bonum societatis procurandum, et ad ipsius onera juste distribuenda; ergo a pari tenentur subditi in conscientia ad media suppeditanda, quibus illud bonum procurari potest et debet, et ad distributionem onerum subeundam.—Cf. S. Alphons. n. 615. et 616.

Attamen non desunt theologi qui forte non improbabiliter, hodie præsertim, tenent has leges esse tantum pœnales: et hoc colligi dicunt,

tum ex sensu et ratione agendi populorum, tum etiam ex modo quo suprema auctoritas leges illas fert et applicat.—Cf. Kenrick, tract. 6. n. 20. —*Acta S. Sedis.* vol. 7. p. 219. et 220.

QUAER. 2°. *An omnino exigenda sit restitutio ab iis qui, legibus tributariis non servatis, Gubernium defraudaverint?*

RESP. *Neg.*, probabiliter, tum quia forte dubitari posset an leges illæ obligent in conscientia, tum quia etiamsi ita obligarent, quicumque eas non observaret, læderet sane justitiam legalem, at non justitiam commutativam. Neque huic sententiæ deest pondus auctoritatis.—Etenim:

BONACINA, disp. 2. *de Restitut.* quæst. 9. punct. 1. prop. 2. quoad tributa indirecta, ait: "Nobis sufficiat dicere, probabiliter defendi posse quod asseruimus, ne onus nimium grave pœnitentibus imponamus post factum, quamvis ante factum hæc sententia benignior non sit consulenda, cum Principis edicta non sint facile reprehendenda."

VOGLER, n. 332: "Etiamsi fideles sint maxime hortandi, ut tributa diligenter solvant, si tamen subinde aliquantum defraudant, non obligandi videntur ad restitutionem, quia communissima praxis id habet, Principes connivent, et in tanta multitudine tributorum sapientissimi quique dubitant, an omnia sint justa."

LUGO, disp. 36. n. 43: "Mihi, semper maxime placuit consilium P. Molinæ . . ., ante factum, consulendum esse ne tributa defraudentur; post factum, si pœnitens sibi certo aut probabiliter persuadeat in tanta tributorum multitudine esse aliquid injustum . . ., non esse cogendum a confessario ad restitutionem; hac tamen doctrina prudenter utendum esse, . . . ne sacramentum Pœnitentiæ reddant nimis grave, et ne viam salutis præcludant multis, qui si a confessario obligentur, non restituent, et æternam damnationem incurrent."

SCAVINI, *de Restit.* cap. 1. art. 1. exposita utraque sententia, de benigniore ait quod "non caret sua auctoritate et probabilitate . . . Quidquid sit circa tam primæ quam etiam secundæ sententiæ probabilitatem (quod sapientioribus definiendum remittimus) unum nos pro praxi monemus cum doctissimo Card. de Lugo: Generaliter loquendo, admonendi sunt populi et excitandi ad tributa solvenda, sed post factum non sunt cogendi ad restitutionem tributi defraudati, si probabiliter sibi suadeant in tanta vectigalium multitudine aliquid injuste solvisse, vel competenter contribuisse ad publicas necessitates."

ROUSSELOT (in notis ad Theolog. mor. Sættler, *de Leg.* part. 2. c. 2. art. 3.) quoad tributa imposita in merces, quarum commercium omnibus permittitur sub conditione tributi solvendi, hæc habet: "Non datur obligatio solvendi quædam tributa antequam petantur, v. gr., tributa ad portam civitatis, ad pontem, etc. Sic enim fert consuetudo, et leges ultra consuetudinem non obligant. Cæterum cum auctore (Sættler) et aliis bene multis extraneis probabilius asseri potest, tributa illa, pro quibus exigendis constituti sunt custodes et exactores, neque in conscientia solvenda esse, nec ea fraudantes ad restitutionem teneri."

"His rite perpensis, non statim nec facile pronuntiandum, tributorum indirectorum fraudationem peccaminosam esse, et ad restitutionem obligare. Attamen hæc non prædicentur super tecta; sed cum S. Alphonso et Sættler, pastores et confessarii legum observantiam etiam in hac materia urgeant, a transgressionibus pro virili absterreant; at transgressores non statim peccati gravis damnent, nec eos ad restituendum adigant, præsertim si majora mala, v. gr., sacramentorum desertio, sint reformidanda. Aliunde bona fides sæpius intercedit, cui merito relinquuntur."

Cf. etiam *Revue des sciences eccles.* vol. 17. p. 86.—Baller. not. (a) p. 615.

475. Colliges ex dictis 1°. non posse confessarium absolute loquendo, et sub pœna denegandæ absolutionis, *indiscriminatim* urgere obligationem solvendi tributa ista in futurum, quamvis sedulo adhortari debeat fideles ut ea diligenter solvant, et ab omni eorum defraudatione abstineant.

Colliges 2°. certo damnandos esse sequentes 1°. qui vectigalibus exigendis præpositos mediis injustis corrumpunt, ne officio suo fungantur; peccant enim saltem ad horum peccatum cooperando; 2°. qui non solvunt tributa jam a longo tempore imposita, quæque ab omnibus soluta fuere, nec unquam reclamatio de ipsorum injustitia audita fuit; 3°. qui violenter resistunt ministris vectigalia exigentibus; hi enim certo peccant saltem contra justitiam legalem; 4°. qui per fas et nefas defraudationem veluti commercium quoddam exercent, atque animo resistendi etiam armati diu noctuque vagantur; hujusmodi enim homines fiunt cives rebelles et societati perniciosissimi; 5°. qui licet nunquam resistant, nec animum resistendi habeant, omni tamen studio et opera in artem

defraudandi incumbunt, eamque veluti vitæ professionem habent; hi enim saltem animæ periculis haud raro exponuntur.

QUAER. 3°. ***An peccant contra justitiam præpositi, quoties tributum non exigunt?***

RESP. *Affirm., per se generatim*, et quidem graviter in materia gravi. Ratio patet, siquidem se obligarunt ad rite invigilandum, et ad tributa diligenter exigenda. Quare, si officio suo desint, ad restitutionem tenentur erga Rempublicam.—Dixi *generatim*, quia juxta plures, præpositi ventigalibus exigendis non semper damnandi sunt, quando subinde benignius agunt in re levi, præcipue cum pauperibus, vel etiam cum iis qui alias diligenter solvunt.

TRACTATUS

DE CONTRACTIBUS

PARS PRIMA

DE CONTRACTIBUS IN GENERE.

CAPUT I.

DE DEFINITIONE ET DIVISIONIBUS CONTRACTUUM.

476. Contractus est conventio, per quam unus aut plures se obligant erga unum aut plures ad aliquid dandum, faciendum vel omittendum. Multipliciter autem distinguitur ; est enim :

1°. *Unilateralis*, qui dicitur etiam *gratuitus*, vel *bilateralis* qui vocatur quoque *onerosus*. Prior fit, cum unus aut plures se obligant erga unum aut plures non obligatos, ut in contractu gratuitæ promissionis. Posterior habetur, quando unus aut plures se obligant erga unum aut plures pariter obligatos, ut in permutationibus. Præterea hic ultimus iterum subdividitur in *commutativum* et *aleatorium*. Est commutativus, si unus contrahens det rem in una specie, et alter det rem æquivalentem ejusdem aut diversæ speciei. Est aleatorius, si unus det rem, alter vero contrahens det non rem, sed spem probabilem rei alicujus adipiscendæ : quæ spes cum falli possit, efficit ut contractus hujusmodi aleæ similitudinem præ se ferat.

2°. *Solemnis*, vel *simplex*, prout requirit speciales legis formalitates vel dispositionibus communibus tantum subjicitur.

3°. *Nominatus*, vel *innominatus*, prout nomen proprium habet, sicut, v. gr., *venditio*, aut proprio nomine caret, v. gr., *do ut des, facio ut facias* etc.

4°. *Nudus*, aut *vestitus :* contractus *nudus* dicitur cum caret omni firmamento juris, et ideo in conscientia tantum obligat; dicitur autem *vestitus* si aliquod habeat juris firmamentum quo actionem civilem pariat. Firmamenta juris sunt scriptura, stipulatio, testes, juramentum, etc.

5°. *Formalis* seu *expressus*, aut *virtualis* seu *tacitus*. Prior ille est, qui fit verbis, scriptis, aliisve signis consensum explicite manifestantibus; posterior vero est, cujus consensus in rem conventam existit quidem realiter, sed implicite tantum aliquo dicto vel facto manifestatur. Sic medicus artem suam exercens promittere censetur, se facturum id esse, quod ejus professio requirit. Contractus iste communiter etiam *quasi-contractus* nuncupatur.

6°. *Absolutus*, vel *conditionatus*, prout nulla, vel aliqua conditio ei apponitur. Dicitur etiam *purus*, aut *non purus*.

CAPUT II.

DE REQUISITIS AD CONTRAHENDUM.

ARTICULUS I.

DE MATERIA CONTRACTUS.

477. **Dico.**—Materia contractus generatim sunt ea omnia quæ sub hominis dominium cadere possunt, et de quibus contrahentes liberam administrationem habent. Quare debet conditionibus quibusdam gaudere, scilicet, debet esse 1°. *possibilis* tum physice tum moraliter, quia ad impossible nemo obligari potest; 2°. *existens* vel in re, vel saltem in spe fundata, secus nullo foret pretio æstimabilis; 3°. *honesta*, seu nullo jure prohibita saltem quoad substantiam ipsius, quia nequit dari aut recipi jus violandi aliquam legem; 4°. *propria contrahentis*, quia nemo potest transferre in alium jus quod ipse non habet; 5°. *certa* et *determinata* sive in individuo, sive in quantitate et qualitate; secus contractus foret vanus et illusorius.

478. **Resolves.**—1°. Potest quis pretium accipere a Titio pro actione quam ex justitia Petro jam debet, si illæso jure Petri, Titio etiam illa utilis esse potest. Ratio est, quia talis actio etsi alteri jam debeatur est tamen propria illius qui eam ponit, et vere pretio æstimabilis.

2°. Si materia ex parte tantum est possibilis, valet contractus, dummodo res sit non solum in se divisibilis, sed etiam divisibiliter de ea contractum fuerit.

3°. Res mere spiritualis potest certo esse materia contractus gratuiti quia nihil ex ullo jure obstat, et praxi piorum fidelium confirmatur; at

non contractus onerosi, nisi res sit ex utraque parte spiritualis, ut patet ex iis quæ dicta sunt de simonia. Imo etiamsi res sit ex utraque parte spiritualis, excipiendus semper est casus specialis Ecclesiæ prohibitionis, ut contingit, v. gr., in permutationibus beneficiorum factis privata auctoritate.

479. QUAERES. *Quid dicendum de validitate contractus sub conditione turpi, v. gr., do tibi centum dollaria si occidas Titium, si infames Caium, si facias copiam tui corporis, etc.?*

RESP. Ante adimpletionem conditionis hujusmodi, contractus est certe nullus ex omnium sententia; et ratio est, quia nequit transferri aut recipi dominium in id quod turpe est. Si vero conditio turpis jam fuerit ex una parte adimpleta, non parum controvertitur. Multi profecto theologi tenent contractum illum tunc esse validum, quia licet actio turpis, quatenus illicita, nullo pretio digna sit, quatenus tamen est laboriosa, ignominiosa, aut periculosa agenti, vel utilis alteri, est pretio æstimabilis. Sed hæc ratio jam probaret contractum illum valere etiam ante conditionis adimpletionem, quod nemo admittit. Quare non desunt alii theologi et jurisperiti, qui, etiam adimpleta conditione, negant validitatem illius contractus, innixi regula 18. juris in 6: "Non firmatur tractu temporis quod de jure ab initio non subsistit."—Istis consonat noster Kent, qui ait: "*The consideration must not only be valuable, but it must be a lawful consideration, and not repugnant to law, or sound policy, or good morals.* Ex turpi contractu actio non oritur; *and no person, even so far back as the feudal ages, was permitted by law to stipulate for iniquity. The reports in every period of the English jurisprudence, and our American reports equally abound with cases of contracts held illegal on account of the illegality of the consideration; and they contain striking illustrations of the general rule, that contracts are illegal when founded on a consideration,* contra bonos mores, *or against the principles of sound policy, or founded in fraud or in contravention of the positive provisions of some statute law. If the contract grows immediately out of, or is connected with, an illegal or immoral act, a court of justice will not enforce it.*"—Cf. Kent, *Comment.* vol. 2. part. 5. lect. 39. n. 466.

Si vero quæratur non amplius de validitate illius contractus, sed utrum ille qui centum dollaria sub prædictis conditionibus spopondit, teneatur ad ea impendenda, plures adhuc theologi juxta communiorem

sententiam affirmative respondent: quia, aiunt, in illo pacto turpi implicite continetur alius contractus innominatus—*do ut facias*, vel *facio ut des*, cujus natura exigit ut semper, quoties unus contrahens præstiterit partem suam, teneatur alter suam implere, si licite possit.—Verum non desunt alii theologi qui, non improbabiliter, negant existentiam hujus contractus innominati in unoquoque casu particulari, etsi admittant ipsius vim si de ejus existentia constaret. Quare, practice loquendo, confessarius, si quis meretrici vel sicario pretium pactum non adhuc solverit, et solvere recuset, nequit eum obligare ad solvendum sub pœna denegandæ absolutionis.

Ex hac eadem solutione colligitur non posse confessarium, stricte loquendo, obligare violatorem alicujus puellæ ad eam ducendam, ex eo quod illi promissum fuerit matrimonium *sub conditione committendi fornicationem*. Imo S. Alphonsus, qui communiori sententiæ adhæret de validitate contractus post adimpletionem conditionis turpis, cum tamen agitur de obligatione ducendi puellam violatam, multas admittit exceptiones, atque eximit a tali onere si prævidentur discordiæ et rixæ inter futuros conjuges.—Cf. S. Alphons. n. 642. et seqq.—Carriere, vol. 1. n. 331. et seqq.

ARTICULUS II.

DE SUBJECTO CONTRACTUS.

480. **Dico.** De jure naturali contrahere possunt ii omnes et soli, qui liberum rationis usum habent, quia isti soli dominium bonorum transferre, et obligationes suscipere possunt. Verum de jure positivo, præter usum rationis et voluntatem liberam contrahendi, requiritur etiam, ut contrahens liberam habeat bonorum dispositionem, nec lege incapax contractus faciendi declaretur. Ex lege autem positiva inhabiles sunt ad contrahendum, saltem *in multis*, aut *firmiter*: 1°. minores; 2°. uxores; 3°. mortui civiliter; 4°. interdicti et prodigi; 5°. alienigenæ. Pauca de singulis.

§ I. De minoribus.

481. *Minores* appellantur qui non adhuc ætatem illam attigerunt, qua, seclusa patris, aut tutoris, vel curatoris auctoritate, possunt *civiliter* agere. Ex dispositione juris Romani et canonici, minores distinguuntur in *puberes* et *impuberes*. Primi sunt masculi qui annum 14^{m}, et

puellæ quæ annum 12^m compleverunt. Ceteri impuberes dicuntur, et si patre orbati sub auctoritate tutoris vivant constituti, vocantur *pupilli.* Ex eodem jure Romano tutor datur pupillis ad omnia, curator vero puberibus ad bonorum administrationem tantum.

482. ***Dico*** 1°. Ex jure Romano minores impuberes, etiamsi habent consensum patris, non obligantur si contrahant de bonis castrensibus aut quasi-castrensibus; obligantur autem puberes, modo de alienandis immobilibus, ant mobilibus pretiosis non agatur; sed de profectitiis et adventitiis minime disponere possunt, quia regulariter eorum administrationem non habent. Pupilli vero ex auctoritate tutoris, minores puberes patre orbati cum consensu curatoris, valide contrahunt in omnibus, exceptis immobilibus, aut mobilibus pretiosis, pro quibus decretum judicis requiritur.

Dico 2°. Ex jure nostro minores contrahere possunt pro necessariis ad vitam et educationem, cum pater vel tutor ea non subministrant. In aliis autem possunt quidem contrahere sed non *irrevocabiliter*, ita ut si contractus certe et evidenter ipsis favet, ei stare possunt; secus illum rescindere valent.— Cf. Wells', *Every man*, etc., p. 240.— Kent, *Comment*. vol. 2. part. 4. lect. 31. n. 235.—Kenrick, tract. 11. n. 5.

483. ***Resolves.***—1°. Minor tuta conscientia uti potest beneficio legis, secluso casu malæ fidei, cum lex in ejus favorem lata sit. Non potest tamen rescissionem postulare, ut eximatur a restitutione pecuniæ quam mutuo accepit et dilapidavit, licet nullum lucrum inde reportaverit; tenetur enim adimplere obligationem quam certe novit, dum pecuniam postulabat et recipiebat.

2°. Qui contraxit cum minore, contractui stare potest, donec nullitas a *minore*, vel ab ejus patre aut tutore invocetur. Sufficit tamen postulatio privata, ut ad rescissionem teneatur, quando læsio omnino aperta est.

3°. Minor solus, tum per seipsum, tum per alios a quibus repræsentetur, rescissionem contractus postulare potest; unde ii, qui cum ipso contraxerunt, ejus incapacitatem opponere nequeunt.

4°. Minor non potest amplius actum in minoritate peractum impugnare, quando illum jam major factus ratum habuit; quia plene habilis erat ad contrahendum, quando actum ratum habuit.

§ II. De uxoribus.

484. ***Dico*** **1°.** Ex jure Romano uxor non potest contrahere aut disponere de dote ejusque fructibus, nec de bonis familiæ, marito præsente et valente hæc bona administrare, quando hic rationabiliter invitus sit. Secus, si maritus sit absens, amens vel fatuus, vel si expresse aut tacite consentiat, vel si non sit rationabiliter invitus. Potest autem pro libitu contrahere vel disponere, etiam invito marito, de bonis paraphernalibus.

Dico **2°.** Ex jure nostro contrahere potest de iis omnibus quæ ad victum et decentem suam sustentationem requiruntur, etiamsi maritus contradicat, dummodo tamen cum adultero non vivat aut e mariti domo sponte discesserit. In illis autem Statibus ubi uxores permittuntur commercio separato vacare, possunt in iis omnibus contrahere quæ ad hoc commercium diriguntur—Cf. Kenrick, tract. 11. n. 4.—Kent, *Comment.* vol. 2. part. 4. lect. 28. n. 154.

485. ***Resolves.***—1°. Si uxor contrahat sine consensu mariti cum læsione jurium vel bonorum ejusdem, irritus omnino est contractus. Sed uxor malæ fidei, licet in eo casu maritum obligare non possit, tenetur tamen damnum alteri illatum reparare.

2°. Nullitas contractus uxoris a viro invocari potest in conscientia, etiamsi læsionem proprie dictam non passus fuerit, quia nullitas præcipue in ejus gratiam sancita est.

§ III. De civiliter mortuis.

486. Mortui civiliter dicuntur, qui ad mortem, ad triremes perpetuas, vel ad deportationem damnati fuerint.—Ex jure Romano præcipui effectus mortis civilis sunt sequentes: 1°. amittere proprietatem bonorum, quæ ad hæredes transeunt, quin valeat testamentum, si quod fecerint; 2°. non posse accipere hæreditatem aut donationes, præter id quod ad eorum sustentationem destinatur; 3°. non posse donare bona, quæ acquisierint, sive inter vivos sive testamento.—Verum apud nos hæc omnia locum non habent; nam mors civilis locum habet tantum in crimine machinationis perdendi Status Fœderatos, quod crimen rarum sane est.—Cf. Const. U. S. Art. 3. sect. 3. n. 1.—Bouvier,

Law Diction. V. Death, n. 22.—Kenrick, tract. 11. n. 36., et tract. 10. n. 87.

§ IV. De interdictis et prodigis.

487. Interdicti sunt illi, qui judicis sententia incapaces declarantur actus civiles exercendi ob statum imbecillitatis, aut dementiæ, aut furoris. Datur autem illis aliquis ut tutor, omnesque eorum actus jure sunt irriti; non tamen absolute nulli æstimandi sunt ante sententiam judicis. Cessat interdictio, cessante causa; sed ejus cessatio declarari debet a judice, ut interdictus possit iterum civiliter agere.

Prodigi, cujus nomine quandoque veniunt ebriosi juridice denuntiati, inhabiles sunt ad certos ineundos contractus lege determinatos, absque assistentia consiliarii a judice constituti. Nullitas porro contractuum initorum ab interdictis et prodigis opponi quidem ab ipsis potest aut ab agentibus illorum causam, non vero ab iis qui cum illis contraxerunt, sicut de minoribus dictum est.—Cf. Kenrick, tract. 11. n. 6. et tract. 10. n. 87.—Kent, *Comment.* vol. 2. part. 5. lect. 39. n. 450.

§ V. De alienigenis.

488. Alienigenæ vocantur quicumque carent jure civitatis quod, apud nos, triplici modo habere quis potest: 1°. titulo nativitatis; 2°. si formalitates a lege requisitas adimpleverit.—Hæ autem formalitates sunt: 1°. ut quis postquam tribus annis moratus fuerit in Statibus Fœderatis declaret suam mentem esse acquirendi jus civitatis; 2°. ut uno saltem anno moratus fuerit in Statu ubi habetur Curia ad quam recurrit; 3°. ut habeat testimonium de honestate vitæ; 4°. ut faciat declarationem juramento firmatam se adhæsurum Constitutioni Americanæ—Filii autem eorum qui ita acquirunt jus civitatis, si minores sunt et in hisce Statibus morantur eo tempore quo parentes jus illud acquirunt, evadunt ipso facto cives—Porro alienigenæ non valent contrahere de bonis immobilibus *firmiter*, et absque *restrictione*, et semper in periculo sunt, ne iis bonis priventur ipsorum hæredes.—Possunt tamen libere contrahere 1°. ad faciendum commercium; 2°. circa bona *mobilia;* 3°. etiam circa *immobilia* intra quinquennium ante eorum admissionem inter cives, et in iis quæ necessaria sunt ad *horum bonorum usum.*—Cf. Kent, *Comment.* vol. 2. part. 4. lect. 25. n. 49. et 62. — Wells', *Every man*, etc., p. 116.

ARTICULUS III.

DE CONSENSU REQUISITO.

§ I. De dotibus legitimi consensus.

489. ***Dico.*** Consensus in contractu perficiendo debet esse 1°. *externus*, id est, manifestatus aliquo signo sensibili, quia debet comparti innotescere; 2°. *internus*, quia obligatio oritur a sola contrahentis voluntate; 3°. *mutuus*, quia contractus est conventio duorum vel plurium, ac proinde requiritur ex utraque parte voluntatis consensio; 4°. *perfecte deliberatus*, quia agitur de obligatione suscipienda.

490. ***Resolves.***—1°. Probabiliter non valet contractus initus cum animo sese non obligandi, quia conditio apposita destruit ipsius substantiam. Aliter tamen dicendum de contractu inito cum animo non adimplendi obligationem.—Cf. S. Alphons. n. 710.—Baller. not. (b) p. 648.

2°. Non requiritur ut consensus utriusque partis simul eliciatur, quia semel datus, perseverat, nisi revocetur.

3°. Qui ficte in contractum consentit, tenetur in conscientiæ foro partem deceptam indemnem facere, et, si aliud non suppetat medium reparandi injuriam, consensum internum præbere et contractui stare. Quod si contractus ficte initus exsecutioni fuerit mandatus, nullum dominium reipsa translatum est. Unde, ratione rei acceptæ, deceptus habendus est tanquam possessor bonæ fidei, deceptor autem tanquam possessor malæ fidei.—Cf. S. Alphons. *Hom. Ap.* n. 93.

4°. Taciturnitas regulariter æquivalet consensui, si materia sit favorabilis tacenti, juxta Reg. Juris "Qui tacet consentire videtur."

§ II. De iis quæ vitiare possunt consensum.

Tria vitiare possunt consensum alicujus contrahentis, scilicet error, dolus et metus. De metu dictum est n. 16. quid et quotuplex sit. Error autem et dolus in hoc differunt quod primus sit deceptio proveniens ex ignorantia, et alter ex artificiosis fraudibus; nam dolus, in se spectatus, est machinatio ad alterum decipiendum adhibita.

491. ***Dico*** 1°. Omnis deceptio sive proveniat ex ignorantia, sive ex dolo, nullum reddit contractum, si afficit vel rei *substantiam*, v. gr.,

si emas cuprum pro auro, vel contractus *naturam*, v. gr., si sumas locationem pro venditione; non autem si afficit *solam qualitatem* rei accidentalem, saltem si absque deceptione nihilominus contractus fuisset initus. Ratio *primi* est, quia tunc consensus esset tantum externus, sed non internus; et ratio *secundi*, quia deceptio circa accidentia non destruit efficaciam et vim substantialem consensus.—Excipe tamen si qualitas veluti *conditio sine qua non* expresse intendatur, quia tunc in rei substantiam transit.

Dico 2°. Nullus contractus ex metu ab intrinseco, aut causa necessaria seu naturali, est invalidus vel rescindibilis, nisi forte, qui ex timore contrahit, sui compos non fuerit. Ratio est, quia nulla injuria contrahenti irrogatur, et aliunde hic sufficientem servat libertatem. Idem dicendum est, si metus a causa libera, justa de causa, incussus fuerit. Ratio est, quia non solum talis contractus est simpliciter voluntarius, sed etiam periculum, in quo versatur contrahens, est ei voluntarium in causa, neque de illo tanquam de injuria ipse conqueri potest. Imo etiam metus gravis a causa libera injuste incussus non impedit *per se*, quominus contractus sit simpliciter voluntarius ac proinde validus. Ratione igitur solius injuriæ quam continet, nocere aliquando potest valori aut saltem firmitati contractus.

492. ***Resolves.***—1°. Si sacerdos sub nocte emat pro se pannum, putans esse nigri coloris, dum viridis aut violacei est, non valet contractus, si expresse declaraverit se nigri coloris pannum velle; licet enim color in se sit mera qualitas, in hoc casu transit in substantiam, proindeque error evadit substantialis.

2°. Si tibi volenti emere vinum Burdigalense, Californiense offeratur, valet contractus *per se*, non obstante errore vel dolo, quia error non est substantialis. Sed justitia læditur accidentaliter, si Burdigalense carius sit; ideoque venditor restitutioni obnoxius erit. Si vero utriusque vini pretium sit æquale, vel si pretium imminuatur pro rata excessus, venditor immunis erit ab injustitia, quamvis non a peccato mendacii.—Dixi *per se;* quia facile error posset esse *substantialis*, ut, v. gr., si emptor intentionem expressis verbis Burdigalensi vino alligasset ob certum finem, ad quem aliud quodlibet non conduceret.

3°. Qui apud bibliopolam emit librum, quem existimat bonum, et postea deprehendit esse pravum, nihilominus valide contraxit, quia

hunc præsentem absolute et sine restrictione emere voluit, quamvis certe non emisset, si pravum cognovisset. Secus vero, si falsus titulus libro inscriptus fuisset; quia tunc titulus causam erroris substantialis præbuisset.

4°. Metus injustus, sed levis, non attenditur, nisi det causam contractus: tunc autem, si agitur de contractu gratuito, ipsum probabilius irritat; si vero de oneroso, probabilius ipsum neque irritat, neque rescindibilem facit.

5°. Metus gravis injuste incussus a comparte in ordine ad contrahendum probabiliter irritat contractum etiam onerosum, non quidem vi voluntarii quod sub metu remanet, sed vi injuriæ, quæ nequit esse causa aut origo juris. Hanc solutionem aliqui extendunt etiam ad casum quo metus injustus non sit incussus a comparte, sed a quodam tertio, quin compars sit particeps injuriæ, quia dicunt tunc etiam jus oriretur ex injuria, quod repugnat juri naturæ.—Cf. S. Alphons. n. 716. et 717., et *Hom. Ap.* n. 125.—Lugo, disp. 22. n. 115. et seqq.—Reuter, n. 126. et 127.

493. QUAERES. *An error vel dolus circa qualitatem quidem, sed qui tamen dat causam contractui, hunc irritet?*

RESP. *Affirm.*, probabilius si agatur de contractu gratuito, quia talis contractus ex natura sua plenum voluntarium et omnimodam spontaneitatem requirit. Si vero agatur de contractu oneroso, iterum est distinguendum; nam si deceptio proveniat a solo errore, contractus uti validus est habendus, quia ex una parte adest consensus quoad rei substantiam, et ex alia, admissa contraria sententia, totum humanum commercium subverteretur. Si vero deceptio proveniat ex dolo cujus auctor est, aut certe cui participat alter contrahens, pauci quidam senserunt jure naturæ, plures jure saltem positivo Romano contractum irritum esse; at communior et probabilior sententia docet ipsum utroque jure esse validum, quamvis rescindi possit ab eo qui deceptus est.—Cf. S. Alphons. n. 714. et 715., et *Hom. Ap.* n. 124. et 125.—Lugo, disp. 22. n. 84.

CAPUT II.

DE OBLIGATIONE CONTRACTUS.

494. ***Dico.*** Quilibet contractus rite initus parit obligationem in foro conscientiæ, saltem ex parte unius e contrahentibus; quia in contractu jus aliquod tribuitur uni vel utrique parti; omni autem juri sua correspondet obligatio. Hæc autem obligatio extendenda est non solum ad id quod pacto exprimitur, sed ad omnia consectaria quæ pro conventionis natura postulant æquitas, lex, aut usus. Ratio est, quia contrahentes censentur agere cum bona fide, et propterea velle non tantum quod expresse in stipulatione includitur, sed etiam quod ab ea nasci solet. Hinc studiose inquirenda est contrahentium intentio, si de ea clare et expresse constare possit. Si autem obscura et ambigua maneat, explicari potest tum ex materia conventionis, tum ex usu locorum, tum ex indole personarum.

495. ***Resolves.***—1°. Contractus jure positivo rescindibilis continet veram obligationem, quamvis hæc non sit absoluta, sed conditionata, scilicet si nullitas non invocetur: posse autem humanum legislatorem hujusmodi conditionem certis quibusdam contractibus apponere ad bonum pacis, et fraudis periculum evitandum, admittunt omnes.

2°. Est tamen probabilis sententia eorum qui tenent, contractus initos absque formalitatibus a jure ad ipsorum valorem præscriptis, valere in conscientia; quia de jure naturali solus consensus partium sufficit ad obligationem inducendam, et lex humana naturalem obligationem inter personas aliunde habiles non tollit, quamvis actionem civilem neget.—Cf. Molina, disp. 82.—S. Alphons. n. 711.

3°. Obligatio illius qui judiciariam cessionem bonorum facturus est, intelligenda est juxta consuetudinem et leges positivas quæ ipsi permittunt aliqua bona retinere.—Hæc autem apud nos plura vel minora sunt pro diversitate Statuum et conditionis vitæ domesticæ.—Cf. Vogler, n. 542.—Gousset, n. 772.—Wells' *Every man*, etc., p. 288. et seqq.

4°. "Peccant qui temere contrahunt nulla affulgente spe probabili eos pares futuros solvendo; nam non licet cum aliorum damno rerum facere periculum vel lucrum quærere."

5°. "Peccant qui variis usi artibus creditores inducunt ad partem

debiti remittendam, ne totum amittant, vel ne diutius differatur solutio, vel ne litibus implicentur: qui autem ob solutionem anticipatam partis remissionem impetrant a creditoribus nulla necessitate adactis, sed libere consentientibus, possunt excusari quum ita ferat consuetudo, et commodum communi æstimatione plurimi valeat."

6°. "Peccati alieni particeps est uxor, quæ mariti indulgentia sumptus nimios facit, in vestibus emendis, aliave ratione. Peccant etiam contra justitiam filii, qui probe conscii patrem non esse parem solvendo, pecuniam sibi datam prodigunt."

7°. "Quandocumque quis se novit imparem solvendo, nec sperat se posse negotiando rem augere, tenetur ad negotia deserenda, bonis suis in æris alieni solutionem traditis; nam nemini licet cum damno alieno negotiari. Sæpe autem excusantur mercatores quibus plerumque spes aliqua affulget."—Ita Kenrick, tract. 10. n. 205. et 206.

CAPUT III.

DE CONTRACTUUM MODIFICATIONIBUS.

496. Modificationum nomine designantur quædam clausulæ præter contractuum naturam et essentiam adjectæ, ita ut eorundem contractuum obligationem nunc obfirment, nunc etiam augeant vel determinent, nunc suspendant vel perimant. Præcipuæ autem contractuum modificationes sunt: 1°. juramentum; 2°. modi; 3°. conditiones.—De his tribus breviter agendum.

ARTICULUS I.

DE JURAMENTO CONTRACTUI ADJECTO.

497. ***Dico.*** Contractus quocumque jure irriti juramento non firmantur: firmantur autem contractus validi et liciti.—Ratio *primi* est, quia juramentum sequitur naturam actus; et ratio *secundi*, quia tunc accedit vinculum ex virtute religionis.—Dixi *validi et liciti*, quia si contractus essent illiciti quamvis validi, juramentum semper esset invalidum, quippe quod esse nequit vinculum iniquitatis.

498. ***Resolves.***—1°. Transit quidem ad hæredes obligatio ex contractu, sed non illa quæ provenit ex juramento, quæ est personalis.

2°. Non firmantur juramento contractus qui sunt tantum rescindibi-

les, quando rescindibilitas inducitur intuitu boni publici, non autem si inducatur in privatam contrahentium utilitatem: quare vi juramenti non firmatur contractus initus a minore, firmatur autem promissio alicui facta non revocandi testamentum.

ARTICULUS II.

DE MODIS CONTRACTUI PRÆFINITIS.

499. *Modus* est qualitas adjecta, plerumque non suspendens contractum, sed addens aliquid in onus aut favorem unius contrahentium. Contractus modales præcipue fiunt: 1°. in diem; 2°. sub causa; 3°. sub pœna; 4°. sub demonstratione; 5°. sub disjunctione.

500. De modis sequentia sunt notanda:

1°. Modus servandus est ex justitia, nisi repugnet substantiæ contractus.

2°. Illius violatio ordinarie, et nisi aliter conventum fuerit, non irritat contractum; quia ut quid mere accidentale habetur.

3°. Si modus sit turpis aut impossibilis, habetur pro non adjecto; nec contractus est invalidus, nisi modus illius naturæ repugnet, vel nisi voluntas contrahentis omnino ad illum restricta fuerit.

4°. In contractu *ad diem*, obligatio statim oritur, sed *effectus* ad diem determinatum suspenditur.

5°. In contractu *sub causa* (quia), vel sub *demonstratione* (vendo hoc vel tantum), error non invalidat, nisi ad essentiam rei pertineat.

6°. Si error sit in quantitate, res tota debetur, si quantitas designata fuerit *demonstrative;* si vero *taxative*, ut aiunt, excessus quantitatis non debetur. Porro res censetur designata *demonstrative*, si res primo loco exprimatur, et postea ejus quantitas; v. gr., lego *Titio* prædium meum triginta jugerum; *taxative* vero, si primo loco quantitas exprimatur, deinde res; v. gr., lego tres aureos in tali capsula. Sed adjuncta rerum perpendenda sunt.

7°. In contractu *sub pœna*, id est, quoties resilienti pœna imponitur, pœna hæc ex justitia debetur, si petatur, saltem si culpabiliter contractus adimpletus non est. Pœna tamen moderata esse debet; secus non obligaret.

8°. In contractu *sub disjunctione*, v. gr., promitto bovem aut equum,

nulla res determinata debetur, et unius solutio totam obligationem tollit. Electio rei *per se* pertinet ad debitorem.

ARTICULUS III.

DE CONDITIONIBUS CONTRACTUI APPOSITIS.

501. Conditio est qualitas contractui adjecta, quæ plerumque illum suspendit, donec impleatur. Exprimi solet per particulam: *si, nisi, modo*, etc. Multiplex est conditio quæ contractibus apponi potest, scilicet: 1°. *expressa*, vel *tacita;* 2°. de *præsenti*, vel de *futuro;* 3°. *possibilis*, vel *impossibilis;* 4°. *necessaria*, aut mere *contingens;* 5°. *honesta*, vel *inhonesta;* 6°. *potestativa*, vel *casualis*, prout est in potestate contrahentis, vel non est; 7°. *positiva*, vel *negativa;* 8°. *contraria* substantiæ contractus, vel non.

502. De conditionibus sequentia sunt notanda:

1°. Omnes conditiones impleri debent eo sensu, quo contrahentes prudenter censentur se obligare voluisse.

2°. Conditio de re impossibili contractum nullum ex ipso jure naturæ reddit. Ratio est, quia nemo potest ad aliquid impossibile se obligare.

3°. Conditio de *præsenti* et *præterito* non suspendit obligationem, sed illam statim vel adducit, aut non inducit, quia vel existit, vel non: proinde hic et nunc vel contractus validus est, vel nullus.

4°. Conditio non tantum æquivalenter, sed in propria forma adimpleri debet. Excipiunt aliqui conditionem, *si nupseris*, quam impleri dicunt per ingressum in Religionem; secus enim conditio turpis esset. Excipe si conditio esset determinata ad aliquam personam, v. gr., si nupseris *Paulo;* quia justa et honesta ratio tunc adesse potest.—Cf. S. Alphons. n. 930.

5°. Conditiones *potestativæ*, seu quæ a voluntate unius contrahentium pendent, adimpletæ censentur non solum cum id præstatur quod instar conditionis injunctum fuit, de quo nulla esse potest controversia, sed etiamsi id reipsa non præstetur, quando ille, qui se obligavit, vel 1°. impedivit quominus conditio adimpleretur; vel 2°. ab altero impeditus est, ne conditioni satisfaceret.—Cf. Kenrick, tract. 11. n. 15. et seqq.

PARS SECUNDA

DE CONTRACTIBUS IN SPECIE.

Plures existunt contractus in particulari, et novi in dies inveniuntur a mercatoribus. De præcipuis hic tantum dicetur duplici sequenti sectione.

SECTIO I.

DE CONTRACTIBUS GRATUITIS.

CAPUT II.

DE PROMISSIONE.

503. ***Dico.*** Suppositis conditionibus veræ promissionis, exurgit obligatio illam adimplendi. Ratio est, quia promissio est verus contractus, et impossibile est habere contractum absque aliqua obligatione.—Conditiones autem veræ promissionis sunt: 1°. ut adsit animus fidem suam obligandi, et non merum propositum enuntiandi; 2°. ut consensus promittentis sit plene liber et spontaneus; 3°. ut ipsa promissio sit exterius manifestata, et acceptata, quia omnis contractus requirit mutuum consensum duorum vel plurium in idem objectum.

504. ***Resolves.***—1°. Certum est veram promissionem importare aliquam obligationem, sed de ipsius quantitate multum disputant theologi. Sententia autem communior et probabilior docet ipsam pendere ab intentione promittentis. Quare si ille intendat se ex justitia obligare, obligatur sub mortali in materia gravi; si autem solum intendat se obligare ex fidelitate, sub levi tantum obligatur. Porro ad materiam gravem in promissione requirunt Doctores quantitatem quadruplo majorem quam in furto gravi.—Cf. S. Alphons. n. 720.

2°. In dubio sive num fuerit vera promissio, an simplex propositum, sive num aliquis voluerit se obligare sub gravi, an potius sub levi, pro minima parte standum est juxta regulas probabilismi.—Imo ait Kenrick: "Jus Anglicum, quod et his in regionibus obtinet, nullam vim tribuit promissioni verbo tantum factæ, vel prorsus gratuitæ, quæ sci-

licet nulla æqua causa nititur, vel opera præstita, vel generis propinquitate, vel alia gravi ratione."—Cf. S. Alphons. n. 720.—Kenrick, n. 22.

505. *Quæsita.*—QUAER. 1°. *Quandonam cesset vis promissionis acceptatæ?*

RESP. Cessat 1°. si promissarius sponte condonet, aut juri suo cedat; 2°. si res promissa fiat illicita vel inutilis; 3°. si promissarius non stet suis promissis; 4°. si status rerum vel personarum ita mutetur, ut promissio non videatur illum eventum comprehendere; 5°. si finis, qui ad promittendum movit, nullatenus subsistat, neque jam obtineri possit.—Cf. S. Alphons. ibid.

QUAER. 2°. *An, vel quatenus obliget promissio, si ante executionem moriatur promissarius, vel prommittens?*

RESP. In casu mortis promissarii, promissio nullo modo obligat, si facta fuerit principaliter in gratiam promissarii; quia, eo mortuo, cessat finis in promissione intentus; secus autem, si facta sit præcipue intuitu familiæ promissarii, vel ipsius hæredum. In casu autem mortis promittentis, promissio, debitis vestita conditionibus, ab ejus hæredibus adimplenda est; quia omnis obligatio realis ad hæredes transire debet eodem modo, eodemque titulo, quo promittens obligabatur. Proinde sub gravi vel sub levi, ex justitia vel fidelitate, tenebuntur hæredes, sicut promittens, dum vivebat, tenebatur. Poterunt tamen ab omni obligatione liberari, si ex adjunctis manifestum sit, promittentem voluisse tantum *se personaliter* obligare.

CAPUT II.

DE DONATIONIBUS.

ARTICULUS I.

DE DONATIONIBUS PROPRIE DICTIS.

506. Donatio est gratuita traditio alicujus rei alteri actualiter facta et acceptata. Dividitur autem:

1°. In *mere gratuitam*, et *remuneratoriam*. Illa procedit ab animo *liberali* et excludit quodcumque debitum, sive ex justitia, sive ex gratitudine; ista excludit tantum debitum ex justitia, et procedit ab animo grato.

2°. In *realem*, et *verbalem*. Prima habetur cum ipsa res traditur, ita ut contractus proprie consumetur, et ideo hæc donatio dicitur etiam *perfecta*. Altera fit cum ipsa res non traditur sed aliquid aliud tanquam signum authenticum futuræ traditionis: hæc dicitur etiam *imperfecta*, et sæpe confunditur cum *promissione* donationis, a qua tamen valde differt.

3°. In donationem *inter vivos*, et *mortis causa*. Prima transfert dominium absolute et irrevocabiliter, exceptis tamen casibus a lege definitis, et nullam dicit relationem ad mortem donatoris. Altera fit intuitu mortis et est revocabilis ad nutum. Quamvis autem differat a legato, tum quia requirit consensum donatarii, tum quia transfert hic et nunc dominium etsi revocabiliter; participat tamen de natura testamenti aut legati quatenus perficitur proprie post mortem.—Cf. S. Alphons. n. 741. —Kenrick, n. 24.—Kent, *Comment.* vol. 2. part. 5. lect. 38. n. 438.. 444. et 448.

507. ***Dico.*** Ad validitatem cujuscumque donationis requiritur, ut neque donator, neque donatarius incapax sit ad dandum vel ad recipiendum, et quidem sive ex jure naturæ, sive ex jure positivo, saltem pro foro externo, et juxta diversas legum præscriptiones inferius innuendas. Ratio est, quia donatio cum sit contractus nequit fieri ab uno tantum, ac proinde requirit capacitatem utriusque contrahentis.

508. ***Quæsita.***—Quaer. 1°. *Quinam sint illi qui incapaces censentur ad donandum?*

Resp. 1°. *Ex jure naturæ* sunt incapaces ii omnes et soli qui vel usum rationis non adhuc habent, vel si hunc adepti sunt, sufficienti libertate privantur eo momento quo donationes faciunt.

Resp. 2°. *Ex jure Romano* sunt incapaces: 1°. surdi simul et muti a nativitate, nisi scribere sciant; 2°. damnati crimine capitali; 3°. pupilli vel impuberes, nisi agatur de rebus parvi momenti; 4°. conjuges inter se nisi donatio sit modici momenti, vel per testamentum fiat; 5°. pater erga filium sub sua potestate manentem, excepta causa matrimonii, belli, studiorum et similium; excepta etiam testamentaria donatione.

Resp. 3°. *Ex jure nostro* sunt incapaces: 1°. minores non emancipati, uxores, et interdicti prout supra dictum est; 2°. conjuges inter se, nisi certæ adhibeantur formalitates, vel agatur de rebus parvi momenti; 3°. illi qui creditoribus solvendo pares non sunt.—Cf. Kenrick, n. 24.

QUAER. 2°. *Quinam sint illi qui nequeunt accipere donationes?*

RESP. 1°. *Ex jure naturæ* sunt omnes et soli qui eas reciperent ab iis qui ex eodem jure incapaces sunt ad dandum, sive ipsi habeant, sive non usum rationis.

RESP. 2°. *Ex jure Romano* sunt: 1°. omnes accipientes ab iis qui donationes facere nequeunt juxta dicta; 2°. accipientes ab iis qui sunt ære gravati: et hi quidem, juxta veriorem sententiam, ad compensationem damni creditori inde obvenientis tenentur; 3°. accipientes in defraudationem *legitimæ* quæ hæredibus necessariis debeatur.

RESP. 3°. *Ex jure nostro*, exceptis iis qui acciperent ab illis qui vi ejusdem juris nequeunt dare, nulla persona censetur incapax, quamvis communitates et collegia (*corporations*), in aliquibus Statibus, hac capacitate priventur vel totaliter vel ex parte. Excipiuntur etiam in Louisiana medici, chirurgi et ministri cultus cujuscumque qui operam præstant durante ultimo morbo defuncti.—Cf. *Civ. Code of Louisiana*, art. 1489.

QUAER. 3°. *Quænam forma requiritur ut, inspecto jure nostro, donatio quælibet sit valida?*

RESP. Si sermo sit de donatione *inter vivos* ipsa debet esse *realis* et *perfecta*: si autem agatur de donatione *mortis causa*, requiritur solemnitas contractus, vel aliquod documentum ad fidem faciendam de veritate traditionis.—Cf. Kent, *Comment.* vol. 2. n. 438. 439. et 447. cum nota (b).

QUAER. 4°. *Quid requiratur, ut valeat donatio in gratiam absentis?*

RESP. Donatio sicut et promissio absenti facta per litteras ad ipsum nominatim scriptas, vel per nuntium aut procuratorem, debet acceptari coram nuntio aut eo qui donatorem repræsentat, vel per alias litteras ad donatorem ex parte donatarii missas; aliter enim constare nequit de mutuo donatoris et donatarii consensu in idem placitum.—Cf. S. Alphons. *Hom. Ap.* n. 130.

QUAER. 5°. *Quid si donator, misso nuntio, donationem revocaverit?*

RESP. Si donator revocet donationem antequam acceptetur, et revocatio innotescat nuntio quem misit, jam nuntius nihil amplius potest efficere; siquidem omnis potestas offerendi vel tradendi est ipsi adempta. Si autem revocatio non innotescat nuntio ante exsecutionem, tunc distinguendum est: vel ille se habet solum instar nuntii referentis alte-

rius donationem, aut rem tradentis, vel habet mandatum faciendi donationem. Si prius, per factam revocationem donatio subsequens irritatur, quia deest omnino consensus ex parte donantis. Si posterius, valent ejus acta, et donatio valide acceptari potest. Tenetur enim mandans ratum habere id, quod ex vi mandati bona fide ejus nomine gestum est. —Cf. S. Alphons. *Hom. Ap.* ibid.

QUAER. 6°. *An et quas ob causas revocari possit quælibet donatio jam acceptata?*

RESP. Donatio *mortis causa*, cum sit de natura sua revocabilis ad nutum donatoris, semper quidem valide, et data justa causa etiam licite revocari potest non secus ac testamentum.—Verum donatio *inter vivos:*

1°. *Ex jure naturæ* revocari potest tunc tantum cum conditiones, si adsint, impletæ non fuerint.

2°. *Ex jure Romano* ob tres causas, scilicet ob ingratitudinem donatarii, ob prolem postea susceptam, et demum ex eo quod sit inofficiosa; nempe quod privet filios parte legitima hæreditatis.

3°. *Ex jure nostro,* irritæ tantum habentur donationes factæ in fraudem creditorum, excepta Louisiana, ubi revocari potest multiplici de causa præsertim ob ingratitudinem donatarii.—Cf. Kenrick, n. 25.—Kent, *Comment.* vol. 2. n. 440.

QUAER. 7°. *An ille cui mortis causa donata est res quædam mobilis, possit illam occulte recipere, mortuo donatore?*

RESP. *Affirm.*, modo sit certus de donatione et ultima voluntate defuncti; habet enim jus in re donata, ergo jure suo utitur. Deinde res non fuit donata ut solvenda, sed ut ab ipso donatario accipienda.

ARTICULUS II.

DE TESTAMENTIS.

§ I. De natura, divisione, et forma testamentorum.

509. Testamentum ex jure Romano est, *voluntatis nostræ justa sententia de eo quod quis post mortem suam fieri velit.* Hæc definitio præferenda esse videtur illi, quam tradit Busembaum, et implicite approbat S. Alphonsus n. 919., tum quia eam amplectitur noster Kent, tum quia

non requirit directam hæredis institutionem, quod legibus nostris consonum est.—Cf. Kent, *Comment.* vol. 4. part. 6. lect. 68. n. 502.

Testamentum varie distinguitur. Etenim:

1°. *Ex jure Romano* est, *solemne* et *privilegiatum.* Testamentum solemne subdividitur in *clausum*, et *apertum:* primum quod vocatur etiam *scriptum*, est illud quod sigillo signatum traditur subcribendum septem testibus idoneis, masculis, puberibus, etc., quibuscum subscribit testator, si possit; si vero nequeat, octavus testis accedere debet. Alterum, nempe *apertum*, fit coram septem testibus, sive scripto aperto, sive viva voce, et ideo vocatur etiam *nuncupativum.* Testamentum autem *privilegiatum*, est illud quod valet absque solemnitatibus: tale est testamentum a milite conditum, vel ab aliis tempore pestis, aut ceteris hujusmodi circumstantiis.

2°. *Ex jure nostro* testamentum est *scriptum, nuncupativum*, et *holographum.* Testamentum quod dicitur *scriptum* est illud generatim quod fit de bonis immobilibus; præseferre debet nomen testatoris, aut saltem ab eo agnosci tanquam proprium coram duobus testibus, qui etiam subscribere debent. Numerus testium diversus est in diversis Statibus, sed nullibi requiruntur septem.—Dixi de *bonis immobilibus*, quia testamentum de *mobilibus* agnoscitur validum modo sit factum juxta leges loci quo testator habet domicilium. Testamentum *nuncupativum* seu verbale etiam admittitur in Statu Neo-Eboraci, et Neo-Cesareæ pro nautis, et militibus; imo in aliquibus aliis Statibus valet pro omnibus, sed servatis quibusdam conditionibus. Notandum tamen est hujusmodi testamentum sæpe originem dare litibus, et discordiis, ac proinde tutum non esse. Testamentum *holographum* etiam existit apud nos, sed tantum pro Statu Louisianæ.—Cf. Kenrick, n. 29. et 31.—Kent, *Comment.* vol. 4. n. 513. et seqq.— Wells' *Every man*, etc., p. 92. et 93.

510. ***Dico.*** Ut testamentum sit firmum et validum, saltem in foro externo, requiritur: 1°. ut habeat conditiones ad contractus gratuitos requisitas, et imprimis consensum liberum et spontaneum; 2°. ut non fiat ab inhabili ad testandum, nec in gratiam inhabilis ad recipiendum, seu ad succedendum in jura defuncti; 3°. ut serventur formalitates a lege præscriptæ.—Dixi *saltem pro foro externo*, quia disputatur apud theologos num executio formalitatum legalium requiratur pro

foro conscientiæ ut statim dicetur. Quinam autem sint inhabiles ad testandum, et ad succedendum in jura defuncti dicetur statim § II.

511. Quaeres. *An valida sint testamenta sive ad causas profanas sive ad causas pias, si formis legalibus careant?*

Resp. Si de causis profanis agatur, acriter controvertitur, et triplex habetur sententia probabilis: *prima* tenet hujusmodi testamenta valida esse ex jure naturæ, et in foro conscientiæ; *altera* docet ea vi legis positivæ prorsus irrita habenda esse; *tertia* demum statuit favendum esse possessori, donec res a judice dirimatur.—Verum si sermo sit de testamentis in favorem causarum piarum, sententia certa, communissima, et omnino tenenda docet hujusmodi testamenta esse valida, et neminem posse tuta conscientia, sub prætextu carentiæ harum formalitatum, retinere hæreditatem quæ fuerit alicui causæ piæ assignata.—Ratio est, quia hujusmodi causæ ad Ecclesiam pertinent, ejusque subjacent jurisdictioni: atqui Ecclesia libera et immunis est a potestate civili in iis omnibus, quæ jurisdictioni suæ directe subsunt; has autem causas directe subesse jurisdictioni Ecclesiæ patet ex Conc. Trid. sess. 22. cap. 8. *de Reform:* "Episcopi, etiam ut Sedis Apostolicæ delegati, in casibus a jure concessis, omnium piarum dispositionum, tam in ultima voluntate quam inter vivos, sint executores." Præterea S. Pœnitentiaria pluries interrogata huic sententiæ adhærendum esse respondit.—Cf. S. Alphons. n. 927.—Kenrick, n. 37.

Adverte tamen Romanum Pontificem, ex plenitudine potestatis administrandi causas pias, quam a Christo habet, posse pias ultimas voluntates commutare, prouti necessitas et spiritualis utilitas exigit. At Episcopi nequeunt hoc facere, exceptis illis casibus, qui si a testatore fuissent prævisi, certo effecissent ut aliter disponeret.—Cf. S. Alphons. n. 931.

§ II. De testatoribus et hæredibus.

512. *Dico* 1°. Testatores esse possunt omnes qui usum rationis habent, exceptis iis, qui a jure positivo invalidantur. Invalidantur autem:

1°. Ex *jure Romano* surdi-muti a nativitate, impuberes, prodigi, damnati ad mortem civilem vel naturalem, necnon Religiosi professi.

2°. *Ex jure nostro* tantum minores et uxores. Attamen quoad minores notandum est eos posse testari de *mobilibus* si sint *puberes*, quamvis in

aliquibus Statibus apposita sit restrictio hac in re per additionem quatuor annorum, ita ut masculi testari possint de mobilibus tantum anno decimo octavo et fœminæ anno decimo sexto. Præterea restrictio qua tenentur uxores valde imminuta est in aliquibus Statibus, modo tamen serventur quædam formalitates.—Cf. Kenrick, n. 36.—Kent, *Comment.* vol. 4. n. 505. et 506.—Devereux, lect. 68. n. 6. et 8. —Wells' *Every man*, etc., p. 92.

Dico 2°. Hæredes institui possunt omnes homines qui vita donantur, dummodo non excipiantur a lege positiva. Excipiuntur autem:

1°. Ex *jure Romano* damnati ad mortem tum naturalem tum civilem, perduelles, eorumque filii spurii sub quibusdam restrictionibus.

2°. *Ex jure nostro* testes ipsius testamenti nisi sint creditores, alienigenæ quoad bona immobilia, et collegia (*corporations*) nisi habeant specialem quoad hanc rem facultatem.—Cf. Kent, *Comment.* vol. 4. n. 506. et 508.—Devereux, loc. cit. n. 12. et 14.

513. *Quæsita.*—Quaer. 1°. *Quotuplicis generis hæredes distinguantur juxta diversa jura?*

Resp. Tria sunt genera hæredum: 1°. *necessarii*, qui a testatore excludi non possunt; 2°. *legitimi*, qui de jure succedunt ab intestato; 3°. *voluntarii*, qui nempe ex libera testatoris voluntate ad hæreditatem vocantur.—Distinguuntur etiam hæredes ex *testamento*, qui nempe fuerint per testamentum designati, et hæredes *ab intestato*, si de jure succedunt defuncto, qui nullum aut imperfectum fecit testamentum.

Quaer. 2°. *Quinam sint hæredes necessarii et legitimi?*

Resp. 1°. Hæredes necessarii, *ex jure naturæ*, sunt consanguinei proximiores et imprimis filii, non ita tamen ut pater *omnia* sua bona filiis vel aliis proximioribus consanguineis, etiam *non indigentibus* aut *discolis*, relinquere adstringatur; sed quatenus vi pietatis qua eos prosequi debet, ipsorum indigentiam et alia mala avertere tenetur. *Ex jure Romano* autem hæredes necessarii sunt omnes cognati in *linea recta*, nempe: 1°. descendentes in propiori gradu; 2°. ipsorum defectu ascendentes tum ex parte patris, tum ex parte matris in gradu pariter propiori. Demum ex *jure nostro*, excepta uxore, cui debetur *legitima*, seu tertia pars bonorum immobilium, nulli agnoscuntur hæredes necessarii.—Cf. Kent, *Comment.* vol. 4. n. 537. note (a).—Devereux, lect. 68. n. 36.

RESP. 2°. Hæredes *legitimi* sunt omnes consanguinei propioris gradus etiam in linea collaterali usque ad 10um. gradum ex *jure Romano*, id est 5um. quoad computationem canonicam. At ex *jure nostro* adest magna varietas hac in re, et unusquisque Status habet suas leges; quæ tamen, quoad substantiam, conveniunt. A Kentio traduntur plures regulæ, quarum summa hæc est: ut hæreditas primum descendat ad filios, eorumque descendentes usque ad remotiorem gradum, deinde ad parentes adveniat, deinde ad fratres et sorores atque eos qui has repræsentant, postea ad avos, demum ad fratres et sorores parentum illius qui defunctus est ab intestato.—Sed videas regulas istas, si lubet, apud Kent, *Comment.* vol. 4. per totam lect. 65. vel hujus compendium apud Devereux.

QUAER. 3°. *Quænam sint jura et obligationes hæredum?*

RESP. Hæredes quicumque renuntiare possunt hæreditati juxta axioma: *Nemo hæres nisi velit*, et ut ait Kenrick: "Nullus actus requiritur quo hæreditati quis renuntiet."—Verum hæreditate jam acceptata, hæredes succedunt in omnia jura et onera defuncti, quia illius personam repræsentant; exceptis iis tantum quæ personæ defuncti, ex natura sua vel pacto, erant affixa. Hinc dominium bonorum defuncti pleno jure acquirunt, ejus obligationes et debita in se suscipiunt, et ipsius voluntatem in legatis implere debent.—Quoad modum solvendi debita a defuncto relicta, singuli *pro rata* suæ portionis hæreditariæ solvant. Hæres autem acceptare potest hæreditatem sub beneficio inventarii, ita scilicet, ut facto inventario bonorum, juxta formam legalem, non obligetur ultra hæreditatis vires.—Cf. Kenrick, tract. 10. n. 89. et seqq.—Kent, *Comment.* vol. 2. part. 6. lect. 65. n. 422.

QUAER. 4°. *An hæredes necessarii exhæredari possint?*

RESP. Ex *jure Romano*, juxta quod filii admittuntur ut hæredes necessarii, possunt exhæredari sola patris auctoritate in casibus sequentibus: 1°. si filius injiciat manus in patrem, aut contumeliose eum tractet; 2°. si ejus accusator aut testis sit in causis criminalibus; 3°. si rem habeat cum ejusdem uxore; 4°. si nolit fidejubere ad patrem e carcere liberandum; 5°. si patrem a condendo testamento prohibuerit; 6°. si filia, recusato honesto matrimonio, luxuriose vivat.—Verum, apud nos, ubi filii sunt hæredes necessarii tantum ex *jure naturæ*, prædictæ

causæ et plures aliæ ejusdem generis a fortiori sufficere videntur ad eos exhæredandos.

§ III. De dispositionibus testamentariis.

514. Dispositiones testamentariæ sunt *codicillus*, *legatum*, et *substitutio*, de quibus sufficiat sequentia adnotare.

I. Codicillus, seu parvus codex, vocatur ultimæ voluntatis dispositio qua circa testamentum aliquid explicatur, aut, addendo vel demendo immutatur. Ad valorem codicilli sive scripti sive nuncupativi requiruntur et sufficiunt ex *jure Romano* quinque testes, etiam non rogati, et etiamsi sint fœminæ. Apud nos autem codicillus iisdem solemnitatibus eodemque testium numero gaudere debet ac testamentum. —Cf. Kenrick, n. 27.—Kent, *Comment.* vol. 4. n. 531.—Devereux, lect. 68. n. 45.

II. *Legatum* est ultimæ voluntatis dispositio, qua defunctus cuipiam directe relinquit donum aliquod ab hæreditate demptum, et ab hærede præstandum. Legatum esse potest: 1°. purum seu absolutum, vel conditionatum; 2°. universale vel particulare: scilicet titulo universali, v. gr., *lego omnia mobilia*, vel particulari, v. gr., *lego talem summam.*—Cf. Kenrick, loc. cit. n. 27.— Bouvier, *Law Diction.* V. Legacy.

III. *Substitutio* licet quandoque fideicommissi nomen obtineat, latius tamen se extendit, quippe quæ generatim sumpta definitur: dispositio qua quis vocatur ad hæreditatem vel legatum in alterius defectu.—Duplex est substitutio: alia *directa*, qua quis directe et proprio nomine, loco alterius, ad hæreditatem vocatur, siquidem ille rem accipere nequeat vel nolit; et alia *fide commissaria* seu simpliciter *fideicommissum*, qua hæres testamento institutus vel ab intestato veniens a defuncto gravatur et obligatur, ut hæreditatem totam, vel ejus partem alteri restituat seu tradat.—Cf. Schmalzgr. lib. 3. tit. 26. n. 126.—Kenrick, n. 28. —Kent, *Comment.* vol. 4. part. 6. lect. 54. n. 15. (c) 20. et 290.

§ IV. De revocatione testamentorum.

515. I. Testamentum sub quacumque forma sit factum, semper revocari potest ad nutum testatoris, quia testamentum ex natura sua est actus essentialiter revocabilis; proinde testator dominium bonorum

suorum usque ad mortem retinet. Ita omnia jura statuunt: quare in jure Romano L. 4. ff. *de adimendis* dicitur: "Ambulatoria est testantis voluntas usque ad extremum vitæ spiritum."

II. Revocatio testamenti multiplici modo fieri potest: 1°. si deliberate destruatur per combustionem, dilacerationem, aut obliterationem; 2°. si novum fiat, quod contineat vel clausulas aperte revocatorias primi, vel dispositiones non tantum diversas, sed oppositas et incompossibiles cum primo testamento; 3°. si testator post conditum testamentum ducat uxorem, et prole donetur, ita tamen ut uxori et proli provisum antea non fuerit; 4°. si vendantur aut pactum fiat ut vendantur bona de quibus sermo est in testamento.—Cf. Kenrick, n. 33.—Kent, *Comment.* vol. 4. n. 520. et 532.—Wells' *Every man*, etc., p. 93.

§ V. De executore testamenti.

516. I. Executor testamenti dicitur ille cui officium incumbit ut faciat executioni mandari conditiones omnes et clausulas testamenti juxta intentionem testatoris, et rectam verborum in eo contentorum interpretationem.

II. Executor testamenti designatur ab ipso testatore: vel si testator hoc non fecerit, aut ille qui designatus jam fuerit, munus non acceptet aut acceptare non possit, tunc ex *jure Romano* hæres habetur uti executor; sed juxta nostras leges designatur a Curia.

III. Juxta leges nostras, omnes generatim loquendo, esse possunt executores testamentorum, exceptis iis qui nequeunt testamenta conficere.

IV. Multa sunt officia executoris testamenti, sed præcipua sunt: ut obtineat in Curia authenticationem seu probationem validitatis testamenti, ut inventarium bonorum instituat, ut satisfaciat creditoribus juxta ordinem a lege præscriptum, et demum ut bona quæ remanent hæredibus et legatariis distribuat juste et fideliter.—Cf. Kenrick, n. 34. et 35.—Wells' *Every man*, etc., p. 94. et 95.— Bouvier, *Law Diction.* V. Executor.

CAPUT III.

DE COMMODATO ET PRECARIO.

517. *Commodatum* est contractus quo res ad solum usum *gratis* conceditur pro certo tempore, cum onere rem eamdem in individuo restituendi. *Precarium* autem est contractus, quo alicui petenti rei alicujus usus conceditur, revocabilis tamen ad concedentis voluntatem.—Quare objectum commodati aut precarii esse possunt res quæcumque, sive mobiles, sive immobiles, in civili commercio positæ, modo consumptibiles non sint primo usu, cui destinantur.

Commodatum differt: 1°. a locatione, qua usus rei conceditur quidem sed non gratuito; 2°. a deposito, quo res traditur non ad usum sed ad custodiam; 3°. a mutuo, quo res in eadem tantum specie restituenda est. Precarium autem differt a commodato in hoc tantum quod ad concedentis arbitrium revocabile sit.

518. Quoad obligationes commodatarii et commodantis hæc pauca tenenda:

I. Commodatarius generatim uti debet re sibi commodata tanquam bonus paterfamilias; speciatim vero: 1°. non potest uti re commodata, nisi ad usum vel sibi concessum, vel cui prudenter judicat consentire commodantem, vel cui res ex natura sua destinatur; secus, re aliena abutitur, omniaque inde provenientia damna reparare tenebitur; 2°. subire debet expensas necessarias ad rei conservationem, alere, v. gr., equum commodatum; sed non tenetur ad sumptus extraordinarios, v. gr., ad curandum equum gravi morbo citra culpam suam laborantem; 3°. rem commodatam præfixo tempore et propriis expensis reddere debet, etiamsi non repetatur; quia dies statuta pro domino interpellat. Si restitutionis tempus præfinitum non fuerit, restitui res commodata debet statim ac postulatum usum præstiterit.

II. Commodans tenetur: 1°. rem commodatam non repetere ante tempus præfixum, vel saltem, si hoc præfixum non fuerit, antequam commodatarius ea uti valeat: alioquin tenebitur de damno quod alius expertus est ex intempestiva ejus revocatione, cum jus alienum pacto acquisitum sic violaverit, nisi res commodata fuerit in favorem so-

lius commodatarii, qui ante tempus præfixum moriatur; vel si ipse commodans ex casu improviso re sua statim indigeat; 2°. tenetur restituere expensas extraordinarias quas urgentes et ad rem conservandam necessarias subiit commodatarius, dum alioquin commodantem monere facile non potuit; 3°. rei commodatæ vitia nociva, si quæ noscit, commodatario aperire tenetur; alias damnum inde proveniens compensare debebit; 4°. tandem rei pericula atque detrimenta ex casu fortuito enata, seclusa mora, culpa, pacto, et peculiari lege, sustinere tenetur, quia juxta axioma: *Res perit domino.*

CAPUT IV.

DE DEPOSITO ET SEQUESTRO.

519. *Depositum* est contractus, quo gratis res custodienda committitur et accipitur in integrum restituenda quando deponenti libuerit.

Sequestrum autem est depositi species, quo res controversa deponitur apud tertium, ut post sententiam judicis vel arbitri, vincenti tradatur. Duplex distinguitur sequestrum: *conventionale*, quod fit mutua contendentium conventione; *judiciarium*, quod sententia judicis decernitur.

520. De obligationibus depositarii et deponentis hæc teneas:

I. Depositarius tenetur: 1°. rem depositam servare ac custodire ea cura et diligentia, quam homines diligentes adhibere solent in consimili re propria conservanda; hanc enim rei traditæ custodiam suscepit; 2°. uti re deposita non potest sine consensu domini expresso vel tacito, vel saltem prudenter præsumpto; neque enim re aliena inconsulto domino uti licet; 3°. tenetur rem depositam petenti statim reddere; nam secus rem alienam haberet, domino rationabiliter invito.

II. Deponens tenetur solvere expensas quas depositarius subiit in re deposita servanda, illumque indemnem reddere pro omnibus quæ occasione depositi passus fuerit. Sic, v. gr., si deposueris in alterius stabulo equum, solvere debes nutritionis expensas; et si equus ille morbo contagioso laboret, ex quo equi depositarii inficiantur, hunc indemnem reddere debes juxta effatum: *Officium suum nemini debet esse damnosum.*

521. De sequestro autem satis erit innuere sequentia:

I. Sequestri tam conventionalis quam judiciarii objectum potest esse res mobilis vel immobilis.

II. Sequestrum conventionale potest esse non gratuitum, et tunc fit operæ conductio, istiusque contractus legibus subjicitur. Si vero gratuitum sit, iisdem regulis subjacet, ac depositum. Non dissolvitur tamen, nisi mutuus partium consensus vel legalis causa superveniat.

III. In sequestro judiciario custos curam boni patrisfamilias gerere debet; committens vero custodiæ mercedem jure statutam depositario solvere tenetur.

CAPUT V.

DE MANDATO ET NEGOTIORUM GESTIONE.

522. *Mandatum* est contractus quo negotium aliquod, v. gr., aliquid emendi, vendendi, etc., ab uno alteri committitur, et ab eodem altero suscipitur gratuito gerendum.— Dixi *gratuito;* nam si ob sancitum pretium suscipiatur, potius operæ locatio nuncupatur.

Gestio negotiorum autem est quidam *quasi-contractus*, quo quis absentis et ignorantis negotium utiliter gerendum suscipit, sine mandato expresso, sed ex ejus commissione rationabiliter præsumpta.

523. De obligationibus mandantis et mandatarii hæc sunt tenenda:

I. Mandans 1°. adimplere debet omnes obligationes a mandatario contractas et mandato consentaneas; non autem id quod ultra mandatum contractum est, nisi expresse vel tacite ratum habuerit; 2°. ea præstare mandatario debet, quæ ad mandati executionem necessaria sunt, eique legitimos sumptus, quos fecit occasione mandati, refundere, etiamsi rem ad felicem exitum non perduxerit; 3°. indemnem præstare tenetur mandatarium ratione damnorum quæ, præcisa culpabili imprudentia, occasione mandati passus fuerit; nemo enim tenetur nec censetur velle alteri beneficium cum proprio dispendio conferre.

II. Mandatarius autem tenetur: 1°. mandantis negotium diligenter ac velut proprium gerere, ac proinde de dolo, et incuria theologice culpabili respondeat oportet; 2°. intra mandati limites se continere debet, unde nihil pluris emere vel minoris vendere potest, quam ipse præscriptum sit; secus enim vi mandati non ageret; 3°. non potest mercedem exigere, nec ei licet suam operam occulte compensare.

524. De obligationibus connexis cum gestione negotiorum adverte sequentia :

I. Gestor negotii, perinde ac mandatarius, tenetur alterius rem administrare tanquam bonus paterfamilias, et damna absenti illata ex suo dolo, negligentia vel culpa resarcire. In pluribus tamen circumstantiis temperari potest, etiam in foro externo, obligatio compensandi damna, maxime quando ista proveniunt ex imperitia vel negligentia gestoris, qui rem alterius in defectu peritioris gerendam sumpserit.

II. Absens, cujus negotium geritur, tenetur conventiones a gestore rite factas servare, et ipsi expensas et damna ex tali gestione provenientia resarcire, etiamsi res male successerit.

CAPUT VI.

DE MUTUO.

525. *Mutuum* aliquando sumitur pro ipsa re mutuo tradita: aliquando vero, et sæpius, pro contractu quo ea res alteri utenda traditur. In postremo hoc sensu hic accipitur, et definiri solet: contractus quo res primo usu consumptibilis alteri traditur, cum obligatione rem similem reddendi statuto tempore, atque in eadem specie et bonitate.—Hinc mutuum differt a commodato, locato, et deposito: 1°. quia in mutuo res debet esse primo usu consumptibilis, secus in aliis; 2°. quia res non in individuo, sed in specie tantum eadem reddenda est; 3°. quia in mutuo transfertur rei dominium, et non in aliis, ac proinde in mutuo res perit accipienti, in cæteris tradenti. Ratio autem cur in mutuo stricto et proprie dicto transferatur rei dominium, est, quia cum res mutua sit primo usu consumptibilis, ejusmodi usus non esset licitus sine dominio ipso.

526. **Dico** 1°. Datur strictum præceptum faciendi mutuum non solum respectu pauperum, qui habituri sunt quo restituant, sed etiam respectu divitum qui ob peculiarem circumstantiam eo summe indigent. Ratio utriusque deducitur ex lege caritatis, quæ obligat ad subveniendum proximo in necessitate posito, atque exigit ut hoc libenter ei præstemus, quod in pari casu nobis præstari vellemus.—Dixi 1°. *qui habituri sunt*, etc.; quia secus urget aliud præceptum, scilicet eleemosynam faciendi, juxta regulas expositas superius, ubi de caritate dictum est.—

Dixi 2°. *etiam respectu divitum qui ob peculiarem*, etc; quia caritas ad nihil nos obligat erga illos divites qui ad augendas opes mutuum quærunt, siquidem nullam patiuntnr necessitatem.

Dico 2°. Quamvis mutuatarius a restitutione non liberetur, utcumque res mutuata forte pereat, ad nihil tamen aliud tenetur nisi ad rem similem reddendam, nec mutuator aliquid aliud exigere potest vi mutui, quin lædat justitiam commutativam, et ad restitutionem teneatur.—Ratio *primi* est, quia peracto contractu mutui, dominium rei mutuatæ transit in mutuatarium, ac proinde si pereat, ipsi perit. Ratio autem *secundi* est, quia, ut docet S. Thomas, usus rei consumptibilis, cum sit ipsa rei consumptio, nequit esse distinctus ab ejusdem dominio, ac proinde si præter rem ipsam aliquid exigeretur propter usum, vi mutui, exigeretur pretium pro re quæ non existit: vel aliis verbis, eadem res bis veluti venderetur, quod sane justitiam lædit. Accedit ratio desumpta ex specialibus ac iteratis prohibitionibus, ac declarationibus a Romana Sede factis, et præsertim a Benedicto XIV. in Epist. encyclica anno 1745. edita, et quæ incipit *Vix pervenit.*—Cf. S. Thom. 2–2. q. 78. art. 1.—S. Alphons. n. 759. et seqq.—Bened. XIV. *de Synod. diœc.* lib. 10. cap. 4. n. 2.

527. ***Resolves.***—1°. Si quando pauperes mutuum quærunt, et tamen non præsumuntur habituri unde æquivalens valeant reddere, cessat tunc, ut dictum est, præceptun faciendi mutuum, at urget illud eleemosynam *aliquam* largiendi.—Dico *aliquam*, quia non teneris tantum eleemosynæ præstare, quantum pauper mutuo efflagitabat, quia sunt alii qui opitulari possunt et debent.

2°. Incommodum aliquod grave sufficiens ad excusandum ab obligatione faciendi eleemosynam, excusat etiam ab obligatione faciendi mutuum, at non viceversa; siquidem dare mutuum multo minus est quam eleemosynam conferre. Sedulo tamen distinguenda est obligatio faciendi mutuum ab illa non exigendi aliquid supra sortem vi mutui; prima provenit a caritate, altera a justitia. Peccatum læsionis justitiæ tali modo factæ vocatur proprie *usura ;* quæ esse potest *explicita* et *aperta*, si fit expressa conventio; vel *implicita* et *palliata*, si conventio fit per consensum virtualiter tantum manifestatum, aut sub specie contractus a mutuo diversi.

3°. Attamen non committitur crimen usuræ, si quis expectet pro mu-

tuo aliquid, non ut debitum, sed ex mera benevolentia.—Dixi *expectet*, nam si quis *exigeret* aliquid ex benevolentia, usurarius dici deberet; siquidem Innoc. XI. damnavit prop. 42. quæ sic se habet: "Usura non est dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia et gratitudine debitum, sed solum si exigatur tanquam ex justitia debitum." —Cf. S. Alphons. n. 774. et 777.

4°. A fortiori autem ab omni crimine usuræ excusari debet qui aliquid supra sortem non solum expectat, sed etiam exigit, non quidem *vi mutui*, sed vi alicujus tituli extrinseci. Ratio desumitur ex praxi fidelium timoratorum, ex implicita approbatione Ecclesiæ, et ex eo quod talis ratio agendi consona omnino est justitiæ regulis.

528. *Quæsita.*—Quaer. 1°. *Quinam sint tituli isti extrinseci, quorum vi licitum est aliquid exigere præter sortem?*

Resp. Quinque præcipui enumerantur, scilicet: damnum emergens, lucrum cessans, periculum sortis, pœna conventionalis, et lex civilis. De unoquoque breviter dicetur quid sit, et cur liceat eo uti.

1°. *Damnum emergens* est detrimentum quod patitur mutuans occasione mutui proximo præstiti. Hunc autem titulum esse legitimum constat ex eo quod æquum non est ut damnum ex mutuo quis ferat; cum nemo teneatur cum proprio damno ad beneficium præstandum, nisi in proximi necessitate. Ad legitimitatem autem hujus tituli, præter existentiam damni ipsius requiruntur sequentes conditiones, scilicet: ut mutuum sit causa damni; ut nihil præter compensationem exigatur; et ut auctarium ab initio in pactum deducatur.—Cf. S. Alphons. n. 768. et 769.

2°. *Lucrum cessans* est id quod mutuans, servata re sua, lucratus fuisset, si eam in alio contractu licito adhibuisset. Esse hunc legitimum titulum probatur; quia spes lucri ex una parte est mutuo extrinseca, et ex alia est vere pretio æstimabilis.—Cf. S. Alphons. n. 771., et *Hom. Ap.* n. 149. et seqq.

3°. *Periculum sortis* est timor prudens, ne sors recuperari nequeat.—Hic etiam titulus, juxta communiorem et probabiliorem sententiam, est legitimus. Ratio est, tum quia pluris æstimantur res in tuto, quam in periculo positæ; tum etiam quia constat ex decisione *Sacr. Congreg. de Propaganda* pro Missionariis Sinensibus ab Innoc. X. approbata, anno

1645. **Excipe tamen si mutuatarius sortem per pignus assecuret, quia sic periculum cessat.—Cf. S. Alphons. n. 765.—Kenrick, n. 89.**

4°. *Pœna conventionalis* est veluti mulcta quædam, ad quam solvendam mutuatarius se obligat, si sortem tempore præfixo non restituat. Probatur autem esse titulum legitimum, quia ita consulitur firmitati contractus, et simul negligentia mutuatarii præcavetur; sed requiritur ut mora debitoris sit notabilis et culpabilis, et ut pœna sit moderata et culpæ proportionata.—Cf. S. Alphons. n. 766.

5°. Titulus *legis civilis* consistit in positiva permissione a supremo societatis civilis legislatore facta percipiendi certum determinatum lucrum, quod proinde diversum est juxta diversitatem locorum et legum. Plurimum quidem antea disputatum fuit de legitimitate istius tituli in foro conscientiæ; at hodie vix de ea dubitari potest, quamvis non eadem ab omnibus detur explicatio. Nam alii invocant vim *alti dominii* quod suprema auctoritas habet in bona privatorum; alii autem, longe melius, recurrunt ad jus et officium quod suprema auctoritas habet decernendi præmium illis qui pecuniam suppeditantes commercio favent. Hoc vero præmium æquitas ipsa naturalis dictat, ut ab iisdem solvatur, qui utilitatem exinde capiunt. Præterea extant multæ responsiones Romanarum Congregationum quibus decernitur, eos, qui hoc titulo tantum innixi aliquod lucrum adepti sunt, non *esse inquietandos;* neque *inquietandos* esse presbyteros qui contendunt hunc titulum esse legitimum.—Cf. Taparelli, *Saggio Teoretico*, dissert. 4. cap. 4.

QUAER. 2°. *An liceat excedere taxam legalem ratione specialis damni emergentis, vel lucri cessantis, aut periculi sortis?*

RESP. *Neg.*, respectu pauperum vel aliorum qui in necessitate mutuum quærunt et qui auctuario majori opprimerentur. Si vero pecunia mutuo tradatur non quidem in necessitatem alterius, sed ad utilitatem tantum, et ad novas usque congerendas divitias, non parum disputatur apud theologos. Recentiores plurimi, quos inter noster Kenrick, merito affirmant, tum ratione indemnitatis seu justæ compensationis, tum ratione liberi consensus mutuatarii, qui nullam, ut supponitur, patitur necessitatem.—Cf. Kenrick, n. 96.

QUAER. 3°. *Quid dicendum de illis qui, cum sermo est tantum de pecunia mutuo danda, rejectis omnibus prædictis titulis, unice innituntur*

in ejusdem fœcunditate, ad legitimandum lucrum quod supra sortem capitur?

Resp. Eorum doctrina non videtur improbabilis, eaque ad sequentia capita reduci potest:

1°. Mutuum, juxta omnes, fieri nequit, nisi de re primo usu consumenda, quod ex ipsius mutui natura evincitur. Porro pecunia primo usu non consumitur, nisi præbeatur pauperi illam impensuro ad suam sustentationem. Etenim in traditione pecuniæ solus valor transfertur, et est contractus objectum; valor autem non perit, quando in augendam mutuatarii fortunam impenditur. Ergo...

2°. Hinc, contractus, quo traditur pecunia diviti, non est mutuum proprie dictum, sed potius commodatum, vel locatum, prout gratis vel pretio datur, et proinde dominium pecuniæ non transfertur.

3°. Contractus ille locationis pecuniæ est in se licitus, nam juste pretium exigitur pro re quæ valorem intrinsecum habet; atqui usus pecuniæ, quæ primo usu non consumitur, habet valorem intrinsecum, qui pretio æstimari potest, et in commercio humano causa evadit multorum emolumentorum. Ergo auctarium sortis est justum pretium illius usus.

4°. Pecunia, ut constat experientia mercatorum, fructum producit, et multiplicatur *per se*, independenter ab humana industria; ergo non omnino sterilis reputanda est. Etenim idem mercator, in iisdem circumstantiis et cum eodem industriæ gradu, multo majus lucrum facit, si multo majorem summam impendere in commercium possit; ergo facultas pecuniam impendendi in commercio est vere pretio æstimabilis.

SECTIO II.

DE CONTRACTIBUS ONEROSIS.

CAPUT I.

DE VENDITIONE ET EMPTIONE.

Multa sane dici possunt de natura hujus contractus, de justitia pretii et de diversis venditionum et emptionum speciebus, sed ea tantum breviter innuimus quæ confessario necessaria esse possunt. Etenim munus audiendi confessiones confundendum non est cum munere gerendi mercaturam.

ARTICULUS I.

DE NATURA VENDITIONIS ET EMPTIONIS.

529. Contractus venditionis et emptionis definiri potest, contractus onerosus quo res quælibet pretio æstimabilis cum determinata pecunia permutatur translato invicem dominio.—Cf. S. Alphons. n. 795.—Kenrick, n. 45.—Kent, *Comment.* vol. 2. part. 5. lect. 39. n. 468. (4).

530. *Dico.* Ad transferendum dominium rei venditæ, ex jure naturæ non requiritur traditio ipsius rei, si aliunde constat de consensu libere dato.—Ex jure autem positivo distinguendum est. Juxta *jus Romanum* dominium rei non transit ad emptorem nisi traditione jam facta; imo requiritur etiam ut pretium ab emptore solvatur, vel offeratur, aut saltem præstetur vel fidejussio vel fides de illo, quod ni fiat, emptori competit quidem jus *ad rem*, sed non *in re.*—Verum juxta *jus nostrum*, si res vendita designata sit, et a cæteris separata, transfertur dominium absque traditione, quamvis requiratur saltem inchoata et authentica solutio pretii. Nam si res etiam designata et separata, venditur absque ulla solutione pretii, potest a vendente recuperari dum est in *transitu*, ut aiunt, ad emptorem, qui non sit par solvendo. Hisce tamen non obstantibus, apud nos, ait Kenrick: "Periculum rei non videtur unquam transire ad emptorem, nisi ea aliqua ratione tradita. Ex mercatorum consuetudine omnia pendent."—Cf. S. Alphons. n. 795. et 796.—Kenrick, tract. 10. n. 50., et tract. 11. n. 45. et 47.—Kent, *Comment.* vol. 2. part. 5. lect. 39. n. 492. et 496.

531. Quaeres. *An venditor teneatur rei defectus manifestare?*

Resp. Certo tenetur manifestare vitia omnia substantialia tam in se, quam relative ad finem notum emptoris, seu ea omnia quæ rem aliam faciunt, vel eam noxiam, aut notabiliter inutilem reddunt; sed *per se* non tenetur ostendere vitia accidentalia, et manifesta, modo imminuat pretium pro rata defectus. Ratio est, quia tunc non fit injuria emptori, nec ratione pretii, quod imminuitur, nec ratione vitii, quod si non viderit emptor, sibi imputare debet.—Dixi *per se*, quia excipiendus est, 1°. casus emptoris valde rudis, quia respectu illius vitium censetur occultum, et 2°. casus quo venditor *specialiter* interrogetur de tali defectu.—Si vero vitium est quidem accidentale, sed occultum, iterum est distinguendum; nam si venditor *interrogatur*, tenetur illud manifestare; secus dolum committit, et contractus erit rescindibilis. Si autem nulla fiat interrogatio, contractus firmus omnino erit, sed pretium imminui debet pro ratione vitii.—Cf. S. Alphons. n. 823.

ARTICULUS II.

DE JUSTO PRETIO.

532. Pretium duplex est: aliud *legale*, quod a lege determinatur, et aliud *naturale* seu *vulgare*, quod valori rei respondet juxta communem hominum æstimationem. Pretium autem naturale est: 1°. *summum*, supra quod res æstimari non solet; 2°. *infimum*, infra quod res generatim non æstimatur; 3°. *medium*, quod inter utrumque interponitur.

533. **Dico.** Pretium legale, si existit, generatim loquendo, servandum est sub onere restitutionis; nam ad auctoritatem civilem pertinet statuere quidquid respicit commercium publicum.—Dixi *generatim*, quia aliquando licet a pretio legali recedere, v. gr., si a majore hominum parte non servetur; si mutatis circumstantiis taxa evadat injusta; vel si merces sint notabiliter solito pretiosiores, vel deteriores.—Deficiente vero pretio legali, illud solum habendum est ut justum, quod tale determinatur æstimatione communi, si agatur de merce quæ apud multitudinem appretiationem habeat; quia pretium adæquatum ejusmodi rerum ex ipsarummet utilitate ad communes usus deducitur. Porro appretiatio talis utilitatis nequit melius haberi, quam per communem æstimationem.—Ita omnes.—Cf. S. Alphons. n. 806.

534. ***Quæsita.***—Quaer. 1°. *An possint vendi quanti plurimi, si tamen de eo pretio conveniat emptor, res quæ vulgarem æstimationem non habent, ut sunt gemmæ, tabellæ pretiosæ et alia hujusmodi?*

Resp. *Affirm.*, quia in eo casu ad nullam aliam mensuram justi pretii videtur posse recurri, nisi ad liberum contrahentium consensum. Neque dicas adesse judicium hominum peritorum; nam respondetur, illud sæpe esse variabile, sæpe etiam injustum, et sæpius nonnisi magna cum difficultate posse obtineri.—Cf. S. Alphons. n. 802. et 807.

Quaer. 2°. *An res carius vendi possit ob specialem affectum vel utilitatem emptoris?*

Resp. *Neg.*, juxta communem theologorum doctrinam. Ratio est, quia utilitas et affectus specialis est profecto aliquid pretio æstimabile, sed quoniam in dicto casu non pertinet ad venditorem, hic venderet aliquid non suum, ac proinde injuste ageret. Quare ait S. Thomas: "Si aliquis multum juvetur ex re alterius quam accepit, ille vero qui vendidit non damnificetur carendo re illa, non debet eam supervendere; quia utilitas, quæ alteri accrescit, non est ex vendente, sed ex conditione ementis: nullus autem debet vendere quod suum non est." Angelico Doctori consonat S. Alphonsus, et major pars theologorum. Videtur tamen hac in re ita posse distingui:—Si privatum illud commodum emptoris oriatur ex magna necessitate qua emptor premitur, et ejus affectus erga rem sit insana et cæca animi perturbatio, tenenda est sententia S. Thomæ, cui plane conformis est praxis hominum timoratorum. Si vero agitur de majore utilitate, de fundata quadam delectatione, et rationabili affectu, quem utique emptor solus habet, sed tamen alii, si in iisdem circumstantiis essent, forte æque haberent, damnandus non esset venditor qui rem carius venderet; tum quia majus illud commodum emptoris non est omnino privatum et singulare, quod supponit ratio S. Thomæ, tum quia hujusmodi videtur esse praxis fidelium. —Cf. S. Thom. 2–2. q. 77. art. 1.—S. Alphons. n. 806.—Kenrick, n. 51. —Carriere, n. 692.

Quaer. 3°. *An liceat vilius emere in gratiam venditoris emptorem quæritantis?*

Resp. *Affirm.*, et ratio est, quia res ultroneæ vilescunt, et pretium rei decrescit, quando res est parum utilis emptori, et hic in gratiam venditoris emit. Idem dicendum de casu quo res vilius venduntur ob

paupertatem venditoris, quia ex una parte res ultronea juxta communem æstimationem pretio decrescit, et ex alia inopia venditoris non efficit ut communis æstimatio mutetur.—Cf. S. Alphons. n. 802.

QUAER. 4°. *An vel quomodo peccent mercatores qui, interrogati de pretio mercium, illud notabiliter exaggerant?*

RESP. Si revera intendant hoc pretio vendere, peccant contra justitiam, inique alienum appetendo; et ad restitutionem tenentur, si revera pretium illud ipsis solvatur. Si vero intendant tantum dare emptori locum offerendi suum pretium, ut sic ad justum pretium deveniant, excusantur omnino tum a peccato injustitiæ, tum a peccato mendacii, quia notum est et consuetum, mercatores ita loqui, ut emptores ad justum pretium perducant.

535. **Resolves.**—1°. Potest quis multo minoris emere credita solutionis valde difficilia, si propter circumstantiam sibi specialem solutu fiant facilia. Ratio est, quia facilitas obtinendi solutionem non pendet a re quæ venditur, sed ab ipso emptore; valor autem alicujus rei a communi æstimatione, non vero a circumstantia particulari ementis determinatur.—Cf. S. Alphons. n. 829.

2°. Potest quis pretio currente vendere rem quam scit mox minoris valituram; modo tamen scientia hæc sit privata, et non obtenta per fraudem; nam si est communis seu publica, jam pretium juxta illam mutaretur, et si esset per fraudem jam non servatur æqualitas.—Cf. S. Alphons. n. 824, et *Hom. Ap.* n. 188.

3°. Peccant mercatores qui postquam rem infimo pretio vendiderint, eam ante traditionem adulterant, quamvis per hoc non excedant limites summi pretii. Etenim etsi potuissent ab initio carius eam vendere, nequeunt postea destruere pactum quod cum emptore inierunt.

4°. Mercatores, qui minutatim vendunt, possunt aliquando carius vendere, quam qui vendunt in magna quantitate; quia debent majores labores, et expensas, majusque tempus impendere ad eas conservandas, atque emptoribus distribuendas.—Cf. S. Alphons. n. 809.

5°. Res ultra justum pretium non ideo vendi potest, quod venditor eam ex sua ignorantia vel imprudentia aut etiam ex casu fortuito majori pretio emerit, vel subierit majores sumptus, quam vulgo alii solvant aut subeant. Ratio est, quia pretia rerum non crescunt aut decrescunt ex hoc quod uni vel alteri accidit, sed ex eo quod communiter contingit.

Neque ex eo quod aliquis privatus mercator fuerit furtum passus vel naufragium, in æstimatione vulgi adaugeri solet pretium rerum: sicut neque crescere solet pretium frumenti, eo quod unus vel alter fatali grandine fructus agrorum suorum perdiderit.—Cf. Elbel, n. 587.

6°. Non probanda est praxis mercatorum vel artificum qui solent munera dare ancillis, famulis, aut filiisfamilias, ut eos ad suam officinam attrahant; postea vero hujusmodi expensas tacite compensare nituntur adaugendo pretium rerum ultra justitiam. Sic enim secreto cogunt dominos ipsos ad eas donationes injuste refundendas.—Cf. Elbel, n. 523. et 583.—Lugo, disp. 26. sect. 8.

7°. Generatim in restitutione facienda ob læsionem justi pretii hæc sunt tenenda: 1°. si *de venditore* agatur, excessus injustus computandus est a summo pretio, quia hoc pretio vendere potuit; unde emptor non fuit læsus, nisi in eo quod pretium supremum superat; 2°. si vero *de emptore* agatur, defectus pretii computandus est a pretio infimo, quia potuit emere tali pretio; unde venditor tantum læsus fuit in eo quod est infra hoc pretium.—Dixi *generatim;* quia si lucrum fraude obtentum fuerit, esset restituendum, etiamsi pretium summum non excederet, vel infimum attingeret.

ARTICULUS III.

DE PRÆCIPUIS VENDITIONUM SPECIEBUS.

§ I. De retrovenditione et mohatra.

536. *Retrovenditio* est contractus quo venditor sibi reservat jus rem suam redimendi, sub conditione quod sumptus, meliorationem vel similia resarciat. *Mohatra* autem est species quædam retrovenditionis seu contractus quo quis rem majori pretio credito vendit, cum pacto ut emptor ipsi minori pretio numerata pecunia retrovendat. Sit exemplum: Titius indigens pecunia numerata hic et nunc adit Petrum, qui nolens pecuniam dare mutuam, offert merces emendas pecunia credita, et pretio summo puta $100, cum pacto ut statim eas sibi retrovendat pecunia numerata et pretio infimo puta $90. Sic enim Petrus non ex contractu mutui, sed ex contractu venditionis et emptionis lucratur illud auctarium, et Titius suæ præsenti necessitati consulit habendo $90, quamvis post annum reddere debeat $100.

537. ***Dico*** **1°.** Contractus retrovenditionis est omnino licitus dummodo habeantur requisitæ conditiones. Ratio est, tum quia Lev. xxv. 24. dicitur tale pactum fuisse Judæis impositum, tum quia nihil continet quod juri naturali contradicat.—Conditiones autem sunt 1°. ut pretium minuatur juxta æstimationem gravaminis quod emptori imponitur; 2°. ut non sit pactum de retrovenditione pretio majori vel minori facienda; 3°. ne pacto exigatur, ut periculum rei venditæ cedat in damnum venditoris, cum illum *per se* ad emptorem spectet, nisi tamen pretium juxta æstimationem periculi augeatur; 4°. ut res retrovendatur sicut traditur, vacua vel cum fructibus.—Cf. S. Alphons. n. 812.—Kenrick, n. 61.

Dico **2°.** Contractus Mohatra est per se illicitus et nonnisi usura palliata, ut constat ex prop. 40. damnata ab Innoc. XI. quæ sic se habet: "Contractus mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, et cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri."—Cf. Viva in hanc prop.

§ II. De venditione sub hasta, seu per licitationem.

538. ***Dico.*** Venditio *sub hasta* (*auction, public sale*), quæ scilicet fit per præconem, et in qua ultimæ licitationi res adscribitur, licita est, sive fiat consentiente sive invito domino, seu per auctoritatem publicam sive infra infimum pretium ematur, aut supra summum vendatur: quia potestas publica approbat ut justum pretium publice constituatur ex emptorum concursu. Hinc si emptores concurrant, res fit æstimabilior; si non concurrant, vilior habetur.—Cf. S. Alphons. n. 808.

539. ***Quæsita.***—Quaer. 1°. *An possit venditor mittere fictos licitatores, ut pretium rei crescat?*

Resp. *Neg.*, juxta S. Alphonsum, quia hoc apparet nimis fraudulentum ut excurari possit, cum tendat ad decipiendos emptores sinceros, atque adeo iis injuriam infert, dum causa sunt ut pretium crescat ex fraude, non vero ex concursu naturali rerum, ex emptorum scilicet libero consensu.—Attamen alii dicunt vi consuetudinis, si quæ existit, indulgendum esse illis qui ita agunt.—Cf. S. Alphons. n. 808., et *Hom. Ap.* n. 175.—Kenrick, n. 50.

Quaer. 2°. ***An emptor possit pactum facere cum aliis, ne liciteat, aut ne plus offerant?***

RESP. *Neg.*, juxta S. Alphonsum et plures alios theologos, saltem in casu coactæ subhastationis. Ratio est, quia venditor jus habet, ut emptores sint perfecte liberi, et ne impediatur pretii incrementum.—Contrarium tamen sentire videtur Card. de Lugo cum Diana et aliis saltem quoad reatum injustitiæ, et fatetur, peccatum tunc committi solum contra caritatem esse communem Doctorum sententiam.—Cf. S. Alphons. n. 808.—Lugo, disp. 26. n. 175.—Baller. not. (b) p. 739.

§ III. De monopolio.

540. ***Monopolium*** dupliciter distinguitur. Aliud est ***legale*** quod consistit in potestate vendendi aliquas merces a publica auctoritate, ex rationabili causa, uni vel pluribus concessa; et aliud ***privatum*** quod consistit in ratione agendi qua unus vel plures efficiunt ut ipsi soli aliquid vendant aut emant.

541. ***Dico*** 1°. Monopolium legale licitum est, modo cum justo pretio fiat. Ratio est, quia ob justam boni publici causam Princeps illud ceu privilegium, vel ad tributum a mercatoribus exigendum, concedere potest.

Dico 2°. Monopolium privatum illicitum est in sequentibus casibus: 1°. si mercator impediat fraude vel mendacio ne aliæ merces advehantur, ut ipse merces suas carius vendat cum communi detrimento; 2°. si unus vel pauci merces omnes emant, ut deinde illas carius vendant; 3°. si opifices vel artifices conveniant ut non doceant artem suam, nisi pretio injusto, vel ut nullus perficiat opus ab aliis inceptum.—Cf. S. Alphons. n. 815.

542. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *An et quomodo peccent mercatores qui conspirant ne merces suas vendant nisi summo, licet justo, pretio?*

RESP. Certo videntur peccare contra caritatem, quia licet non obligentur ad vendendum infra pretium summum, obligantur tamen ad non dissuadendum aliis ne minori pretio vendant. Ita licet caritate non tenearis ad eleemosynam tali pauperi erogandam, prohiberis tamen alios dissuadere, si qui eam largiri volunt.—At probabilius non peccant contra justitiam: quia si alii coguntur emere pretio summo, non coguntur a venditoribus, sed sua necessitate, quæ vera coactio ex parte venditorum dici nequit. Pretium tamen summum hic debet intelligi,

quod esset absque monopolio, non quod e monopolio nascitur.—Cf. S. Alphons. n. 817.—Lugo, disp. 26. n. 173.

QUAER. 2°. *An peccent contra justitiam vel contra caritatem mercatores qui, tempore messis aut vindemiæ, omne triticum vel vinum regionis pretio vili tunc currente emunt, ut postea carius vendant?*

RESP. *Neg.*, probabilius, ut videtur, *quoad justitiam*, modo non vendant supra pretium summum quod secluso monopolio curreret. Ratio est, quia nullius jus violant. Imo negative etiam respondendum, saltem probabiliter, *quoad caritatem*, modo alios ad carius vendendum non inducant, nec ipsi vendant supra pretium summum quod præciso monopolio locum haberet, quia jure suo utuntur; nemo enim proprium commodum negligere tenetur, ut damnum alienum evitet, cum illud avertere non obligetur.—Cf. S. Alphons. n. 816.—Kenrick, n. 64. et seqq.

§ IV. De venditione per proxenetas.

543. Venditio per proxenetas (*brokers*), ea est, quæ non fit immediate ab eo ad quem res pertinent, sed per alios ex commissione, et hi proxenetæ dicuntur. Proxenetæ autem possunt esse vel tantum amici, vel speciali mercede ad hoc conducti, vel ad diversa opera pretio annuo locati.

544. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *An proxeneta, qui vendit supra, aut emit infra pretium sibi designatum, possit excessum pretii sibi retinere?*

RESP. *Neg.*, generatim loquendo, quia nullum habet titulum aliquid retinendi. Etenim non habet ratione rei, quia sua non est, sed domini; nec ratione laboris et industriæ saltem stricto justitiæ titulo debitæ, quia si stipendio sit conductus, ad nihil aliud jus habet; si vero industriam gratuito præstet, jam mercedi renuntiavit. Excipe; 1°. si labore extraordinario et indebito, aut industria vel diligentia omnino speciali, rem meliorem fecerit; 2°. si dominus expresse aut æquivalenter declaraverit se nihil ultra pretium determinatum exigere; 3°. si dominus agendi rationem proxenetæ noverit et ratam habeat.—Cf. S. Alphons. n. 825.

QUAER. 2°. *An possit proxeneta rem, pretio sibi determinato vendendam, pro seipso emere, et postea eamdem rem tanquam suam majori pretio vendere?*

RESP. *Affirm.*, positis duabus conditionibus, scilicet: 1°. ut adhibita

morali diligentia emptorem non inveniat, qui plus offerat; secus enim contra officium suum et voluntatem mandantis certo cognitam ageret; 2°. ut rem sibi non ficte, sed vere emat, ita ut ejus periculum subeat; et si forte tanti non vendat, nihilominus pretium determinatum reddat; secus enim æquitas non servatur.

QUAER. 3°. *An proxeneta possit sibi retinere ea quæ vendens solo ejus intuitu gratis donat?*

RESP. *Affirm.*, si constet de vera donatione; quia mercator, absolute loquendo, aliquid cedere potest de lucro suo alicui proxenetæ, ut eum ad officinam suam adducat; sed ad hoc requiritur, ut sit revera dispositus ad vendendum alteri cuilibet pretio superiori, et reapse sic ordinarie vendat. Confessarius autem non facile fidem adhibere debet proxenetis, tales donationes sibi factas fuisse asserentibus; nisi agatur de locis ubi mercatores ita solent agere.—Cf. S. Alphons. n. 825., et *Hom. Ap.* n. 189.

CAPUT II.

DE SOCIETATE ET TRINO CONTRACTU.

545. Contractus qui dicitur *societas* (*partnership*) est conventio de re aliqua in communi possidenda ad commune bonum, aut lucrum pro rata parte percipiendum. Contractus autem qui a theologis dicitur *trinus* est idem contractus societatis, cui adjunguntur duo alii contractus, nempe assecurationis sortis et assecurationis lucri, seu venditionis spei lucri majoris percipiendi pro minore lucro certo et assecurato. Sic autem instituitur: Contraho, v. gr., cum *Petro*, pecuniæ summam ei tribuendo ad negotiandum. Sed cum spes lucrandi 15 pro 100 mihi affulgeat, et timeam ex alia parte, ne sortem amittam, ineo secundum contractum cum *Petro*, ei 5 pro 100 erogando, si assecurationem sortis in se suscipere velit. Inito hoc secundo contractu, jam 10 tantum pro 100 mihi lucrandi supersunt. Verum lucrum adhuc minus at certum mallem, quam majus et incertum. Igitur propono socio meo, ut mihi 5 tantum pro 100 tribuat, sed certo refundat, quidquid superventurum sit. Hinc triplex datur contractus, scilicet societatis, assecurationis sortis, et assecurationis lucri.

546. ***Dico*** **1°.** Contractus *societatis* de re licita et honesta, et ad commune bonum contrahentium initus, licitus est, modo locum habeant requisitæ conditiones. Constat ex legibus civilibus omnium nationum, ex usu universali omnium populorum, et ex jure naturali; non enim minus licitum est pluribus conjunctim quam singulis ex suis rebus lucrum facere. Conditiones autem requisitæ sunt: 1°. ut sit æqualitas, id est, divisio lucri pro rata rei collatæ; 2°. ut periculum sortis spectet ad dominum, nisi aliter pactum initum fuerit; 3°. ut quisque subeat onus damnorum et expensarum quæ intuitu societatis adveniunt; 4°. ut quisque diligentiam eamdem adhibeat in societate, ac in negotiatione privata.—Cf. S. Alphons. n. 905.

Dico **2°.** Contractus *trinus* pariter licitus est juxta communem sententiam theologorum, modo pecunia impendatur in negotiatione. Ratio est: 1°. quia tres illi contractus separatim et cum diversis personis sunt de se liciti et justi: ergo etiam si fiant simul et cum eadem; 2°. quia nihil est contra æqualitatem; nam datur compensatio, et periculum a tribuente pecuniam æquivalenter sustinetur; 3°. quia Benedictus XIV. declarat, in opere *de Synod. diœces.*, lib. 10. cap. 5. posse defendi opinionem quæ asserit contractum trinum a Sixto V. non esse damnatum, et in Encyclica *Vix pervenit* dicit, se nolle damnare contractus de quibus inter theologos disputatur.—Cf. S. Alphons. n. 908.—Kenrick, n. 136.

CAPUT III.

DE LOCATIONE.

547. *Locatio* (*lease*) est contractus quo usus, vel fructus rei, aut personæ opera pro certa mercede ad tempus ab uno accipitur et ab altero conceditur. Qui rem tradit in usum vel utilitatem alterius, dicitur *locator*, alter *locatarius* seu *conductor* nuncupatur. Porro variæ numerantur locationis species, scilicet, locatio ædificiorum, agrorum, animalium, laboris et famulatus, etc.

548. Circa contractum *locationis* sufficiat hæc adnotare:

I. Regulæ generales locationis sunt sequentes: 1°. locatarius potest sublocare, nisi aliud fuerit stipulatum, vel inde locatori detrimentum fiat; 2°. locatio non solvitur per mortem contrahentium, sed ad hæ-

redes transit; 3°. si tempus locationis non fuit determinatum, cessare potest ad arbitrium alterius contrahentis, dummodo alterum congruo tempore moneat juxta locorum consuetudinem, et rei locatæ naturam; 4°. si locator rem locatam vendiderit, non potest expelli locatarius, sed terminus locationis est expectandus.

II. Obligationes locatoris sunt istæ: 1°. tenetur aperire vitia noxia rei locandæ; 2°. præstare debet ut locatarius tranquille ea fruatur; 3°. expensas necessarias rei locatæ reparandæ sustinere ipsi incumbit; 4°. formam rei locatæ absque consensu locatarii mutare nequit.

III. Obligationes locatarii sunt sequentes: 1°. debet uti re locata tanquam bonus paterfamilias ad solum finem locationis; 2°. tenetur ea reficere vel reparare quæ culpa ipsius perierunt, aut deteriora facta sunt; 3°. de damnis autem quæ ex culpa ipsius tantum juridica res locata subit, non tenetur nisi post sententiam judicis.—Cf. Kenrick, n. 43. et 44.

549. QUAERES. *An locatarius agrorum teneatur integram pensionem solvere in casu sterilitatis ob grandinem, vel aliud infortunium extraordinarium?*

RESP. *Neg.*, quia licet aliquibus videatur in rigore justitiæ de jure naturali ad id teneri, attamen consuetudine generali introductum est, ut, si ingens sit jactura, aliquid remittatur, et damnum ex æquo ab utroque subeatur.—Excipe, nisi ex fructibus per alios annos perceptis æqua detur compensatio.—Ita S. Alphonsus, n. 860.—Verum ex jure communi, ait Kenrick: "Si pactum speciale sit de solvenda certa quadam pecunia quotannis tanquam pensione, conductor tenebitur eam solvere etsi fulgur, tempestas aut incursus hostilis obstiterit ne rem locatam tranquille possederit."—Cf. Kenrick, n. 43.

Ad contractum locationis aliquatenus accedunt *emphyteusis* et *feudum*. Emphyteusis est contractus quo res immobilis conceditur alteri quoad dominium utile, vel in perpetuum, vel saltem ad 10 annos cum onere solvendi pensionem annuam domino directo. Feudum vero est contractus emphyteusi similis, seu traditio rei immobilis ad dominium utile, cum onere exhibendi domino directo obsequium seu fidelitatem. Differunt tamen emphyteusis et feudum a locatione, quia nequeunt constitui nisi in re immobili, nec ad brevius tempus quam ad decennium. —Cf. Kenrick, n. 43. 44. 145. et 146.

CAPUT IV.

DE CONTRACTIBUS SUBSIDIARIIS.

Contractus subsidiarii illi dicuntur qui adhibentur ad securitatem alterius contractus, cujus sunt veluti confirmatio aut sigillum.—Tres præcipue numerantur, scilicet, fidejussio, pignus, et hypotheca. De unoquoque breviter dicetur.

550. *Fidejussio* (*bond, bail-bond, security*) est contractus quo quis alienam obligationem in se suscipit, si non solvat debitor principalis. Fidejussionis instar est quando quis litteris cambii, vel chirographo alieno suum inscribit nomen, ut pecuniam, deducta usura legitima, recipiat, prout fit apud nostras publicas mensas.—Cf. Kenrick. tract. 11. n. 141. et auctores ibi citatos.

De fidejussione hæc pauca notanda sunt:

I. Nemo fidejussor esse potest nisi liberam bonorum administrationem habeat.

II. Fidejussor tenetur erga creditores de omnibus obligationibus debitoris, sed solummodo in illius defectu, seu impotentia et quidem juridice probata.

III. Fidejussor, qui pro debitore solvit, omnibus creditoris juribus subrogatur, et proinde recursum in eumdem debitorem habet, ut ab eo repetat quidquid ejus loco solvere coactus fuit.

IV. Obligatio fidejussoris ad ipsius hæredes transmittitur, quia est obligatio realis, non vero personalis.

551. *Pignus* (*pawn, pledge*) est contractus quo debitor rem mobilem creditori dat in assecurationem crediti. Quandoque autem pignoris nomine venit ipsa res oppignorata.

De pignore hæc sunt notanda:

I. *Debitor* pignus tradens debet 1°. tradere creditori pignus idoneum; 2°. refundere creditori impensas necessarias quæ factæ fuerint ad rei conservationem; 3°. pignus non repetere priusquam integrum debitum solverit, nisi eo creditor abutatur.

II. *Creditor* pignus accipiens debet 1°. non uti re sibi credita, nisi de consensu debitoris; 2°. diligenter pignus custodire; secus, de damno

tenetur; 3°. fructus ex pignore perceptos in debiti diminutionem computare, ad æqualitatem scilicet servandam; 4°. non vendere pignus propria auctoritate ad solutionem obtinendam, nisi debitor sit in mora culpabili, et prius monitus fuerit.—Cf. S. Alphons. n. 913. et seqq.—Kent, *Comment.* vol. 2. part. 5. lect. 40. n. 577. et seqq.

Pignori accedit contractus qui dicitur *antichresis.* Est autem antichresis pignoris species qua debitor tradit rem immobilem in usum creditoris, usquedum debitum solvatur.—Cf. S. Alphons. n. 916.

Pignori etiam accedit id quod apud nos dicitur *a lien* quod in eo consistit ut legalis possessor aliquorum bonorum possit ea detinere donec satisfiat juri quod habet contra verum eorum dominum.—Cf. Kent, *Comment.* vol. 2. lect. 41. n. 634. et seqq.

552. *Hypotheca* (*mortgage*) est contractus quo debitor rem aliquam immobilem creditori obligat ad debiti securitatem: ædes, et prædia passim ita traduntur. Quare hypotheca differt a pignore, et ab antichresi; a pignore quidem, quia res quæ traditur in hypotheca est immobilis; ab antichresi autem, quia non traditur usus.—Cf. S. Alphons. n. 913.—Kenrick, n. 140.

De hypotheca hæc tantum sunt dicenda:

I. Contractus hypothecæ, servatis dispositionibus legis positivæ, licitus omnino est, ut constat tum quia nihil in eo est quod juri naturæ repugnat, tum quia praxis et jura positiva omnium fere populorum illum admittunt.

II. Tanta est vis hypothecæ ut si debitor neglexerit solvere quotannis legitimum auctuarium, et sortem tempore statuto, poterit creditor in foro conscientiæ possessionem rei hypothecatæ sibi vindicare, vel eam venalem exhibere, servato tamen judicii ordine.—Cf. Kenrick, ibid.

Hypothecæ valde affinis est contractus qui apud nos dicitur *bottomry,* et qui in eo consistit ut navis obligetur pro accepta pecunia: vocatur autem tali nomine quia sumitur pars navis, scilicet fundus, pro tota navi.—Cf. Kenrick, tract. 11. n. 140. cum notis (1) et (2)

CAPUT V.

DE CONTRACTIBUS ALEATORIIS.

Contractus aleatorii dicuntur illi, qui sortis vicissitudinibus sunt obnoxii vel omnino vel ex parte tantum. Plures numerantur, sed præcipui sunt assecuratio, sponsio, sortitio seu loteria, et ludus. Pauca de unoquoque dicentur.

553. *Assecuratio* (*insurance*) est contractus, quo unus contrahentium periculum alicujus rei in se suscipit, et alter ad determinatum quoddam pretium pro suscepto hujusmodi periculo se obligat. Ita, v. gr., assecuratur vita contra mortem, domus contra incendium, navis contra naufragium, etc.

Dico. Contractus assecurationis licitus est; nam concurrentibus debitis conditionibus, certe in eo servatur æqualitas justitiæ, ut communiter fatentur theologi, et praxis quotidiana confirmat.—Conditiones autem requisitæ sunt sequentes: 1°. ut pretium sit periculo proportionatum; 2°. ut periculum sit verum et utrique parti æqualiter notum; 3°. ut assecurator habeat unde solvere possit; 4°. ut assecuratus servet particulares conditiones contractus.—Cf. S. Alphons. n. 911.—Kenrick, n. 137. et 139.

554. *Sponsio* (*wager*) est contractus quo plures de veritate, aut de eventu rei alicujus contendentes, aliquid sibi invicem spondent, vel apud tertium deponunt, ut sit ejus qui verum dixerit.

Dico. Contractus sponsionis licitus est, positis ponendis; nihil enim inhonesti præ se fert, et communi omnium populorum praxi approbatur.—Conditiones autem sunt: 1°. ut res eodem sensu ab utraque parte intelligatur; 2°. ut sit animus se obligandi et solvendi quod spondetur; 3°. ut eventus sit utrique incertus.—Cf. Kenrick, n. 154.

555. *Loteria* est contractus quo plures aliquid deponunt in commune ut jus habeant sortiendi rem in medio exhibitam. Quidam totum, quidam partem, quidam denique nihil habent.

Dico. Contractus loteriæ est licitus dummodo adsint requisitæ conditiones. Ratio est, quia loteria spectari potest ut emptio rei incertæ, seu ut contractus quo pecunia emitur jus sortiendi et acquirendi id, quod per sortem acciderit: atqui licet emere rem incertam, sicut

pro rei alicujus periculo pacisci. Ergo, etc.—Conditiones autem requisitæ sunt sequentes: 1°. ut nulla sit fraus in schedulis educendis, nec in solvendo præmio quod obtigerit; 2°. ut dominus loteriæ in lucro non excedat, nec plus moraliter lucretur, quam si alio contractu licito pecuniam suam impenderet, vel merces suas distribueret; quamvis tamen si in bonum opus, vel publicam utilitatem instituta sit loteria, communiter admittatur majus posse esse lucrum.

556. *Ludus* est contractus quo ludentes inter se paciscuntur, ut victori cedat pretium quod exposuerunt. Triplex distinguitur ludus: 1°. *industrialis* qui potissimum regitur industria ludentium; 2°. *aleatorius* qui præcipue pendet a casu; 3°. *mixtus* qui partim ab industria, partim etiam a casu pendet, ut, plerumque saltem, est ludus chartarum.

Dico. Nullus ex tribus præfatis ludis est *per se* illicitus, si servantur debitæ conditiones. Ratio est, quia ludus neque bonis moribus repugnat, cum sit *per se* actus honestæ recreationis, neque justitiæ commutativæ, cum quivis possit bonorum suorum dominium transferre cui et quomodo voluerit.—Dixi *per se*, quia sæpe ex adjunctis ludus evadit res plena periculis, et nisi debita moderatio, quæ sæpenumero difficillima est, in ejus usu adhibeatur, brevi deflectit in detestandum abusum.—Requisitæ autem conditiones sunt sequentes: 1°. ut ludens liberam habeat rerum, quas exponit, administrationem; 2°. ut a ludo exsulent fraus et dolus; 3°. ut utrinque moraliter æquale sit perdendi periculum; 4°. ut ludus sit honestus in se, nec lege prohibitus; 5°. ut non exponatur ingens summa, adeo ut familia et creditores inde damnum pati possint.

557. QUAERES. *An teneatur ad restituendum victor in ludo prohibito, vel ad solvendum in eodem ludo victus?*

RESP. Victor certo non tenetur ad restituendum, quia contractus non semper et ubique declaratur a lege irritus, sed tantum prohibitus; et si alicubi declararetur irritus, quia tamen jure naturæ validus est, ut supponitur, lex positiva nequit, saltem juxta sententiam probabilem, illum invalidare in foro interno. Propter hanc eamdem rationem non est obligandus ad solvendum, in foro conscientiæ, victus in ludo prohibito; est enim probabilis sententia quæ tenet contractum evadere vi legis positivæ irritum.—Cf. S. Alphons. n. 887. et seqq.—Lugo, disp. 22. n. 300., et disp. 31. n. 60.—Lacroix, lib. 3. part. 2. n. 1086.

TRACTATUS

DE OBLIGATIONIBUS PARTICULARIBUS

PARS PRIMA

DE PARTICULARIBUS LAICORUM OBLIGATIONIBUS.

Non de omnibus prorsus obligationibus, neque etiam de quibusdam omnium cujuscumque status laicorum, hic dicetur; sed tantum de principalibus, quibus tenentur homines bono publico addicti et præsertim forenses. Etenim quoad istas præsertim occurrere solent practicæ difficultates; dum e contra casus, qui cæteros laicos attingunt, v. gr., operarios, famulos, mercatores, magistros etc., facilem solutionem habere possunt ex iis quæ alibi passim dicta sunt.

CAPUT I.

DE OBLIGATIONIBUS JUDICUM.

558. ***Dico*** 1°. Judex tenetur ex quasi-contractu cum societate et privatis ad munus suum rite adimplendum, scilicet ad justitiam secundum leges vindicandam, et in delinquentes debitas pœnas decernendas: quod nisi præstet, reus erit violatæ justitiæ tum legalis, tum etiam commutativæ.—Verum quia nequit munere isto recte fungi, nisi habeat dotes sufficientis intelligentiæ et rectitudinis, mortaliter peccat, si illis destitutus, officium judicis petat aut etiam acceptet: quod si inscius sit inopiæ suæ, formaliter quidem non peccabit, at absolvi non debet, nisi facta muneris renuntiatione, vel nisi firmum habeat renuntiandi propositum. Ratio est, quia secus quotidie sese libere exponeret periculo damnificandi proximum.—Cf. S. Alphons. n. 195.

Dico 2°. Si causa certa est, judex tenetur sententiam ferre secundum leges, et ordinem a legibus determinatum; non enim constituitur ad

leges mutandas aut reformandas, sed ad eas executioni mandandas, secluso semper casu speciali, in quo finis potius legis est attendendus, quam cortex verborum. Si vero causa dubia sit, ita erit distinguendum:

1°. In *criminalibus* reo favendum est, nisi de crimine constet juxta 11. reg. juris in 6°., quæ sic se habet: *Cum sint partium jura obscura, potius favendum est reo quam actori.*

2°. In *civilibus*, et in casu, quo dubium respicit *proprietatem* simul et *possessionem*, judicandum est juxta rationes probabiliores si adsint, quia ab Innoc. XI. damnata fuit prop. 2. quæ ita sonat: "Probabiliter existimo judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem."—Si vero rationes sint ex utraque parte æque probabiles, res dividenda esse videtur.—Cf. Baller. not. (e) p. 2.

3°. In *civilibus* pariter, sed in casu quo dubium respicit tantum *proprietatem*, standum est pro certo possessore, si pares utrinque militant rationes, juxta reg. 65. juris in 6°., quæ ita se habet: *In pari delicto vel causa melior est conditio possidentis.*— Si autem pro actore stent rationes probabiliores, tunc juxta aliquos judicandum adhuc esset pro possessore; at alii dicunt judicem esse liberum, nec invocari posse prædictam regulam juris; nam tunc par non est causa.—Cf. S. Alphons. n. 210.—Sanchez, *Decal.* lib. 1. cap. 9. n. 43. et seqq.—Salmant. tract. 29. cap. 1. n. 41.—Baller. not. (a) p. 3.

559. **Quæsita.**—QUAER. 1°. *An judex damnare possit reum, quem privata tantum scientia sontem cognoscit, aut innocentem, qui juridice nocens convincitur?*

RESP. Ad 1um. *Neg.* prorsus, quia judex cum sit persona publica, judicare tenetur secundum allegata et probata, formasque lege præscriptas, nisi forte necessitate aliqua superioris ordinis ea prætermittere cogatur.—Ad 2um. autem valde controvertitur. Affirmat quidem S. Thomas propter eamdem rationem, quia scilicet, judex est persona publica, nec aliunde bonum publicum, aut alterius superioris ordinis postulat in hoc casu recursum ad privatam scientiam: negat autem S. Bonaventura, quia occidere innocentem est quid intrinsece malum.—S. Alphonsus tandem utramque sententiam ut probabilem admittit, si agatur de causis civilibus aut etiam criminalibus minoris momenti: si vero casus de criminalibus majoribus et præsertim de capitalibus occurrat,

sententiam S. Bonaventuræ rectiorem putat; quia in priori casu, ait, dici potest incommodum privatum debere bono communi cedere, cum tantum non sit, non autem in posteriori.—Verum apud nos ubi ad *juratos* pertinet decernere de existentia criminis, quamvis judex satagere omnino debeat ut veritas appareat, tamen nullo modo peccat damnando innocentem, quia mechanice veluti agit, pœnam tantum applicando. —Cf. S. Thom. 2–2. q. 64. art. 6. ad. 3., et q. 67. art. 2.—S. Alphons. n. 208.—Lugo, disp. 37. n. 41.—Kenrick, tract. 8. n. 113.

QUAER. 2°. *Utrum juratus saltem possit per suum suffragium damnare reum juridice quidem de crimine convictum, sed cujus innocentiam privata scientia certo cognoscit?*

RESP. *Neg.*, et ratio est, quia hoc videtur contra mentem legis; nam *jurati* pronuntiare debent tantum circa factum, atque juxta intimam convictionem quam de ejus existentia habent, nec ullo modo tenentur reddere rationem legalem opinionis quam proferunt.—Cf. Kenrick, loc. cit.

QUAER. 3°. *An judices, qua tales, possint munera accipere?*

RESP. *Neg.* prorsus, tum quia munera mentem obcæcant, et ad favendum donatori plus æquo impellunt, tum quia in jure canonico lib. 1. tit. 3. cap. 11. in 6°., Bonifacius VIII. expresse prohibuit ne judices munus ullum accipiant, nisi forsan esculentum et poculentum mera liberalitate oblatum.—Si tamen judices munera sponte oblata, et absque ullo pacto de sententia ferenda accipiant, peccant quidem, sed ad restitutionem non tenentur, quia justitiam non violant.—Dixi *absque ullo pacto* etc., quia si munera accipiuntur ad ferendam sententiam aliquam *justam*, certo certius debent restitui, cum non possit esse materia contractus quidquid ex officio atque adeo ex justitia jam erat debitum. Si autem accipiuntur cum pacto ferendi sententiam *injustam*, iterum restitui certo debent antequam ejusmodi sententia feratur: lata autem sententia, controvertitur, et probabilis est sententia quæ tenet posse retineri.—Cf. S. Alphons. n. 212. et seqq.—Layman, lib. 3. tract. 4. cap. 4. n. 9.—Baller. not. (b) p. 5.

QUAER. 4°. *An liceat, apud nos, judici catholico ferre sententiam divortii, quando petitur juxta leges civiles?*

RESP. *Affirm.*, saltem probabiliter, et ratio est, quia judex ita agendo materialem tantum ponit cooperationem quæ, gravi causa interveniente,

licita est. Hæc autem gravis causa, apud nos, semper adest, cum, ut ait Kenrick, "catholicus vix posset judicis munere fungi si nollet divortium decernere, delicto in judicium probato." Etenim etiamsi ab iis qui divortium petunt intendatur proprie annullatio vinculi, et libertas convolandi ad novas nuptias, judex legem applicando non est causa efficax pravæ istius intentionis, ac proinde materialiter tantum cooperatur. A fortiori autem licitum est judici decernere divortium cum ei constat effectus tantum civiles intendi ab iis qui petunt divortium.—Cf. Kenrick, tract. 8. n. 114.

CAPUT II.

DE OBLIGATIONIBUS ADVOCATORUM.

560. ***Dico*** 1°. Advocati tenentur non solum ex justitia legali erga societatem, sed etiam ex justitia commutativa erga litigantes, scientiam competentem habere, causam diligentia et studio debito suscipere ac persequi, dilationes damnosas præcavere, causam clientis serio examinare, fidelitatem illi servare, justitiam vel injustitiam aperire, et gradum probabilitatis eam lucrandi aut perdendi scrupulose indicare, et demum in causa dicenda cavere a fraudibus, falsis probationibus aliisve mediis injustis contra partem adversam.

Dico 2°. In materia civili, advocati rei nequeunt causam certo injustam licite sustinere; quare si eam defendendo obtineant injustam sententiam, omnia damna inde sequentia reparare tenentur, si ab iis non reparentur, in quorum gratiam injusta sententia cadit. A fortiori autem in materia criminali nequeunt advocati suscipere partes accusatoris evidenter injusti.—Cf. S. Alphons. n. 223.

561. ***Quæsita.***—Quaer. 1°. *An advocati possint defendere causas etiam minus probabiles tum reorum, tum actorum?*

Resp. *Affirm.*, in causis *civilibus*, juxta sententiam communem, quia spem habere possunt ut veritas elucescat. In causis vero *criminalibus* reus semper defendi potest, etiamsi omnibus aperte constaret de ipsius culpabilitate; modo id fiat mediis honestis et licitis, seclusis scilicet mendaciis, fraudibus, etc. Ratio est, quia advocatus reum defendens nemini infert injuriam, imo et pro suo officio jus tuetur, quod reus habet, ne

condemnetur antequam in judicio convictus fuerit.—Cf. S. Alphons. n. 220. et 222.—Sanchez, *Decal.* lib. 1. cap. 9. n. 51.

QUAER. 2°. *Ad quid teneatur advocatus ratione honorarii seu stipendii?*

RESP. Nihil, generatim loquendo, potest accipere ultra justum, quod vel lege forte taxatum sit, vel judicio prudentium est determinandum, habita ratione negotii, peritiæ advocati, laboris quem impendit, et consuetudinis receptæ. Sed quoad pauperes in particulari 1°. tenetur gratuito succurrere, etiam cum gravi suo incommodo, iis qui in extrema necessitate versantur; 2°. item iis, qui in gravi necessitate existunt, tenetur gratis patrocinari, et quidem sub peccato mortali, non tamen cum notabili suo incommodo; 3°. denique etiam in communi necessitate causas pauperum tueri tenetur ex caritate, non tamen cum gravi incommodo: sufficit scilicet, ut aliquid operis, quando ab aliis vacet, eis largiatur.—Cf. S. Alphons. *Hom. Ap.* n. 69.

QUAER. 3°. *Quid exigere possit advocatus, si postquam de stipendio conventum est, cliens inceptam causam deserat?*

RESP. Potest totum exigere, si per eum non stet quominus item prosequatur, non secus ac suam operam pro aliqua mercede locans exigere hanc potest, si per conductorem stet, ne opus compleatur. Excipe tamen, si justa intervenit causa litem deserendi, cum hæc conditio semper in conventione subintelligatur.—Cf. S. Alphons. ibid.

QUAER. 4°. *Ad quid teneatur advocatus qui, causa jam incepta, advertit eam esse injustam?*

RESP. Debet statim admonere clientem de injustitia causæ, et eam deserere, ne damno injusto cooperetur: neque compositionem suadere potest, siquidem hæc nonnisi in re dubia locum habere debet. Si vero causam injustam scienter fuerit prosecutus, omnia damna utrique parti obvenientia compensare tenebitur. Parti enim adversæ restituere debet *ex peccato commissionis*, cum causa damni positiva ipse fuerit; suo autem clienti, si in bona fide versabatur, *ex peccato omissionis;* siquidem eum *ex officio* de injustitia causæ admonere tenebatur. Advocatus tamen, deserendo causam quam injustam esse detegit, non debet aliam partem juvare, seu secreta suæ causæ alteri parti revelare, ut patet ex jure naturali, et expresse docet S. Thomas, 2–2. q. 71. art. 3.

QUAER. 5°. *An et quomodo peccet advocatus qui causam justam mediis injustis defendit, v. gr., si chirographum novum substituat loco prioris amissi, etc.?*

RESP. Peccat contra fidelitatem et veritatem, gravius quidem aut minus graviter pro ratione injusti medii adhibiti, et rei de qua agitur gravitate. Nec excusari potest ex fine bono quem intendit; non enim sunt facienda mala, ut eveniant bona. Verum *per se* non peccat contra justitiam, cum causa justa supponatur, quamvis per accidens potest justitiam lædere, et ad restitutionem obligari, nempe si inde damnum suæ parti vel parti adversæ adveniat: si enim, v. gr., fraus detegatur, facile evenire potest, ut causa utcumque bona in suspicionem deducatur et corruat.—Et eadem solutio, ut videtur, danda est, si advocatus non solum novum chirographum priori substituat, sed illud supponat quod nunquam extitit; nam etsi gravius tunc peccet, non tamen proprie et per se justitiam commutativam violat.

QUAER. 6°. *An liceat advocato petere et vindicare dissolutionem matrimonii juxta leges uniuscujusque Status?*

RESP. Quoniam, ut ait S. Alphonsus, "advocatus non se habet ex parte judicis, sed clientis," id tantum videtur ei concedi posse, hac in re, quod conceditur clienti. Cliens autem uti potest beneficio legis sive cum matrimonium est nullum coram Deo, propter aliquod impedimentum dirimens, sive cum in divortio petendo vult tantum effectus civiles, servato intacto vinculo. Cum autem cliens ideo petit dissolutionem vinculi, quia intendit novum matrimonium attentare, nequit advocatus operam suam præstare, etsi, ut teneatur eam denegare, non sufficit suspicio quælibet sed oportet ut certo sciat talem esse intentionem sui clientis.—Cf. S. Alphons. n. 223.—Kenrick, n. 114.

CAPUT III.

DE OBLIGATIONIBUS REORUM.

Rei dicuntur qui in judicio sive criminali sive civili accusantur, sive nocentes sint, sive innocentes. De ipsis varia occurrunt dubia, præsertim circa criminis confessionem et fugam. Hinc:

562. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *An rei a judice interrogati veritatem fateri teneantur?*

Resp. *Neg.*, si non sint legitime interrogati; scilicet quando judex non est legitimus, vel quando formam judicialem non servat, uti si interrogaret sine prævia accusatione, etc.: addunt etiam, quando non habetur saltem semiplena probatio delicti. Unde sequitur, reos apud nos, ordinarie non teneri ad suum crimen manifestandum, quia interrogationes fiunt ante juridicam probationem. Præterea juxta Constitutionem ipsam qua regimur, nemo potest compelli ad testimonium ferendum contra seipsum in causa criminali. Adverte tamen hoc non esse idem ac mentiri, nam verba illa, "*non sum reus*," significant ex omnium consensu reum nolle crimen fateri.—Cf. S. Alphons. n. 272. et seqq.—Kenrick, tract. 8. n. 133.—Constit. of U. S. Amend. Art. V.

Quaer. 2°. *An liceat reo innocenti fugere vel resistere?*

Resp. Profecto licet ei fugere, et e manibus satellitum sese eripere; sed non licet vim vi repellere, occidendo aut vulnerando, quia publicæ potestatis jura violaret.—Cf. S. Alphons. n. 279.

Quaer. 3°. *An etiam reo, qui vere deliquit, fugere liceat?*

Resp. *Affirm.*, si nondum ad pœnam sententia juridica sit damnatus; quia nemo ante sententiam pœnam solvere tenetur. Item si jam sit damnatus ad pœnam gravissimam, et carcer sit ei assignatus ad custodiam, donec pœna statuta plectatur. Negant autem *communius* Doctores si carcer ad pœnam per sententiam judicis jam fuerit assignatus; quia reus tenetur obedire in executione sententiæ justæ. Excipiunt tamen plures, si ei non dentur necessaria, vel si carcer sit durissimus; quia videtur excedere vires humanas obligatio se non liberandi a pœna gravissima, quando id sine vi et resistentia peragere quis possit.—Cf. S. Alphons. n. 280. et seqq.

Exposita communi hac doctrina, ita, ad nos quod attinet, prosequitur Kenrick, "Existimo pœnas omnes ita a lege statui, et a judice decerni, ut irrogandæ sint a justitiæ ministris; ideoque damnare non audeo eum, qui, jure alieno illæso, se subducit, dummodo tamen vim non adhibeat et publicum ordinem non perturbet."—Cf. Kenrick, n. 138.

CAPUT IV.

DE OBLIGATIONIBUS TESTIUM.

563. ***Dico*** 1°. Nemo tenetur ex justitia sponte se offerre ad testificandum; at quandoque datur talis obligatio ex caritate, v. gr., si possit quis testimonio suo innocentem facile liberare, gravem injustitiam impedire, etc.—Cf. S. Alphons. n. 264.

Dico 2°. Testis legitime citatus tenetur coram judicibus se sistere, juramentum jure præscriptum emittere, integre veritatem et nihil præter veritatem dicere, et deinde postulatis simpliciter juxta conscientiam respondere. Ratio est, quia, supposita citatione legitime applicata, exurgit obligatio vi justitiæ legalis.

Dico 3°. Testis, qui falsum malitiose deposuit, est perjurus, et justitiæ violator, si per suum mendacium positive influxit in damnum aliorum; ac proinde tenetur ad omnium damnorum reparationem, nec non ad falsi juramenti revocationem, cum pari suo damno, etiam cum periculo vitæ, si vi falsi testimonii innocens ad mortem fuerit damnatus.—Cf. S. Alphons. n. 269.

564. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *Ad quid tenetur testis qui falsum dixit ex ignorantia invincibili, vel inadvertentia, aut oblivione inculpabili?*

RESP. Tenetur falsum testimonium aperire, et damnum, eo modo quo potest, impedire: non tenetur tamen ad damni iam secuti reparationem, cum theologicæ culpæ expers sit.—Cf. S. Alphons. n. 269.

QUAER. 2°. *Quandonam testis excusatur a testimonio præstando?*

RESP. Excusatur in sequentibus casibus: 1°. si rem tantum sub secreto confessionis acceperit; 2°. si rem noverit sub secreto commisso, etiamsi non sit explicite promissum; 3°. si rem acceperit a viris non fide dignis; 4°. si sciat reum non peccasse mortaliter, v. gr., propter ignorantiam; 5°. si grave sibi vel suis damnum adventurum prævideat. Excipe tamen quoad 2^{m}. et 5^{m}. casum si damnum commune inde immineat.—Cf. S. Alphons. n. 268.—Lugo, *de just. et jur.* disp. 39. n. 12.

QUAER. 3°. *An testis teneatur revelare crimen omnino occultum, v. gr., quod ipse solus novit?*

RESP. *Affirm.*, juxta leges quæ statuunt vel unicum testem ad damnandum reum sufficere posse.—Cf. Kenrick, n. 123.

QUAER. 4°. *An et quomodo peccet testis qui se abscondit, ne citetur a judice, vel qui post citationem fugit?*

RESP. Testis qui se abscondit ne citetur neque contra obedientiam peccat, quia nemo tenetur obedire præcepto superioris, antequam ei imponatur, neque contra justitiam commutativam, quia mere negative se habet. Potest tamen peccare contra proximi caritatem, ut supra dictum est.— Verum testis qui post citationem fugit, peccat graviter contra justitiam legalem, et contra obedientiam judici debitam in re gravi et ad societatem necessaria; sed probabilius non peccat contra justitiam commutativam, quia citatio illa non imponit obligationem justitiæ, sed tantum obedientiæ.—Cf. S. Alphons. n. 270.—Vogler, n. 337.

QUAER. 5°. *An teneatur ad restitutionem testis qui, legitime interrogatus, celat veritatem, non tamen falsum dicit?*

RESP. *Neg.* probabiliter, et ratio est, quia testis tunc mere negative se habet, nec tenetur veritatem deponere, nisi ex præcepto judicis; et proinde, eam tunc celando, contra solam obedientiam judici debitam, aut etiam contra religionem ob juramentum de veritate dicenda præstitum, peccat.—Cf. S. Alphons. ibid.

CAPUT V.

DE OBLIGATIONIBUS MEDICORUM.

565. ***Dico*** 1°. Medici tenentur ante omnia *sub gravi* habere scientiam et peritiam sufficientem; et adhibere diligentiam proportionatam gravitati rei quæ ipsorum curæ committitur. Si autem in his deficiant, tenentur de omnibus damnis quæ inde sequuntur. Insuper operam suam gratuito præstare debent pauperibus qui in necessitate versantur, ut supra de advocatis dictum est.

Dico 2°. In curandis autem infirmis sequentes regulas servare debent: 1°. tenentur sequi opiniones medicorum securas et tutas, saltem ordinarie, quia periculum ægroti ex probabilitate removeri non potest; 2°. quando certum est aliquod pharmacum infirmis profuturum esse, tenentur illud adhibere, omisso dubio; si autem certum desit, probabilius præferre debent.—Hinc:

Graviter peccat medicus: 1°. si absque sufficienti capacitate gravem morbum curare aggrediatur; 2°. si incurrente gravi et insolito morbo, specialem operam non impendat; 3°. si medicamenta inexplorata, explorandi gratia, adhibeat; 4°. si, non bene perspecta morbi natura, temere præscribat remedia periculosa, præsertim cum discrimine vitæ vel gravis læsionis; 5°. si, agnito periculo, opportune non adsit, diu noctuque eum invisendo, si opus sit, et omnia media apta ad morbum propellendum non adhibeat; 6°. si medicos alios advocari non permittat, ubi oporteret, vel si, alios consulendi causa convocans, ad amicitiam potius quam ad peritiam attendat; 7°. si e contrario sine necessitate alios medicos advocet cum expensis inutilibus ægroto, aut si contra suam conscientiam eorum consiliis adhæreat; 8°. si curationem protrahat lucri causa, visitationes inutiliter multiplicet, ubi pro singulis salarium exigitur; vel si pretium nimium exigat; 9°. si ad favendum pharmacopolis amicis, pharmaca superflua præscribat; 10°. si abortum, aut media illud procurandi, suadeat aut ipsemet exsequatur; 11°. tandem graviter, imo gravissime peccat medicus, si non præmoneat de gravi periculo ægri, ut ipsi sacramenta conferantur. — Cf. S. Alphons. n. 291. *de secundo præc. Decal.* n. 182., et *de Sacram. Pœnit.* n. 664.

566. QUAERES. *Ad quid specialiter tenetur medicus quoad animam ægrotantis cujus curam suscepit?*

RESP. Tenetur *per se* sub gravi, eum admonere de gravi periculo in quo versatur, et de necessitate sacramenta recipiendi, ne decedat absque absolutione, Viatico et Extrema Unctione. Constat 1°. ex lege naturali, seu ex præcepto caritatis; 2°. ex Decretali notissima ab Innocentio III. lata in Concilio generali Later. ann. 1245. cap. *Cum infirmitas,* 13. *de Pœnit. et remiss.*, et ab aliis subsequentibus Pontificibus, maxime a S. Pio V. in Motu Prop. *Super gregem*, ann. 1566. confirmata ac renovata.—Non tamen semper est necessarium, ut medicus *per se* moneat ægrum de proximo mortis periculo. Sufficit interdum, ut curet eum admoneri a propinquis vel amicis, ita ut benevole sacerdotem admittat, atque ad recipienda sacramenta inducatur. Si æger notum habeat confessarium, satis erit si iste de statu pœnitentis sui moneatur.

PARS SECUNDA

DE PARTICULARIBUS CLERICORUM OBLIGATIONIBUS.

CAPUT I.

DE OBLIGATIONIBUS CLERICIS OMNIBUS COMMUNIBUS.

Inter obligationes clericis omnibus communes, aliæ sunt positivæ, et aliæ negativæ; scilicet clericis omnibus aliqua præcipiuntur et aliqua interdicuntur. De utroque genere obligationum breviter dicetur, et primum de positivis.

ARTICULUS I.

DE POSITIVIS CLERICORUM OBLIGATIONIBUS.

§ I. De vitæ sanctitate.

567. ***Dico.*** Magna debet esse clericorum interna sanctitas, et exterior ædificatio, ut eruitur ex ipsa sola clericatus et sacerdotii idea, et fidelium sensu. Quamvis autem necessitas hujus sanctitatis probatione proprie non indigeat, præstat tamen hic exponere undenam ea colligitur.

1°. *Ex natura status clericalis.* Sanctissimum est clericorum ministerium, cum ii semper ad res sacras, ad sacramenta fidelibus conferenda, ad laudes divinas solemniter nomine Ecclesiæ persolvendas, ad Christianum populum de via salutis æternæ edocendum, necnon ad sacrosanctum Missæ sacrificium celebrandum proxime vel saltem remote applicentur. Cur enim sunt clerici et sacerdotes in Ecclesia constituti? Ut sint, teste Evangelio, sal terræ et lux mundi. Porro tales non possunt esse, nisi insigni et præclara morum sanctitate præfulgeant. Non solum adimplendorum officiorum sublimitas et excellentia, sed etiam vestes, quibus induitur clericus, clamant ipsum sanctitatem profiteri debere. Hinc ait S. Hieronymus, Epistola 58: "Clamat vestis, clamat status, clamat professio animi sanctitatem."

2°. *Ex Scriptura.* Sic de sacerdotibus antiquæ legis aiebat Dominus, Levit. xxi. 6: "Sancti erunt Deo suo, et non polluent nomen ejus: incensum enim Domini et panes Dei sui offerunt, et ideo sancti erunt." Item apud Isaiam, lii. 11. dicitur: "Mundamini, qui fertis vasa Domi-

ni." Porro si tanta vitæ sanctitas requirebatur in sacerdotibus qui boves, et oves, aliaque animalia Deo offerebant, quid requirendum erit in iis qui ipsum divinum Agnum sacrificant? Et si tanta munditities requirebatur in iis qui vasa Domini ferebant, quænam animi puritas requirenda est in iis qui in manibus Dominum ipsum portant?

3°. *Ex Patribus et Doctoribus Ecclesiæ.* Sic S. Chrysostomus, Hom. 10. in I. Epist. ad Timoth.: "Sacerdos debet vitam habere immaculatam, ut omnes in illum, veluti in aliquod exemplum excellens, intueantur; idcirco enim nos elegit Deus, ut simus quasi luminaria et magistri cæterorum, ac veluti Angeli versemur in terris." S. Thomas, Suppl., q. 35. art. 1. ad. 3: "Ad idoneam executionem Ordinum, non sufficit bonitas qualiscumque, sed requiritur bonitas excellens, ut sicut illi, qui Ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu Ordinis, ita et superiores sint merito sanctitatis."

4°. *Ex Conciliis.* Innumera habentur in jure canonico de sanctitate clericorum, quæ etiam Conciliis permultis confirmantur. Sufficiat autem pauca referre: Concilium Trid. solemni decreto sess. 22. cap. 1. *de Reformat.* hæc habet: "Sic decet omnino clericos in sortem Domini vocatos vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus, nil nisi grave, moderatum, ac religione plenum præ se ferant."—Et *Conc. Plen. Balt.* II. n. 152: "Ubicumque fuerint (sacerdotes) tum incessu et gestu, tum vultu ipso et voce modestiam quæ decet ac gravitatem præseferant. Nimiam vocis elationem, risum immodicum, scurriles jocos, quidquid denique animi haud bene compositi indicium est summo studio devitent."

§ II. De cælibatu.

568. ***Dico.*** Clerici omnes, sacros Ordines suscipientes, ipso facto obligationem cælibatus contrahunt. Constat ex variis juris canonici decretis; sed præsertim ex cap. 1. dist. 28. ubi dicitur: "Nullum subdiaconum facere præsumant Episcopi, nisi qui victurum caste promiserit, quia nullus ad ministerium Altaris accedere debet, nisi hujus castitas ante susceptum ministerium fuerit probata." Item ex Conc. Trid. sess. 24. can. 9. ubi sic definitum est: "Si quis dixerit clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos, posse

matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto, anathema sit."

569. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *An obligatio cælibatus sit de jure divino?*

RESP. *Neg.*, cum sententia communi; sed est ex mera institutione ecclesiastica, scilicet ex vi præcepti Ecclesiæ, vel etiam ex voto sacris Ordinibus adnexo. Ratio est, quia existentiæ talis juris divini nullum potest proferri testimonium, sive scriptum sive traditum, dum e contra juris ecclesiastici existentiam non pauca SS. Canonum loca comprobant, ac præsertim locus ille ex Conc. Trid. supra relato, ubi dicitur: "Non obstante lege ecclesiastica." Ergo, etc.—Cf. S. Alphons. *de Sacram. Ordin.* n. 807.

QUAER. 2°. *An obligatio cælibatus procedat immediate ex præcepto Ecclesiæ, vel mediate, scilicet ex voto quod revera, quamvis tacite, in ipsa ordinatione emittitur?*

RESP. Aliqui probabile putaverunt obligationem cælibatus esse ex sola lege ecclesiastica, neque ullum votum proprie dictum in ordinatione emitti: quæ tamen opinio originem habet, ut videtur, ex doctrina quorumdam veterum perperam intellecta; sed communior et vera sententia tenet hanc obligationem ex voto oriri; quatenus Ecclesia clericis et castitatem, et simul modum castitatem profitendi, scilicet ex voto, præcipit.—Cf. Baller. not. (b) p. 30.

QUAER 3°. *An obligatio cælibatus sit universalis in Ecclesia?*

RESP. Datur aliqua exceptio ex tolerantia Ecclesiæ apud Orientales. In orientali enim Ecclesia sacerdotes quidem nunquam matrimonium inire possunt post ordinationem sacerdotalem, vel etiam post diaconatum; sed conjugati ante diaconatum possunt ad Ordines ulteriores provehi, et nihilominus cum uxoribus conversari. Excipiuntur Episcopi, qui omnes perfectam castitatem constanter servare debent. Apud Græcos autem, subdiaconatus inter sacros Ordines non adnumeratur. Hinc clericis non conjugatis, in ordinatione diaconatus præceptum castitatis imponitur.

QUAER. 4°. *An teneretur ad castitatem, qui expresse nollet castitatem vovere?*

RESP. *Affirm.*, sin minus ex voto, cum nemo invitus voto ligari queat, certe ex præcepto Ecclesiæ, quæ ex motivo religionis eum ad castita-

tem, deficiente voto, adstringeret. Alii volunt, illum teneri ad votum castitatis emittendum ; et posse Ecclesiam ad id eum obligare, nemo diffitebitur.—Cf. S. Alphons. n. 809.

QUAER. 5°. *An vel quandonam conjugatus, vivente uxore, sacros Ordines suscipere valeat?*

RESP. Licite potest conjugatus ad sacros Ordines promoveri ex licentia uxoris expressa et omnino spontanea, modo et ipsa castitatem voveat. Non autem tenetur tunc uxor ingredi Religionem, juxta probabiliorem sententiam, nisi vir ad Episcopatum assumatur; aut etiam nisi fiat Religiosus, et ipsius uxor sit juvenis.—Cf. S. Alphons. *de Sacram. Ordin.* n. 812.

§ III. De gestatione habitus et tonsuræ.

570. ***Dico.*** Clerici, saltem majoribus Ordinibus initiati, obligantur ad ferendam tonsuram et vestem clericalem. Constat ex universo jure can., præsertim ex Conc. Trid., sess. 14. cap. 6. *de Reformat.*, ubi dicitur: "Quia vero etsi habitus non facit monachum, oportet tamen clericos vestes proprio congruentes Ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant." Insuper ibidem injungitur Episcopis, ut prævaricatores serio moneant, et si non obtemperent, eos a sacris functionibus amoveant.

Habitus autem clericalis varius est pro variis regionibus. Standum est igitur tum consuetudini, tum particularibus locorum statutis.

571. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *An peccent graviter clerici non deferentes habitum?*

RESP. *Affirm.*, per se, nisi adsit justa ratio, vel excuset materiæ levitas, seu temporis exiguitas. Admittunt autem communiter, esse veniale semel tantum aut iterum habitum relinquere. Quantum autem temporis spatium requiritur ad peccatum mortale, non in genere, sed ex solis circumstantiis potest determinari. Iter vero agentibus habitus permittitur contractior, sed nigri coloris, et in quo decus et honestas status clericalis eluceant. Potest autem habitus clericalis totaliter relinqui ex gravi causa, v. gr., si immineat persecutio, vel si per loca hæreticorum, infidelium, vel impiorum hominum sit transeundum, etc.—Cf. S. Alphons. *de Sacram. Ordin.* n. 825.—Bened. XIV. *de Synod. diœces.* lib. 11. cap. 8.—Ferraris, V. Clericus.

QUAER. 2°. *Quid specialiter hac in re, præscribitur nostris sacerdotibus?*

RESP. Hæc fuerunt a Patribus Baltimorensibus statuta: "Volumus ut Ecclesiæ legem servent (sacerdotes), domique agentes vel in templo, veste talari, quæ clerico propria est, semper utantur. Cum foras prodeunt muneris vel animi recreandi causa, vel in itinere, breviori quadam indui liceat, quæ tamen nigri coloris sit, et infra genua producatur. Venustiores quasdam et elegantiores vestium formas, quæ novæ in dies inveniuntur, aspernentur et respuant; cum vel graviores inter sæculares homines ab istis abhorreant. Memores tamen sint dignitatis suæ; neque vestitu et habitu horridos et incultos se præbeant. Monet S. Carolus, eximius ille disciplinæ sacræ restitutor et vindex, ne in habitu clericali aut studiosius exquisita cultus elegantia, aut nimis abjecta negligentia et affectatæ sordes appareant." — Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. n. 148. et seqq.

QUAER. 3°. *An peccent graviter clerici non deferentes tonsuram seu coronam?*

RESP. Omissis iis quæ hac de re disputantur juxta jus commune, dicendum est, apud nos, nullam esse obligationem deferendi tonsuram, quia hæreticis inter quos versamur irrisioni foret absque ullo religionis lucro. — Cf. S. Alphons. *de Sacram. Ordin.* n. 826. — Kenrick, tract. 8. n. 2.

§ IV. De recitatione horarum canonicarum.

572. *Horæ canonicæ* dicuntur collectio orationum et lectionum a personis ad id deputatis, certis horis, singulis diebus recitandarum.— Hinc vocantur etiam; 1°. *officium divinum*, quia in honorem Dei recitantur; 2°. *officium ecclesiasticum*, quia nomine Ecclesiæ persolvuntur; 3°. *officium canonicum*, quia juxta Canonum regulas recitandæ sunt; 4°. *Breviarium*, quia Officium illud est compendium Veteris et Novi Testamenti, necnon sententiarum Patrum et vitæ Sanctorum.

Decursu temporum varia fuit forma et quantitas Breviarii. Concilium Tridentinum, sess. 25. *ad calcem*, novam reformationem Breviarii Romani fieri mandavit. S. Pius V. illud correxit, additionibus nonnullis auxit, atque Const. *Quod a Nobis*, die 7. Julii 1568. prohibuit omnia alia Breviaria, quæ ab institutione, seu legitima consuetudine non superabant 200 annos.

Totum Officium divinum in septem Horas dividitur, scilicet Matutinum cum Laudibus, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas et Completorium.

PUNCTUM I.

De obligatione recitandi Horas.

573. ***Dico*** 1°. Obligantur ad Horas canonicas quotidie recitandas 1°. *Clerici* omnes in sacris constituti, etiam suspensi et excommunicati; 2°. *Beneficiati* omnes, qui habent jus in re et plenum dominium beneficii; 3°. *Religiosi* omnes utriusque sexus in Ordine ab Ecclesia approbato professi, et ad chorum destinati. Constat de his omnibus ex Constitutionibus S. Pii V. *Quod a nobis,* et *Ex proximo,* ex consuetudine universali, et ex communi theologorum consensu.—Cf. S. Alphons. n. 140. et seqq.

Dico 2°. Hæc obligatio, quæ sane gravis est, affixa est diei, ita ut nullatenus alia die ipsi satisfieri possit: idcirco, ex mente Ecclesiæ, cum die sibi assignata cessat, atque adeo *onus diei* nuncupari solet.—Cf. S. Alphons. n. 146.

574. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *Quænam sit materia gravis in omissione Officii?*

RESP. Communissime conveniunt theologi, omissionem unius parvæ Horæ, vel Completorii, vel partis Nocturnorum, saltem unius parvæ Horæ quantitati æquivalentis, esse partem notabilem, atque adeo peccatum mortale; omissionem vero minoris partis peccatum veniale non excedere. Hoc autem non importat plura peccata mortalia committi, si, secluso casu retractationis pravæ voluntatis, plures partes notabiles omittantur, quia totum Officium cadit sub uno præcepto.—Cf. S. Alphons. n. 147. et seqq.—Lacroix, lib. 4. n. 1201.

QUAER. 2°. *An Religiosi ad chorum destinati, et qui justa de causa choro non interveniunt, teneantur sub gravi Officium privatim recitare?*

RESP. *Affirm.*, et ratio est, quia principalis obligatio pro Religioso non cadit in chorum, sed in recitationem Officii ratione Religionis, quæ onus illud ex suo instituto suscepit. Hæc obligatio constat ex universali sensu et consuetudine Religiosorum, qui, cum choro interesse non possunt, se credunt sub gravi obligatos ad Officium privatim recitandum. Consuetudo autem universalis, quæ cum magno incommodo a

Religiosis et constanter ubique observata fuit, argumentum sufficiens præbet de gravi obligatione suscepta. Unde non est probabilis opinio aliquorum, qui dicunt obligationem Officii non urgere Religiosum extra chorum.—Cf. S. Alphons. n. 142.

QUAER. 3°. *An peccet graviter Religiosus qui Officium recitat privatim, dum facile choro interesse possit?*

RESP. *Neg.*, quia obligatio chori, licet sit gravis pro communitate, levis tamen habetur pro singulis privatis, modo prorsus chorus non tollatur. Ad chorum autem sufficiunt quatuor expediti, seu validi ad chorum sustinendum. Si vero Religiosi sint pauciores, nullatenus obligantur ad Officium in choro recitandum; a recitatione tamen privata non eximuntur, ut modo dictum est.—Cf. S. Alphons. n. 143.

QUAER. 4°. *An obligati ad Officium teneantur supplere ea quæ omittunt in choro ob functiones chori, v. gr., pulsando campanas, vel organa, aut Psalmos perquirendo, et alia similia?*

RESP. *Neg.*, et ratio est, quia omissio in choro, modo nimia non sit, per socios suppletur. Sic satisfacit qui, aliis recitantibus, tussit, etc., et probabiliter etiam, si integer Psalmus interea dicatur. A fortiori autem repetere non tenetur, qui aliqua partis adversæ non audivit. —Cf. S. Alphons. n. 143.

QUAER. 5°. *An detur adhuc obligatio recitandi Psalmos graduales, officium parvum B. M. V., et officium defunctorum?*

RESP. *Neg.*, sive quoad clericos qui Officium privatim recitant, sive quoad eos qui illud recitant in choro, nisi ubi adest consuetudo officia prædicta recitandi a tempore S. Pii V. Ita *S. Congr. Rit.* pluries declaravit.—Cf. S. Alphons. n. 143.

QUAER. 6°. *An obligati ad Officium, sub gravi recitare debeant officium defunctorum in die commemorationis omnium defunctorum, necnon Litanias in festo S. Marci, et triduo Rogationum?*

RESP. *Affirm.*, in omnibus, prout colligitur tum ex verbis ipsis Rubricæ, tum ex consuetudine quæ est optima legis interpres. Et quamvis S. Alphonsus dixerit, quoad Litanias, se non audere damnare ut improbabilem sententiam eorum qui negabant gravem obligationem eas recitandi, contrarium tamen omnino tenendum videtur ex responsione data a S. Rituum Congr. die 4. Aug. 1877.—Cf. *Acta S. Sedis*, vol. 13. p. 429.—S. Alphons. n. 161.

QUAER. 7°. *An Moniales quæ obligantur ad recitandum officium B. M. V., illud sub gravi teneantur recitare?*

RESP. *Neg.*, si agatur de illis Monialibus quæ neque sunt ad chorum destinatæ, neque sunt Moniales stricte dictæ, uti v. gr., sorores a Mercede. Imo non solum sub gravi, sed neque sub levi, per se tenentur, quia obligatio recitandi officium B. M. V. apud hujusmodi Moniales provenit ex regulis, quæ non obligant sub peccato.—Si vero agatur de Monialibus a Visitatione quæ sunt utique ad chorum destinatæ et generatim etiam emittunt vota solemnia, distinguendum est inter illas quæ de facto, apud nos, emiserint vota solemnia et illas quæ vota tantum simplicia nuncupaverint, et dicendum est primas teneri sub gravi non autem secundas. Etenim Episcopo Cenomanensi quærenti: "An Moniales in genere stricte obligentur sub gravi vi suæ professionis ad recitationem divini Officii suo Instituto proprii?" responsum est a S. Congr. EE. et RR. die 19. Apr. 1844. "Affirmative quoad Moniales vota solemnia professas juxta regulam ab apostolica sede approbatam in qua hujusmodi onus imponitur. Si autem tale onus in regulis non imponatur, consulat probatos auctores relate ad obligationem, quæ ex consuetudine oriri potest. Ubi vero vota simplicia sint, non teneri." —Quænam autem sint Moniales quæ, apud nos, emittunt vota solemnia dicetur inferius.

QUAER. 8°. *An si quis dubitet utrum omiserit aliquid in Officio teneatur id recitare?*

RESP. *Neg.*, si dubium sit positivum, id est, si probabiliter judicet se satisfecisse, ut constat ex dictis de probabilismo.—S. Alphonsus dixit hanc sententiam esse communissimam, etsi postea in QQ. Reformatis eam retractaverit.—Cf. S. Alphons. n. 150.—QQ. *reform.*, *elen.* 2. n. 1. —Baller. not. (c) p. 38.

Hinc bene excusaris a repetendo Officio, si non memineris te dixisse aliquid, et habeas justam conjecturam credendi quod dixeris: puta, si recorderis te incepisse Psalmum, vel Lectionem aliquam, aut Horam, et postea distractus ad finem Psalmi, Lectionis, Horæ deveneris, quin recorderis an totam recitaveris; præsumptio enim tibi favet, quia soles integre recitare ea, quorum recitationem incepisti. Item si deveneris ad aliquam Horam, v. gr., Sextam, et dubites utrum præcedentem re-

citaveris eamdem tenere potes decisionem, quia non soles recitare Horam posteriorem, nisi priorem præmiseris et ideo prudenter credere potes te nihil omisisse.

Punctum II.

De tempore ad Horas recitandas debito.

575. ***Dico*** 1°. Tempus ad integram Officii recitationem adimplendam præfinitum, incipit a media nocte, et ad mediam noctem sequentem terminatur, ita ut semper a peccato gravi sit eximendus quisquis intra hoc tempus integrum recitat Officium, quacumque hora tali muneri satisfaciat. Imo Matutinum et Laudes, ex privilegio ab Ecclesia concesso, pridie sub Vespere recitari possunt: quo tamen privilegio nemo uti tenetur, etiamsi prævideat impedimentum recitandi Officium ipsa die obligationis.—Cf. S. Alphons. n. 172.

Dico 2°. Olim sic Horæ recitabantur: Matutinum post mediam noctem, Laudes ad auroram, Prima post solis ortum, Tertia ad horam nonam matutinam, Sexta ad meridiem, Nona ad horam tertiam pomeridianam, Vesperæ ad solis occasum, Completorium ad noctis crepusculum. Hinc clericus ordinatus subdiaconus tenetur tantum ad recitandas Horas tempori ordinationis correspondentes. Igitur si ordinatio fiat ante horam nonam matutinam, tenebitur ad Tertiam recitandam, non vero ad Horas antecedentes.—Cf. S. Alphons. n. 140.

Dico 3°. Hodie vero ex consuetudine, et theologorum consensu, Horæ parvæ quocumque tempore matutino recitari possunt; imo duæ priores scilicet Prima et Tertia non solum possunt sed etiam debent ante meridiem recitari. Vesperæ et Completorium a meridie usque ad mediam noctem recitantur. In Quadragesima tamen Vesperæ ante meridiem recitari possunt, ob antiquam disciplinam, juxta quam jejunium ante Vesperarum recitationem non frangebatur, postea vero decursu temporum, anticipata hora prandii usque ad meridiem, etiam hora Vesperarum cœpit anticipari. Exinde etiam patet cur excipiuntur dies Dominici, quia scilicet iis diebus jejunium non servatur. —Cf. S. Alphons. *Hom. Ap.* Append. 3. n. 74.

576. ***Quæsita.***—Quaer. 1°. *An et qualis adsit obligatio recitandi Matutinum et Laudes ante Missam?*

RESP. Certum videtur adesse aliquam obligationem, ut eruitur tum ex Const. Innocentii IV. ann. 1254., tum ex Rubrica Missalis Tit. I. de *Præpar. Sacerd. celebraturi*, et præsertim Tit. X. *de defect.*—At communiter docetur talem obligationem levem esse, ab eaque excusare quamlibet mediocrem causam rationabilem, non secus ac qualibet causa utili vel honesta interveniente, licite omnino quis poterit sive Vesperas et Completorium tempore matutino, sive Matutinum et Laudes, Primam et Tertiam tempore vespertino recitare.—Cf. S. Alphons. n. 173. et *de Euchar.* n. 347.—Bened. XIV. *de Sacr. Missæ*, lib. 3. cap. 13.

QUAER. 2°. *Quanam hora liceat incipere recitationem Matutini vespere diei præcedentis, juxta privilegium supra relatum?*

RESP. Certe licet incipere hora Vesperarum, quæ habetur quando sol medium cursum tenet inter meridiem et occasum, tunc enim juxta omnes incipit dies ecclesiasticus. Verum non desunt theologi, qui putant Matutinum posse quotidie incipi hora secunda post meridiem. S. Alphonsus quidem rejicit hanc sententiam quam olim tenuerat; at non videtur ea penitus destitui sua probabilitate, ac proinde si quis Matutinum recitaverit post horam quidem secundam, sed ante tempus a Rubrica præfixum, præsertim in locis ubi non conficiuntur tabellæ horam Vesperarum pro diversis anni temporibus determinantes, ab iteranda recitatione excusari posset.—Cf. Baller. not. (b) p. 44.— *Nouvelle Revue Theol.* vol. 15. p. 354.

Ceterum apud nos, nulla esse debet controversia, nam fere omnes Episcopi communicare solent facultatem "recitandi privatim, legitima concurrente causa, Matutinum cum Laudibus diei sequentis, statim duabus post meridiem elapsis horis."

QUAER. 3°. *An Matutinum Officii defunctorum et Litaniæ pro festo S. Marci ac diebus Rogationum, pridie recitari possint?*

RESP. *Affirm.*, pro officio defunctorum, ut constat, tum ex universali consuetudine, tum ex Rubricis quæ sic habent: "Dicto Benedicamus Domino, absolute incipit Matutinum defunctorum." Ergo cum Matutinum Octavæ festi Omnium Sanctorum soleat aut certe possit anticipari, consequenter etiam anticipari potest Matutinum defunctorum. —*Negative* autem respondendum pro Litaniis, et ratio est, quia illæ affixæ sunt diei, nec *per se* videntur conjungi cum Matutino et Laudibus. Insuper supplent assistentiam ad processionem, quæ omnino diei est

affixa. Præterea si festum S. Marci transferatur, non debent juxta Rubricam transferri Litaniæ; ergo Matutino non inhærent, nec ullam connexionem cum illo habent.—Cf. S. Alphons. n. 174.

QUAER. 4°. *Quanam hora incipi possit recitatio Vesperarum mane tempore Quadragesimæ?*

RESP. Dicunt Salmanticenses, Vesperas in Quadragesima recitari posse ab hora undecima, seu una hora ante meridiem. Regula autem generalis est, Vesperas privatim recitari posse eadem hora qua in choro recitari solent. Porro in choro recitari debent post Missam conventualem et Nonam. Hora autem Missæ conventualis a consuetudine locorum pendet. Cæterum nulla adest obligatio Vesperas recitandi ante meridiem, sed est merum privilegium, quo nemo uti tenetur. Completorium autem prædicto privilegio non gaudet; unde etiam per Quadragesimam post meridiem recitandum est. — Cf. Salmant. tract. 16. cap. 3. n. 15.

PUNCTUM III.

De ordine Horas recitandi.

577. ***Dico.*** Duplex est ordo servandus in Breviarii recitatione, scilicet ordo Officiorum et ordo Horarum. Ordo Officiorum describitur in calendario festorum et in rubricis pro illorum translatione, ubi plura simul concurrant. Ordo autem Horarum ille est, qui in Breviario exponitur, nempe ut recitetur primo loco *Matutinum* cum *Laudibus*, deinde subjungantur Horæ parvæ, id est *Prima*, *Tertia*, *Sexta*, *Nona*, et tandem sequantur *Vesperæ* cum *Completorio*.

578. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *An præcepto recitandi Horas satisfaciat qui ex errore vel inadvertentia aliud Officium pro Officio diei recitat?*

RESP. *Affirm.*, et ratio est, quia Ecclesia non præsumitur velle aliquem uno die bis ad hoc onus obligare, et quia substantia recitationis satis servata est. Hinc axioma vulgare, quod veluti regula in hisce adjunctis habetur: *Officium pro Officio valet.* Nulla igitur est obligatio, completa recitatione, aliud Officium recitandi. Consilium tamen est, non vero obligatio, subjungere *propria* Officii omissi. Sed quando Officium esset notabiliter brevius, v. gr., Officium Sancti alicujus pro Officio Dominicæ, facienda videtur aliqua compensatio, v. gr., reci-

tando novem Psalmos ex 1°. Nocturno.—Cf. S. Alphons. n. 161.—Baller. not. (b) p. 50.

QUAER. 2°. *Si quis ex errore recitaverit aliquam partem tantum Officii indebiti, et ad errorem advertat, an possit prosequi inceptum Officium, vel potius teneatur recitare reliqua de Officio diei?*

RESP. Juxta communem sententiam theologorum datur libertas. Potest igitur vel prosequi, vel reliqua recitare de Officio debito, finito tamen Psalmo. vel oratione. Attamen melius est Officium mutare, juxta multos, qui statuunt hanc regulam: *Error corrigitur, ubi deprehenditur.* Cf. Alphons. n. 161.—Lacroix, lib. 4. n. 1255.

QUAER. 3°. *An, cum jam dixeris unum Officium pro altero, possis Officium omissum recitare die qua occurret Officium jam a te recitatum?*

RESP. *Neg.*, sed Officium recitatum iterum est recitandum, quia adest obligatio, etsi levis, se conformandi cum ritu communi Ecclesiæ. Hoc dicit probabilius S. Alphonsus, sed ut moraliter certum habendum est, ex decreto S. R. Congr. die 17. Junii, 1674. apud Gardellini, n. 2634.

QUAER. 4°. *An vel quomodo peccet, qui scienter aliud Officium pro Officio diei recitat?*

RESP. Nullum peccatum facit, si rationabili de causa id faciat, v. gr., si Officium proprium habere facile nequeat, vel si caritatis causa recitet cum socio Officium diversum dicente, modo Officium illud sit a S. Sede approbatum et sit æquale vel fere æquale; imo sola ratio societatis sat rationabilis apparet, ait S. Alphonsus. Secluso vero casu rationabilis causæ erit quidem peccatum, sed veniale tantum, si Officium in æquale aut fere æquale mutetur, quia satisfit obligationi quoad substantiam. Si demum Officium notabiliter brevius recitetur, grave peccatum est, quia tunc non satisfit substantiæ obligationis. Patet tum ex natura rei, tum ex prop. 34. ab Alexandro VII. damnata quæ sic sonat: "In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit præcepto."—Cf. S. Alphons. n. 161.

QUAER. 5°. *Quale sit peccatum ordinem invertere in recitatione Horarum?*

RESP. In recitatione *privata* nunquam excedit veniale, quia talis ordinis inversio gravem deformitatem non continet; ordo enim servandus non est, nisi sub præcepto secundario et tanquam circumstantia minoris momenti. Si autem ex aliqua justa causa ordinem mutes, v.

gr., ad recitandum cum socio, qui jam ulterius in recitatione processit, vel quia non habes Breviarium ad manum, sed tantum Diurnale dum curru veheris, omni prorsus culpa carebis. A fortiori autem hæ rationes et aliæ hujusmodi ab omni culpa te excusant si Matutinum diei sequentis recitas ante absolutum Officium diei præsentis, etiam juxta illos qui in hac inversione aliquam deformitatem invenire volunt, de qua tamen non constat.—In recitatione autem *publica* controvertitur utrum sit peccatum grave, necne, invertere ordinem aut mutare tempus Horarum; sed sententia negans est probabilior, quia hujusmodi inversio aut mutatio non pertinet ad præcepti substantiam, et est mere accidentalis.—Cf. S. Alphons. n. 170. et seqq.—Lacroix, lib. 4. n. 1309. et seqq.

PUNCTUM IV.

De pronuntiatione in Horis recitandis.

579. ***Dico.*** Pronuntiatio debet esse vocalis, integra, et continuata. Et 1°. quidem debet esse *vocalis*, nam Officium recitari debet voce, et quidem distincta; non autem sufficit ut sola mente legatur, aut tantum oculis percurratur; nec satis est, si recitetur gutture vel intra dentes, aut syncopando, linguave titubante abbreviando; nam id quod præcipitur est oratio proprie vocalis: oratio autem non censetur proprie vocalis, nisi voce distincta fiat; 2°. debet esse *integra:* ad integritatem autem pertinent *Pater, Ave, Credo,* in principio et fine Horarum, prout in Rubricis adnotatur, non autem orationes *Aperi Domine,* et *Sacrosanctæ,* quæ solum ex consilio recitantur ; 3°. debet esse *continuata;* ac proinde quæcumque notabilis interruptio intra unam Horam, si absque ullà causa fiat, culpa non caret; sed peccatum veniale non excedit.—Cf. S. Alphons. n. 166.

580. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *An recitans Officium debeat se audire ut possit dici vocaliter orare?*

RESP. *Neg.*, quia oratio vocalis dicitur per oppositionem ad mentalem, et vere habetur quoties verba vere pronuntiantur, utut a nemine audiantur; ac proinde sufficit si ille, qui recitat, conscius sibi sit, se verba pronuntiare.—Cf. S. Alphons. n. 163.

QUAER. 2°. *Quænam sint causæ justæ Officium interrumpendi?*

RESP. Quælibet causa rationabilis sufficit ad Horam quamcumque

interrumpendam; præsertim autem adnumerantur causæ sequentes: 1°. quælibet utilitas propria vel aliena, quæ sine aliquo incommodo differri non possit; 2°. ratio urbanitatis vel caritatis, aut ratio exequendi mandata superiorum; 3°. si excipienda sit confessio alicujus, qui non libenter expectet; 4°. si velis aliquid agere aut adnotare, ut tollas distractionem sive sollicitudinem, v. gr., ne obliviscaris, etc., modo tamen non frequenter fiat; quia frequens interruptio ob hanc causam aliqua irreverentia non caret; 5°. licite etiam potest recitationi interjici aliqua brevis oratio, vel aliquis pius cordis affectus. Minus tamen deceret meditandi gratia in istis diutius et frequenter immorari, quia ratio recitationis seu orationis vocalis non satis servaretur; et si, vocales orationes longiores et minime pertinentes ad Officium interserendo, pars notabilis adderetur Horis, id, juxta quosdam, esset veniale, utpote contra formam præscriptam.—Cf. S. Alphons. n. 168.—Lacroix, lib. 4. n. 1307.

QUAER. 3°. *An Matutinum separari possit a Laudibus?*

RESP. *Affirm.*, juxta communem sententiam, ait enim S. Alphonsus: "Commune est, quod Matutinum potest a Laudibus separari sine ulla causa."—Tunc autem, finito Matutino, dicenda est Oratio de Officio diei, juxta recens responsum S. R. C., datum die 18. Maii, 1883.—Cf. *Nouvelle Revue Theol.* vol. 15. p. 496.—S. Alphons. n. 167.

QUAER. 4°. *An Nocturni separari possint sine causa?*

RESP. *Affirm.*, ut constat ex universali consuetudine, cui nulla lex opponi potest. Imo olim ex praxi Ecclesiæ separabantur, cum in variis noctis horis recitari solerent. Præterea, dicunt non pauci, hanc separationem ita, sine speciali causa factam, posse pertingere ad tres horas. Si autem adsit justa causa, cujus gratia Nocturni separari debeant, intervallum trium horarum potest pro ratione illius causæ longius etiam protrahi. Quare ab omni culpa eximendus est qui, v. gr., recitato primo Nocturno Officii Dominicæ, somno obrutus, duos alios remittit ad diem sequentem.—Cf. S. Alphons. n. 167. et 168.—Reuter, n. 262.

QUAER. 5°. *Ad quid teneatur, ratione pronuntiationis, recitans Horas cum socio, vel cum choro?*

RESP. Ad satisfaciendum obligationi requiritur, 1°. ut recitatio alternis versibus fiat, et si plures quam duo recitent, debet, facto duplici choro, alternatim recitari, quia hic modus Ecclesiæ consuetudine

admittitur; 2°. dicantur versus successive, et non simul; nec unus resumat, antequam alter suum expleverit; 3°. quæ ab uno dicuntur, ab aliis audiantur, ut communicent, et fiat una oratio moralis. Non tamen necesse est, ut audientes submissa voce partem aliorum pronuntient.—Cf. S. Alphons. n. 162.

QUAER. 6°. *An satisfacias, si recites Horas cum laico, aut alio non obligato, aut cum distracto, vel non attento?*

RESP. *Affirm.*, in omnibus, et ratio est, quia hæc non impediunt, quominus tu recites Horas juxta morem Ecclesiæ. Defectus obligationis, vel attentionis ex parte alterius, tuam recitationem non immutat, nec vitiat. Ergo si socius sit obligatus, et non attendat, ipse non satisfacit, non communicando tecum; sed non impedit quominus tu cum eo communices, si recte pronuntiet, et recte audias.—Cf. Lacroix, n. 1295.

PUNCTUM V.

De attentione et devotione in recitandis Horis.

581. ***Dico.*** Officium recitandum est attente et devote, cum sit oratio et quidem publica, seu a ministro publico ab Ecclesia deputato recitanda. Hinc voluntarie distractus in horis recitandis peccat saltem venialiter.

582. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *Quotuplex distinguatur attentio in recitatione Horarum?*

RESP. Duplex, *interna* scilicet et *externa*. Prior consistit in interiori mentis advertentia ad id quod agitur: posterior vero est, quæ excludit omnem externam actionem physice cum recitatione incompossibilem, ut fabulari, scribere, etc. Rursus attentio interna triplex est, scilicet 1°. *spiritualis*, quæ est ad Deum ipsum, ut orationis terminum; 2°. *litteralis*, seu ad sensum verborum, et rerum significationem; 3°. *materialis*, quæ fit ad verba tantum, ad ea nempe rite proferenda.—Quælibet ex istis optima est, et certo sufficit ex omnium sententia.—Cf. S. Alphons. n. 176.

QUAER. 2°. *An requiratur sub gravi aliqua attentio interna?*

RESP. Valde controvertitur inter theologos, sed probabilis est sententia eorum qui dicunt ad satisfaciendum substantiæ recitationis, et ad peccatum mortale removendum, externam attentionem, absolute loquen-

do, sufficere. Ratio est, quia, si requireretur attentio interna, non satisfaceret suæ obligationi qui involuntarie distractus Horas recitaret; nam destructa, quamvis inculpabiliter, rei essentia, res ipsa destructa manet: hoc tamen neque theologi qui contrariam sententiam tenent, admittere volunt. Quare S. Alphonsus sic concludit: "Prima sententia [*scilicet affirmans*] probabilior videtur saltem ob auctoritatem extrinsecam et omnino ut tutior consulenda est; sed secunda negans tum ob Doctorum auctoritatem, quæ non est contemnenda, tum ob rationes non levibus fundamentis innixas, satis probabilis apparet."—Cf. S. Alphons. n. 176. et seqq.—Lacroix, lib. 4. n. 1344.

PUNCTUM VI.

De causis excusantibus a recitatione Horarum.

Causæ a recitatione divini Officii excusantes sunt 1°. impossibilitas; 2°. caritas; 3°. dispensatio.

583. **Dico** 1°.—*Impossibilitas*, sive physica, sive moralis, quæ consistit in gravi difficultate, excusat ab obligatione recitandi Officium, et ratio est, quia ad impossibile nemo tenetur. — Hinc excusatur; 1°. qui non habet Breviarium, quia, v. gr., illud, iter suscipiendo, oblitus est, aut in itinere perdidit, cum impotentia aliud comparandi; 2°. qui gravi morbo laborat, vel qui juste timet, ne ex recitatione gravis subsequatur morbus; 3°. qui tempore persecutionis timet, ne ex recitatione Breviarii prodatur; 4°. qui graviter oculis laborat, etc.—Cf. S. Alphons. n. 154. et seqq.

Dico 2°. *Caritas erga proximum*, id est gravis occupatio, quæ sine scandalo aut notabili detrimento proximi omitti nequeat, excusat a Breviarii recitatione, et ratio est, quia præceptum naturale caritatis prævalet legi ecclesiasticæ.—Hinc excusaris a recitatione Horarum sive totaliter sive partialiter; 1°. si sub nocte Officium, v. gr., Vesperas recitaturus advoceris statim ad moribundum, neque ad Officii obligationem persolvendam tempus vel commoditas tibi suppetat; 2°. si tota die occuperis in excipiendis confessionibus, quæ ob peculiares circumstantias differri non possint, v. gr., in sacris missionibus, ac præsertim sub earum finem, cum sis discessurus etc.; 3°. si concionem sine scandalo

aut famæ detrimento omittere non posses, nec tamen eam præparandi suppeteret tempus, si recitandum esset Officium; 4°. si occuperis tota die in sedandis jurgiis, aut assistendis infirmis, v. gr., tempore morbi contagiosi, etc.—Cf. S. Alphons. n. 156.

Dico 3°. *Dispensatio legitima,* seu a legitimo superiore concessa a dicendo Breviario deobligat. Ratio est, quia supposita legitima relaxatione legis, nequit remanere vis ligandi. Hæc autem dispensatio concedi potest: 1°. a Papa valide in omni casu, etiam sine causa; licite autem ex causa rationabili; 2°. ab Episcopo sed non valide sine causa sufficienti, et tantum cum aliquo in particulari ad tempus.—Cf. S. Alphons. n. 159.

Adverte tamen, in hac regione, aliquos Episcopos, *vi Indulti Apostolici,* solere sacerdotes dispensare a Matutino et Laudibus diei sequentis quotiescumque per quinque horas in una die confessiones sacramentales excipiunt, injuncta breviori alia prece, loco dicti Officii recitanda.

584. ***Quæsita.***—Quaer. 1°. *An impeditus a recitando integro Breviario teneatur ad partem quam recitare potest?*

Resp. *Affirm.*, et ratio est, quia obligatio Breviarii cadit in singulas ejus partes cum res præcepta sit divisibilis. Constat etiam ex prop. 54. damnata ab Innoc. XI. quæ sic jacet: "Qui non potest recitare Matutinum et Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem."—Verum si agitur de infirmo qui totum quidem Officium nequit persolvere, at dubitat num possit aliquam ejus partem recitare, probabiliter ad nihil tenetur, quia secus scrupulis et anxietate nimium angeretur.—Cf. S. Alphons. n. 154. not. 4.

Quaer. 2°. *An tenearis ad Psalmos recitandos, si hos tantum præ manibus habeas, vel scias memoriter, relictis Lectionibus cum Responsoriis?*

Resp. *Affirmant* multi, quia cum possis partem notabilem Officii recitare, nulla est causa, cur ab ea excuseris. *Negant* tamen plures qui dicunt, te ad nihil teneri, quia tunc deficit forma a S. Pio V. præscripta. Horum sententia satis probabilis videtur; nec obstat allata propositio ab Innoc. XI. damnata, quia in illa agitur de eo qui Horas integras absolvere potest.—Cf. S. Alphons. n. 158.—Lacroix, n. 1220.

Quaer. 3°. *An tenearis socium adhibere, si non valeas solus Horas recitare?*

RESP. *Affirm.*, si facile aliquem invenias, quem commode adhibere possis. Ratio est, tum quia in eo casu non datur proprie vera impotentia, tum quia præcepta Ecclesiæ requirunt diligentiam ordinariam ad sui adimpletionem; atqui nullum medium est magis ordinarium, quam socium in recitatione adhibere.—Ergo, etc.—Verum non teneris ad solvendum stipendium ut socium obtineas, nec ad eum cum anxietate et sollicitudine quærendum, quia hoc esset medium extraordinarium.—Cf. S. Alphons. n. 158.—Suarez, *de Relig.* tract. 4. lib. 4. cap. 27. n. 13.

ARTICULUS II.

DE NEGATIVIS CLERICORUM OBLIGATIONIBUS.

585. Generatim clerici prohibentur ne iis se dedant, quæ statum ecclesiasticum dedecent: præsertim vero iis interdicuntur sequentia: 1°. habitatio cum mulieribus; 2°. ludus aleatorius; 3°. gestatio armorum et venatio; 4°. negotiatio; 5°. ingressus in tabernas; 6°. exercitium medicinæ et chirurgiæ. De singulis breviter dicetur.

§ I. De habitatione cum mulieribus.

586. Habitatio sub eodem tecto cum mulieribus jam inde a prioribus Ecclesiæ temporibus clericis per sacros canones generatim prohibita fuit. Sic enim habetur in Concilio Nicæno I. can. 3: "Vetuit omnino magna Synodus, ne liceat Episcopo aut Presbytero, nec Diacono, nec uni penitus eorum qui sunt in clero, introductam habere mulierem, præterquam utique matrem, vel sororem, vel amitam, vel solas personas quæ omnem suspicionem effugiunt."—Hinc plerisque in locis, statutis synodalibus prohibitum reperitur, ne clerici ancillas secum habeant, quæ ætatem 40 annorum non expleverint. Ratio autem præcepti est, tum ut removeatur periculum, quod humana fragilitate incurrere clerici possent, tum ut præcaveantur calumniæ, quæ secus facile innocentibus impingi possent. Huc faciunt verba illa Eccli. xlii. 12: "In medio mulierum noli commorari; de vestimentis enim procedit tinea, et a muliere iniquitas viri."

Ad hanc autem regionem quod attinet sequentia statuerunt Patres Baltimorenses: "Volumus . . . ut sæcularium mulierum, ne suis quidem exceptis, consortio et familiaritate nimia ne utatur; neque eas, licet

propinqua cognatione conjunctas, in eadem secum domo commorari sinat, nisi fuerint vita et moribus spectatissimæ, quæque nullo modo, sive directo sive indirecto, se sacris muneribus gerendis aut rebus ecclesiæ administrandis immisceant. Œconomam, ancillam, aliamve famulam nullam habeat, nisi quæ sit maturioris ætatis, famaque integerrima gaudeat. Nunquam coram illis aut propinquis, si quas apud se habeat, de gregis regimine, de ecclesiæ negotiis, de parochianorum vitiis aut defectibus verba faciat. Quod si hujusmodi mulierculis omnes animi sui sensus aliaque silentio tegenda imprudenter prodat; ipsæ vero (quod plerumque accidit) fuerint quales Paulus describit, otiosæ, quæque per domos cursitant, et 'non solum otiosæ, sed et verbosæ et curiosæ, loquentes quæ non oportet;' tota sacerdotis docentis, monentis, præcipientis auctoritas et imperium corruat necesse est.— Etiam cum fœminis pietatis studio deditis nulla sit ei familiaritas, nulla consuetudo, quam non caritatis aut officii ratio postulet."—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. tit. 3. n. 164.

§ II. De ludo alearum.

587. Ludus alearum, qui scilicet totus situs est in pura sorte, et cujus exitus a mero casu pendet, severe prohibetur clericis, saltem in Ordinibus majoribus constitutis, et beneficiatis. Constat 1°. ex Conc. Later. IV. can. 16. ubi dicitur: "Clerici ad aleas et ludos nón ludant, nec hujusmodi ludis intersint;" 2°. ex Conc. Trid. sess. 22. cap. 1. *de Reformat.*

Spectatis hujusmodi legibus, gravis peccati reus habebatur communiter, qui sacris initiatus ejusmodi ludis lucri gratia et multum indulgeret. Verum ex præsenti consuetudine, antiquorum canonum prohibitio valde videtur temperata. Quare hodie ab omni peccato, juxta multos, immunis censetur clericus qui parce, moderate, privatim et sine scandalo ludit aleis, chartisque, utcumque exitus a fortuna pendeat, si ludat ubi præfati canones non rigide observantur.— Cf. S. Alphons. n. 896. et seqq.

Hac de re Patres Baltimorenses ita loquuntur: "Nonnulli sunt ludi qui, licet privatim et domi fiant, clericum tamen dedecent. Alii sunt, in quibus aleæ quidem, et *chartæ*, quas vocant, pictæ adhibentur; verum, quatenus animum honeste recreare et oblectare possint, a sacris

canonibus non vetantur. Ludos igitur clericus fugiat illicitos; licitis sic utatur, ut ne per excessum aut scandalum illiciti fiant"—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. tit. 3. n. 154.

§ III. De gestatione armorum et venatione.

588. Gestatio armorum, seclusa necessitate, clericis prohibetur. Constat ex jure can. lib. 3. Decret. tit. 1. *de vita et honest. cleric.*, cap. 2. ubi dicitur: "Clerici arma portantes excommunicentur." Ratio est, quia gestatio armorum dedecet characterem clericorum, qui ad exemplum Christi mites esse debent et humiles corde.—Quare dicunt theologi, cum Benedicto XIV., peccare graviter clericos in sacris, qui militiam amplectuntur. Non tamen reprehendendi sunt, qui bello justo cooperantur consilio, adhortatione, vel etiam auxilio, modo arma non gerant nec officio ducis fungantur.—Dixi *seclusa necessitate*, quia necessitas legem non habet; ideoque Patres Baltimorenses postquam dixerint "arma clericorum esse orationes et lacrymas," ita statuunt: "Edicimus, ne clerici arma cujusvis generis ad offensionem vel etiam ad defensionem ferant . . . . nisi forte extra civitatem suspectis locis iter eis faciendum sit."—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. tit. 3. n. 153.

Venatio pariter prohibetur clericis; at venationem intellige clamorosam, seu quæ fit cum canibus et armorum strepitu, vel accipitribus; non vero venationem quietam, v. gr., cum laqueis aut aliis instrumentis. Constat ex variis locis juris can., sed præsertim ex Conc. Later. IV. can. 15. ubi dicitur: "Venationem et aucupationem universis clericis interdicimus; unde nec canes nec aves habere præsumant." Item ex Conc. Trid. sess. 24. cap. 12.—Cf. S. Alphons. *de sept. præc. Decal.* n. 606.

Controvertitur autem, an venatio clamorosa sit peccatum grave, si raro fiat. Negat S. Alphonsus, secluso scandalo. Item non videtur stricte prohibita *per se* venatio cum sclopeto et uno cane; sed generatim indecentiam involvit, nec aliquo scandalo caret, nisi, forte raro fiat. —Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. 153.

§ IV. De negotiatione.

589. Negotiationem agere, sive per se, sive per interpositas personas, prohibetur clericis, sub quorum nomine hic, juxta communem doctrinam, veniunt tantum beneficiati, vel qui sacris initiati sunt.—Constat ex innumeris textibus juris can., præcipue ex Conc. Trid. sess 22. cap. 1. *de Reform.*, et ex Const. Bened. XIV. *Apostolicæ*, 25 Febr. 1741. Neque citra licentiam, aut Sedis Apostolicæ intra Italiam, aut Ordinarii extra Italiam, negotiationi vacare, etiam ob alendæ familiæ necessitatem, clericis licet.—Cf. S. Alphons. *de Contract.* n. 832. et 833.

Adverte tamen lege ecclesiastica interdici tantum negotiationem *proprie dictam*, eam scilicet qua comparatur res, ut ipsa integra et immutata vendatur; non autem *œconomicam* qua emuntur necessaria ad sustentationem, et superflua venduntur, aut *artificialem* qua aliquid emitur, ut per industriam mutatum vendatur.—Cf. S. Thom. 2–2. q. 77. art. 4.—Scavini, lib. 1. tract. 3. n. 477.

Ad nos quod spectat Patres Baltimorenses hæc statuunt: "Canonum præcepta renovantes, edicimus, ne [clerici] rerum bonorumve quorumlibet, aut pecuniæ, mercaturam faciant; ne quæstuosas suo nomine, vel sub alieni nominis involucro negotiationes exerceant; ne aliena prædia lucri causa conducant; ne pro aliis fide jubeant; ne aliorum in negotiis procuratores, inconsulto Episcopo, fiant; ne cujusvis curam ac tutelam, præterquam suorum, nisi Episcopo consentiente, suscipiant."—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. n. 157. et seqq.

§ V. De ingressu in cauponas et tabernas.

590. Ingressus in cauponas et tabernas extra casum necessitatis clericis omnino vetatur ex Conc. Later. IV. ubi legitur: "Tabernas [clerici] prorsus evitent nisi forte causa necessitatis in itinere constituti."

Idem constat ex statuto Patrum Baltimorensium qui aiunt: "Ut flagitii occasionem quæ in cauponis et tabernis deesse non solet, clericis adimamus, cauponarum aditu et usu eis omnino interdicimus, nisi in itinere necessitatis causa."—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. 162. et seqq.

Pari ratione prohibentur etiam clerici quominus theatra ingredian-

tur, et intersint spectaculis et choræis.—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. n. 153.—Scavini, loc. cit. n. 171.

§ VI. **De medicina et chirurgia.**

591. Exercitium medicinæ et chirurgiæ generatim prohibetur clericis multis de causis, sed præsertim, quia opponitur lenitati quam jugiter præ se ferre debent. — Quare Patres Baltimorenses ita n. 153. statuerunt : "Medicinam et chirurgiam, nec lucri gratia nec charitatis specie exerceant. Qua in re districte servanda præcipimus ea quæ a Benedicto XIV. statuta sunt." Quænam autem sint ea quæ statuit Benedictus XIV., videas apud *Conc. Plen. Balt.* II. in Append. p. 287.

CAPUT II.

DE OBLIGATIONIBUS ALIQUIBUS CLERICIS PROPRIIS.

ARTICULUS I.

DE OBLIGATIONIBUS EPISCOPORUM.

Episcoporum obligationes, præter eas quibus in die consecrationis juramento se adstringunt, reducuntur ad residentiam, orationem, prædicationem, et diœceseos visitationem. De singulis breviter dicetur.

592. **Quoad residentiam.**—Episcopi, licet Cardinales sint, tenentur in sua episcopali sede, vel diœcesi residere; verum quia aliquantisper abesse, non est proprie abesse, possunt singulis annis extra diœcesim commorari spatio duorum vel ad summum trium mensium sive continuo sive interpolatim, modo tamen id fiat ex æqua causa, et absque ullo gregis detrimento; quod an ita sit, eorum conscientiæ relinquitur.—Constat ex Conc. Trid. sess. 6. cap. 1. *de Reform.* et sess. 23. cap. 1. *de Reform.*

Facile tamen dari possunt aliæ causæ quæ longiorem postulant absentiam. Harum meminit Sancta Synodus cit. cap., et sunt 1°. *christiana caritas*, si juvandus sit proximus, si lites componendæ: 2°. *urgens necessitas*, v. gr., ob infirmitatem corporis, ob persecutionem tyranni; 3°. *debita obedientia*, Papæ scilicet præstanda; 4°. *evidens Ecclesiæ aut Reipublicæ utilitas.*—Attamen quia adhuc periculum esset ne quis facilius hujusmodi causas adesse putaret, hujus rei judicium non

jam *conscientiæ* Episcoporum relinquit Concilium, sed illud remittit ad Rom. Pontificem, aut ad Metropolitanum, vel, eo absente, ad antiquiorem suffraganeum, sine cujus licentia, *in scriptis* danda, abesse non licet.—Cf. Conc. Trid. sess. 23. cap. 1. *de Reform.*—*Conc. Plen. Balt.* II. n. 91. — S. Alphons. n. 125. — Bouix, *de Episcop.* p. 5. et seqq.

593. **Quoad prædicationem.**—Episcopi strictissima tenentur obligatione verbum Dei prædicandi, per se vel saltem per alios, si fuerint ipsi legitime impediti, ut constat ex Apostolo, II. Tim. iv. 2: "Prædica verbum; insta opportune, importune; argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina," etc. Constat etiam ex Conc. Trid. sess. 5. cap. 2. *de Reform.*

594. **Quoad orationem.**—Episcopi, Apostolorum instar, debent orationi sæpe dare operam, et in divinarum rerum contemplatione se exercere, divinumque lumen sibi, clero populoque universo continenter efflagitare. Quare frequenter et saltem diebus Dominicis ac festis, Sacrum pro diœcesi universa facere debent.—Cf. S. Alphons. *Hom. Ap.* tract. 7. n. 65. et 66.

595. **Quoad visitationem episcopalem.**— Episcopus, utpote totius diœceseos pastor, magnam animarum suæ sollicitudini ac laboribus commissarum curam gerere debet. Quare diligenter diversas suæ jurisdictionis ecclesias obire adstringitur, ut oves suas, uti par est, cognoscat, earum necessitates detegat, media illis occurendi pervestiget. Ad hæc omnia jure divino et naturali obligatur, neque ulla consuetudine lex hæc abrogari vel imminui potest, ut apertum est ex Conc. Trid. sess. 24. cap. 3. *de Reform.*—Cf. S. Alphons. *Hom. Ap.* tract. 7. n. 59. et 60.

De visitatione Episcoporum hæc statuerunt Patres Baltimorenses:

"Meminerint Episcopi se Diœceses suas frequenter ac regulariter visitare districte teneri, non solum ut Confirmationis sacramentum statutis temporibus administrent, verum etiam ut gregem sibi creditum bene cognoscant, eaque omnia, quæ spirituale ejus bonum promoveant, melius providere possint. Quod si ob locorum distantiam et ecclesiarum numerum, quotannis haud possint omnes visitare ecclesias, visitent saltem principaliores et quæ sint urbi Episcopali propiores, eaque ratione visitationem ordinent, ut omni biennio, juxta Tridentini præscriptum,

vel si id fieri nequeat, omni saltem triennio singulas diœceseos perlustrent partes. Gravissimum vero hoc munus episcopale haud præpropere vel perfunctorie, sed omni adhibita diligentia, ac zelo animarum ducti, perficiant; de iis omnibus solerter et de plano inquirentes quæ in Pontificali Romano præscribuntur."

De obligationibus Episcoporum multa alia eaque præclarissima, habentur apud ultimum Concilium Plenarium Baltimorense. Consule igitur tit. 2. cap. 3. 4. et 5., et tit. 3. cap. 1. 2. et 3.

ARTICULUS II.

DE OBLIGATIONIBUS PAROCHORUM.

596. Parochus, semel canonice constitutus, ordinaria gaudet jurisdictione in populum sibi demandatum, et sine nova Episcopi approbatione jus habet ad omnia munia parochialia obeunda. Nullus ergo clericus, dempto Episcopo, et ejus Vicario generali, eorumque delegatis, sacris quibuslibet fungi in ejus ecclesia aut parochia, sine ipsius consensu expresso aut rationabiliter præsumpto, ulla ratione licite potest.

Hæc valent pro Parochis proprie dictis, sed quoniam apud nos, generatim loquendo, excepta scilicet Provincia S. Francisci, non dantur nisi quasi-Parochi, seu Rectores ecclesiarum, jura ipsorum sunt tantum quasi-parochialia, et jurisdictio qua gaudent non *ordinaria* est, sed *delegata*. Hoc autem non impedit quominus illis obligationibus teneantur quæ oriuntur ex jure naturali et divino, non secus ac Parochi proprie dicti. Tenentur autem præsertim ad residentiam, prædicationem, administrationem sacramentorum, correctionem ovium, et ad parochianos præsertim infirmos visitandos. De singulis breviter dicetur.

597. Quoad residentiam.—Parochus ad residentiam obstringitur; quia cum administrationem parochiæ suscepit, sese obligavit ad animarum saluti consulendum, eamque pro virili parte procurandam. Quare debet in domicilio presbyterali commorari, vel, si hoc desit in propiore domo intra parochiæ fines, ut facile adiri possit, et ipse in residentiæ munere obeundo non impediatur. Attamen possunt Parochi juxta jus commune, et a fortiori nostri quasi-Parochi, si veniam ab Ordinario obtineant, justa de causa abesse quotannis per bimestre, modo sacerdotem idoneum per Episcopum sibi substituant. Venia Ordinarii neces-

saria est, etiamsi per hebdomadam abesse velint. Per unum vero vel alterum diem possunt abesse sine speciali licentia, ex causa quæ ipsis videatur legitima, modo sacerdote idoneo parochiam commendent. Ceterum consulenda sunt statuta cujusque Diœceseos.—Cf. Conc. Trid. sess. 23. cap. 1. *de Reform.*—S. Alphons. n. 121. et seqq.

598. **Quoad prædicationem.**—Parochi tenentur sæpius ad populum verba facere, eum salutaribus pabulis alere, saltem diebus Dominicis singulis, et singulis festis majoribus. Graviter ergo peccant Parochi, qui per tempus notabile abstinent a prædicatione. Tempus vero notabile *a multis habetur*, si per integrum continuumque mensem prædicatio deseratur, aut per tres menses non continuos, seu in anno divisos.—Cf. Conc. Trid. sess. 5. cap. 2. *de Reform.*—S. Alphons. n. 269.

Istis quæ a theologis communiter traduntur, ceu pertinentia ad omnes Parochos, accedunt sapientissima monita quæ nostris concionatoribus præbent Patres Baltimorenses. Hæc sunt sequentia:

I. *De materia in concionibus pertractanda.*—"Exponat [concionator] Ecclesiæ docentis ac regentis auctoritatem et potestatem; SS. Trinitatis et Incarnationis mysteria; Sacramentorum naturam, vim et numerum; cæteraque, quibus Christianæ fidei summa continetur. Neque omittat ea Catholicæ doctrinæ capita fusius pertractare, quæ hæretici et increduli, hujus præsertim regionis ac temporis, vel præfracte negant vel in dubium revocant, vel, pro ineptissimo hujus sæculi ingenio, jocis et irrisione potius quam argumentis adgrediuntur .... omnia et singula christiani hominis officia ipse, tanquam Dei legatus et præco, sedulo exponat atque auditorum animis inculcet .... qua in re sacerdotes maximopere adhortamur ut catechismi Romani, tanquam ducis optimi, vestigiis insistant."—

II. *De modo concionandi.*—"Hæc omnia clare et lucide explicet; non tamen quasi cum adversariis ageret, quemadmodum fit in scholis, aut apud polemicos, ut ajunt, theologos; non disputantis more, sed docentis. Liceat quidem iis, qui sectis Christiano nomine falso gloriantibus præsunt, sua opinionum commenta, dubiis et conjecturis involuta, timide et cum quadam hæsitantia proponere .... Sermo sit *facilis*, id est, auditorum captui, accommodatus. Ea igitur tradat, quæ sunt facilia intellectu; non quibus ipse ingenii et acuminis laudem et famam assequatur. Quod si, ut in mysteriis accidit, res ad docendum propo-

sita sit per se ipsa difficilis, quæque humanæ mentis aciem effugiat, primo puram putam ejusdem definitionem, conciliorum aut symbolorum vocibus conceptam, exhibeat; eamque verbis suis, quam maxime fieri potest, claris et apertis amplius explicet. Deinde, per petitas ex rebus creatis et in quotidiano usu positis similitudines, rem, quatenus licet, uberius illustrare satagat. Sic enim per faciliora, quæque ante oculos versantur, difficillima quæque et divina non perfecte quidem, quod fieri nunquam potest, at ex aliqua parte tamen mens humana assequitur."

III. *De vitiis in concionando evitandis.*—"Meminerit verbi divini minister, se omnibus tam insipientibus quam sapientibus esse debitorem. Non igitur 'in sublimitate sermonis, neque in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostentione spiritus et virtutis,' munere suo fungatur. Non fucato sermone inanique verborum pompa, non ambitiosæ facundiæ lenocinio auribus illecebram paret; sed panem vitæ salutarem esurientibus frangat ac porrigat, ut decet Dei ministrum et fidelem mysteriorum Ejus dispensatorem. Curet vero, ne unum vitium effugiendo in alterum incurrat, et sermo ejus ex facili in humilem, rudem et incompositum delabatur. Neque, ut plebecula libentius atque attentius audiat, vocibus e platea et trivio haustis utatur, aut jocis et facetiis indulgeat. Cui enim ne domi quidem et inter suos scurram aut mimum agere licet, id eum in templo, ipsam prope aram, et sacro munere fungentem facere, maximæ impietatis est."

IV. *De frequentia habendi conciones.*—"Qui curam animarum habent, cæterique, qui ad prædicandi munus assumuntur, debent non solum dominicis et festis diebus, verum etiam tempore jejuniorum Quadragesimæ et Adventus Domini quotidie, vel saltem tribus in hebdomada diebus, si ita oportere duxerit Episcopus, Sacras Scripturas, divinamque legem annuntiare; et alias quotiescumque id opportune fieri posse Episcopus judicaverit."

V. *Quomodo quis evadet bonus concionator.*—"Studeat igitur quam diligentissime Concionator ea omnia vitia declinare, quæ verbi prædicationem, quominus optatos habeat effectus, impedire possunt. Atque imprimis, nunquam prodeat ad concionem imparatus, nisi gravissima urgeat necessitas. Quotus enim quisque est, qui de tantis rebus digne disserat, quin antea animo ac cogitatione dicenda volvat atque perpendat? Neque legendo tantum et meditando, sed etiam præcipue, quod

olim monuit Augustinus, orando parare se debet, ut fructus officii sui dignos ferat. Sacros oratores, quorum plurimos recentior ætas tulit, si quis consulat, non improbamus; hortamur autem maxime, ut venerandos Ecclesiæ Patres, Ambrosium, Chrysostomum, Augustinum, Leonem, Gregorium, Bernardum, aliosque, et præcipue Sacram Scripturam diurna et nocturna manu verset; quo propius enim ad fontem acceditur, eo magis illimes ac puriores aquæ hauriuntur."—

Cf. *Conc. Plen. Balt.* tit. 3. cap. 5.

599. **Quoad administrationem sacramentorum.**—Parochi tenentur per se sacramenta ministrare, non modo instante tempore præcepti et gravis necessitatis, sed etiam, quod spectat ad sacramenta quæ possunt iterari, toties quoties oves debite seu non intempestive petunt, nisi sint legitime impediti, vel possint per alium sine incommodo et offensione petentium ipsis consulere. Vide plura alia de hac obligatione dicenda in tractatu de sacramentis in genere.

600. **Quoad correctionem.**—Tenetur Parochus subditos in peccato mortali vel in proximo peccati mortalis periculo versantes corrigere, etiamsi grave periculum subeundum esset, si tamen spes aliqua emendationis affulgere videatur. Debet etiam, in quantum potest, et cum debita prudentia, scandala de medio tollere, vel præcavere per se aut per alios, directe vel indirecte, mandato, consilio, cohortatione, precibus, etc.—Cf. S. Alphons. *Hom. Ap.* tract. 7. n. 30. et seqq.

601. **Quoad visitationem ægrotorum et parochiæ.**—Abusus est animarum saluti valde noxius ægrotos non invisere antequam Parochus ab ipsis accersatur. Cum autem ægrotos inviserit Parochus, eosque sacramentis refecerit, non arbitretur se munus suum adimplevisse; sed illos sæpius visitet, et consoletur. Legantur et pia meditatione recolantur monita Ritualis Romani circa infirmorum curam et visitationem.

Circa parochianorum visitationem præstat ob oculos habere hæc verba Concilii Suessionensis anno 1849. celebrati. "Quamvis a quolibet inutili per parœciam discursu abstinere debeat [Parochus], non tamen officio suo satisfecisse arbitretur, si domi inclusus expectet, ut ad ipsum veniant parochiani. Semper equidem valuit, sed hisce præsertim temporibus valet hoc præceptum Domini: 'Ite ad oves, quæ perierunt, domus Israel.'"

NOTA.—*Parochi tenentur etiam ad orandum pro suis ovibus, et præsertim ad Missam pro iis applicandam omnibus diebus festis et dominicis, sed ab hac obligatione eximuntur nostri quasi-Parochi ut videbimus in tractatu de Eucharistia.*

APPENDIX.

DE PRIVILEGIIS CLERICORUM.

I.—De privilegiis clericorum in communi.

602. Clerici quibusdam gaudent privilegiis ex jure canonico; imo juxta plures ex jure divino, scilicet privilegio immunitatis, ne a curia laicali puniantur, et exemptionis a foro laicali quoad bona propria tum ecclesiastica, tum patrimonialia. Verum hæc privilegia et alia pleraque multis in locis, uti etiam apud nos, non amplius a potestate civili agnoscuntur. Restat tamen ubique privilegium quod vocatur *canonis*, ratione cujus excommunicationem Rom. Pontifici simpliciter reservatam incurrunt, qui manus in clericos injuste inferunt, ut constat ex Conc. Later. II. can. 15. in quo dicitur: "Si quis, suadente diabolo, in clericum vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat;" et ex Const. *Apostolicæ Sedis*, 2. ser. n. 2.

Hoc privilegio fruuntur 1°. Religiosi omnes etiam novitii; 2°. clerici omnes vel simplici tonsura donati; 3°. imo Moniales et omnes religiosæ personæ sub regula in communitate degentes, necnon tertiarii utriusque sexus religiosorum Ordinum habitum gestantes et in communitate viventes.—Cf. S. Alphons. Append. 2. ad tract. *de Legibus*, et *Hom. Ap.* tract. 22. cap. 2.

II.—De privilegiis Episcoporum.

Privilegia Episcoporum respiciunt: 1°. censuras; 2°. irregularitates; 3°. impedimenta matrimonii; 4°. vota et juramenta; 5°. alios casus diversos.—Cf. S. Alphons. *in fine Append. de privilegiis*, et *Hom. Ap.* tract. 20. cap. 3.

603. **Circa censuras.**—1°. Exceptis casibus *specialiter* Romano Pontifici reservatis in Const. *Apostolicæ Sedis*, absolvere possunt subditos a quibuscumque casibus papalibus occultis. Casus autem dicitur occultus, juxta S. Alphonsum, cum crimen non fuerit ad forum contentiosum delatum, neque de facto cognoscatur a pluribus quam quinque vel

sex personis.—Cf. Const. *Apostolicæ Sedis*, § *Firmam.*—S. Alphons. *de censuris*, n. 76.

2°. Possunt absolvere ab omnibus censuris, et casibus papalibus simpliciter, et speciali quoque modo reservatis etiam notoriis seu publicis fideles omnes, qui ob legitimum impedimentum Apostolicam Sedem adire nequeunt, juxta regulam a Doctoribus communiter receptam: "Casus papalis, superveniente impedimento adeundi Papam, fit Episcopalis."—Cf. S. Alphons. *de censuris*, n. 88.—Varceno, vol. 1. p. 127.

3°. Jure communi reservatur Episcopis absolutio censurarum, numero quatuor, vi Const. *Apostolicæ Sedis* ubique vigentium, nempe quæ latæ sunt: 1°. in percutientes leviter clericum; 2°. in clericos sacris initiatos, in Regulares aut Moniales post emissum solemne castitatis votum, personasque cum talibus matrimonium contrahere præsumentes; 3°. in procurantes abortum, effectu secuto; 4°. in scienter utentes litteris Apostolicis falsis, eisque cooperantes.—Constat ex ipsa Const. *Apostolicæ Sedis.*—Cf. Varceno, vol. 1. p. 128.

604. **Circa irregularitates.**—1°. Possunt dispensare ab omnibus irregularitatibus ob delictum occultum, dempta irregularitate ex homicidio voluntario.

2°. In irregularitatibus dubiis ex defectu.

3°. In irregularitatibus non occultis ex defectu natalium ad Ordines minores et beneficia simplicia.—Cf. S. Alphons. Append. *de privileg.* n. 49. et seqq.

605. **Circa impedimenta matrimonii.**— 1°. Possunt dispensare in impedimentis *impedientibus*, exceptis voto castitatis perpetuæ, voto ingrediendæ Religionis, sponsalibus, et impedimento disparitatis cultus inter catholicos et hæreticos.

2°. In impedimentis *supervenientibus*, contracto matrimonio, in ordine ad debitum petendum, v. gr., si affinitatem ideo contraxerint, quod alteruter commercium carnale cum consanguineis alterius habuerit; vel si unus castitatem voverit. Imo Episcopus etiam dispensare potest conjugem a voto perpetuæ castitatis quod ante matrimonium emisit, ut jura matrimonialia exercere queat.

3°. In impedimentis *dirimentibus dubiis.*

4°. *Per accidens* in impedimentis *dirimentibus certis*, tum ante, tum post contractum matrimonium, quando recursus ad Papam est valde

difficilis, vel quando adest periculum in mora, seu ubi instat periculum scandali, infamiæ, incontinentiæ, etc.—Cf. S. Alphons. loc. cit. n. 55. et seqq.

606. **Circa vota et juramenta.**—1°. Dispensare possunt in omnibus votis simplicibus privatis, exceptis quinque Papæ reservatis, nempe castitatis perpetuæ, Religionis, et peregrinationum ad Hierusalem, ad limina Apostolorum et ad S. Jacobum Compostellanum.

2°. In omnibus juramentis, si juramenta excipias a tertio acceptata, quæ metu aut fraude non fuerunt extorta.

607. **Circa casus alios particulares.**—1°. Dispensare possunt in rebus omnibus levioris momenti, tum ex consuetudine, tum quia recursus ad Papam esset nimis incommodus.

2°. In omnibus quæ communiter eveniunt, v. gr., in jejunio, in abstinentia, in Officio divino pro casibus et personis particularibus.

3°. In omnibus statutis, seu legibus, etiam universalibus, quæ habeant clausulam dispensationem generaliter et sine restrictione permittentem, v. gr., *donec dispensetur*. Utrum vero possit Episcopus dispensare in statutis canonicis non expresse reservatis, negativam sententiam omnino tenendam censuit S. Alphonsus, *de Legibus*, n. 191.

4°. Ad faciendum sacrum a meridie. Vi facultatum quinquennalium privilegio fruuntur *celebrandi per unam horam ante auroram, et aliam post meridiem*, et communicandi hanc facultatem sacerdotibus idoneis.

5°. Extra diœcesim commorantes possunt sibi eligere confessarium, modo sit eorum subditus, et eum valent secum educere in diversa loca; at si non est subditus, debet ab Ordinario suo esse approbatus.—Cf. S. Alphons. Append. *de privileg.* n. 65.

6°. Possunt, justa accedente causa, ab interstitiis dispensare ad ordinationem.—Cf. S. Alphons. *de Sacram. Ordin.* n. 795.

Quæ præcedunt respiciunt Episcopos omnes qua tales; at nostri Episcopi, quia degunt in locis Missionum amplioribus gaudent facultatibus, de quibus speciatim sicut hactenus fuit, ita in posterum mentio erit quoties sese præbebit opportunitas.

PARS TERTIA

DE PARTICULARIBUS RELIGIOSORUM OBLIGATIONIBUS.

Obligationes quibus religiosi, qua tales, tenentur, reducuntur præsertim ad observantiam votorum, et aliarum cujusque Ordinis regularum. Antequam autem dicatur de vi harum obligationum, præstat aliquid innuere de natura status religiosi, deque vocatione ad illum.

CAPUT I.

DE NATURA STATUS RELIGIOSI.

608. Status religiosus est stabile vitæ institutum ab Ecclesia approbatum pro fidelibus, qui, sub certa regula et communi vivendi modo, tendere volunt ad perfectionem per tria vota perpetua paupertatis, castitatis, et obedientiæ.—Dixi 1°. *stabile vitæ institutum;* quia status stabilitatem requirit, et aliunde Religiosus per tria vota Religionis se in perpetuum Deo devovet.—Dixi 2°. *ab Ecclesia approbatum;* status enim religiosus, cum sit sacra quædam communitas, a potestate spirituali institui debet. Olim quidem hæc approbatio a quolibet Episcopo pro diœcesi sua concedebatur; sed statutum est postea in Conc. Later. sub Innoc. III. ne nova Religio inducatur, nisi a Summo Pontifice approbata fuerit.—Dixi 3°. *qui .... tendere volunt ad perfectionem;* Religiosus enim, vi suæ Professionis, tenetur *sub gravi* ad studendum aliquo modo perfectioni per votorum observantiam; quia vi suæ Professionis tenetur velle servare suum statum, qui est status perfectionis. Non tenetur autem Religiosus vi suæ Professionis esse perfectus, sed solum perfectioni studere.—Cf. S. Alphons. n. 1.—Craisson, *Manuale juris canonici*, n. 2455. et seqq.

609. Ex data definitione status religiosi colligi possunt quæ sequuntur:

1°. Ut quis sit *vere* et *stricte* religiosus sufficiunt vota *simplicia* facta in aliquo Ordine stricte religioso, scilicet approbato ab Ecclesia ut tali, et cum concessione, pro aliquibus saltem, emittendi vota solemnia. Ratio est, quia tunc verificarentur omnia requisita ad verum statum religiosum. Constat insuper ex Const. Gregorii XIII. *Ascendente Domi-*

no, in qua Pontifex declaravit, esse veros Religiosos in Soc. Jesu etiam illos, qui sola vota simplicia emiserint.

Notandum autem hic est quod ex decreto Pii IX., promulgato per litteras encyclicas S. Congr. Reg. ad superiores Ordinum Religiosorum datas 19. Mart. 1857., Religiosi omnes eorum Ordinum, in quibus vota solemnia emittuntur, in posterum, absoluto tyrocinio, tantum vota *simplicia* emittunt, saltem ad triennium, deinde ad *solemnia* vota admittuntur, si a superioribus suis digni reperiantur. Justis autem de causis professio solemnis etiam diutius poterit differri, quamquam non ultra ætatem 25 annorum expletorum.—Ex declarationibus autem S. Congr. Reg. datis die 25. Febr. 1859., etc., et ad præfatum decretum spectantibus, vota simplicia, de quibus agitur, perpetua sunt ex parte voventis et eorum dispensatio Summo Pontifici reservatur. Ex parte tamen Ordinis solvi per dimissionem professorum possunt, ita ut, data dimissione, eo ipso professi ab omni dictorum votorum vinculo liberi fiant. Nemo vero ex causa infirmitatis post professionem votorum simplicium exortæ dimitti poterit. Cæterum professi horum votorum participes fiunt omnium gratiarum et privilegiorum, quibus solemniter professi in eodem Ordine fruuntur. Quod autem Gregorius XIII. definivit de scholasticis Soc. Jesu, eos nempe esse veros Religiosos, licet simplicia tantum vota emiserint, id ipsum ad eos etiam extendendum videtur, qui prædicta Pii IX. dispositione afficiuntur.—Cf. Baller. not. (a) p. 86.—Craisson, *Manuale jur. can.* n. 2689. et seqq.

2°. Non sunt Religiosi *proprie dicti* ii qui licet tria paupertatis, castitatis, et obedientiæ vota emittant, et in communi vitam ducant, non tamen profitentur regulam aliquam a sede apostolica approbatam. Hinc variæ congregationes virorum aut piarum fœminarum ab uno vel etiam a pluribus Episcopis approbatæ, non constituunt ordines stricte religiosos. Imo etiamsi aliquod pium Institutum approbatum et laudatum fuerit a sede apostolica, cum concessione emittendi in eo vota perpetua, *sed simplicia tantum*, nequeunt dici qui illud amplectuntur religiosi proprie et stricte dicti. Ratio est tum quia, deficientibus undequaque votis solemnibus, deficit etiam vera ratio stabilitatis, tum quia non sufficit quæcumque sedis apostolicæ approbatio ad aliquem ordinem stricte religiosum declarandum.

610. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *Quænam requiruntur ad valorem professionis?*

RESP. Requiritur 1°. aptitudo voventis, scilicet ut decimum sextum annum ætatis suæ integre expleverit; ut saltem annum integrum novitiatus cum religioso habitu transegerit; ut nullum habeat impedimentum, quod ex statutis a S. Pontifice confirmatis substantiale esse censeatur. Requiritur 2°. consensus et acceptatio expressa, vel tacita Prælati Ordinis, vel Capituli, ubi hæc necessaria est. Error autem circa substantiam, tam ex parte profitentis, quam admittentis, professionem irritam facit. Requiritur 3°. libertas voventis, id est ut professio sponte fiat, secluso gravi metu, qui si reverentialis est conjungi debet cum precibus importunis sæpius repetitis, blanditiis, imperio, aut gravi offensione vel indignatione diu continuata consanguineorum.—Cf. S. Alphons. n. 7., et *de Matrim.* n. 1051.

QUAER. 2°. *Ad quid teneatur Episcopus quoad puellas Religionem ingressuras?*

RESP. Tenetur *sub gravi,* ex statuto Concilii Trid., explorare per se vel, ipso impedito, per Vicarium aut deputatum, voluntatem illarum puellarum, tum ante susceptionem habitus, tum ante professionem. Non tamen gravis reputaretur omissio unius e duobus examinibus.—Cæterum invalida non foret professio, si examen utrumque omitteretur, modo puellæ in professione emittenda liberæ fuerint. Requiritur hujusmodi examen, etiamsi monasterium, quod puella ingressura est, exemptum esset a jurisdictione episcopali; quia Episcopus tunc agit uti a Sancta Sede ad id delegatus.

Quamvis præfata lege Concilii Trid. non ligetur Episcopus, nisi quoad moniales quæ vota solemnia emittunt; quia Concilium et S. Pius V. loquuntur de suscipiendis in ordine ad *Professionem,* quæ in jure est *professio solemnis;* attamen Episcopus potest, si velit, vetare ne puellæ, etiam in Congregationibus recentibus quæ solum simplicia vota habent, ad habitum vel professionem admittantur ante factum a se examen, in quo tunc non adstringitur ad formam a Concilio Trid. et S. Pio V. determinatam, sed dumtaxat ad prudentiam et æquitatem a jure naturali præscriptam.—Cf. Bouix, *de Regul.* vol. 1. p. 651. et 658.

QUAER. 3°. *An integritas anni novitiatus requiratur ad validitatem?*

RESP. *Affirm.,* ita ut anno bissextili sit expectandus lapsus diei qui

addendus est. Sic expresse declaravit Congreg. Conc. Trid. Tempus autem novitiatus incipit a momento susceptionis habitus, si quidem agitur de iis Ordinibus qui peculiari habitu utuntur. Quare si novitiatus *proprie interrumpitur*, annus iterum computandus est a momento quo cessat interruptio.

QUAER. 4°. *Quibus mediis et quanam sub obligatione teneatur Religiosus tendere ad perfectionem?*

RESP. Tenetur tendere *primario* per media essentialia status religiosi, nempe per observantiam trium votorum paupertatis, castitatis, et obedientiæ. Et quoniam obligatio tendendi ad perfectionem gravis est *vi status* in quo invenitur, graviter peccabit si sæpe sæpius et in re gravi vota illa infringat. *Secundario* autem tenetur tendere ad perfectionem etiam per media accidentalia, scilicet per proprias Ordinis regulas; et graviter peccabit si eas infringat ex contemptu formali, nempe ipsarum auctoritatem qua talem, et cognitam sapientiam aspernendo. Secus vero si eas violet concupiscentia ductus, vel quia putat eas sibi non esse necessarias ad salutem, vel si cogitet eas non præcipi sub gravi. —Cf. S. Alphons. n. 10.

QUAER. 5°. *An peccet graviter Religiosus qui intendit servare tantum mandata obligantia sub gravi, et de cœteris nullatenus curare?*

RESP. *Neg.*, probabilius, et ratio est, quia eo ipso quod Religiosus velit plura illa adimplere quæ obligant sub gravi, jam tendit ad perfectionem, cum velit adimplere plura quæ respectu aliorum non obligant sed sunt meri consilii. Hanc sententiam S. Alphonsus vocat communiorem et probabiliorem; attamen advertit Religiosum ita dispositum in gravi peccandi mortaliter periculo versari posse ex aliis capitibus, v. gr., ratione periculi transgrediendi vota, vel grave damnum inferendi Religioni quoad disciplinam, etc.—Cf. S. Alphons. n. 10. et seqq.— Bouix, *de Regul.* vol. 2. p. 550. et 551.

QUAER. 6°. *An vel quatenus obliget sub peccato regula distributive sumpta, seu attentis singulis regulis in particulari?*

RESP. In plerisque Ordinibus regula, *generatim loquendo*, et *per se*, non obligat sub peccato, ne veniali quidem. Constat ex ipsis constitutionibus variorum Ordinum, et ex communi interpretatione theologorum. Excipiendi sunt Ordines in quibus constitutiones oppositum expresse statuunt.—Dixi 1°. *generatim loquendo;* quia quæcumque cadunt sub

votis aut præceptis expressis superiorum, non carent culpa, et quidem gravi pro gravitate materiæ, ut infra de votis dicemus.—Dixi 2°. *per se;* quia theologi docent, transgressionem regulæ rarissime omni culpa ob rationes extrinsecas vacare, quia fere semper aderit culpa aliqua ratione negligentiæ, concupiscentiæ, scandali, pigritiæ, aut alterius cujuslibet motus inordinati.—Cf. S. Alphons. ibid.

CAPUT II.

DE VOCATIONE RELIGIOSA.

611. ***Dico.*** Certum est dari vocationem divinam, Deum scilicet benignissima providentia aliquos præ aliis ad statum excellentiorem et perfectiorem vocare, et simul dotes et gratias ad illum rite exequendum et servandum largiri. Si enim omnia in ordine naturali a Deo gubernantur modo singulis proprio; *a fortiori* hoc dicendum de ordine supernaturali. Aliunde ad statum perfectiorem amplectendum et prosequendum requiruntur dotes et gratiæ speciales, quæ a solo Deo, supremo dispensatore, concedi possunt. Constat insuper ex variis S. Scripturæ locis. Sic de sacerdotio in particulari dicit Apost., Hebr. v. 4: "Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron." Idem porro dicendum de vita religiosa, quæ est status perfectior et multo difficilior.

612. ***Quæsita.***—Quaer. 1°. *An vel quomodo peccet qui, se ad Religionem vocatum sentiens, divinæ vocationi non obsequitur?*

Resp. *Per se,* et *rigorose loquendo,* nullatenus peccat; quia divina consilia nullam imponunt obligationem, cum in hoc præcise a præceptis differant. Vix tamen excusari ab aliqua culpa potest ob periculum æternæ salutis, cui se committit. Imo non excusaretur a peccato gravi, qui persuasum haberet unicum medium salutis æternæ adipiscendæ hoc ipsi superesse, ut a mundi periculis aufugiat.—At vero suntne in malo statu illi qui, certi moraliter de vocatione divina ad Religionem, nituntur sibi persuadere, se salutem suam æque facile consequi posse manendo in sæculo, vel ad illud redeundo? Non videtur dubitandum, quin isti magno discrimini salutis se exponant; quia, manendo in sæculo contra Dei vocationem, semet specialibus illis privant auxiliis, quæ Dei

providentia ipsis in Religione præparaverat, et ideo difficulter sæculi tentationibus resistent.—Cf. S. Alphons. n. 78.

QUAER. 2°. *An peccent graviter parentes vel superiores, qui avertunt filios vel subditos a statu religioso?*

RESP. *Affirm.*, et quidem contra justitiam, si eos avertunt per minas, vim, fraudes, etc.; contra caritatem autem, si tantum preces et suasiones adhibent. Ratio est, quia eos magno bono privant, et multis damnis cumulant. Non peccant tamen parentes, qui se opponunt, ad tempus, piis desideriis filiorum juniorum ad constantiam eorum probandam, vel ob aliam justam causam. Attamen hac in re ad vitandas hallucinationes consiliis confessarii aut viri probi ac docti stare debent. —Cf. S. Alphons. n. 77.

QUAER. 3°. *Quænam sint signa vocationis religiosæ?*

RESP. *Generatim loquendo*, seu juxta providentiam ordinariam, duo requiruntur et sufficiunt ad vocationem divinam probandam, scilicet debita aptitudo et voluntatis propensio.

1°. *Aptitudo* intelligitur idoneitas ad statum religiosum *in genere* et in particulari ad observantiam *talis Ordinis* propriam. Consistit autem in recto præsertim judicio, in indole bona, in animo submisso obedientiæ jugo, in scientia relative sufficienti, et in carentia defectuum corporis et animi qui rationi hujus vitæ repugnant.

2°. *Inclinatio constans* et *recta*, quæ proinde non sit frequentibus mutationibus obnoxia, non obstante alioquin quapiam præterita tergiversatione ex dæmonis tentationibus exorta vel ex quadam naturæ repugnantia. Non tamen requiritur, ut inclinatio ex spontaneitate seu propensione magis, quam ex intima animi persuasione procedat. Porro inclinatio illa *recta* esse debet, procedere scilicet ex intentione pura, ex mero desiderio salutem facilius consequendi, majorem Dei gloriam vel etiam animarum salutem procurandi, etc.

Dixi *generatim loquendo* seu in providentia ordinaria; quia adsunt evidentiora vocationis signa, nempe 1°. divina revelatio, ut vocatus est S. Aloisius Gonzaga, S. Stanislaus Kostka, etc.; 2°. inspiratio singularis, quæ consistit in interno motu, quo quis vehementer ad vitam perfectiorem impellitur, et quasi attrahitur.

CAPUT III.

DE OBLIGATIONIBUS VOTORUM.

ARTICULUS I.

DE VOTO PAUPERTATIS.

613. ***Dico*** 1°. Religiosus voto *solemni* paupertatis obstrictus, saltem vi legis ecclesiasticæ, ac proinde, seclusa Romani Pontificis dispensatione, omnino incapax est in particulari seu personaliter cujuslibet dominii rei temporalis pretio æstimabilis, etiam *de licentia superioris.*—Dixi *personaliter,* quia communitas potest bona acquirere et possidere sive per se, sive per subditos, nisi obstent ejus constitutiones. Hinc pervulgatum axioma juris canonici: "*Quidquid Monachus acquirit, non sibi, sed Monasterio acquirit.*"—Constat ex Conc. Trid. sess. 25. cap. 2.

Dico 2°. Religiosus simplici voto paupertatis ligatus potest quidem dominium directum bonorum habere; sed nihil de ipsis sine superioris licentia particulari vel generali disponere *licite* potest, quamvis possit *valide.*—Cf. S. Alphons. n. 18. et seqq.

614. ***Quæsita.***—Quaer. 1°. *Quodnam sit discrimen inter votum et virtutem paupertatis?*

Resp. Votum respicit tantum actus *externos* proprietatis; virtus vero ad *internos* cordis affectus etiam extenditur. Voti enim objectum est Religiosum bonis temporalibus exterius exspoliare. Virtus autem pro fine habet omnem inordinatum cordis affectum erga res terrenas penitus rescindere. Votum igitur paupertatis est veluti medium ad virtutem, quæ est finis obtinendus ac proinde virtus paupertatis multo latius patet quam votum: quoties enim quis votum infringit, simul et virtutem lædit; non autem vice versa.—Dixi votum afficere solos actus proprietatis *externos;* attamen violari posset votum per actum internum, qui actum externum respiceret et attingeret, scilicet per desiderium agendi externe contra votum; siquidem desiderium induit omnem malitiam et speciem actus externi, ut dictum est in tractatu de peccatis, n. 136.

QUAER. 2°. *Ad quœnam se extendat dominium directum Religiosi non solemniter professi?*

RESP. Se extendit; 1°. ad bona temporalia, quæ possidebat ante vota; 2°. ad fructus seu redditus eorumdem bonorum; 3°. ad ea quæ ipsi de jure adveniunt, sine nova acceptatione, ut hæreditas paterna, legata, etc.; 4°. ad omnia bona quæ a parentibus, cognatis, amicis . . . . accipit de superiorum licentia. Attamen si hæc sint usu consumptibilia, in communem monasterii usum juxta consuetudinem applicanda sunt, saltem generatim loquendo.

QUAER. 3°. *An Religiosus absque superioris licentia manuscripta propria servare, et alio transferre possit?*

RESP. *Affirm.*, juxta communem sententiam; manuscripta enim, utpote partus ingenii, habentur ut aliquid spirituale. Præterea pertinent ad scientiam, quæ non cadit sub voto paupertatis; sed ratio potior est, quia sic fert communis et recepta inter Regulares consuetudo. Et idem dicendum juxta multos de Sanctorum Reliquiis.—Cf. S. Alphons. n. 14.

QUAER. 4°. *An peccet contra votum paupertatis Religiosus, si quid de rebus ad determinatum usum concessis in alium usum impendat?*

RESP. *Affirm.*, et ratio est, quia in his Religiosus habet tantum *usum facti*, idque *precario*, quamdiu superiori videbitur. Est autem actus proprietatis seu dominii de re aliqua ad proprium arbitrium disponere, et alioqui voluntas seu licentia superioris, nisi aliud manifestum sit, ad usum assignatum restringitur. Quare nequit Religiosus, sine licentia, aliis donare aut quomodocumque alienare quæ parcius vivendo sibi subtrahit ex rebus ad usum concessis.—Cf. S. Alphons. n. 19. et 23.

QUAER. 5°. *An peccet contra votum paupertatis Religiosus, qui accipit ab extraneo pecuniam in pia opera ad libitum impendendam?*

RESP. *Affirm.*, si eam sibi absolute datam accipiat, ut proprio nomine elargiatur. Ratio est, quia sic agendo, Religiosus faceret *actum proprietatis.* Secus autem dicendum si eam acciperet quatenus distribuendam nomine donatoris, etiamsi ipsi relinquatur facultas eligendi pauperes, vel pium aliquod opus, aut quantum sit distribuendum; et a fortiori si hujusmodi facultas ei non relinquitur. Ratio est, quia tunc Religiosus faceret quidem actum *prudentiæ*, sed non *proprietatis;* esset nempe veluti *canalis*, ac *mandatarius* donatoris. Hinc non peccat con-

tra votum paupertatis Religiosus, qui ab extraneo accipit pecuniam erogandam tali pauperi, tali Monasterio, Ecclesiæ, tali causæ piæ, etc. Imo nec peccat, si ipse sine licentia superioris ab extraneo postulat pecuniam alteri determinato tradendam, quamvis si agatur de re magni momenti, suadet prudentia, et requirit rectus ordo religiosæ disciplinæ, ut subditus nihil peragat, nisi prius assensum superioris obtinuerit, etiamsi violandæ paupertatis periculum nullum incurrat.—Cf. Sanchez, *Decal.* lib. 7. cap. 30.—Lugo, *de just. et jure*, disp. 3. n. 155.—Salmant. *de Restit.* cap. 6. n. 15.—Baller. not. (a) p. 97., not. (a) p. 99. et not. (b) p. 104.

QUAER. 6°. *An peccet contra votum paupertatis Religiosus, qui ea recusat, quæ sibi ab extraneis offeruntur?*

RESP. *Neg.*, si agatur de meris donationibus, eleemosynis aut muneribus, ad quæ jus strictum non habeat. Ratio est, quia votum paupertatis non obligat ad recipienda ea quæ nondum acquisivit, seu ad quæ jus strictum neque ipse, neque Monasterium habet. Attamen si Religiosus nullam habeat rationem recusandi, peccat contra caritatem impediendo bonum suæ Religionis.—Secus vero respondendum si agatur de rebus debitis titulo justitiæ, vel donatis quidem sed jam acceptatis; nam posita acceptatione, immediate Monasterium jus acquirit.—Cf. S. Alphons. n. 20.

QUAER. 7°. *An peccet non solum contra votum paupertatis, sed etiam contra justitiam, Religiosus qui indebite res Monasterii expendit vel absumit?*

RESP. Si expendat vel absumat absque ulla, neque etiam tacita vel præsumpta, superioris licentia, violatæ justitiæ reus est, quia verum furtum committit, rem alienam in proprium usum convertendo contra rationabilem domini voluntatem. Si autem expendat vel absumat, permittente seu connivente superiore, sed in usus illicitos aut notabiliter superfluos, peccat certo contra votum; an vero peccet contra justitiam, controvertitur. Affirmat S. Alphonsus cum aliis, quia talis licentia invalida est et irrita: superior enim non est dominus, sed simplex administrator bonorum Monasterii. Negant de Lugo, Elbel, et alii plures, quia, licet Prælatus sit administrator tantum bonorum, nullo jure, universali saltem, constat, voluisse ipsum dominum, communitatem nempe vel Ordinem religiosum, invalidare ejusmodi licentiam,

quamvis eam omnino improbet. Utraque sententia videtur probabilis. —Cf. S. Alphons. n. 30.

QUAER. 8°. *Quaenam materia censenda sit gravis in violatione voti paupertatis?*

RESP. 1°. In peccatis, quæ sunt simul contra religionem et justitiam, generatim loquendo, ea habenda est ut gravis materia, quæ peccatum mortale in furto constituit; et quamvis pauci quidam theologi dicant eam tantum materiam gravem esse, quæ censetur gravis in furtis filiorumfamilias, nempe materiam circiter duplo majorem ac in furtis adversus extraneos, hoc tamen nullo modo videtur admittendum. Ratio est, quia filii in spe sunt bonorum patrisfamilias, non autem Religiosi. Insuper magis, et quidem rationabiliter, inviti sunt superiores quoad furta subditorum, quam parentes de furtis filiorum. Præterea detrimenta graviora sequuntur quoad animam in prioribus, quam in posterioribus.—Cf. S. Alphons. n. 24.—Lugo, *de just. et jure*, disp. 3. n. 172. —Sanchez, *Decal.* lib. 7. cap. 20. n. 3.

Ut autem judicetur de gravitate materiæ in Religiosorum furtis, advertendum est, Monasteria mediocriter opulenta communiter dominis privatis sat opulentis æquiparari. Hinc eadem ac pro illis mensura generatim materiam gravem constituit. Si autem sint valde opulenta, major quantitas requiritur. Major etiam requirenda est, si Religiosus res Monasterii in usum proprium usurpet, vel aliis ejusdem communitatis donet, quam si in extraneos easdem erogaret, quia sic ea domi remanent. Major etiam in furtis minutis, quæ insuper interposito notabili intervallo in gravem materiam coalescunt. Major iterum in esculentis, ut de famulis diximus.

RESP. 2°. In peccatis contra solam religionem, seu contra solum votum commissis, crescit difficultas, et major est theologorum dissensus. Communius tamen eamdem generatim materiam ad peccatum mortale requirunt, ac in casu præcedenti, ubi justitia violatur; quia actus proprietatis ejusdem gravitatis esse videtur. Attamen non improbabiliter ad grave peccatum nonnulli graves Doctores majorem quantitatem requirunt.—Cf. Elbel, n. 646.—Salmant. tract. 15. cap. 6. n. 12.

Communiter autem conveniunt valorem multo majorem requiri ad graviter peccandum, quando dona accipiuntur ab extraneis in alios ero-

ganda; quia tunc multo minor est proprietatis actus, quam si hæc in proprium usum retinerentur.—Cf. S. Alphons. n. 24.

615. ***Resolves.***—1°. Peccat contra votum paupertatis Religiosus si quid sine ullo superioris consensu domi vel foris, etiam ex iis quæ ad victum aut vestitum pertinent, accipiat, retineat, absumat, permutet, aut alteri donet. Item si absque licentia superioris pecuniam vel res alias mutuo vel commodato ab extraneis accipiat. Verum quoad *res mutuo seu commodato acceptas vel traditas* sine Prælati licentia, generatim loquendo, non peccabit graviter contra votum paupertatis, si res ad usum suum extraneis det mutuo vel commodato, modo sit certus de iis recuperandis, nec grave damnum propterea inferat communitati, quæ idcirco, v. gr., careat usu rei graviter hic et nunc necessariæ. Multo minus graviter peccabit si res ad usum sibi concessas mutuet seu commodet aliis Religiosis ejusdem Monasterii. Ratio est, quia etsi aliquem actum proprietatis in his faciat, non tamen hic est tanto prētio æstimabilis, ut gravem materiam attingat, juxta communem theologorum interpretationem.—Cf. S. Alphons. n. 27.

2°. Peccat contra votum paupertatis, qui rem cum licentia ad usum acceptam retinet ultra limites temporis a superiore præfixi; qui eam ad alium usum adhibet cum ejusdem detrimento; qui rem servat cum intentione eam subducendi liberæ dispositioni superioris, v. gr., si eam occultet, ne videatur; et hic quidem nec excusari ex eo potest, quod licentiam prius obtinuerit. Verum, generatim loquendo, non adest culpa gravis si res ex communitate clam accipiatur, v. gr., liber ad usum proprium etiam diuturnum, sed non in perpetuum, nisi ita occultetur ut a superioribus inveniri nequeat; quia tunc Prælatus non censetur invitus quoad substantiam, sed tantum quoad modum.—Cf. S. Alphons. n. 24.

3°. Peccat contra votum paupertatis, qui sine facultate superioris aliquid emit etiam pro communitate, quia agit ut proprietarius. Aliquando tamen licentiam præsumere potest, nempe quando novit id superiori gratum fore, nec recursus facilis ad eum patet, v. gr., in itinere. Hujusmodi autem licentia facilius in rebus minoris momenti præsumi potest, et multo adhuc facilius, si agatur de re ab extraneis acceptanda, et superiori tradenda.—Cf. Lacroix, lib. 4. n. 118. et seqq.

4°. Religiosus nullum depositum proprie dictum sine licentia accipere

potest. Ratio est, tum quia juxta plurium opinionem actum proprietatis faceret, tum quia depositum est contractus; Religiosus autem sine superioris facultate nullum contractum circa res temporales inire potest.—Multi tamen sentiunt id non esse contra votum, quamvis sit contra perfectionem paupertatis et plerumque contra regulam.—Cf. Suarez, *de Relig.* tract. 7. lib. 8. cap. 11. n. 45.

5°. Si superior antecedens licentiam tibi dederit aliquam rem habendi, adhuc valet, etiamsi ab officio ille discesserit. — Cf. Lacroix, n. 115.

6°. Si habeas licentiam dandi aliquid Paulo, et des Petro, non peccas, nisi superior dederit licentiam pro Paulo ob peculiarem rationem, et negaturus fuisset, si pro Petro hanc petivisses.—Cf. Lacroix, n. 119.

7°. Si Titius Religiosus licentiam habeat dandi aliquid quibuslibet, Caius ejusdem communitatis habet eo ipso facultatem acceptandi, quia dare et accipere sunt correlativa, et proinde licentia ad unum censetur etiam esse ad alterum.

Hæc de paupertate religiosa in genere. Sed attendendum est ad constitutiones particulares singulorum Ordinum, vel ad consuetudinem a superioribus toleratam; nam in pluribus Monasteriis generatim Religiosis permittitur petere, accipere aut sibi comparare plura necessaria ad victum, vestitum, libros, aliaque id genus.

ARTICULUS II.

DE VOTO CASTITATIS.

616. ***Dico.*** Objectum voti castitatis, quod paupertatis voto præstantius profecto est, duo complectitur nempe ea quæ de jure naturali et divino jam prohibentur, necnon ea quæ in legitimo matrimonio licite fieri possent. Hæc igitur est voti castitatis efficacia, ut quod alioquin licitum esse posset, Religioso illicitum fiat; ea vero quæ omnibus sunt prohibita, ipse evitare debeat ex duplici obligatione, castitatis scilicet et religionis.

617. ***Quæsita.***—Quaer. 1°. *An peccata luxuriæ etiam mere interna voto castitatis adversentur?*

Resp. *Affirm.*, juxta doctrinam veram et communissimam; quia Religiosus vi hujus voti, prout hoc communiter ab ipsis Religiosis intel-

ligitur, tenetur abstinere ab omni voluntaria delectatione venerea, quæ tum *interna*, tum *externa*, esse potest. Quocumque igitur modo castitatem lædat, duplicem incurrit reatum, luxuriæ scilicet et sacrilegi i.—Cf. S. Alphons. n. 33.

QUAER. 2°. *Quænam sit gravitas peccatorum contra votum castitatis commissorum?*

RESP. Hæc regula generalis statuenda est: eadem prorsus est gravitas peccati contra votum, ac contra sextum et nonum Decalogi præceptum, scilicet peccatum mortale est aut veniale contra religionem, prout mortale aut veniale est contra castitatem. Parvitas autem materiæ admittenda non est in peccatis luxuriæ quæsitæ aut admissæ, nec nisi ex imperfecto consensu levis esse culpa potest, juxta ea quæ alibi dicta fuerunt.

QUAER. 3°. *An vel quænam sit differentia inter virtutem et votum castitatis?*

RESP. Nullum datur discrimen ratione objecti, cum votum tam late pateat, quam ipsa virtus. Attamen in hoc differunt, quod in iis, quæ virtute prohibentur, duo dantur peccata si votum violetur, dum unicum committitur peccatum in eo quod solo voto interdicitur. Si quis enim voto simplici castitatis ligatus matrimonium contraheret, unicum peccatum, scilicet contra religionem, in usu conjugii patraret. Potest igitur quandoque violari votum, quin ipsa virtus lædatur.

ARTICULUS III.

DE VOTO OBEDIENTIÆ.

618. ***Dico.*** Objectum voti obedientiæ, quod est omnium votorum Religionis præstantissimum, quia per illud Religiosus bona maxime sibi intrinseca Deo offert, sese extendit ad ea *omnia* et *solum* quæ superior vere et proprie præcipit, et quæ sive implicite, sive explicite in regulis et constitutionibus ordinis continentur.—Cf. S. Alphons. n. 38.

619. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *Quodnam discrimen intercedat inter virtutem et votum obedientiæ?*

RESP. Idem, quod superius fuit indicatum de paupertate: scilicet objectum voti est executio externa mandati superioris, dum virtus usque ad internam submissionem pertingit, at perfectam ipsam obedi-

entiam efficit. A Religioso autem sedulo vitanda sunt non solum peccata contra votum, sed etiam contra virtutem, quæ quidem frequentius lædi solet. Accidit enim aliquando ut subditus Prælati mandato actione quidem externa integre obsequatur, sed reluctante, mœsta et ægra voluntate; et tunc licet voto satisfaciat, a virtute tamen longe recedit. Ceterum inspiciendum est cujusmodi sit ista reluctantia; nam si naturalis est, et naturæ etiam bene institutæ consentanea, nec tamen obediendi affectum retardet aut minuat, nihil detrahit de perfectione obedientiæ, ut Christi Domini exemplum suadet.—Cf. Suarez, *de Relig.* tract. 10. lib. 4. cap. 15. n. 19.—Baller. not. (a) p. 109.

QUAER. 2°. *An unum vel potius duo peccata committantur in violatione voti obedientiæ, non secus ac in violatione castitatis?*

RESP. Unum tantum, saltem probabiliter; nam ideo duo essent peccata, unum contra præceptum naturale, quod submissionem legitimo superiori præscribit, et alterum contra votum, quatenus independenter a voto superior jus habeat præcipiendi. Atqui totum jus superioris a solo voto provenit. Ergo, etc.—Cf. S. Alphons. n. 46.—Varceno, vol. 1. p. 201.

QUAER. 3°. *Quandonam Religiosus peccet graviter contra votum obedientiæ?*

RESP. Peccat graviter in sequentibus casibus, qui raro occurrunt; scilicet, 1°. quando recusat obedire in materia gravi superiori præcipienti *in virtute sanctæ obedientiæ*, vel *in nomine Jesu Christi*, aut per alias similes formulas, quæ rarissime a superioribus sunt adhibendæ; 2°. quando superiori præcipienti respondet: *Nolo obedire, nolo facere, non faciam*, aut aliud simile, quod contemptum formalem auctoritatis præcipientis redoleat; etiamsi materia præcepti, in hoc casu, non sit gravis; 3°. quando ex inobedientia sequitur grave scandalum aliorum, sive subditorum, sive sæcularium, aut grave incommodum sive pro communitate, sive pro aliis, v. gr., pro salute animarum, etc. Cum autem prædicti casus raro accidant, communiter peccata Religiosorum contra obedientiam ut venialia reputanda sunt. Multo rarius adhuc peccata in solam virtutem commissa mortalia evadent.

QUAER. 4°. *Quibusnam obediendum sit?*

RESP. Vi voti, obediendum est tantum superioribus *proprie dictis*, id est, iis qui, vel in domo, vel in provincia, vel in universa familia

Religiosa quam regunt, neminem sibi superiorem habent, nisi aliter speciales alicujus Ordinis constitutiones disponant. Ratio est, quia tantum apud superiores proprie dictos residet auctoritas.—Dixi *vi voti*, quia rectus ordo, et regulæ præscriptum adeoque virtus obedientiæ, omnino postulant ut simplicibus officialibus, in omnibus quæ ad eorum officium pertinent, fideliter obtemperetur.

QUAER. 5°. *Quomodo obediendum sit?*

RESP. Ut obedientia sit omnino perfecta, obediendum est; 1°. *ex motivo supernaturali*, ut præscribit Apostolus, Coloss. iii. 22: "Non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes. . . . Domino Christo servite;" secus enim obedientia, etiamsi a peccato immunis esset, omni tamen merito careret, et mere materialis foret; 2°. *alacriter*, seu cum gaudio et animo volenti, nam II. Cor. ix. 9. dicitur, "hilarem datorem diligit Deus;" 3°. *prompte*, id est vel statim, vel tempore præscripto, et cum debita cura, absque segnitie; 4°. *ex integro*, seu totum opus præscriptum perficiendo.

APPENDIX PRIMA.

DE PRIVILEGIIS REGULARIUM.

Privilegia, quibus gaudent Religiosi, præcipue versantur circa exemptionem ab Episcoporum jurisdictione, sacramentum Pœnitentiæ, casus reservatos, irregularitates, quædam vota et vincula, Missam et Communionem, ac nonnulla alia. De singulis pauca dicemus, et si plura quæris, consule S. Alphonsum, Append., 2. *de Privilegiis*, et *Hom. Ap.* tract. 20. cap. 4.—Konings, n. 1190. et seqq.

620. **Circa exemptionem.**—1°. Regulares generatim, ita statuentibus Romanis Pontificibus, qui eos sibi immediate subjectos esse voluerunt, gaudent privilegio exemptionis a jurisdictione Episcoporum; unde Prælati regulares in suis Monasteriis ecclesiisque habent jurisdictionem quasi-episcopalem.

2°. Idcirco ab Episcopi visitatione tum quoad personas, tum quoad Monasteria et ecclesias eximuntur. Excipe 1°. Monasteria Monialium Regularibus non subjectarum, et etiam subjectarum quoad clausuræ

custodiam, ad quam curandam Episcopi ceu delegati Apostolicæ Sedis invigilant; 2°. ecclesias sæcularium, quarum Parochus sit Religiosus; 3°. ecclesias Regularium si sint parochiæ, sed quoad ea tantum, quæ ad parochiam et Parochum, quatenus id gerit officii, spectant, prout statuitur a Bened. XIV. Const. *Firmandis*, 6. Nov. 1744.

3°. Privilegio exemptionis gaudent non tantum Professi et Conversi, sed etiam Novitii et Tertiarii qui intra claustra commorantur. Item quoad censuras et sacramenta famuli Regularium, qui actu famulantur, et *quasi de familia ac perpetui commensales* intra claustra Monasteriorum resident, haud secus ac ipsi Conversi.—Cf. S. Alphons. loc. cit. n. 75.

621. **Circa sacramentum pœnitentiæ.**—1°. Regulares sacerdotes ex superioris sui facultate absolvere possunt Religiosos ejusdem Ordinis absque ulla Episcopi loci approbatione. Hoc tamen privilegio minime comprehenduntur Congregationes, quæ non sunt Religiones proprie dictæ, nisi peculiare obtinuerint a Romano Pontifice indultum.—Cf. S. Alphons. n. 110.

2°. Regulares *in Conventu* degentes confiteri debent sacerdotibus Ordinis a superiore designatis, nec ab aliis quibuslibet sive intra sive extra domum valide absolvi absque superioris licentia possunt. Concedi tamen solet, ut tempore *Jubilæi* Regulares, cuilibet sacerdoti approbato sine superioris licentia confiteri possint, quamvis si agatur de Monialibus requiritur ut confessarius sit approbatus pro aliqua saltem earum domo. Quare inspiciendæ sunt clausulæ Constitutionis Jubilæum concedentis.—Cf. S. Alphons. ibid.

3°. Regulares *in itinere*, si socium ejusdem Ordinis *idoneum* habeant, illi confiteri debent. Si vero desit socius idoneus, confiteri possunt cuilibet sacerdoti sive regulari, sive sæculari, etiamsi non fuerit approbatus.—Cf. S. Alphons. n. 111., et *de Sacram. Pœnit.* n. 575.— Varceno, vol. 1. p. 222.

622. **Circa casus reservatos.**—Multis olim gaudebant privilegiis quorum vi poterant Regulares tum *subditos*, tum *sæculares* a plerisque casibus Papalibus absolvere. At recentiori jure omnia sunt sublata; nam in Const. *Apostolicæ Sedis* ita legitur: "Quæ vero privilegia aut facultates sive a Prædecessoribus Nostris, sive etiam a Nobis cuilibet cœtui, Ordini, Congregationi, Societati, Instituto etiam Regulari cujusvis speciei, etsi titulo peculiari prædito, atque etiam speciali mentione

digno, a quovis unquam tempore huc usque concessæ fuerint, ea omnia, easque omnes Nostra hac Constitutione revocatas, suppressas, et abolitas esse volumus, prout reapse revocamus, supprimimus, et abolemus, etc."—Quod autem hæc revocatio afficiat etiam facultates absolvendi proprios *subditos* patet ex eo quod, proposito dubio: "An Prælati Regulares post Constitutionem *Apostolicæ Sedis* iisdem privilegiis gaudeant quibus antea, id est an possint necne suos subditos absolvere a casibus papalibus in dicta Bulla simpliciter reservatis?"—Sacra Pœnitentiaria, die 5. Dec. respondit: "*Negative*, salvis illis facultatibus, quæ promanant ex rescriptis particularibus ad tempus concessis."—Cf. *Acta S. Sedis*, vol. 9. p. 314.

Adverte tamen hac responsione intactas perseverare facultates omnes personales, aut temporarias etiam alicui cœtui, seu Ordini aut Instituto concessas, prout jam fuerat antea declaratum in Instructione S. Officii Supr. Inquis. data 1. Febr. 1872. ad cujusdam Ordinarii quæsita, ubi sic legitur: "Per Constitutionem [*Apostolicæ Sedis*] SSmus. Pater nullatenus intendit ne minimum quidem detrimentum inferre facultatibus cujuscumque indolis, quæ a S. Sede ante promulgationem ejusdem Constitutionis concessæ fuerint, sive hæ quinquennales sint, sive extraordinariæ, sive respicientes præsens Jubilæum [*indictum nempe occasione Concilii Vaticani*], atque vult, ut in suo pleno vigore permaneant, tempore perdurante in dictis Constitutionibus sive Indultis præfinito."

Ex his omnibus sequitur—1°. intactas permanere tum facultates decennales aut quinquennales nostris Episcopis concessas, tum eas quæ ad longius tempus, puta ad viginti annos, alicui Societati aut Ordini forte erant concessæ:—2°. has facultates intelligi debere prout ante Constitutionem *Apostolicæ Sedis* intelligebantur, nisi nova restrictio clare fuerit indicata in præfata Constitutione.

623. **Circa irregularitates et impedimenta.**—1°. *Cum suis* dispensare possunt 1°. in omnibus irregularitatibus occultis *ex delicto*, excepto homicidio voluntario, ut Episcopi cum suis diœcesanis; 2°. in irregularitatibus *ex defectu* quoad bigamiam similitudinariam, interpretativam, et etiam veram; quoad defectum natalium (quæ tamen cessat per professionem religiosam); quoad defectum publicum lenitatis; quoad defectum animi ob dementiam, si periculum ejus cessavit, et tandem

quoad defectum corporis, si non sit casus specialissimus.—Cf. Varceno, vol. 1. p. 229. et 230.

2°. *Cum sæcularibus*, 1°. possunt dispensare in omnibus irregularitatibus occultis ex delicto, ut Episcopus; 2°. possunt dispensare et commutare vota et juramenta, ut Episcopus, sed in foro tantum interno; 3°. dispensare possunt cum conjugibus in impedimento exigendi debiti propter incestum commissum cum persona consanguinea compartis.—Cf. S. Alphons. n. 109.

624. **Circa Missam, Communionem et ultima Sacramenta.**—1°. Regulares possunt celebrare Missam una hora ante auroram, id est tribus horis ante ortum solis, sed tantum in ecclesiis propriis, in quibus id etiam facere possunt sacerdotes sæculares ex eodem privilegio; post meridiem autem una tantum hora. Nam licet ex privilegio concesso ab Eugenio IV. olim possent celebrare etiam tribus ab elapso meridie horis; istud privilegium a S. Pio V. revocatum est.

2°. Possunt ministrare Eucharistiam in suis ecclesiis omnibus fidelibus, excepto Paschatis die pro locis ubi viget obligatio faciendi Communionem paschalem in propria ecclesia.

3°. Possunt administrare Communionem paschalem, Extremam Unctionem et Viaticum suis subditis, novitiis et familiaribus.—Cf. S. Alphons. n. 121. et 122.

625. **Circa casus particulares.**—1°. Possunt dispensare cum causa in legibus ecclesiasticis cum subditis suis, ut Episcopi, v. gr., circa Officium divinum, jejunium, abstinentiam, etc.; quia habent jurisdictionem quasi episcopalem.

2°. Possunt superiores regulares permittere subditis simpliciter tonsuratis, ut in ecclesiis prædicent.

3°. Religiosi mendicantes communicant generatim inter se de suis privilegiis, tum circa personas, tum circa loca. At non communicant, quando sunt omnino specialia, vel odiosa, vel contraria proprio statui, ita ut communi bono seu observantiæ Religionis præjudicent.

Duo sunt hic sedulo animadvertenda, scilicet:

1°. Plurima ex prædictis privilegiis concessa sunt non individuis particularibus, sed Ordinibus seu communitatibus, atque adeo superioribus qui pro sapientia sua subditis solent communicare.

2°. Privilegia Regularium non competunt piis Institutis vel Congregationibus quæ non sunt proprie Ordines religiosi. Excipe tamen casum specialis concessionis.

APPENDIX SECUNDA.

DE STATU ACTUALI RELIGIOSORUM IN HAC REGIONE.

626. Multi sunt apud nos et in dies multiplicantur Religiosi qui tamen cum non sint omnes *Regulares proprie dicti*, non eadem sunt eorum omnium jura et privilegia. Aliqua hic subjungimus quæ a Patribus Baltimorensibus fuerunt statuta circa Religiosas familias: cætera possunt apud Canonistas videri.

627. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *An et intra quosnam limites Regulares, qui apud nos curam animarum gerunt, exempti sint ab Episcopis?*

RESP. Hac de re ita loquuntur Patres Baltimorenses: "Legibus Episcopi, qui est in sua Diœcesi generalis Pastor, ligantur quotquot incolunt illius Diœcesim, cujuscumque sint status et conditionis, nisi speciali privilegio ab ejusdem subtrahantur jurisdictione. A potestate enim cujuscumque inferioris Prælati possunt plures eximi auctoritate Summi Pontificis, a cujus jurisdictione nemo exemptus esse potest.—Attamen, Regulares per leges canonicas, eorum exemptione non obstante, parere coguntur Episcopalium legum sanctionibus, in iis quæ respiciunt curam animarum, aut sacramentorum administrationem; juxta decretum Tridentinum, atque Apostolicas Constitutiones Concilii textum explicantes, et præsertim Const. *Firmandis* a Benedicto XIV.

"Regulares, etiam exemptos, Episcoporum jurisdictioni saltem delegatæ subesse, canonica præcipiunt instituta, quoad domorum religiosarum fundationes, suorum alumnorum ordinationes, Verbi Divini prædicationem, SS. Sacramenti publicam expositionem, librorum de rebus ad religionem pertinentibus tractantium approbationem, confraternitatum erectionem, monialum confessiones, et quoad observanda et evitanda in celebratione Missæ."—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. n. 410. et 411.

QUAER. 2°. *An Regulares possint apud nos Collegium, Parochiam, Congregationem, scholam, etc., deserere, pro eorum lubitu?*

RESP. *Neg.*, nam debent sex ante mensibus Ordinarium monere de

tali intentione, cum Patres Baltimorenses ita statuerint: "Quum vero ea sint apud nos rerum adjuncta, ut non semper canonice vel permanenter erigi possint domus Religiosæ, seu monasteria, id interdum nolentibus ipsius communitatis superioribus; ut in talibus casibus omnis disputationibus et querelis locus auferatur, duxerunt Patres hujus Plenarii Concilii, hoc conditionis instar contractui Ordinarium inter et Religiosam communitatem appositæ habendum, istam scilicet nullum collegium, parochiam, congregationem, scholam, aliudve opus pium deserere posse, Ordinario invito, nisi sex saltem menses elapsi fuerint a tempore, quo de intentione ita agendi illum certiorem fecerit. Hoc enim temporis spatium requiri ad minimum videtur, ut Episcopus alios idoneos operarios sufficere possit, et sic opera, vel necessaria, vel certe maxime utilia continuare. Hæc vero de iis tantum communitatibus intellecta volumus, quæ regenda assumunt opera proprie dicta diœcesana, sive ea quæ per pecunias aliaque media ex diœcesi desumpta sustentantur, et ad tempus tantum, nulla perpetuo permanendi suscepta obligatione. Neque quidquam per ea quæ dicta sunt, ullo modo iis derogari censendum est, quæ de monasterii canonice erecti bonis non alienandis, permutandis, vel relinquendis, per venerandas SS. Pontificum Constitutiones sancita jamdudum fuerint. Salva etiam jura tertii volumus, præsertim vero eorum benefactorum, qui bona vel mobilia vel immobilia donaverint, ut in specie opus aliquod bonum in aliquo determinato loco, vel aliis præstitutis conditionibus, institueretur vel foveretur."—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. n. 407.

QUAER. 3°. *An Moniales, apud nos, emittant vota solemnia?*

RESP. Generatim, et ex speciali statuto Sedis Apostolicæ, vota omnia nostrarum Monialium declarata sunt simplicia. Excipiuntur tamen vota sororum a Visitatione degentium in Monasteriis Georgiopolitano, Baltimorensi, Mobilensi, et S. Ludovici. Gaudebat etiam hac exceptione Monasterium erectum in loco dicto *Kaskaskia* in Statu *Illinois*, sed illud paucis ab hinc annis dispersum est, ejusque incolæ, retinentes vota solemnia, alio migrarunt. Omnes istæ sorores igitur, expleto novitiatu, emittunt vota simplicia, et non nisi post decem annos nuncupant vota solemnia. — Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. n. 419. p. cli. decr. VII.

QUAER. 4°. *An Episcopi nostri possint Moniales a votis suis dispensare?*

RESP. Certo non possunt 1°. dispensare illas quæ ligantur votis solemnibus, ut per se patet; neque 2°. illas quæ degentes in diversis Diœcesibus ab una tamen Generali Superiorissa dependent et gubernantur, quia secus oriri sæpe posset conflictus jurisdictionis; neque 3°. illas quæ vivunt sub aliqua Regula ab apostolica sede approbata, quia, stante hujusmodi approbatione, vota emissa induunt characterem specialis reservationis.—In cæteris autem possunt, supposito semper consensu quorum interest.—Neque dicas votum etiam simplex perpetuæ castitatis esse Papæ reservatum; nam ut supra n. 237. dictum est, Episcopi nostri vi specialium facultatum possunt ab illo dispensare.

Adverte demum quod in aliquibus recentioribus congregationibus vota fiant vel *ad tempus*, vel sub conditione quod Moniales *non dimittantur*, aut quod simpliciter *remaneant* in Monasterio, ac proinde in omnibus hisce casibus nulla erit necessitas recurrendi pro dispensatione ad sedem apostolicam aut etiam ad auctoritatem Episcopi.—Cf. Konings, n. 1205.

TRACTATUS

DE SACRAMENTIS IN GENERE

CAPUT I.

DE NATURA ET DIVISIONE SACRAMENTORUM.

628. Sacramentum est signum sensibile a Christo permanenter institutum ad significandam et conferendam gratiam. Hinc tria necessario requiruntur in omni sacramento, scilicet sensibilitas signi, divina institutio et vis producendi gratiam a Christo promissam.

Omnia sacramenta tribus perficiuntur: 1°. rebus tanquam materia; 2°. verbis tanquam forma; 3°. persona Ministri conficientis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia.

Præter gratiam habitualem omnibus communem sacramenta producunt etiam gratiam quæ dicitur *sacramentalis* et quæ nihil aliud est nisi ipsa gratia habitualis cum connotatione auxiliorum ad obtinendum finem specialem, ad quem unumquodque sacramentum, si debitæ non desint conditiones, fuit institutum.

Sacramenta operantur ex *opere operato*, id est vi actionis sacramentalis independenter ab *opere operantis*, scilicet Ministri, et subjecti sacramentorum. Hinc essentialiter distinguuntur a sacramentalibus, quæ sunt res aut actiones quædam sacræ ab Ecclesia institutæ, ut sunt aqua lustralis, benedictiones, etc.

629. Sacramenta juxta varias proprietates sic distinguuntur:

1°. *Necessaria*, vel *non necessaria*: prima sunt vel necessaria necessitate medii, vel necessaria necessitate præcepti. Necessaria sunt necessitate medii, in re vel in voto, saltem implicito, Baptismus, qui est janua Ecclesiæ et regni cœlorum, et Pœnitentia pro iis qui in peccatum mortale post Baptismum lapsi sunt; necessaria necessitate præcepti sunt cætera omnia, exceptis Ordine et Matrimonio, quæ non sunt necessaria pro privatis, sed tantum pro communitate.

2°. *Imprimentia* vel *non imprimentia* characterem in anima. Charac-

terem imprimunt Baptismus, Confirmatio et Ordo; cætera non imprimunt.

3°. Sacramenta *mortuorum* vel *vivorum* prout vi suæ institutionis gratiam sanctificantem primo conferunt, ut sunt Baptismus et Pœnitentia, vel eam supponunt atque adaugent tantum, ut de cæteris sacramentis tenendum est.

630. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *An sacramenta mortuorum secundam gratiam possint unquam conferre?*

RESP. *Affirm.*, et quidem in duplici casu: 1°. quando sola venialia vel mortalia jam remissa clavibus subjiciuntur; 2°. quando pœnitens, reus peccati mortalis, accedit ad Pœnitentiæ sacramentum cum contritione perfecta, aut adultus, item perfecte contritus, recipit Baptismum, quia contritio perfecta cum solo voto sacramenti Pœnitentiæ aut Baptismi hominem justificat.

QUAER. 2°. *An sacramenta vivorum primam gratiam aliquando conferre valeant?*

RESP. *Affirm.*, probabilius, non quidem *per se*, ut patet ex eorum institutione, sed *per accidens*; nam fieri potest, ut quis peccati mortalis reus, hujus inscius bona fide ad sacramentum vivorum *attritus* accedat; in his porro adjunctis sacramentum vivorum gratiam in animam infundit, adeoque peccatum delet. Sacramenta enim semper gratiam conferunt non ponentibus obicem; obex autem non ponitur ab eo qui attritus bona fide accedit.—Cf. S. Thom. 3. q. 72. art. 7. ad. 2., et q. 79. art. 3.—S. Alphons. n. 268.—De Augustinis, *de Sacram. in genere*, Thes. 19. p. 272.

QUAER. 3°. *Quales sint effectus gratiæ sacramentalis singulis sacramentis propriæ, præter gratiam sanctificantem omnibus communem?*

RESP. 1°. Effectus *gratiæ Baptismi* est omnem culpam et culpæ pœnam remittere, mentem illuminare, concupiscentiam imminuere, et animam ad opera christiana fœcundare. Hæc autem gratia habitualis affert baptizato jus obtinendi auxilia, quibus feliciter hos effectus assequatur.

2°. Effectus *gratiæ Confirmationis* est robur ad fidem, ubi opus fuerit constanter profitendam, et ad eam, data opportunitate, propugnandam. Ideoque affert animæ jus ad auxilia, quibus id præstet.

3°. Effectus *gratiæ Eucharistiæ* est alere vitam spiritualem, eamdem

augere, nauseam rerum mundanarum generare, ad unionem cum Deo attrahere, et ideo affere jus ad gratias, quibus hæc omnia communicantes consequi possint.

4. Effectus *gratiæ Pœnitentiæ* est remittere peccata post Baptismum commissa, et conferre vim ad vitanda peccata et ad perseverandum in statu gratiæ, et jus ad auxilia his præstandis opportuna.

5°. Effectus *gratiæ Extremæ Unctionis* est tollere peccatorum reliquias, ægrotantis animam allevare, fiduciam corroborare, morbi incommoda minus molesta reddere, imo et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, restituere, tentationibus extremis repellendis robur tribuere, et jus ad auxilia his proportionata conferre.

6°. Effectus *gratiæ Ordinis* est reddere Christi Ministros sacris ministeriis idoneos, ut hæc debita pietate peragant, et jus conferre ad auxilia his opportuna.

7°. Effectus *gratiæ Matrimonii* est refrenare inordinatam concupiscentiam, vires tribuere ad onera status conjugalis sustinenda, ad fidem conjugalem servandam, et ad prolem christiane educandam, et ideo jus conferre ad auxilia pro his adimplendis necessaria.

CAPUT II.

DE MATERIA ET FORMA SACRAMENTORUM.

631. Materia sacramentorum est res sensibilis, ad rationem sacramenti per formam determinanda. Duplex distinguitur, scilicet remota, et proxima.—Prior est ipsa res sensibilis, quæ in sacramento adhibetur, seu res circa quam actio sacramentalis exercetur. Posterior est ipsamet applicatio seu usus materiæ remotæ in actione sacramentali.

Forma vero est pars sacramenti quæ determinat materiam ad significandum, et quæ *regulariter* consistit in verbis a Ministro prolatis.

632. ***Dico.***—Materia et forma non solum sunt absolute necessariæ ad sacramenti validitatem, sed etiam applicari debent ab eodem Ministro, et erga idem subjectum ; tantaque inter utramque adesse debet conjunctio ut secundum moralem hominum æstimationem, spectata natura cujuscumque sacramenti, una alteram afficiat. Ratio *primi* est, quia, alterutra deficiente, jam non habetur amplius signum sensibile prout fuit divinitus institutum. Ratio autem *secundi* est, quia si unus mate-

riam, et alter formam poneret, vel si idem quidem utramque poneret, sed dum uni subjecto materiam applicaret, ad alterum formam proprie dirigeret, verba formæ non verificarentur. Ratio *tertii* demum est, quia forma simul cum materia debet unum totale signum constituere. —Dixi *spectata natura cujuscumque sacramenti*, quia dum in Baptismo, v. gr., requiritur talis conjunctio, ut Minister verba proferens, moraliter censeatur etiam lavare; in Pœnitentia absolutio satis diu potest differri, sicut in judiciis sententia post examen causæ; et in Matrimonio unius consensus potest alterius consensum tamdiu sequi, quamdiu hic moraliter permanere censetur sicut in aliis contractibus.—Cf. S. Alphons. n. 8. et 9.—Baller. not. (b) et (c) p. 129.

633. ***Resolves.***—1°. Omnis mutatio *substantialis*, sive in materia sive in forma, sacramentum invalidat. Dicitur autem substantialis illa mutatio quæ, si materiam afficiat, hæc non possit amplius dici eadem ac illa quæ a Christo fuit determinata; si autem formam, sensus verborum in alium mutetur.—Cf. S. Alphons. n. 11.

2°. Mutatio *accidentalis*, illa scilicet quæ versatur tantum circa materiæ et formæ qualitates, servata essentiali natura signi, sacramentum quidem non invalidat, ut per se patet, at peccatum grave vel leve inducit, prout est, vel non est notabilis; in primo casu gravis committeretur irreverentia, et in altero levis tantum.—Cf. S. Alphons. ibid.

3°. Exorto prudenti dubio circa validitatem vel materiæ vel formæ, sacramentum iterari sub conditione *potest*, imo et *debet*, si caritas, justitia, aut religio id postulant. Etenim quamvis iteratio facta sine justa causa injuriam irroget sacramento, stante tamen dubio, sanctitati ritus prospicitur per appositionem conditionis, et necessitati fidelium per iterationem. Ratio deducitur ex notissimo axiomate: *Sacramenta propter homines.*—Cf. S. Alphons. n. 27. et seqq.

4°. Facilius iteranda sunt sacramenta magis necessaria, et quæ semel tantum conferuntur, scilicet Baptismus et Ordo, etiamsi pro valore sacramenti militet multo major probabilitas contra rationes dubie aut tenuiter probabiles in oppositum.—Cf. S. Alphons. ibid.

CAPUT III.

DE MINISTRO SEU DE COLLATIONE SACRAMENTORUM.

ARTICULUS I.

DE ATTENTIONE ET INTENTIONE MINISTRI.

634. Attentio est actus intellectus, scilicet applicatio mentis ad ea quæ peraguntur, et duplex distinguitur; alia enim est *interna*, quæ est ipsa advertentia mentis ad id quod agitur, et alia *externa* quæ consistit in eo quod excludatur omnis actio externa physice incompossibilis cum attentione interna.

Intentio autem est actus voluntatis in aliquem finem tendentis, et præcipue dividitur, 1°. in *internam* et *externam* prout verus aliquis actus voluntatis existat, vel solum actio externa; 2°. in *actualem*, *virtualem*, *habitualem*, et *interpretativam* prout diversa est vis et quantitas tendentiæ voluntatis juxta ea quæ dicta sunt in tractatu de actibus humanis sub n. 5.

635. ***Dico*** 1°. Quamvis ad licitam collationem sacramentorum tanta requiratur attentio, ut absit omnis voluntaria distractio; ad eorum tamen validitatem illa sola attentio requiritur et sufficit, quæ in omni actu vere humano invenitur. Ratio *primi* desumitur ex reverentia sacramento debita, et ex obligatione vitandi periculum erroris. Ratio autem *secundi* est, quia ex una parte Minister sacramentorum debet agere uti ens rationale, et ex alia si supponatur actus esse vere humanus, jam agens vere censetur moraliter agere, quod certe sufficit ad rationem ministerii.—Hinc Minister etiam distractus, seu de aliis negotiis simul cogitans, valide confert sacramenta, sed culpa non caret quamvis ordinarie veniali tantum, nisi periculo graviter errandi sese exponat, aut, juxta communiorem sententiam, nisi agatur de confectione Eucharistiæ.—Cf. S. Alphons. n. 11. et 14.—Lacroix, lib. 6. part. 2. n. 443.

Dico 2°. Intentio *actualis* etsi optima et desideranda, non tamen requiritur ad validam collationem sacramenti, quia interdum est moraliter impossibilis; requiritur autem, et sufficit intentio *virtualis*. Requiritur quidem, quia secus posset haberi actus humanus vi intentionis *habitualis*, aut *interpretativæ*, quod sane repugnat; sufficit autem, quia

posito virtuali influxu voluntatis in actionem Ministri, hæc vere humana et deliberata dici potest et debet.—Cf. S. Alphons. n. 16.—De Augustinis, Thes. 17. p. 222.

636. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *An ad valide conferendum sacramentum sufficiat intentio tantum externa?*

RESP. *Neg.*, quia quamvis non requiratur proprie in Ministro intentio conficiendi sacramentum, aut faciendi quod facit Ecclesia *Romana*, requiritur tamen in ipso intentio faciendi quod facit Ecclesia, et consequenter ut ejus actio determinetur ad ritum sacrum: hoc autem nequit fieri absque aliqua intentione interna. Præterea constat ex prop. 28. ab Alex. VIII. damnata, quæ sic se habet: "Valet Baptismus collatus a Ministro qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: non intendo facere quod facit Ecclesia."—Ceterum etiamsi opinio Catharini, quæ hic rejicitur, gauderet aliqua probabilitate, nulli usui esse posset in administratione sacramentorum.—Cf. S. Alphons. n. 21. 22. et 23.—De Augustinis, Thes. cit. p. 228.

QUAER. 2°. *An validum sit sacramentum cum intentione conditionata collatum?*

RESP. *Neg.*, si conditio apposita sit de futuro; quia tunc suspendendo intentionem Ministri, impedit ne forma hic et nunc applicetur materiæ; nec postea applicari potest, verificata conditione, cum materia et forma jam desierint adesse.—Excipe tamen sacramentum Matrimonii, ut suo loco dicetur.—Si vero conditio sit de præterito aut de præsenti, et reipsa hæc existat, validum erit quodcumque sacramentum. —Cf. S. Alphons. n. 26.

QUAER. 3°. *An licita sit collatio sacramentorum cum intentione conditionata, in dubio utrum valide collata fuerint?*

RESP. *Affirm.*, si adsit causa sufficiens conditionem ponendi. Ratio est, quia *sacramenta sunt propter homines*, et conditionata collatione consulitur, in quantum fieri potest, tum bono eorum qui sacramentum accipiunt, si forte illius sint capaces, tum etiam reverentiæ sacramenti. Certum autem est in extrema necessitate, ubi non adest materia nisi dubia, Ministrum non modo posse, sed et teneri sub gravi sacramentum ministrare sub conditione.—Cf. S. Alphons. n. 27. 28. et 29.

QUAER. 4°. *An conditio verbis exprimi debeat?*

RESP. *Neg.*, et ratio est, quia sufficit ad reverentiam sacramenti si mente concipiatur. Imo, juxta aliquos, nec opus quidem est conditionem explicite et formaliter in mente habere; sed satis est si habeatur implicite et virtualiter, prouti eam habet, qui vult confessiones audire secundum institutionem Christi vel intentionem Ecclesiæ; nam sic quoque reverentia sacramento debita sufficienter servatur. Apponi tamen ore debet, ubi hoc præscribit Rubrica, ut in Baptismo conditionato, præsertim si publice conferatur, ne scilicet adstantes credant Baptismum absolute iterari et scandalum sumant.—Cf. S. Alphons. *Hom. Ap.* n. 3.—Lacroix, lib. 6. part. 1. n. 83.—Gobat, tract. 7. n. 272.

ARTICULUS II.

DE FIDE ET PROBITATE MINISTRI.

637. ***Dico.*** Quamvis ad validam sacramentorum collationem nec fides nec probitas, seu status gratiæ, requiratur in Ministro, requiritur tamen et quidem sub gravi ad licitam eorum administrationem, saltem si Minister sit ad ea conferenda *consecratus*, et ea conficiat *solemniter*, scilicet cum integro ritu ab Ecclesia præscripto. Ratio *primi* desumitur tum ex praxi et perpetua traditione Ecclesiæ, quæ nunquam baptizatos ab hæreticis et improbis Ministris rebaptizari voluit, tum ex Conc. Tridentino sess. 7. can. 12. *de Sacram. in genere*, et can. 4. *de Baptismo.* Ratio autem *secundi* est, quia Minister fide destitutus, vel peccato mortal iinquinatus irrogat gravem injuriam Deo et Christo, sancta indigne tractando, et quantum in se est contaminando.—Cf. De Augustinis, Thes. 16. p. 201.

638. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *An peccet graviter Minister qui, urgente necessitate, confert in mortali sacramentum, ad quod non est specialiter ordinatus, seu consecratus, aut, si est quidem consecratus, non agit qua talis, seu non ministrat solemniter?*

RESP. *Neg.*, probabiliter, quia obligatio in Ministro habendi sanctitatem non oritur præcise ex ipsa sanctitate Christi et sacramenti secundum se, sed ex Ministri consecratione vel deputatione ad sacramenta conferenda. Jam vero in prædictis casibus quis agit potius ex caritate ad succurrendum necessitati proximi, quam ut Minister deputatus.—

Cf. S. Thom. 3. q. 64. art. 6., et in 4. dist. 5. q. 2. art. 2.—Billuart, dissert. 5. art. 4.—S. Alphonsus negativam sententiam docuerat sub n. 34., sed postea in QQ. *Reform.* ad affirmativam divertit.—Cf. Baller. not. (a) p. 137. et not. (a) p. 138.

QUAER. 2°. *An peccet graviter sacerdos vel Diaconus ministrans Eucharistiam in mortali?*

RESP. *Affirm.*, juxta probabiliorem sententiam quam tenet S. Alphonsus. Ratio est, quia gravem injuriam irrogat sanctissimæ Eucharistiæ; nam licet ipse non agat ut causa efficax in conficiendo sacramentum, est tamem illius dispensator ad id specialiter consecratus, et obit ministerium quod immediate santificationi animæ cooperatur.—Videtur tamen probabilis sententia Lugonis et Salmanticensium asserentium in hoc casu venialiter tantum peccari. A fortiori autem probabilis censenda est sententia eorum qui tenent non esse mortale tangere vel deferre SS. Eucharistiam in mortali.—Cf. S. Alphons. n. 35. —Lugo, disp. 8. n. 155.—Salmant. tract. 1. cap. 7. n. 100.—Lacroix, lib. 6. part. 1. n. 101.—Baller. not. (b) p. 138.

QUAER. 3°. *Quot peccata committat Minister qui in mortali plura sacramenta administrat successive quidem sed unico tractu?*

RESP. In administratione Eucharistiæ unum tantum committi peccatum facile conceditur etiam ab illis, qui tenent peccari mortaliter; quia singulæ distributiones per modum unius haberi debent, cum unum convivium constituant. Si autem sermo sit de administratione Pœnitentiæ, communior et verior sententia tenet plura esse peccata, quia plura et distincta sunt judicia. — Attamen Card. de Lugo et Salmanticenses probabile putant semel tantum peccari; quod quidem si probabile est, idem, saltem *a pari*, dicendum esset de administratione Baptismi et Confirmationis.—Cf. S. Alphons. n. 35. et seqq.—Lugo, *de Pœnit.* disp. 16. n. 558.—Salmant. *de Censuris*, cap. 1. n. 182.—Baller. not. (a) p. 140.

ARTICULUS III.

DE OBLIGATIONE MINISTRANDI SACRAMENTA.

639. ***Dico.*** Sacerdotes curam animarum habentes tenentur sub gravi ex justitia sacramenta ministrare subditis suis rationabiliter petentibus. Curam enim animarum suscipiendo ad id sese obligaverunt

tacito contractu inito cum subditis, a quibus sustentationem aut saltem honorem accipiunt. Alii autem curam animarum non habentes non tenentur ministrare sacramenta ex justitia; aliquando tamen tenentur ex caritate, scilicet in gravi proximi necessitate.—Cf. S. Alphons. n. 58.

640. ***Resolves.***—1°. Peccant graviter habentes curam animarum non tantum si sine ratione ministerium suum denegent, sed etiam si se morosos et difficiles sæpe præbeant; quia sic fideles a sacramentis deterrent, quod idem est, ac si sacramenta denegarent.

2°. Mortale tamen non est, secluso casu gravis scandali, uni vel alteri, aut eidem semel vel iterum, citra necessitatem petenti sacramentum Pœnitentiæ vel Eucharistiæ denegare; quia damnum facile reparari potest, nec subditus ideo graviter invitus censetur.

3°. Si subditi irrationabiliter petant, nullum est peccatum. Hinc non tenetur Parochus quotidie cum scrupuloso vel devotulis tempus terere, cum tam frequens confessio istis non expediat, nec ipsi jus strictum ad absolutionem tam frequentem habeant.

4°. Si Parochus idoneos habeat Vicarios, non tenebitur adeo rigorose confessiones subditorum excipere; debet tamen fidelibus ipsum nominatim requirentibus satisfacere, nisi aut impeditus sit, aut pœnitentes libenter alium confessarium sint adituri.

5°. Peccant graviter, generatim loquendo, curam gerentes animarum, qui subditorum confessiones excipere nolunt, nisi paucis diebus intra mensem determinatis; quia in causa sunt cur fideles in statu peccati diu remaneant, et a sacramentis suscipiendis arceantur.—Cf. S. Alphons. n. 58., et alibi passim.

641. QUAERES. *An et quænam sacramenta ministranda sint etiam cum periculo mortis, sive ab habentibus curam animaram, sive ab aliis?*

RESP. Duo tantum, scilicet Baptismus et Pœnitentia. Nam ex una parte vita æterna proximi pluris facienda est quam vita temporalis Ministri sacramentorum, et ex alia duo tantum prædicta sacramenta sunt ad salutem necessaria.

Adverte tamen 1°. eos qui gerunt curam animarum teneri vitam exponere non tantum in extrema sed etiam in gravi necessitate, dum alii Ministri in sola necessitate extrema ad id obligantur; 2°. obligationem istam cessare cum adest tantum probabilitas successus vel necessitatis.

—Hinc non teneris exponere vitam tuam ad aliquem baptizandum, vel absolvendum, si probabiliter perire debes antequam id adimplere possis, vel probabiliter præsumas, illum esse baptizatum, aut non versari in statu peccati mortalis, aut etiam posse facile sibi subvenire per actum contritionis perfectæ.—Cf. S. Alphons. n. 58., et *de præc. carit.* n. 27.

ARTICULUS IV.

DE OBLIGATIONE DENEGANDI SACRAMENTA INDIGNIS.

642. ***Dico.***—Minister tenetur sub gravi, *per se loquendo*, sacramenta indignis denegare, tum quia lex naturalis obligat dispensatorem ad bona Domini fideliter dispensanda; tum quia voluntas positiva Christi est, ut sacramenta indignis non conferantur, juxta illud Matthæi vii. 6: "Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos."—Dixi *per se*, quia in casibus particularibus oportet attendere ad sequentia:

1°. Peccatori *publico*, sive occulte sive publice petenti, denegandum est sacramentum; quia nulla ratio adest, cur regulæ generali exceptio fiat; imo grave scandalum fidelium ex sacramentorum concessione sequeretur.—Cf. S. Thom. 3. q. 80. art 6.—S. Alphons. n. 44.

2°. Peccatori *occulto*, *occulte* petenti, pariter negandum est sacramentum; quia reverentia erga illud et caritas proximi in his adjunctis hoc postulant.—Cf. S. Thom. ibid.—S. Alphons. n. 50.

3°. Peccatori *vere occulto*, *publice* petenti, non est denegandum sacramentum. Ratio deducitur ex incommodis quæ sequerentur ex sacramenti denegatione; orirentur enim scandala et perturbationes in Ecclesia, et præsertim fideles in suspicionem adducti, ne a sacramentis prohiberentur, ab ipsis recederent.—Cf. S. Thom. ibid.—S. Alphons. ibid.

643. ***Quæsita.***—Quaer. 1°. *An sit negandum sacramentum peccatori publice petenti, sed cujus crimen etsi notorium, quia scilicet celari amplius nequit, proprie tamen non est adhuc publicum, vel si publicum, non ita est ubi petit?*

Resp. *Neg.*, saltem probabilius, quia ex una parte adstantes nullum, aut non magnum scandalum ex tali administratione caperent; et ex alia si denegaretur sacramentum, ea nascerentur incommoda atque

damna, quæ ex denegatione facta peccatori omnino occulto proveniunt. Imo eadem solutio danda est si plerique ex adstantibus crimen noverint, et illud non est adhuc simpliciter publicum.—Cf. S. Alphons. n. 45. et 46.

QUAER. 2°. *An liceat simulare vel saltem dissimulare sacramentum ne indigno conferatur?*

Antequam respondeatur, prænotandum est quid sit *simulatio* sacramenti, et in quonam differt ab ejus *dissimulatione.* Porro quoniam simulatio in genere est, ut ait S. Thomas, "mendacium facti," seu positio alicujus signi exprimentis aliquid contra illud quod habetur in mente, sequitur simulationem sacramenti nihil aliud esse nisi positionem fictam actionis sacramentalis, ita ut exterius non appareat defectus ob quem nullum redditur sacramentum. Dicitur autem ficta positio actionis sacramentalis, quando ponitur materia et forma cum intentione non conficiendi sacramentum. Quod si Minister ita agendo directe intendit decipere, tunc simulatio sacramenti dicitur *formalis;* si vero inducitur ad simulandum ex alio motivo, v. gr., ex gravi metu, tunc erit tantum *materialis.*—Dissimulare autem sacramentum est omittere essentialem aliquam ejus partem, scilicet materiam aut formam, sive ejus loco aliud substituatur, sive nihil substituatur; ita tamen ut hæc omissio aut substitutio possit exterius cognosci, et hoc solum quæratur, scilicet occultare veritatem. Hisce notatis nunc ad quæstionem:

RESP. Certo nunquam licet simulare sacramentum, sive agatur de simulatione formali, sive de materiali tantum. Ratio est, tum quia simulare sacramentum est proprie mentiri, tum quia ita agere est abuti rebus sacris et Deo ipsi illudere; et quoniam hujusmodi abusus continet gravem irreverentiam erga sacramentum, nunquam a peccato mortali excusari potest qui sacramentum aliquod simulat. Præterea constat ex prop. 29. ab Innoc. XI. damnata, quæ sic jacet: "Urgens metus gravis est causa sacramentorum administrationem simulandi." In hac autem damnatione reprobatur etiam simulatio materialis, cum de ea specialiter in propositione agatur.—Attamen, *secluso contemptu et accedente justa causa,* licitum est dissimulare sacramentum. Ratio est, quia in dissimulatione nulla fit injuria sacramento, quia non ponitur actio sacramentalis, neque mendacium committitur, sed tantum veritas occul-

tatur.—Cf. Viva, *in citatam prop.*—Scavini, lib. 3. n. 31.—Baller. not. (a) p. 145.—Haine, vol. 2. p. 331.

644. ***Resolves.***—1°. Graviter peccaret confessarius qui verba absolutionis proferret sine animo absolvendi, etiamsi id ageret ad se facilius expediendum a pœnitente *indisposito* et absolutionem instanter petente, aut etiam per gravissimas minas exigente.—Verum non peccat confessarius qui in prædicto casu diceret: "Ego te *non* absolvo" . . . . pronuntiando particulam *non* ita demisse, ut non audiatur a pœnitente; quamvis melius ageret si alias voces aut preces quam absolutionis formam tunc pronuntiaret. Ad hoc medium præsertim est recurrendum quoties, ex una parte pœnitens est indispositus et ex alia adstantes facile advertere possunt illum sine absolutione dimitti.—Cf. S. Alphons. n. 59.

2°. Gravissime peccaret sacerdos qui in Missa pronuntiaret verba consecratoria super panem et vinum, intentionem consecrandi excludens, tum ratione simulationis, tum ratione idololatriæ exponendo panem publicæ fidelium adorationi. Quod si verba ipsa consecrationis omittantur, tunc cessaret, juxta aliquos, peccatum simulationis, sed adhuc remaneret gravissimum peccatum idololatriæ. Et ista est ratio cur ab Innoc. III. in cap. *de homine*, 7. de celebr. Miss., dicatur sacerdotem qui fraudulenter præsumpserit simulare se consecrare, gravius peccare quam si celebraret in mortali.

3°. Item gravissime peccaret sacerdos, qui hostiam non consecratam pro consecrata porrigit etiam *scienti et consentienti*, ut evenit quandoque miseris sacerdotibus cum complice, qui famæ servandæ gratia ad sacram mensam accedit. Ratio est, quia sic hostia non consecrata exponitur adorationi tum adstantium, tum ipsiusmet etiam *scienter* recipientis cum reverentia externa, quæ idololatriam externam et materialem, et proinde quid intrinsece malum constituit.

4°. Juxta communem sententiam, non peccant, saltem graviter, qui vel ex metu gravi injuste incusso, vel cum scientia impedimenti dirimentis, sed urgente necessitate, quia, v. gr., omnia parata sunt, ficte contrahunt matrimonium. Ratio est, quia, deficiente consensu, deficit ipse contractus, ac proinde deficit etiam materia et forma sacramenti, et consequenter nulla potest haberi vera simulatio.

CAPUT IV.

DE SUBJECTO SEU DE RECEPTIONE SACRAMENTORUM.

ARTICULUS I.

DE REQUISITIS AD VALIDAM SACRAMENTORUM RECEPTIONEM.

645. ***Dico.***—Præter sacramentum Baptismi, quod cum sit *janua Ecclesiæ*, essentialiter et in omnibus, prærequiritur ad valorem cæterorum sacramentorum, tenendum est ad sacramenta valide suscipienda necessariam profecto esse in adultis aliquam intentionem, sed nullam requiri probitatem, aut proprie fidem, excepto sacramento Pœnitentiæ. Ratio *primi* est, quia repugnat aliquem adultum sanctificari, nisi aliquo modo velit: sanctificatur autem, saltem *de jure*, quisquis valide suscipit sacramentum. Ratio autem *secundi* desumitur ex praxi Ecclesiæ, quæ nunquam permisit iterum baptizari aut ordinari hæreticos aut improbos homines rite baptizatos et ordinatos.—Dixi tamen 1°. *in adultis*, quia in infantibus aut perpetuo amentibus nulla requiritur intentio, ut valide recipiant sacramenta quorum sunt capaces, videlicet Baptismum, Confirmationem, Ordinem, et Eucharistiam quæ olim ipsis ministrabatur. Ratio est, quia ex una parte nequeunt ullam intentionem habere, et ex alia nefas esset asserere Ecclesiam permittere, aut permisisse invalidam susceptionem sacramenti.—Dixi 2°. *aliquam intentionem*, quia pro plerisque sacramentis sufficit intentio habitualis, etiam quandoque confusa tantum, seu implicita, spectata cujusque sacramenti natura: collatio enim sacramentorum est quædam donatio et beneficium, ad quod acceptandum sufficit intentio habitualis.—Dixi 3°. *excepto sacramento Pœnitentiæ*, quia materia hujus sacramenti sunt ipsi actus pœnitentis.—Cf. S. Alphons. n. 80. et seqq.

646. ***Quæsita.***—Quaer. 1°. *Quænam intentio requiritur in adultis pro singulis sacramentis suscipiendis?*

Resp. Ad Baptismum valide recipiendum in adultis requiritur intentio saltem *habitualis*, quæ fuerit antea expressa, et nunquam retractata. Aliqui tamen dicunt sufficere voluntatem Baptismi implicitam, qualis esset in eo qui haberet voluntatem peragendi omnia ad

salutem necessaria et tamen expresse recusaret Baptismum quia per errorem putaret illum non esse necessarium. — Ad Confirmationem sufficit voluntas *habitualis*, etiam *implicita*, vel, ut dicit S. Alphonsus, *interpretativa;* quare conferri potest moribundo sensibus destituto.— Ad Pœnitentiam requiritur intentio vel *actualis*, vel saltem *virtualis;* ac proinde intentio habitualis non sufficit.—Ad Extremam Unctionem sufficit intentio *habitualis*, vel implicita, seu *interpretativa*, ut dicunt communiter theologi, et constat ex *Rituali Romano*, ubi de ea dicitur: "Hoc sacramentum est præbendum sensibus destitutis, qui ante illud petierunt seu verisimiliter petiissent." — Ad Ordinem certo in adulto non sufficit intentio *interpretativa*, quia sine voluntate explicita nullus adultus potest gravissimam obligationem status clericalis subire. Sufficere tamen videtur intentio *habitualis*. In praxi autem requiri debet intentio *actualis*, vel saltem virtualis. — Ad Matrimonium requiritur intentio saltem *virtualis*, quia Matrimonium perficitur contractu, ad quem deliberatio et plena voluntas necessaria est.—Cf. S. Alphons. n. 82.—Baller. not. (a) p. 148.

Nulla autem intentio requiritur pro Eucharistia, quæ cum sit *sacramentum permanens*, semper valide recipitur.

Quaer. 2°. *An requiratur attentio in subjecto adulto, ut sacramentum valide suscipiatur?*

Resp. *Neg.*, et ratio est, quia actus humanus non procedit ab *attentione* sed a voluntate seu ab *intentione*. Præterea pleraque sacramenta, ut dictum est, ne virtualem quidem intentionem requirunt; ergo *a fortiori* attentionem ex parte subjecti non requirunt. Insuper non requiritur attentio in Ministro ad conficiendum sacramentum, ut constat ex dictis; ergo *a fortiori* non requiritur in subjecto.—Hinc frustra scrupulis aliquando pœnitentes ex eo anguntur, quod distractiones passi fuerint dum absolvebantur, vel quod absoluti fuerint, quin ad id animadverterint.—Cf. Sporer, n. 157.

ARTICULUS II.

DE REQUISITIS AD LICITAM SACRAMENTORUM RECEPTIONEM.

647. Ad licitam et fructuosam receptionem sacramentorum, præter intentionem ea suscipiendi, prærequiritur status gratiæ si agitur de sacraments *vivorum;* et si de sacramentis *mortuorum*, requiruntur actus fidei, spei et doloris de peccatis.—Ratio *primi* est, quia sacramenta vivorum ex primaria sua institutione a Christo sunt ordinata non ad primam sed ad secundam gratiam conferendam, ac proinde graviter peccant, qui scienter prædicta sacramenta in statu peccati mortalis suscipiunt, et quidem gravius ac illi qui indigne ministrant ac conficiunt. Ratio autem *secundi* desumitur tum ex Apostolo dicente, Hebr. xi. 6: "Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit;" tum ex eo quod repugnat dari remissionem peccatorum sine eorum retractatione et dolore.—Cf. S. Alphons. n. 86.

648. ***Quæsita.***—Quaer. 1°. *An sacramenta valide sed cum obice suscepta, hoc ablato, reviviscant, seu gratias sibi proprias producant?*

Resp. *Affirm.*, quamvis non cum eadem certitudine pro omnibus sacramentis. Ratio est, quia per accidens tantum fit, ut effectus proprios non producant, nempe propter obicem, et proinde effectus illi remanent quasi suspensi, manente obice; hoc tamen remoto, animæ applicari debent. Id pro sacramentis characterem imprimentibus uti certum admittitur. Idem juxta aliquos probabiliter dicendum videtur de sacramento Pœnitentiæ, et potiori ratione de sacramentis Extremæ Unctionis ac Matrimonii, quæ durante eodem morbo, aut eodem conjugio iterari nequeunt. De Eucharistia autem probabilius negandum. —Cf. S. Alphons. n. 6. et 87.

Quaer. 2°. *Qualis dispositio requiritur in subjecto, ut sacramentum informe reviviscat?*

Resp. Statuitur communiter hæc regula generalis: requiritur ea dispositio quæ deerat, et cujus absentia causavit obicem effectui sacramenti, seu debet præcise poni id quod necessario in susceptione sacramenti requirebatur. Unde *per se* sufficit attritio pro reviviscentia Baptismi, et similiter pro Pœnitentia dicendum est, juxta illos qui tenent hoc sacramentum posse dari valide sed informe. Requiritur autem

contritio perfecta, vel attritio cum confessione pro cæteris sacramentis, scilicet pro Confirmatione, Extrema Unctione, Ordine, et Matrimonio. —Cf. Lugo, disp. 9. n. 50. et seqq.—Lacroix, n. 207.

QUAER. 3°. *An sufficiat attritio, ut Baptismus informis reviviscat, si suscipiens alia peccata gravia postea commiserit?*

RESP. *Neg.*, quia peccata commissa post Baptismum sunt materia necessaria sacramenti Pœnitentiæ, et proinde remitti non possunt, nisi per illud sacramentum, vel per contritionem perfectam cum voto sacramenti Pœnitentiæ in ea incluso.—Cf. Lugo, disp. cit. n. 55.—Lacroix, loc. cit.

QUAER. 4°. *An liceat petere sacramentum a Ministro indigno?*

RESP. Non licet sine causa, quia sic absque ratione induceretur Minister indignus ad graviter peccandum. Hoc autem per se illicitum est, quia caritas exigit, ut impediamus peccatum proximi, quod facile impedire possumus. Licet autem, si sacramentum non possit facile peti ab alio sacerdote, nec possit facile differri ejus susceptio; nemo enim cum magno incommodo tenetur e jure suo cedere ad liberum peccatum alterius impediendum. Tunc sacramentum petens permittit simpliciter peccatum, sed peccati causa non est. Causa autem sufficiens foret, v. gr., præceptum Paschale implendum, vel si quis secus diu in statu peccati mortalis remanere, aut communione privari deberet, etc.—Cf. S. Alphons. n. 89.

APPENDIX PRIMA.

DE CÆREMONIIS IN ADMINISTRATIONE SACRAMENTORUM.

649. Administratio sacramentorum committi non potuit arbitrio aut devotioni uniuscujusque sacerdotis; nam secus et uniformitas deesset, et validitas ipsa actionis sacramentalis magno periculo exponeretur. Quare a tempore Apostolorum Ecclesia leges statuit, easque semper servari voluit. Has leges, ritus et cæremonias vocari consuetas, in uno volumine colligi voluit Pius V., easque iterum sancivit et promulgavit per Const. *Apostolicæ Sedi*, ubi ita loquitur: "In quo (volumine) cum receptos et approbatos Catholicæ Ecclesiæ ritus suo ordine digestos conspexerimus, illud sub nomine *Ritualis Romani* merito edendum pub-

lico Ecclesiæ Dei bono judicavimus"—Porro de hoc Rituali Romano duo quæri possunt.

650. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *Utrum in administrandis sacramentis detur vera obligatio, præsertim pro hac regione, servandi cæremonias in Rituali Romano præscriptas?*

RESP. *Affirm.*, et ratio est, quia ex una parte leges Ritualis Romani obligant in conscientia, et ex alia, nulla apud nos invocari potest consuetudo in contrarium.

Primum, scilicet leges Ritualis Romani obligare in conscientia, et non esse tantum normas quasdam utiliter sequendas, probatur ex eo quod juxta Conc. Trid. sess. 7. can. 13. approbati et recepti Ecclesiæ ritus in solemni sacramentorum administratione adhiberi consueti, nequeunt omitti sine peccato. Atqui Rituale Romanum, testante ipso Paulo V., nihil aliud est quam collectio approbatorum et receptorum Ecclesiæ rituum. Ergo, etc.—Hoc argumentum in fronte Ritualis Romani ita exponitur tanquam proemium: "Ut ea, quæ ex antiquis catholicæ Ecclesiæ institutis, et sacrorum Canonum, Summorumque Pontificum Decretis, de sacramentorum ritibus ac cæremoniis hoc libro præscribuntur, qua par est diligentia ac religione custodiantur, et ubique fideliter observentur; illud ante omnia scire, et observare convenit, quod sacrosancta Tridentina Synodus, sess. 7. can. 13. de iis ritibus decrevit in hæc verba: 'Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a Ministris pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse; anathema sit.' "

Alterum autem, scilicet nullam apud nos invocari posse consuetudinem contra leges Ritualis Romani, constat ex Patribus Baltimorensibus qui ita loquuntur "Quum in Sacramentis conferendis non ea tantum, quæ ad materiam, ut ajunt, formamque pertinent, accurate attendenda sint; sed et omnes sacræ disciplinæ leges, singulosque ritus ac cæremonias in unoquoque sacramento præceptas, fideliter et sancte servare oporteat; idcirco valde optamus, ut ab omnibus animarum curam gerentibus rubricæ Ritualis Romani, saltem semel singulis annis, diligenter evolvantur."

"Quanta vero diligentia prædecessores nostri adlaborarint, ut Rituale

Romanum accurate et ubique apud nos servaretur, et quanto studio caverint, ne ritus novi aut a S. Romanæ Ecclesiæ consuetudine alieni inducerentur, patet ex pluribus eorum decretis, quæ hic adjicimus, atque, quatenus opus sit, iterum confirmamus."—Consule omnino *Conc. Plen. Balt.* II. n. 209. et seqq.

QUAER. 2°. *Quale peccatum sit omittere cæremonias in Rituali Romano præscriptas pro administratione sacramentorum?*

RESP. Distinguendum est, nam si grave scandalum oriatur et magnus contemptus religionis, omissio erit certo peccatum grave. Seclusa autem hac hypothesi, iterum erit distinguendum: omissio in materia gravi erit gravis, et levis in materia levi. Quænam autem censenda sit materia gravis, et quænam levis judicio prudentum potius relinquendum est, quam certa regula definiendum. Attamen dici potest generatim, cæremonias institutas propter sacram significationem esse graviores et culpabilius omitti, quam quæ propter solum ornatum et decentiam; et eadem proportione, quarum significatio est altior, graviores censentur, præsertim si cum significatione habeant aliquem spiritualem effectum. Ex his vero quæ ad decentiam pertinent, circumstantiæ loci et temporis præscripti, per se loquendo, solent graves existimari, quia hæ circumstantiæ multum spectant ad exteriorem ornatum et publicam solemnitatem et existimationem.

NOTA.—*Opus cui titulus "Notes on the Rubrics of the Roman Ritual, by the Rev. James O'Kane," præclarum omnino est, quia praxim cæremoniarum in administratione sacramentorum optime docet, et earum significationem erudite explicat. Opus istud sæpe citabitur opportunis locis.*

APPENDIX SECUNDA.

DE SACRAMENTALIBUS.

651. "Præter sacramenta proprie dicta," aiunt Patres Batimorenses—"alias quoque res sacras habet Ecclesia, quæ olim latiori quidem ac minus proprio sensu etiam sacramenta vocabantur, a multis autem sæculis in morem venit ut *sacramentalia* appellentur. Origo nominis ex eo est, quod, sacramentis virtute ac meritis longe inferiora cum sint, ea tamen effectibus quodammodo imitentur."—Porro de istis sacramentalibus tria hic breviter dicemus, scilicet quid, quot, et quænam sunt, et quosnam effectus producunt.—Cf. Konings, n. 1244. et seqq.

I. Sacramentalia sunt actiones quædam sacræ ab Ecclesia institutæ, quas si fideles pie ponant, bonum aliquem effectum præsertim spiritualem capient.—Dicitur 1°. *actiones* quin addatur *res;* nam omne sacramentale consistit vel in quadam actione proprie dicta, ut esset, v. gr., tunsio pectoris, aut benedictio Præsulis, vel in *usu* alicujus rei sacræ, ut esset, v. gr., aspersio aquæ lustralis.—Dicitur 2°. *ab Ecclesia institutæ;* nam sacramentalia essentialiter differunt a sacramentis, quia hæc sunt divinæ, illa autem ecclesiasticæ institutionis.—Dicitur 3°. *quas si fideles;* et per hoc intelliguntur sive fideles proprie dicti sive catechumeni, qui possunt et solent juvari exorcismis.—Dicitur 4°. *pie ponant;* nam sacramentalia non operantur ex opere operato, sed ex opere operantis.—Dicitur tandem 5°. *præsertim spiritualem;* quia sacramentalia producunt etiam bona temporalia, sed principaliter gratiam et peccatorum remissionem.

II. Circa numerum sacramentalium non conveniunt theologi; nam alii plura, alii pauciora assignant. Communius tamen ad sex capita reducuntur, juxta versiculum:

Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.

652. 1°. *Orans* significat quotidianas fidelium preces, præsertim autem orationem Dominicam et publicas Ecclesiæ preces, prouti sunt illæ quæ fiunt diebus Rogationum.

2°. *Tinctus* denotat usum aquæ lustralis qui a primis Ecclesiæ sæcu-

lis repetendus est. Denotat etiam omnes alias unctiones quæ non constituant sacramentum aliquod proprie dictum.

3°. *Edens* exprimit devotam manducationem panis benedicti, qui in veteri Ecclesia, deficiente paulatim pristinæ caritatis fervore, baptizatis, et aliquando catechumenis dabatur loco Eucharistiæ. Mos iste hodie adhuc servatur in aliquibus Ecclesiis, ubi fragmenta panis benedicti intra Missarum solemnia ante vel post communionis tempus, fidelibus porriguntur. Prædicta vox exprimit etiam manducationem fructuum benedictorum, præsertim si sint novi, pro quibus adest specialis benedictio.

4°. *Confessus* designat publicam confessionem culparum modo generali faciendam ex præscripto Ecclesiæ, sive in Missa, sive in Horis canonicis recitandis. Designat etiam supplicem et humilem tunsionem pectoris, necnon aspersionem cinerum super capita fidelium prima die quadragesimæ fieri solitam.

5°. *Dans* comprehendit imprimis eleemosynam et secundario quodcumque aliud opus misericordiæ sive spiritualis sive corporalis ab Ecclesia specialiter designatum ceu fidelibus præstandum in publica quadam calamitate, aut tempore quadragesimali.

6°. *Benedicens* comprehendit imprimis omnes benedictiones quæ ordinarie sive scripto sive voce dantur a Papa, Episcopis et sacerdotibus; deinde illas solemnes benedictiones in Rituali Romano descriptas ceu dandas virginibus, regibus, reginis, etc.; et demum benedictiones rerum et animalium. Porro ex his benedictionibus aliæ sunt *papales*, seu Papæ reservatæ, v. gr., benedictio *Palliorum*, aut *Rosæ aureæ;* aliæ sunt *episcopales*, quæ de jure ad solos Episcopos pertinent, quales sunt consecrationes ecclesiarum, altarium, calicum, campanarum, sacerdotalium indumentorum, mapparum, corporalium, primarii lapidis ecclesiæ vel cœmeterii, tabernaculi, novæ crucis et imaginum, si tamen crucis et imaginum benedictio fiat publice cum solemnitate; demum aliæ sunt *sacerdotales*, quæ scilicet spectant ad sacerdotes, cum hoc tamen discrimine, ut quasdam omnis sacerdos, quasdam vero nonnisi Parochus vel alius ab ipso delegatus dare possit.—Dixi aliquas benedictiones esse *de jure episcopales*, sed advertendum est Episcopos non posse delegare simplicem sacerdotem ad eas omnes impertiendas absque indulto pontificio.

III. Effectus sacramentalium diversi a diversis numerantur, sed præcipui sunt duo sequentes:

1°. Remissio peccatorum venialium non quidem immediate, et vi ipsius ritus sacri, quod solum ad sacramenta proprie dicta pertinet, sed mediantibus piis motibus contritionis qui certo solent facilius et frequentius excitari per usum sacramentalium. Huc faciunt illa verba S. Augustini: "Delet omnino hæc oratio (Pater Noster) minima et quotidiana peccata." Et alibi idem S. Doctor testatur: "peccata sine quibus hic non vivitur, operibus misericordiæ et piis orationibus mundari."

2°. Repressio et fuga dæmonis; idque non tantum per modum impetrationis, sed etiam per modum imperii. Hinc S. Alphonsus sacerdotem admonet, ut, instante agonia, sæpius aspergat infirmum aqua benedicta, eumque muniat signaculo crucis.

Necesse non est plura addere de sacramentalibus, sed præstat omnino ob oculos ponere sapientissimum hoc monitum Patrum Baltimorensium:

"Curent imprimis concionatores et animarum rectores, ut harum rerum naturam, significationem, rectumque usum fidelibus exponant, ac sæpius inculcent. Iis qui sapientiæ et ingenio suo nimis innituntur, persuadeant hæc, levia licet minutaque videantur, non esse contemnenda, quum ad pie vivendum et salutem consequendam non parum proficiant. Rudiorem vero plebeculam, quæ contrario errore abripitur, etiam atque etiam moneant, ne rebus ipsis nimiam efficaciam tribuat, neque eas cœca quadam et immodica fiducia servet, et superstitiosa veneratione prosequatur, quasi ipsæ per sese, sine pia mentis dispositione, plurimum possent. Illos vero acerrime reprehendant, qui hujusmodi res sacras, ut Ethnicis moris erat, amuletorum quasi loco habent, quæ ipsos etiam fœdissimo vitiorum cœno involutos ab ira Dei et ultione præstent immunes."—Cf. *Conc. Plen. Balt* II. n. 350.

TRACTATUS

DE BAPTISMO

CAPUT I.

DE NATURA, PROPRIETATIBUS, ET NECESSITATE BAPTISMI.

653. Baptismus definitur juxta *Catechismum Romanum:* "Sacramentum regenerationis per aquam in verbo;" et est primum novæ legis sacramentum, maximeque necessarium ad spiritualem hominis regenerationem a Christo institutum.

A Baptismo aquæ, qui vocatur *fluminis*, distinguitur Baptismus *flaminis* et Baptismus *sanguinis*, quibus suppleri potest Baptismus *proprie* dictus, si hic sit impossibilis. Prior est plena conversio ad Deum per contritionem aut caritatem perfectam, quatenus continet vel explicitam, vel saltem implicitam voluntatem recipiendi Baptismum aquæ, prout hujus Baptismi notio adest vel non adest præsens menti illius qui sic ad Deum convertitur. Posterior autem est effusio sanguinis, seu mors tolerata pro fide, aut pro alia virtute christiana. Sed solus Baptismus aquæ proprie *Baptismus in re* vocatur; Baptismus vero flaminis et Baptismus sanguinis dicuntur Baptismi in voto.

Effectus Baptismi tres numerantur potissimi, nempe 1°. remissio peccati originalis et peccatorum actualium, si quæ sint, per gratiæ sanctificantis infusionem; 2°. remissio totalis pœnæ æternæ et temporalis peccatis debitæ; 3°. impressio characteris, quo baptizatus signatur filius Dei et cohæres Christi, et redditur incapax Baptismi denuo suscipiendi. Constat de his omnibus ex Conc. Trid. sess. 5. in decret. *de peccato orig.*, et sess. 7. *de Baptismo*, et ex Conc. Florent. in decret. *pro Armenis.*

Baptismus aquæ in re vel in voto, prout hoc explicatum est, ex divina institutione est omnino necessarius ad salutem necessitate medii. Constat tum ex verbis Christi, Joan. iii. 5: "Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei;" tum ex

Conc. Trid. sess. 7. can. 5. *de Baptismo:* "Si quis dixerit Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem, anathema sit."—Cf. De Augustinis, art. 5. p. 354.

CAPUT II.

DE MATERIA ET FORMA BAPTISMI.

ARTICULUS I.

DE MATERIA TUM REMOTA TUM PROXIMA BAPTISMI.

654. ***Dico*** 1°. Materia remota valida Baptismi est sola aqua vera et naturalis: materia autem licita, extra casum necessitatis, est sola eadem aqua, non tamen turbida aut fæculenta, et insuper benedicta seu consecrata ex chrismatis immixtione, juxta ritum Ecclesiæ, saltem pro Baptismo solemni. *Primum* constat ex Conc. Trid. sess. 7. can. 2. *de Baptismo,* ubi hæc habentur: "Si quis dixerit, aquam veram et naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideo verba Domini Nostri Jesu Christi: 'Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto,' ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit." *Alterum* autem constat ex Rituali Romano et unanimi consensu theologorum.—Dixi *extra casum necessitatis,* quia in periculo mortis quæcumque materia, dummodo non sit certo invalida, adhiberi potest et debet sub hac conditione: *Si hæc materia sit sufficiens.*—Si vero ille qui tali materia fuerit baptizatus supervixerit, habita copia materiæ certo validæ, iterum baptizari debet sub hac conditione: *Si non es baptizatus, ego te baptizo,* etc.—Sicut autem, juxta S. Alphonsum, sufficit etiam tenuis probabilitas de validitate materiæ ad baptizandum sub prima conditione, ita etiam tenuis probabilitas circa ipsius invaliditatem sufficit ad rebaptizandum sub altera conditione.—Cf. S. Alphons. n. 102., et *Hom. Ap.* n. 8.

Dico 2°. Materia proxima Baptismi est ablutio, quæ tribus modis fieri potest, scilicet *immersione, aspersione,* et *infusione,* juxta praxim diversarum Ecclesiarum, ita ut morali hominum judicio baptizatus censeatur esse lotus. Constat ex verbis formæ, et perpetua praxi Ecclesiæ.

655. ***Quæsita.*** —Quaer. 1°. *Quænam sit regula cognoscendi aquam veram et naturalem?*

RESP. Optima omnium regula est recurrere ad communem timoratorum hominum usum et æstimationem, relictis iis quæ a naturalistis disseruntur. Hinc:

1°. Materia valida est: 1°. aqua fontium, puteorum, fluminum, maris, stagnorum, paludum, lacuum; 2°. aqua resoluta ex glacie, nive vel grandine, quia servat eamdem substantiam, licet accidentaliter immutata sit quoad colorem, saporem aut odorem; 3°. aqua sulphurea, vel mineralis, aqua collecta ex vapore, rore, vel effluens tempore nimboso ex pariete, foliis, etc.; 4°. aqua turbida, mixta cum alia substantia, modo aqua sit materia vere et certe prædominans.

2°. Materia invalida est: 1°. lac, sanguis, lacrymæ, sudor, saliva, sputum, urina; 2°. vinum, oleum, cerevisia, jus densum ex adipe, etc.; 3°. lutum, atramentum; 4°. nix, et glacies, nondum resoluta, quia in hoc statu non sunt aqua naturalis, quamvis de hoc aliqui dubitant, nam glacies per contactum resolvitur, et sic haberi potest quædam ablutio.

3°. Materia dubia est: 1°. jusculum valde tenue, lixivium, cerevisia tenuis, aqua ex sale soluto; 2°. humor fluens e vite, aliisque plantis.—Cf. S. Alphons. n. 103. et seqq.—Cretoni, vol. 2. p. 134.

QUAER. 2°. *Quid agendum in casu quo aqua consecrata, quæ conservatur in fonte baptismali, appareat corrupta et fæculenta?*

RESP. Notandum imprimis est aquam baptismalem sæpe apparere turbidam et fæculentam propter chrisma quod forte in nimia quantitate ei fuerit immixtum, sed revera ita non esse. Supposita tamen hypothesi, præferenda esset, in casu necessitatis, aqua pura etsi non consecrata, et extra casum necessitatis providendum renovatione aquæ fontis baptismalis, juxta Rituale Romanum. Ita ex respons. S. C. U. I. die 17. Apr. 1839.—Verum apud nos, etiam in casu necessitatis, nisi hæc sit valde urgens, facile invenitur remedium in consecratione aquæ puræ per brevem formulam præscriptam a Conc. Baltimorensi Provinciali I. et a Pio VIII. approbatam ad usum Missionariorum Americæ Septentrionalis.— Cf. S. Alphons. n. 102.—*Conc. Plen. Balt.* II. n. 234. —Cretoni, vol. 2. p. 134.—*Excerpta Rit. Rom.* p. 238. edit. 1878.

QUAER. 3°. *An possit valide baptizari puer in utero matris?*

RESP. *Affirm.*, probabilius, si attingatur aqua aliquo mediante instrumento, quia infans in utero matris inclusus jam est homo viator. At

quoniam aliqui dubitant de validitate hujus Baptismi, propterea quod talis infans cum non proprie dici possit *natus*, nequit *renasci*, ideo esset sub conditione repetendus, et a fortiori si aqua non attingat puerum immediate.—Cf. S. Alphons. n. 107.

QUAER. 4°. *An valeat Baptismus, si aqua tantum tangat vestes aut crines baptizandi?*

RESP. Si aqua tangat tantum vestes, certo invalidus est Baptismus; quia sic nemo dixerit hominem ablui; at probabilius validus est, si aqua crines tangat. Sed in praxi tutior pars sequenda est.—Hinc si baptizandus sit capillatus, vel digitis sinistræ manus cæsariem ejus discriminet sacerdos, dum dextera aquam infundit, vel in fronte eum baptizet.—Cf. S. Alphons. n. 107. q. 3.

QUAER. 5°. *An valeat Baptismus collatus in alia parte, quam in capite?*

RESP. *Affirm.*, probabilius, præsertim si Baptismus in parte aliqua principaliori conferatur, v. gr., in pectore, scapulis, etc. Attamen si necessitas ad id compulerit, postea, si fieri possit, iterandus sub conditione Baptismus foret.—Cf. S. Alphons. n. 107. q. 4.

QUAER. 6°. *An una vel altera gutta aquæ ad baptizandum sufficiat?*

RESP. *Neg.*, probabilius præsertim si aqua non fluat, quia nequit dici ablutio, quæ ad Baptismum omnino requiritur: est tamen materia dubia, quæ in casu necessitatis foret adhibenda. Dicunt autem communiter theologi esse materiam certam si baptizans motu digiti madefacti partem corporis ablueret.—Cf. S. Alphons. n. 107. q. 6.—Elbel, n. 16.

QUAER. 7°. *An trina ablutio requiratur ad Baptismum?*

RESP. Certo non requiritur ad validitatem; unica enim sufficit, ut quis censeatur vere ablutus. Ita omnes cum S. Thoma, 3. q. 66. art. 8. Requiritur autem ad liceitatem, et quidem sub gravi, quia præscribitur in Rituali Romano, quamvis hæc præscriptio tantum de Baptismo solemni intelligenda videatur.

ARTICULUS II.

DE FORMA BAPTISMI.

656. ***Dico.*** Forma Baptismi est: *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Sic definivit Conc. Trid., juxta illud Matth. xxviii. 19: "Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti."—Neque requiritur additio vocis *Amen*, cujus omissionem S. Alphonsus cum aliis putaverat esse peccatum veniale; nam, proposito dubio, S. C. Rit. 9. Junii 1853. respondit: "Strictim in casu servetur Rituale Romanum," ubi certo illa vox non invenitur.

657. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *An omnia et singula verba prædictæ formæ pertineant ad essentiam sacramenti?*

RESP. *Neg.*, nam omissio pronominis "*ego*," saltem si latina lingua adhibeatur, non est essentialis, nec excederet peccatum veniale. Idem dicendum videtur probabilius de omissione conjunctionis "*et*," præsertim si semel tantum, scilicet ante secundam Personam, omittatur. Idem etiam probabilius tenendum de præpositione "*in*," licet plures graves theologi contradicant. Cætera autem verba omnino requiruntur ad validitatem.—Dixi *si latina lingua adhibeatur;* nam secus esset dicendum si adhiberetur lingua Anglica, Gallica aut Germanica, quia tunc, omisso pronomine, verbum per se solum non determinat personam Ministri.—Cf. S. Alphons. n. 111.—Kenrick, tract. 15. n. 9.—*Analecta Jur. Pont.* ser. 8. col. 1608.

QUAER. 2°. *An valida sit forma Baptismi, si dicatur: "Ego te baptizo in nomine Sanctissimæ Trinitatis"?*

RESP. *Neg.*, saltem *probabilius*, quia in tali forma non sat distincte exprimuntur singulæ personæ Sanctæ Trinitatis; siquidem vox *Trinitas* tantum *confuse* et *implicite* personas significat; Christus autem voluit ut *distincte* exprimerentur.—A fortiori autem invalida esset forma si diceretur "*in nomine Christi,*" quia tunc nullatenus exprimitur Trinitas personarum.—Cf. S. Thom. 3. q. 66. art. 6.—S. Alphons. n. 111. et seqq.

QUAER. 3°. *An valeat Baptismus, si formæ consuetæ addatur: "et in nomine beatæ Mariæ Virginis"?*

RESP. Distinguendum est: Non valet, si quis hoc faciens intendat Baptismum conferre in nomine beatæ Virginis, tribuendo scilicet tali nomini veram efficaciam in Baptismi valorem. Secus vero, si id faciat ex importuna devotione.—Cf. S. Alphons. n. 111.

CAPUT III.

DE MINISTRO BAPTISMI.

658. ***Dico*** 1°. Omnis et solus sacerdos, vi suæ ordinationis, est Minister *ordinarius* Baptismi; attamen, extra casum necessitatis, non potest hac potestate licite uti, etiam privatim, nisi jurisdictionem ordinariam vel delegatam habeat. Constat ex Conc. Florent. *in Decreto unionis*, ex Rit. Rom. *de Baptismo*, et ex *Conc. Plen. Balt.* II. ubi n. 227. sic legitur: "Ordinarius Baptismi Minister est Episcopus in sua Diœcesi, Parochus in sua Parochia. Hinc gravissima reprehensione digni sunt sacerdotes, qui infantes ab aliena sive parochia, sive diœcesi sibi oblatos temere baptizant, cum facile a proprio Pastore baptizari potuissent. Abusum hunc jam a Conc. Prov. Baltimorensi VI. notatum iterum damnamus ac prohibemus."

Dico 2°. Quilibet homo ratione utens, sive vir, sive mulier, sive catholicus, sive hæreticus, sive fidelis, sive infidelis, est Minister *extraordinarius* Baptismi, ita ut semper valide et, *in necessitate*, etiam licite, baptizare possit.—Diaconus etiam dicitur et est Minister *extraordinarius* et *solemnitatis* Baptismi, id est valens *solemniter* baptizare, sed tantum ex delegatione et gravi de causa. *Primum* eruitur ex Conc. Florent. in Decreto Unionis, et universali Ecclesiæ praxi. *Alterum* autem constat ex Pontificali Rom. seu ex Instructione Episcopi ad Diaconos dum eos ordinat.—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. n. 228.

659. ***Resolves.***—1°. Peccant parentes qui, extra casum necessitatis, prolem deferunt baptizandam apud alienos sacerdotes, nam ita agendo violant jus proprii Pastoris.—Cf. S. Alphons. n. 114.

2°. De licentia sive expressa sive tacita, aut etiam rationabiliter præsumpta possunt baptizari extranei, sed tunc remittenda est eleemosyna si quæ habeatur ad proprium Pastorem.—Cf. S. Alphons. n. 115.

3°. Peregrini vel vagi possunt baptizari in qualibet Ecclesia quam elegerint.—Cf. S. Alphons. n. 114.

4°. Casus necessitatis quo laicus licite potest baptizare intelligitur, periculum mortis infantis: non autem si sacerdos præ distantia, intemperie, aut infirmitate nequeat haberi nisi post duos aut tres menses.—Ratio desumitur ex praxi Ecclesiæ, et communi sensu fidelium. Imo dicunt multi Episcopum aut Parochum non posse in præfatis adjunctis positive committere laicis munus baptizandi, excepto semper casu quo infans baptizandus in aliquod periculum adducatur.—Cf. Kenrick, tract. 15. n. 16.

5°. Ordo servandus inter diversos Ministros Baptismi ita describitur in Rit. Romano: "Si adsit sacerdos, Diacono præferatur, Diaconus Subdiacono, Clericus laico, et vir fœminæ, nisi pudoris gratia deceat fœminam, potius quam virum, baptizare infantem non omnino editum, vel nisi melius fœmina sciret formam et modum baptizandi."—Cf. S. Alphons. n. 117.

CAPUT IV.

DE SUBJECTO BAPTISMI.

660. ***Dico.*** Subjectum Baptismi est omnis et solus homo viator nondum baptizatus. *Omnis* quidem, quia propter universalitatem peccati originalis, omnes indigent regenerari; *solus* autem, quia pro solis hominibus viatoribus instituta sunt sacramenta, et ipsis solis patet aditus in Ecclesiam.—Dixi demum *nondum baptizatus*, quia vi characteris qui in Baptismo imprimitur, hoc sacramentum nec licite nec valide potest iterari.

661. ***Resolves.***—1°. Valide baptizantur infantes, item perpetuo amentes, qui nunquam usi sunt ratione, et proinde censentur ejusdem conditionis ac infantes. Si autem aliquando ratione usi fuerint, probabilius non valet Baptismus, nisi ante amentiam illum petiverint. In praxi tamen ii sub conditione essent baptizandi, tum quia non plane constat eos Baptismum non postulasse, tum etiam quia juxta plures, ut superius dictum est, satis est, si quis habuerit voluntatem suscipiendi omnia ad salutem necessaria.

2°. Si dubium sit, an infans vivat, baptizandus est sub conditione,

Hinc recte censent generatim theologi, omnes fœtus abortivos semper esse baptizandos sub conditione, *si vivant;* maxime cum hodie vigeat opinio communiter a peritis recepta, fœtum, ab initio conceptionis, anima informari. Hoc autem non est ita intelligendum ut etiam tunc dari possit Baptismus cum ne prima quidem delineamenta vitæ humanæ apparent.—Cf. O'Kane, n. 211.—Baller. not. (a) p. 160.

3°. Valide is baptizatur, quem Minister putat esse alium; imo licet sit fœmina, quam putet esse masculum; quia præsentem et non alium baptizare intendit.

4°. Valide plures simul baptizantur hac forma: *Ego vos baptizo,* etc., modo simul abluantur. Sed extra necessitatis casum hoc illicitum est.

5°. Monstrum quod prodierit ex congressu viri cum fœmina semper baptizandum est; absolute quidem, si caput est humanum, conditionate autem, si apparet ferinum. Conditionate etiam esset baptizandum, juxta S. Alphonsum post Rituale Romanum, si nasceretur ex congressu viri cum bestia; at nullo modo, juxta eumdem S. Doctorem, si esset a bruto et fœmina, quia tunc non haberet peccatum originale. Hoc ultimum alii negant quia Baptismus non est tantum ad peccatum originale abluendum. Ceterum casus monstri quod proveniat a fœmina et a bruto incredibilis est, et repugnat sanæ philosophiæ. Quod si detur, tum potissimum est recurrendum ad Ordinarium.—Cf. S. Alphons. n. 125.—Baller. not. (a) p. 162.

662. ***Quæsita.***—Quaer. 1°. *An et quandonam filii infidelium non adhuc habentes usum rationis licite possint baptizari, invitis parentibus?*

Resp. Generatim loquendo, non licet eos baptizare, tum quia violaretur jus naturale parentum, tum quia exponerentur periculo perversionis, et consequenter fieret injuria sacramento, tum demum quia repugnat praxi Ecclesiæ. Et hæc est doctrina S. Thomæ, qui ait: "Secundum jus naturale sunt (hujusmodi filii) sub cura parentum, quamdiu ipsi sibi providere non possunt . . . . et ideo contra justitiam naturalem esset, si tales pueri, invitis parentibus, baptizarentur: sicut etiam si aliquis habens usum rationis baptizaretur invitus. Esset etiam periculosum taliter filios infidelium baptizare, quia de facili ad infidelitatem redirent propter naturalem affectum ad parentes. Et ideo non habet hoc Ec-

clesiæ consuetudo quod filii infidelium, invitis parentibus, baptizentur." —Dixi tamen 1°. *generatim loquendo*, quia licet in sequentibus casibus: 1°. si sint in periculo mortis non quocumque, sed certo, sive proximo; 2°. si juste, vel injuste positi extra curam parentum, non adsit timor quod ad eos sint reversuri ; 3°. si jam cognoscitur eos fore perpetuo amentes; 4°. si unus parentum consentiat, vel si, mortuo patre, consentiat avus paternus, matre reluctante.—Dixi 2°. *non licet*, quia de validitate nulla unquam fuit aut esse potest quæstio.—Dixi 3°. *non adhuc habentes usum rationis*, nam qui illum certo habent, possunt, imo si petant et sint sufficienter instructi, debent baptizari, adhibita tamen necessaria prudentia. Quod si dubitetur de usu rationis, tum juxta S. Alphonsum, Benedictum XIV., et alios, ante septennium differendus est Baptismus, donec constet de usu rationis.—Cf. S. Alphons. n. 127. et seqq.—Kenrick, tract. 15. n. 27. et seqq.—Instruct. S. C. de Prop. Fide apud Cretoni, vol. 2. p. 646.

QUAER. 2°. *An idem dicendum de filiis hæreticorum apud nos?*

RESP. *Affirm.*,et ratio est, quia tunc etiam verificarentur omnes rationes quibus probatur non licere baptizare filios infidelium, invitis parentibus. Etenim verificaretur 1°. violatio juris naturalis parentum, quia, inspecta natura, idem est jus parentum hæreticorum ac infidelium. Verificaretur 2°. periculum perversionis et injuria sacramenti, quia cum ex una parte parentes sint inviti, et ex alia Ecclesia apud nos nequeat de facto jus suum exequi apud hæreticos, eosque coercere ad filios catholice educandos, moraliter certum est quod proles ita baptizata hæreticam educationem habebit. Verificatur 3°. praxis Ecclesiæ, ut per se facile patet, ac proinde Kenrick merito damnat nutrices illas quæ infantes hæreticorum, extra periculum mortis, baptizant.—Cf. S. Alphons. loc. cit.—Kenrick, n. 28.—Instruct. citat. apud Cretoni.

QUAER. 3°. *Quid agendum cum parentes acatholici proprios infantes offerunt sacerdoti ut ab eo baptizentur?*

RESP. Distinguendum est: vel enim sacerdotale ministerium petunt quia volunt prolem catholice educari ; vel opportunitatis tantum causa aut alterius temporalis emolumenti id faciunt, absque ulla spe futuræ catholicæ educationis. Si primum, licet Baptismum conferre, adhibitis tamen præsidiis ad acatholicam institutionem avertendam ; si alterum, putamus non licere propter periculum perversionis.—Dixi nuper *absque*

ulla spe futuræ catholicæ educationis; nam spes ista debet esse principium solutionis omnium similium casuum, ita ut quoties prudenter judicatur adesse, toties dari possit Baptismus. Quare Congregatio S. Officii ita pro diœcesi Bardensi (hodie Louisville) respondit die 13. Sept. 1827: "S. Congr. adjuncta omnia in quibus eas regiones versari expositum fuit, et momenta allata mature expendit, omnibusque pensatis, ab hac regula in praxi discedi non debere existimat; infantes hæreticorum a parentibus oblatos non esse baptizandos, nisi probabilis effulgeat spes catholicæ eorum educationis"—Hoc idem fuit statutum a *Conc. Prov. Balt.* I. et solemniter confirmatum a *Conc. Plen. Balt.* II.—Si vero quæras, quandonam de facto aderit probabilis spes catholicæ educationis?—respondetur hoc pendere a circumstantiis particularibus juxta judicium prudentum. Certo autem adest cum, v. gr., parentes promittunt, vel ambo vel saltem unus, se veram fidem amplexuros, cum sunt circa eam bene dispositi, utut nolint eam amplecti, cum sinunt ut matrina aut patrinus catholicus eligatur, et specialiter spondeat, etc. —Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. n. 229.—Kenrick, n. 29. et 30.—*London Tablet*, an. 1882. Oct. 21. p. 659., Nov. 4. p. 738., et Nov. 25. p. 859.

QUAER. 4°. *An infantes expositi sint baptizandi?*

RESP. *Affirm.*, si expositi fuerint absque testimonio Baptismi collati, nisi aliunde constet eos rite baptizatos fuisse. Si vero expositi sint cum schedula attestante ipsos fuisse baptizatos, controvertitur, sed sententia communior et verior docet, hos omnes sub conditione baptizandos esse, nisi ex circumstantiis cognoscatur schedulam facere certam fidem de collatione Baptismi.—Cf. S. Alphons. n. 135.

QUAER. 5°. *An baptizati ab hæreticis rebaptizari debeant?*

RESP. Certum est de fide ex Trid., validum esse Baptismum collatum ab hæreticis, quando omnia requisita ad sacramentum adhibentur. Sed merito putant communiter theologi, pueros omnes baptizatos a ministris protestantibus esse fere semper *sub conditione* rebaptizandos; quia dubitari potest de materia, et forma applicata a talibus ministris —Quare, apud nos, cum aliquis ad veram fidem convertitur, fere semper iteratur Baptismus, non quia *per se* reputatur invalidus prior Baptismus ab hæreticis collatus, sed quia, practice loquendo, fere semper recte censetur aliquid ipsi defuisse.—"Crescente in dies," ait Kenrick, "sectarum incuria et temeritate, mos inductus est in Anglia, ab anno

præsertim 1773. baptizandi quoslibet conversos sub conditione, nisi certo constaret de Baptismo prius valide suscepto. Idem apud nos obtinuit." —Quoniam autem iste mos seu praxis innititur præsumptioni erroris, et præsumptio semper cedere debet veritati, sequitur sacerdotes *sæpe* obligari ad examen instituendum, et, habita veritate, non posse absque sacrilegio Baptismum iterare.—Dixi *sæpe*, et non *semper*, quia etsi, juxta responsum S. C. Inquis. die 20. Nov. 1878., datum, examen istud institui debeat "in singulis casibus," inutile tamen esset illud prosequi cum cognitum fuerit neo-conversum pertinere ad aliquam sectam, v. gr., Quakerorum, apud quam nullus confertur Baptismus; nisi tamen dicere quis velit in hujusmodi casibus examen consistere in simplici interrogatione circa sectam ad quam pertinuit neo-conversus.—Cf. S. Alphons. n. 137.—*Conc. Plen. Balt.* II. 240.—Kenrick, n. 43.—*Revue des sciences eccles.* vol. 40. p. 145.

QUAER. 6°. *Quomodo practice instituendum sit examen circa validitatem recepti Baptismi?*

RESP. Neo-conversus interrogandus est:

1°. De *secta* ad quam pertinet. Porro scimus,

Orientales hæreticos, *Veteres Catholicos*, et *Ritualistas* solere Baptismum accurate administrare, ac proinde ipsis favet præsumptio.

Socinianos et *Quakeros* nullum prorsus hodie conferre Baptismum.

Baptistas in adulta tantum ætate baptizare, sed ab aliquibus dubium reputari ipsorum Baptismum, propter separationem quam ponunt inter materiam et formam, quia hæc ab ipsis profertur antequam incipiat immersio.

Congregationalistas, *Unitarianos*, et *Universalistas* existimare Baptismum ceu quid liberum, ac proinde præsumptio est quod illum non accurate administrent.

Methodistas et *Presbyterianos* solere Baptismum dare per aspersionem, et proinde rationabiliter dubitatur num aqua semper pellem tetigerit et fluxerit.

Episcopalianos, nisi omnes, plerosque saltem, et hodie præsertim, censere Baptismum nullam habere veram efficaciam, sed nudum ritum esse, et consequenter fundatus timor habetur de eorum solertia et cura in ipsius administratione.

2°. Neo-conversus est etiam interrogandus de *regione* in qua Baptis-

mum ab hæretico ministro recepit, et de tempore quo illum recepit. Constat enim non eamdem esse ubique locorum rationem agendi ministrorum ejusdem sectæ, neque hodie eodem modo eademque diligentia ab illis Baptismum conferri sicut quinquaginta abhinc annis. — Cf. *Revue des sciences eccles.* vol. 40. p. 147. et seqq.—Konings, n. 1264.

CAPUT V.

DE PATRINIS IN BAPTISMO ADHIBENDIS.

663. ***Dico.***—In Baptismo solemni sub gravi debet adhiberi saltem unus patrinus, sive vir, sive mulier sit, nec possunt adhiberi licite plures quam duo. Si autem Parochus plures, quam duos, patrinos admitteret, graviter peccaret; quia læderet præceptum Ecclesiæ sub gravi impositum, ne multiplicentur cognationes.—Ut autem quis sit vere patrinus, requiruntur sequentes conditiones: 1°. ut usum rationis habeat; 2°. ut ipse sit baptizatus; 3°. ut a parentibus vel a Parocho fuerit designatus tanquam patrinus; 4°. ut per se vel saltem per procuratorem tangat physice infantem in ipso actu ablutionis; 5°. ut habeat verum animum patrini munus gerendi.—Cf. S. Alphons. n. 146. et 154.—*Conc. Plen. Balt.* II. n. 231. —Cretoni, vol. 2. not. ad n. 805.

664. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *Quænam sint obligationes patrinorum?*

RESP. Tenentur adimplere officium magistri in casu necessitatis, seu deficientibus filioli parentibus. Hinc tenentur instruere baptizatum circa fidem, mores, obligationes varias, etc. Ab omni autem obligatione solvuntur, quando prudenter præsumere possunt, quod baptizatus diligenter a parentibus instruatur.—Cf. S. Alphons. n. 147.—O'Kane, n. 229. et seqq.

QUAER. 2°. *An in Baptismo privato patrinus necessario adhiberi debeat?*

RESP. *Neg.*, quia patrinus non videtur requiri ab Ecclesia, nisi pro Baptismo solemni. Attamen etiam in Baptismo privato adhiberi potest, et laudabilius adhibetur, sed tunc probabilius non contrahitur spiritualis cognatio.—Cf. S. Alphons. n. 147. et 149.

QUAER. 3°. *An patrini possint esse duo mares, aut duæ fœminæ?*

RESP. *Neg.*, quia Conc. Trid. statuit posse adhiberi ad summum duos patrinos, nempe virum et fœminam. Sed probabile est, esse tan-

tum veniale, si ita fiat. Plures tamen esse mortale opinantur, et hoc verius videtur, ait S. Alphonsus, si patrini essent diversi sexus ac infans, quia sic multiplicarentur cognationes, quod Tridentinum prohibere voluit; secus si essent ejusdem sexus.—Cf. S. Alphons. n. 155.

QUAER. 4°. *An patrinus masculi, si unicus sit, debeat esse masculus et fœminæ fœmina?*

RESP. *Neg.*, probabilius; quia Trident. dicit: *Sive vir, sive mulier;* ergo indiscriminatim vir aut mulier adhiberi potest.—Cf. S. Alphons. ibid.

QUAER. 5°. *Quinam prohibeantur esse patrini?*

RESP. Valide quidem, sed illicite, sunt patrini sequentes: 1°. religiosi utriusque sexus cujuslibet Ordinis ubi emittuntur vota solemnia: 2°. conjuges respectu conjugum, et parentes respectu filiorum; 3°. omnes qui sunt pravis moribus et perdita fama, ac proinde illi qui sunt adscripti societatibus secretis, et ut tales publice cognoscuntur, publici concubinarii, etc., nequeunt licite admitti ad munus patrini.—Cf. S. Alphons. n. 156.—*Conc. Plen. Balt.* II. n. 231.

QUAER. 6°. *An in hac regione possit unquam hæreticus admitti ad officium patrini?*

RESP. Videtur omnino negandum, et longe melius est nullum adhibere patrinum, quam illum habere hæreticum. In casu autem quo prævideatur periculum magnæ offensionis, si patrinus hæreticus a parentibus designatus, non admittatur a Parocho, posset tunc permitti ut adsit, quasi testis, quin admoneatur de tangendo infante cum aqua infunditur.—Cf. S. Alphons. n. 156.—Kenrick, n. 47.—O'Kane, n. 232.

CAPUT VI.

DE CÆREMONIIS SERVANDIS IN ADMINISTRATIONE BAPTISMI.

665. ***Dico.***—Excepto casu necessitatis, vel alterius gravis causæ, mortale est omittere cæremonias omnes Baptismi, vel aliquam ex iis notabilem, quia materia præcepti est gravis, saltem ratione finis. Hinc:

1°. Mortale est omittere unctionem chrismatis, vel olei catechumenorum; quia hæ unctiones habent specialem significationem, sicut immixtio aquæ in vinum in celebratione Missæ.

2°. Mortale est solemniter baptizare cum aqua non consecrata, quia hujusmodi omissio in cæremoniis Baptismi valde gravis reputatur. Secus autem dicendum est si agatur de Baptismo privato.

3°. Mortale est baptizare extra Ecclesiam sine necessitate, vel alio magno incommodo.—Cf. S. Alphons. n. 141. et 142. et seqq.—*Conc. Plen. Balt.* II. n. 234. et seqq.—Lacroix, n. 263.

666. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. ***An possit Baptismus conferri in sacristia, præsertim ubi ita fert consuetudo?***

RESP. *Neg.*, quia etsi sacristia participet aliquantulum de sanctitate ecclesiæ non tamen proprie vocatur ecclesia. Præterea Archiepiscopo S. Jacobi Chilensi petenti: "An ubi vigeat consuetudo, liceat Baptismi sacramentum solemniter administrare in sacristia cathedralis?" responsum fuit a S. C. R. "Negative, nisi adsit rationabilis causa ab Archiepiscopo approbanda."—Cf. *Acta S. Sedis*, vol. 3. p. 647. n. IX.

QUAER. 2°. ***Quomodo sese gerere debeat sacerdos cum parvuli baptizandi valde distent ab ecclesia?***

RESP. Hac in re ita statuunt Patres Baltimorenses: "Qui ruri degunt, aut in pagis et oppidulis, ubi nulla est Ecclesia, infantes ad Ecclesiam propinquiorem vel stationem, in qua Sacrum fieri solet baptizandos adducant. Quod si ob aeris intemperiem, itineris difficultatem, parentum inopiam, vel alias graves causas hoc fieri nequeat, tunc missionarii prudentiæ et conscientiæ relinquimus, ut eos domi cum omnibus Ecclesiæ cæremoniis baptizet." Hoc ultimum in aliquibus Diœcesibus, apud nos, limitatur ad casum quo parvuli distent ab ecclesia spatio trium milliarium.—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. n. 237.—*Synod. diœces. Balt.* VIII. n. XXXVI.

QUAER. 3°. ***Quomodo intelligenda sit prohibitio utendi chrismate veteri, seu alterius anni?***

RESP. Rigorose sumenda est, quando chrisma novum habetur; graviter ergo peccaret sacerdos qui, chrismate recenti posthabito, veteri uteretur. Licet autem in Baptismo solemni uti chrismate anni præcedentis, usquedum consecratum chrisma recens acceptum fuerit; ac proinde non debet chrismatis et olei unctio omitti, eo quod olea recens benedicta haberi nondum potuerint, nec ea de causa Baptismus differri ad aliud tempus debet, quantumvis breve. Benedictio autem fontis baptismalis in Sabbato sancto fieri debet cum chrismate præcedentis anni,

nisi Parochus olea recentia sibi comparare potuerit, nec debet omitti infusio chrismatis et olei usquedum aliud accipiatur. Ita ex S. C. Rit. 19. Sept. 1859.

QUAER. 4°. *An interrogationes quæ ex Rituali Romano patrinis faciendæ sunt, possint fieri lingua vernacula?*

RESP. *Neg.*, juxta plures responsiones S. C. R., præsertim illam quæ data fuit 12. Sept. 1857; nam proposito dubio: "Utrum in collatione Baptismi interrogationes possent fieri vernacule, vel saltem vernacule iterari postquam latine factæ fuerint?"—responsum fuit: "*Negative ad utramque partem.*"—Attamen videtur quod prædicta responsio intelligi possit de versione facta ad libitum, non autem de illa quæ sancita fuerit ab Episcopis; ac proinde concedi potest, apud nos, ut postquam interrogationes, prout jacent in Rituali Romano, latine prolatæ fuerint, addatur, explicationis causa, illa versio quæ invenitur in Rituali Baltimoræ edito. Hoc eruitur ex eo quod Patres Conc. Prov. Balt. I. postquam dixerint: "Sacramentis administrandis .... sacerdotes omnino teneri ad adhibendam linguam latinam," statuant: "Si censuerint (sacerdotes) expedire explicationis causa, eorum quæ recitant adjungere versionem lingua vernacula, eam tantum versionem adhibendam esse, quæ fuerit ab Ordinario sancita."

Notandum autem hic est 1°. statutum istud sicut et alia septem priorum Conciliorum Baltimorensium fuisse solemniter recepta a Concilio Plenario I. habito anno 1852.

Notandum est 2°. quæstionem hic fieri solum circa interrogationes, non autem circa responsiones dandas a patrinis quæ in sola lingua vernacula ab iisdem proferri solent et possunt.

QUAER. 5°. *Utrum liceat, apud nos, uti formula breviori pro parvulis constituta, quandocumque adultis conferendus est Baptismus?*

RESP. *Neg.*, sed oportet inspicere an habeatur indultum speciale, quod S. Sedes noluit omnibus Diœcesibus indiscriminatim concedere, sed tantummodo Episcopis singulis petentibus.—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. n. 243.

QUAER. 6°. *An possit sacerdos morem gerere parentibus, aut amicis exquirentibus ut nomen aliquod fabulosum aut ridiculum imponatur baptizando?*

RESP. *Neg.*, sed potius curare debet ut, quatenus fieri potest, imponantur nomina Sanctorum, quorum exemplis fideles excitentur ad pie vivendum, et patrociniis protegantur.—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. n. 232.

QUAER. 7°. *An semper facienda sit abjuratio a neo-conversis, et quomodo sit in ea procedendum?*

RESP. Hac de re ita habet Instructio Congr. S. Officii: "In conversione hæreticorum, inquirendum est primo de validitate Baptismi in hæresi suscepti. Instituto igitur diligenti examine, si compertum fuerit, aut nullum, aut nulliter collatum fuisse, baptizandi erunt absolute. Si autem, investigatione peracta, adhuc probabile dubium de Baptismi validitate supersit, tunc sub conditione iteratur, juxta ordinem Baptismi Adultorum. Demum, si constiterit validum fuisse, recipiendi erunt tantummodo ad abjurationem, seu professionem fidei. Triplex igitur in conciliandis hæreticis distinguitur procedendi methodus:

I. "Si Baptismus absolute conferatur, nulla sequitur abjuratio, nec absolutio eo quod omnia abluit sacramentum regenerationis.

II. "Si Baptismus sit sub conditione iterandus, hoc ordine procedendum erit: 1°. abjuratio, seu fidei professio; 2°. Baptismus conditionalis; 3°. confessio sacramentalis cum absolutione conditionata.

III. "Quando denique validum judicatum fuerit Baptisma, sola recipitur abjuratio, seu fidei professio, quam absolutio a censuris sequitur."—Cf. *Excerpta Rit. Rom.* edit. an. 1878. p. 270.—*Conc. Plen. Balt.* II. Append. VII. p. 291.—Kenrick, tract. 15. n. 33. et seqq.

TRACTATUS

DE CONFIRMATIONE

667. Confirmatio est sacramentum novæ legis, quo per chrismatis unctionem, sub certa verborum forma, datur baptizatis plenitudo Spiritus Sancti ad firmiter credendum, et ad fidem intrepide confitendam.

Constat sane Confirmationem esse vere et proprie dictum sacramentum, et a Baptismo distinctum; at non constat de tempore quo fuit institutum. Probabilior sententia est ipsum fuisse institutum post resurrectionem. Juxta alios Christus instituit sacramentum Confirmationis in cœna post ipsam Eucharistiæ institutionem.—Cf. De Augustinis, Thes. 1. p. 410.

CAPUT I.

DE MATERIA ET FORMA CONFIRMATIONIS.

ARTICULUS I.

DE MATERIA CONFIRMATIONIS.

668. ***Dico.*** Materia *remota* Confirmationis est chrisma ex oleo olivarum et balsamo confectum, et ab Episcopo benedictum.—Materia autem *proxima* est unctio chrismatis confirmandis applicata ab hujus sacramenti Ministro per manus impositionem. *Primum* constat ex Conc. Florent. in Decreto. *de sacramentis.* *Alterum* autem, ex declaratione Benedicti XIV. Epist. encycl. *Ex quo primum*, ubi hæc habet: "Quod itaque extra controversiam est, hoc dicatur: nimirum in Ecclesia latina Confirmationis sacramentum conferri, adhibito sacro chrismate, sive oleo olivarum balsamo commixto, et ab Episcopo benedicto, ductoque signo crucis per sacramenti Ministrum in fronte suscipientis, dum idem Minister formæ verba profert."—Cf. S. Alphons. n. 164.

669. ***Quæsita.***—Quaer. 1°. *Quid requiratur de necessitate sacramenti?*

Resp. Certo requiritur oleum *olivarum*, et *benedictum;* at certum

non est requiri *balsamum* et benedictionem *episcopalem*.—Cf. S. Thom. 3. q. 72. art. 2.—S. Alphons. n. 162. et seqq.

Quaer. 2°. *Quomodo unctio fieri debeat?*

Resp. Debet fieri pollice dextero Episcopi per modum crucis in fronte confirmati. Valida tamen foret unctio, si alio digito Episcopi fieret, et etiamsi esset digitus manus sinistræ, quia vere fieret per impositionem manus episcopalis. Peccaret tamen Episcopus qui id sine necessitate ageret, quia recederet a praxi universalis Ecclesiæ; quamquam non appareat inversionem dictæ cæremoniæ ad gravem culpam pertingere.—Cf. S. Alphons. n. 165.

Quaer. 3°. *An unctio valide fieri possit medio instrumento?*

Resp. *Neg.*, et ratio est, quia deficeret immediata impositio manus Ministri, quæ ex dictis omnino requiritur. Nec dicas, quod Extrema Unctio valide ministretur medio instrumento; nam in illo sacramento impositio manus non requiritur ad valorem, sicut in Confirmatione.—Quare dici etiam potest manum Episcopi, *formaliter* talem, esse materiam remotam partialem.—Cf. S. Alphons. n. 166.

ARTICULUS II.

DE FORMA CONFIRMATIONIS.

670. ***Dico.*** Forma sacramenti Confirmationis consistit in his verbis: "Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti;" quamvis non omnia et singula prouti jacent requirantur essentialiter. Constat tum ex Eugenio IV. in citato Decreto, tum ex constanti Ecclesiæ praxi, et traditione. —Cf. De Augustinis, Thes. 2. p. 419.

670. ***Quæsita.***—Quaer. 1°. *Quid importent, quidve significent prædicta verba formæ?*

Resp. Per verba, *signo te signo crucis*, significatur, quod sicut miles insignibus ducis sui ornari solet, ita homo per hoc sacramentum cruce exterius, et charactere invisibili interius tanquam signo militari Christi signetur. Per verba, *confirmo te chrismate salutis*, exprimitur, quod homo per hoc sacramentum instar athletæ exterius chrismate, interius vero Spiritus Sancti gratia et robore ungatur. Per reliqua autem verba, *in nomine Patris*, etc., exprimitur causa principalis plenitudi-

nem conferens roboris spiritualis, quæ est *Sanctissima Trinitas*; simulque præcipuum fidei christianæ mysterium, quod et hominibus in Baptismo credendum, et in hoc sacramento tenendum et palam profitendum proponitur.—Cf. S. Thom. 3. q. 72. art. 4.—*Conc. Plen. Balt.* II. n. 247.

QUAER. 2°. *Quænam verba hujus formæ sint essentialia?*

RESP. Ad validitatem sunt omnino essentialia sequentia: 1°. verbum *confirmo*, nisi alio verbo synonymo suppleatur; 2°. expressio *Sanctissimæ Trinitatis*, ut in Baptismo; 3°. verbum *te*, quo subjectum sacramenti designatur; 4°. verba *signo te signo crucis*, necnon verba *chrismate salutis*. Dicere autem *corroboro* pro *confirmo*, vel *sanctificationis* pro *salutis*, esset mutatio tantum accidentalis.—Cf. S. Alphons. n. 168.

CAPUT II.

DE MINISTRO CONFIRMATIONIS.

672. **Dico.**—Quamvis simplex sacerdos, ex delegatione speciali Summi Pontificis, possit tanquam Minister extraordinarius Confirmationem conferre, solus tamen Episcopus est Minister ordinarius hujus sacramenti. *Primum* constat ex praxi Ecclesiæ, et ex Bulla Benedicti XIV. *Eo quamvis tempore. Alterum* autem aperte habetur in Conc. Trid. sess. 7. can. 3. *de Confirm*: "Si quis dixerit sanctæ Confirmationis ordinarium Ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit."—Adverte tamen simplicem sacerdotem, si quando confirmat uti Minister extraordinarius, debere uti chrismate ab Episcopo benedicto. Utrum autem possit insuper accipere a Papa delegationem conficiendi chrisma, disputatur apud theologos.—Cf. S. Alphons. n. 163. et 170.

673. QUAERES. *Quandonam Episcopus teneatur confirmare?*

RESP. Tenetur confirmare petentes, quoties commode potest, si ad aliud tempus proximum differre nequeat. Tenetur etiam aliquoties opportunitatem suis subditis præbere hoc sacramentum suscipiendi.—Hinc peccaret graviter, si longo tempore a Confirmatione conferenda abstineret, v. gr., per octo aut decem annos, nec diœcesim circumiret, saltem per præcipua loca, nisi morali impossibilitate excusaretur.—Cf. S. Alphons. n. 175.—Lacroix, n. 388.

CAPUT III.

DE SUBJECTO CONFIRMATIONIS.

674. ***Dico.***—Subjectum sacramenti Confirmationis est omnis et solus homo baptizatus et nondum confirmatus, quamvis carens usu rationis. Confirmatio enim perficit vitam spiritualem, quæ in Baptismo accipitur, et pro omnibus, ut Baptismus, instituta est. Ex praxi tamen generatim in Ecclesia vigente, non sunt confirmandi pueri qui usum rationis adepti nondum sunt, nisi id ferat legitima locorum consuetudo, quæ alicubi viget, aut gravis causa aliud suadeat. Quare Patres Baltimorenses statuerunt Confirmationis sacramentum nemini administrandum esse qui sit minor septennio, nisi ob peculiares rationes, v. gr., in mortis periculo.—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. n. 252.—Bened. XIV. *de Synod. diœc.* lib. 7. cap. 10. n. 8.

675. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *An vel qualis sit obligatio sacramentum Confirmationis recipiendi?*

RESP. Certo non adest obligatio de necessitate medii ex omnium sententia; sed utrum detur obligatio de necessitate præcepti non parum fuit hinc inde disputatum. S. Alphonsus quidem, relatis utriusque sententiæ argumentis, illi adhæret, quæ tenet adesse hodie obligationem sub *gravi* suscipiendi sacramentum Confirmationis, saltem decurrente vita, et data opportuna occasione; idque probat ex verbis Benedicti XIV. in Bulla *Etsi pastoralis*, de ritibus et dogmatibus Græcorum, ubi dicitur: "Monendi sunt [qui non sunt confirmati] ab Ordinariis locorum, eos gravis peccati reatu teneri, si, cum possunt ad Confirmationem accedere, illam renuunt ac negligunt."—Verum non videtur hoc argumentum rem omnino conficere; nam Benedictus XIV. in præfata Bulla loquitur tantum de invalide confirmatis a Presbyteris Græcis, qui ideo renuebant denuo ad Confirmationem accedere, quia primam ut validam habebant. Unde aderat ratio particularis eos obligandi ad sacramentum Confirmationis suscipiendum, nempe ut errorem sic retractarent. Quare mirum non est, si ipse S. Alphonsus hæsitanter concludat hodie sententiam oppositam *non videri satis probabilem.* Neque validior est ratio quæ ex statuto Conc. Baltimorensis desumeretur; nam verba illa explicari possunt vel de obligatione *sub*

levi, vel potius de obligatione sub *gravi* quidem sed *per accidens*.—Cf. S. Alphons. n. 181.—Scavini, lib. 3. n. 97.—Baller. not. (a) p. 173.—*Conc. Plen. Balt.* II. n. 250.

QUAER. 2°. *Quænam dispositiones requirantur in confirmandis?*

RESP. Ad *validitatem* requiritur character baptismalis, et in adulto intentio aliqua, saltem ea quæ dicitur habitualis implicita.—Ad *liceitatem* autem requiritur status gratiæ, quia Confirmatio est sacramentum vivorum, et insuper ut confirmandus cognoscat rudimenta doctrinæ christianæ, ea præsertim quæ sunt de necessitate medii, et quæ spectant ad sacramenta Pœnitentiæ et Confirmationis.

QUAER. 3°. *Quænam ætas requiratur ad Confirmationem recipiendam?*

RESP. Quoad *validitatem* nihil præscribitur et absque ullo dubio valide recipitur Confirmatio ab infante unius diei statim post Baptismum. Quoad *liceitatem* autem inspicienda sunt statuta pro diversitate locorum, et, ad nos quod spectat, Patres Baltimorenses sequens decretum, jam antea latum, confirmaverunt: "Statuimus Confirmationis sacramentum administrandum esse nemini minori septennio, nisi ob peculiares rationes, v. gr., in mortis periculo."—Cf. *Conc. Plen. Balt.* n. 252.

QUAER. 4°. *An requirantur patrini in Confirmatione, sicut in Baptismo?*

RESP. Hac de re ita loquuntur Patres Baltimorenses: "Quamquam de necessitate hujus sacramenti non sit, ut in eo recipiendo Patrinus vel Matrina adhibeatur, cum tamen id laudabilis Ecclesiæ consuetudo suadeat, sacrique canones præscribant, Episcopi nullum non movebunt lapidem, ut disciplina hujusmodi, jam in nonnullis harum Provinciarum Diœcesibus invecta, ubique introducatur. Confirmati vero habebunt Patrinos singuli singulos, nec tamen fœminis mares nec maribus fœminæ Patrini officium præstabunt. Quod si hoc fieri omnino nequeat, saltem duo pro pueris Patrini, et duæ pro puellis Matrinæ adhibeantur."—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. n. 253.

QUAER. 5°. *An servandus sit a confirmandis mos gerendi schedulam?*

RESP. *Affirm.*, nam Patres Baltimorenses aiunt: "Quandocumque Confirmatio plurimis administratur, statuimus schedulas quasdam, quibus nomina eorum qui confirmandi sunt inscribantur, a Pastore unicuique dandas, quas Episcopo sacramentum administraturo exhibeant."—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. n. 252.

TRACTATUS
DE EUCHARISTIA

PARS PRIMA

DE EUCHARISTIA UT SACRAMENTO.

CAPUT I.

DE NATURA ET EFFICACIA EUCHARISTIÆ.

676. Eucharistia definiri potest: sacramentum Corporis et Sanguinis Christi, sub speciebus panis et vini ad spiritualem animarum refectionem: vel, sacramentum novæ legis a Christo Domino institutum ad spiritualem animæ refectionem, in quo Corpus et Sanguis Christi vere, realiter, et substantialiter continentur sub speciebus panis et vini. De fide autem tenenda sunt sequentia:

I. In sacramento Eucharistiæ Christus est vere, realiter, et substantialiter præsens corpore et anima una cum divinitate.

II. Totus Christus continetur permanenter sub utraque specie et, facta separatione, in qualibet speciei parte saltem sensibili.

III. In sacramento Eucharistiæ datur vera transsubstantiatio, seu realis conversio totius substantiæ panis in Corpus et vini in Sanguinem Christi, ita ut, peracta consecratione, nihil de pane et vino remaneat, solis speciebus exceptis. Constat de his omnibus ex Conc. Trid. sess. 13. can. 1. et seqq.—Cf. De Augustinis, part. 1. art. 3. et 5.

677. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *Quamdiu Christus maneat realiter præsens in Eucharistia?*

RESP. Remanet quamdiu species remanent integræ; desinit vero sub eis inesse statim ac species ita corrumpuntur ut juxta hominum æstimationem non videantur esse panis et vinum. Tunc vero, juxta S. Thomam quantitas dimensiva panis et vini accipit miraculose vim et

proprietatem substantiæ. — Cf. De Augustinis, Thes. 5. p. 141.—Lacroix, n. 474.

QUAER. 2°. *Quamdiu sacræ species censeantur remanere integræ post sacramenti sumptionem?*

RESP. Non potest hac in re dari regula generalis; nam diutius breviusve remanent prout diversa est diversorum hominum virtus digestiva, immo etiam prout in eodem homine diversæ sunt circumstantiæ, quæ hanc virtutem vel stimulent, vel minuant. Certum tamen est species sacramentales diutius perseverare in sacerdote, qui in Missa, sub utraque specie, et cum Hostia majori communicat, quam in laico, qui de more parvam Hostiam tantum sumit.—Cf. S. Alphons. n. 225.—Baller. not. (a) p. 176.

QUAER. 3°. *An Eucharistia sit unicum vel duplex sacramentum?*

RESP. Est unicum specie sacramentum, licet sint plura signa.—Etenim licet sacramentum Eucharistiæ speciebus panis et vini physice distinctis sit compositum, ordinatur tamen ad unam specie refectionem spiritualem tanquam ad finem et effectum significatum, sicut cibus et potus materialis ordinantur ad unicam refectionem corporalem. Sic etiam in Extrema Unctione sunt plures unctiones, et tamen habetur unicum sacramentum, quia plures unctiones ordinantur ad unum istum finem et effectum, ad tollendas nempe reliquias peccatorum.—Cf. S. Thom. 3. q. 73. art. 2.—S. Alphons. n. 191. et 199.

QUAER. 4°. *Quinam sint effectus sacramenti Eucharistiæ in anima?*

RESP. Plures sunt, sed omnium præcipuus est augmentum gratiæ sanctificantis, seu vitæ spiritualis. Etenim juxta verba Christi, Joan. vi. 56: "Caro mea vere est cibus," hoc sacramentum est institutum tamquam alimentum spirituale: alimentum autem ex una parte supponit vitam in eo qui illud suscipit, et ex alia, si cum debitis dispositionibus sumatur, vitam ipsam sustentat et auget. Alii autem effectus sunt largitio uberrima gratiarum actualium, quæ fluunt a gratia habituali, et habitibus infusis; debilitatio habituum malorum, et emendatio vitiorum præsertim *libidinis;* remissio peccatorum venialium, et quidem non solum, mediante charitate, quam Eucharistia excitat, sed etiam *immediate* ex opere operato; remissio pœnæ temporalis peccato debitæ non quidem totius, sed secundum modum devotionis et fervoris; demum unio specialis cum Christo et membris ejus.—Cf. S. Thom. 3. q.

79. art. 5.—S. Alphons. n. 268. et. 269., et *Hom. Ap.* n. 5.—De Augustinis, part. 2. art. 7.

CAPUT II.

DE MATERIA SACRAMENTI EUCHARISTIÆ.

ARTICULUS I.

DE MATERIA REMOTA EUCHARISTIÆ.

678. ***Dico.*** Panis et vinum, et quidem solus panis *triticeus*, et vinum *de vite* sunt materia remota valida sacramenti Eucharistiæ. Requiritur tamen ut aqua modicissima vino admisceatur non de necessitate sacramenti, sed præcepti ecclesiastici. *Primum* constat ex multis Conciliis, sed præsertim ex Florent. in Decreto unionis, et ex Trid. sess. 13. in omnibus fere capitibus. *Alterum* autem habetur tum ex eisdem Conciliis, tum ex Catechismo Conc. Trid., qui postquam docuit hanc mixtionem non posse sine peccato mortali prætermitti, addit: "Ea [aqua] tamen si desit, sacramentum constare potest."—Cf. De Augustinis, part. 2. art. 2. et 3.

679. ***Quæsita.***—Quaer. 1°. *An sit materia valida panis confectus ex secali (rye), avena (oats), hordeo (barley), spelta (spelt), et similibus?*

Resp. *Neg.*, juxta communiorem et probabiliorem sententiam; quia quamvis hæc omnia videantur pertinere ad speciem tritici, non sunt tamen proprie triticum prout hoc communiter adhibetur et intelligitur. Quare in praxi erit omnino abstinendum a tali materia, utpote graviter illicita.—Cf. S. Alphons. n. 200.

Quaer. 2°. *An panis tam azymus quam fermentatus sit materia valida et licita?*

Resp. *Affirm.*, quoad validitatem, tum quia uterque est verus panis, cum ex farina triticea et aqua naturali conficiatur, tum quia uterque simpliciter panis vocetur in Scriptura. At *negative* respondendum quoad liceitatem; nam ut constat ex praxi utriusque Ecclesiæ, et ex Conc. Florent. in Decreto unionis, Latini tenentur sub gravi consecrare in *azymo* et Græci in *fermentato*.

QUAER. 3°. *Utrum invalida evadat materia, si præter aquam naturalem ponatur aliquid lactis, butyri, vel alterius liquoris ad farinam commiscendam?*

RESP. *Neg.*, si aquæ naturalis copia longe major sit quam alterius liquidi, ita ut habeatur verus panis juxta communem hominum æstimationem. Idem dicendum si farinæ tritici admisceantur aliqua grana ex avena, milio, amygdalis, pisis, fabis, etc.; at certe graviter peccaret qui tali materia uteretur.—Cf. Kenrick, tract. 17. n. 1. et seqq.

QUAER. 4°. *An peccet graviter sacerdos consecrans in vino acescente?*

RESP. *Affirm.*, et ratio desumitur ex irreverentia quæ in tali casu irrogaretur sacramento, ex communi consensu theologorum, et ex Rubrica Missalis Tit. 4. n. 2. ubi hæc habentur: "Si vinum cœperit acescere, vel corrumpi, vel fuerit aliquantulum acre .... conficitur sacramentum, sed conficiens graviter peccat."—Verum probabiliter dicunt plures theologi Rubricam hanc non esse accipiendam cum tanto rigore, ita ut comprehendat etiam primos gradus acrimoniæ, sed tantum illos qui proxime incipiunt constituere vinum acescens.—Adverte tamen 1°. quæstionem hic fieri de *vino acescente*, nam si vinum esset certo corruptum et proprie evaserit *acetum*, tunc consecratio esset invalida et certo graviter illicita.—Adverte 2°. sacerdotem, qui post sumptionem calicis dubitet de aciditate, non debere iterum consecrare, et stare debere pro validitate, quia vinum aliquantulum acre multo acrius solet apparere sacerdoti jejuno.—Cf. S. Alphons. n. 207., et *Hom. Ap.* Append. 3. *Exam. Ordinand.* n. 98.

QUAER. 5°. *An vinum congelatum sit materia valida?*

RESP. Aliqui negant, quia non est potus; sed plures probabilius affirmant, quia ex Rubrica Missalis species vini congelatæ post consecrationem debent liquefieri, admotis pannis calefactis, et deinde sumi reverenter; nam est verum sacramentum: ergo sacræ species non mutantur substantialiter per congelationem.—Cf. *Rubr. de defect.*, § 10. n. 11. —S. Alphons. n. 207.

QUAER. 6°. *Quid dicendum de musto, quid de vino nostrate?*

RESP. Mustum est certo materia valida; sicut etiam valida esset succus qui ex racemis exsiccatis exprimeretur; sed adhiberi nequit nisi in casu necessitatis.—De vino autem nostrate dicendum est Patres Baltimorenses velle ut anteponatur cuicumque alteri, etsi sit naturali-

ter acre, vel minus sapidum, quia facilius constat esse genuinum.—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. n. 373.—S. Alphons. n. 206. et seqq.—Kenrick, n. 5. et seqq.

QUAER. 7°. *Quænam quantitas aquæ sit in calice immiscenda?*

RESP. Sufficit *modicissima* quantitas juxta Concilium Florentinum, ac proinde, generatim loquendo, sacerdos excedere non deberet octo vel decem guttulas. Quod si casu nimia aquæ quantitas prolabatur, aliquid vini erit superaddendum.—Cf. S. Alphons. n. 210.

ARTICULUS II.

DE MATERIA PROXIMA SEU DE USU MATERIÆ REMOTÆ.

680. ***Dico*** 1°. Ad validam consecrationem præter materiam aptam requiritur 1°. ut materia consecranda sit ita *physice præsens* ut possit designari per pronomina *hoc, hic;* aliter enim verba formæ non essent vera; 2°. ut per intentionem Ministri in individuo sit determinata, nam secus intentio nullam haberet vim, quia nulli rei applicaretur.—Cf. S. Alphons. n. 211. et 214.—Scavini, lib. 3. n. 148.

Dico 2°. Ad licitam consecrationem requiritur 1°. ut sacerdos nullatenus recedat ab usu Ecclesiæ, præsertim Rubricis Missalis Romani, determinato: hinc imprimis necesse est, ut materia consecranda sit decens et munda ob reverentiam tanto sacramento debitam; 2°. ut sit reposita in altari et in corporali, imo et in petra sacra, juxta Benedictum XIV., de *Sacrificio Missæ*, sect. 2. n. 139; 3°. ut ciborium vel calix consecrandus sit discoopertus; 4°. ut fiat tempore canonis a Rubrica præscripto.—Cf. S. Alphons. n. 218. et 219.

681. ***Resolves.***—1°. Valide consecrantur hostiæ sub aliis latentes, aut aliter tectæ. Item valide consecratur vinum in calice velo, palla, aut quavis ratione cooperto; quia sufficit ad veram materiæ præsentiam, ut per pronomina *hoc* vel *hic* demonstrari possit.—Cf. S. Alphons. n. 212.

2°. Valida est consecratio, si sacerdos, volens quidem consecrare materiam quam manibus tenet, aut quam videt vel novit positam esse super corporale, putet unam tantum vel duas hostias consecrandas adesse, cum sint plures sive a se, sive ab alio appositæ; ratio est, quia sacerdos semper præsumitur velle consecrare quidquid est decenter consecrabile; ac proinde, voluntate generali consecrandi omnia quæ adsunt, virtualem

habet voluntatem consecrandi etiam quæ putabat non adesse.—Cf. S. Alphons. n. 216.

3°. Idem dicendum, si quis ad altare plures hostias consecrandas attulerit, vel ante Sacrificium monitus fuerit de consecrandis hostiis jam super altare positis, vel animadverterit ab alio afferri ut consecrentur, etsi, dum consecrat, non ita expresse earum meminerit, aut etiam ad oblationem non detexerit, modo sint præsentes in corporali; quia intentio præcedens virtualiter perseverat.—Cf. S. Alphons. n. 216.

4°. Peccat sacerdos consecrans hostiam fractam vel maculatam; at, secluso scandalo, venialiter tantum, nisi macula vel fractura sit enormis. Si tamen deprehendat aliquam fracturam vel maculam etiam notabilem, postquam hostiam obtulerit, licite omnino eam poterit consecrare, quia jam per oblationem fuit aliquatenus Deo dicata et sanctificata.—Cf. S. Alphons. n. 204.

682. ***Quæsita.***—Quaer. 1°. *An censendum sit consecratum ciborium ex oblivione extra corporale relictum?*

Resp. Multi affirmant ex eo quod jam adfuit voluntas positiva consecrandi illud ciborium in principio Missæ, nec illa voluntas fuit retractata; ergo perseveravit virtualiter tempore consecrationis. At alii negant et horum sententiam S. Alphonsus vocat *communem* et *probabiliorem*. Ratio est, quia sacerdos non præsumitur voluisse consecrare illam materiam positam extra corporale, cum hoc sit peccatum mortale, præsertim quia non pertinet ad integritatem sacrificii.—Quidquid sit de intrinseco valore utriusque sententiæ, in praxi ciborium illud iterum erit consecrandum sub conditione in alia Missa; et si sermo sit de parvo numero particularum quæ facile possunt absumi, certe absumi deberent, sed post ablutionem, et ante purificationem.—Cf. S. Alphons. n. 217., et *Hom. Ap. Exam. Ordinand.* n. 99.

Quaer. 2°. *An censeatur consecratum ciborium positum quidem in corporali, sed quod ex oblivione remansit clausum tempore consecrationis?*

Resp. *Affirm.*, et ratio est, tum quia ita fert praxis sacerdotum, et fere communis theologorum consensus, tum quia sacerdos quicumque semper censetur habere intentionem absolutam consecrandi quidquid, ipso sciente, est supra corporale et est honeste consecrabile. Neque objicias paritatem ex præcedenti quæstione petitam, nam respondetur quod licet Ecclesia velit ciborium aperiri pro majori reverentia, atta-

men cum hæc irreverentia non videatur notabilis, possitque frequentius contingere, præceptum hoc non adeo urget, sicut præceptum non consecrandi extra corporale.

QUAER. 3°. *An censeantur consecratæ guttæ vini inhærentes calici sive exterius, sive interius?*

RESP. *Neg.*, quoad utrumque; quia sacerdos non præsumitur velle consecrare nisi vinum quod est in calice, et quod per modum unius potabile est. At quia aliqui non improbabiliter putant guttas *interius* adhærentes esse consecratas, hæ diligenter sunt colligendæ.—Cf. S. Alphons. n. 215.

CAPUT III.

DE FORMA SACRAMENTI EUCHARISTIÆ.

683. ***Dico.*** Sicut duplex est distincta materia, ita quoque duplex est forma consecrationis, una panis et altera vini. Prima consistit in his verbis: "Hoc est enim corpus meum." Altera autem ista est: "Hic est enim calix sanguinis mei novi et æterni testamenti, mysterium Fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum." Constat ex Conc. Florent. in Decreto unionis, ex Trid. sess. 13. cap. 1., et ex ipsa divina institutione Eucharistiæ.

684. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *Quomodo proferri debeant verba formæ?*

RESP. Proferri debent in persona Christi *recitative* simul et *significative*, non vero historice tantum: scilicet proferenda sunt verba Christi applicando eorum significationem ad materiam præsentem, ut hæc transsubstantietur in Corpus et Sanguinem Christi. Attamen scrupulus non est habendus, an verba sensu debito proferantur; nam quivis sacerdos præsumitur habere intentionem id faciendi, quod Christus fecit et instituit, et sic intendit sufficienter verba consecratoria proferre in utroque præfato sensu.—Cf. S. Alphons. n. 220. et seqq.

QUAER. 2°. *An vox* ENIM *in forma consecrationis sit omnino necessaria?*

RESP. Certe vox illa non requiritur ad validitatem sed tantum ad liceitatem vi præcepti, de cujus gravitate disputant theologi; at sententia negans illud esse grave, probabilis est, quia vox illa non reperitur in verbis a Christo prolatis.—Cf. S. Alphons. n. 220.

QUAER. 3°. *An in consecratione requirantur ut essentialia illa verba antecedentia:* QUI PRIDIE QUAM PATERETUR, etc., SIMILI MODO, etc.?

RESP. *Neg.*, cum sententia communi, quam tenet S. Alphonsus. Ratio est, quia hæc verba historice tantum proferuntur, nec ullam efficaciam sacramentalem habere videntur. Attamen si aliquando ob dubiam consecrationem forma repetenda sit, omnino incipiendum erit ex verbis: *qui pridie*, et *simili modo*, non solum, quia ita præscribit Rubrica, sed etiam propter qualemcumque probabilitatem contrariæ sententiæ. —Cf. S. Alphons. n. 222.—Baller. not. (a) p. 189.

QUAER. 4°. *An in consecratione calicis sola hæc verba:* HIC EST CALIX SANGUINIS MEI . . . *sint de essentia formæ?*

RESP. *Affirm.*, et ratio est, tum quia verba consecrationis panis sunt hæc: *Hoc est corpus meum*, ac proinde a pari verba consecrationis vini sunt tantum hæc alia: *Hic est Sanguis meus*, vel alia æquivalentia, tum quia sola illa verba *per se* exprimunt præsentiam Sanguinis Christi sub speciebus vini. Verum in praxi graviter peccaret sacerdos si non proferret omnia verba quæ in consecratione calicis habentur, tum propter præceptum, tum forte propter probabilitatem non spernendam oppositæ sententiæ.—Cf. S. Alphons. n. 223.—Baller. not. (b) p. 189.

QUAER. 5°. *An valeat forma, si dicatur:* HOC ENIM CORPUS MEUM *subintelligendo* EST, *ut in lingua latina frequenter fieri solet?*

RESP. *Neg.*, nam licet in continua oratione verbum substantivum facile subintelligi possit, in casu tamen præsenti id fieri nequit; tum quia non habetur oratio continua, tum præsertim quia in re de qua agimus, forma non habet tantum sensum assertorium, ut in sermone communi, sed etiam vim transsubstantiationis efficientem.—Cf. S. Alphons. n. 223.

CAPUT IV.

DE MINISTRO EUCHARISTIÆ.

ARTICULUS I.

DE POTESTATE MINISTRI EUCHARISTIÆ.

685. **Dico.** Omnis et solus sacerdos est Minister Eucharistiæ conficiendæ: ipse etiam solus est Minister *ordinarius* distributionis Eucharistiæ, et Diaconus *extraordinarius*. Ratio *primi* est, quia Christus

hoc sacramentum instituens omnibus et solis Apostolis cum ipso recumbentibus, et proinde omnibus et solis qui in sacerdotio illis successuri essent dixit: "Hoc facite in meam commemorationem."—Ratio autem *secundi* desumitur ex praxi Ecclesiæ, nam ait Concilium Tridentinum: "Semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut laici a sacerdotibus communionem acciperent, sacerdotes autem celebrantes seipsos communicarent."—Ratio demum *tertii* eruitur ex more qui obtinebat primis Ecclesiæ sæculis, cum Diaconi passim ex commissione Episcoporum vel Presbyterorum sive generali sive particulari, Eucharistiam ministrabant.—Cf. Conc. Trid. sess. 22. can. 2. et sess. 13. cap. 8.—S. Alphons. n. 237.

686. ***Resolves.***—1°. Quia in distributione Eucharistiæ oportet attendere non solum ad potestatem quæ habetur vi ordinationis, sed etiam ad illam quæ fluit ex jurisdictione, qua soli Parochi gaudent, ideo non omnes sacerdotes, sed Parochi solum possunt cum debito ordine Eucharistiam ministrare. Quando tamen Parochus concedit aliis licentiam celebrandi in sua ecclesia, semper censetur concedere licentiam quoque ministrandi Eucharistiam, nisi contrarium exprimat.—Cf. S. Alphons. n. 230.

2°. Non tamen ita facile præsumenda est licentia, si agatur de susceptione Eucharistiæ *ex obligatione.* Quare quoad communionem paschalem lex et consuetudo quæ jus eam dispensandi moderetur et explicet, ubicumque existit, servanda erit.—Cf. S. Alphons. n. 235.

3°. Viaticum etiam ministrare non subditis sine expressa licentia Parochi, extra casum necessitatis, illicitum est. Regulares autem qui, apud nos, ita illicite agerent, probabiliter non incurrerent excommunicationem latæ sententiæ R. Pontifici simpliciter reservatam in Const. *Apostolicæ Sedis*, quia non læderent jura parochialia proprie dicta.

4°. Ut Diaconus licite ministret Eucharistiam non requiritur necessitas extrema, sed sufficit gravis, cum nempe nullus adest sacerdos qui commode eam possit ministrare. Requiritur tamen expressa commissio Episcopi vel Parochi.—Cf. S. Alphons. n. 237.

ARTICULUS II.

DE OBLIGATIONE EUCHARISTIAM DISPENSANDI.

687. ***Dico.*** Quilibet Parochus seu sacerdos habens curam animarum tenetur ex justitia Eucharistiam subditis ministrare non solum in Paschate et in morte, sed etiam quoties rationabiliter petunt, seclusa tamen legitimi impedimenti causa. Alii autem sacerdotes tenentur tantum in casu necessitatis, seu mortis, et deficiente Parocho. Ratio *primi* est, quia ad Parochum spectat ex quasi-contractu providere non solum ut fideles adimpleant præcepta, sed etiam ut non careant præsidiis quæ profectui spirituali valde prosunt. Ratio autem *secundi* est, quia alii sacerdotes ex charitate tantum tenentur.—Cf. S. Alphons. *Hom. Ap.* n. 8.

688. ***Resolves.***—1°. Peccat Parochus quoties denegat Eucharistiam ministrare sive per se, sive per alium, eam rationabiliter petentibus; at peccatum veniale non excedit si raro id fiat, et non habeatur grave scandalum, aut gravis petentis contristatio. Ratio est, quia tunc nec gravis injuria, nec grave damnum infertur, et si adsit damnum, illud facile potest reparari.

2°. Parochus non tenetur cum vitæ periculo Eucharistiam ministrare morituris, v. gr., tempore pestis, quia non est sacramentum absolute necessarium. A fortiori ad id non tenentur alii sacerdotes non habentes curam animarum.—Cf. S. Alphons. n. 233.

ARTICULUS III.

DE REQUISITIS AD LICITAM EUCHARISTIÆ DISPENSATIONEM.

689. ***Dico.*** Præter statum gratiæ, et jurisdictionem, sensu superius explicato, ad licitam Eucharistiæ dispensationem requiritur ut Minister sit liber ab omni censura, secus graviter peccaret et irregularitatem contraheret. Requiritur præterea ut eam distribuat ritu Ecclesiæ consueto, nempe juxta normam in Rituali Romano præscriptam.—Cf. S. Alphons. n. 241. et seqq.

690. ***Quæsita.***—Quaer. 1°. *An et quodnam peccatum sit ministrare Eucharistiam sine vestibus sacris?*

Resp. Ministrare Eucharistiam sine ulla veste sacra, extra casum ne-

cessitatis, juxta communem sententiam est peccatum mortale, quia hoc est valde indecens, et contra grave præceptum Ecclesiæ. Si tamen sola stola omittatur, vel solum superpelliceum, veniale reputatur. Item veniale est ministrare Eucharistiam sine lumine, vel sine præmissa solita confessione, *Confiteor*, etc. Similiter veniale tantum habetur Eucharistiam transferre de loco ad locum, v. gr., de uno ad aliud altare sine vestibus sacris.—Cf. S. Alphons. n. 241.—Reuter, n. 168.

QUAER. 2°. *Quid dicendum de ea ratione agendi, apud nos sat communi, scilicet ministrandi Eucharistiam infirmis cum stola, sed absque superpelliceo et veste talari?*

RESP. Certe approbari non potest, tum quia contradicit Rituali Romano, tum quia irreverentiam quamdam sapit. Videtur tamen posse tolerari, saltem quamdiu Episcopi tacent, seu illam non prohibent in suis statutis diœcesanis, et aliunde sacerdotes conantur reverentiam conciliare sacro ritui. Ratio desumitur ex morali impossibilitate secus agendi, saltem ubique et in omni casu. Quare S. Alphonsus ait licere in necessitate, prouti communius et satis probabiliter docent multi theologi, Eucharistiam ministrare infirmis sine lumine et vestibus sacris.—Neque dicas S. C. R. jam die 16. Dec. 1826. damnasse consuetudinem administrandi Eucharistiam cum sola stola, "super vestem communem," nam respondetur adjuncta Diœcesis Gandavensis pro qua data fuit responsio, diversa omnino esse; et quoniam, apud nos, sacerdotes non utuntur veste talari per vias, illam oporteret deferre ad domum infirmi, ibique eam permutare cum vestibus sæcularibus, vel superinduere, quod sane difficultatem magnam præ se fert.—Cf. S. Alphons. n. 241.—O'Kane, n. 798.

QUAER. 3°. *Quænam stola adhibenda sit in administranda Eucharistia extra Missam?*

RESP. Juxta Rituale Romanum requiritur "stola coloris officio illius diei convenientis."—Neque dicas 1°. colorem album melius convenire sanctissimæ Eucharistiæ, et consequenter esse præferendum, prouti docent Merati, Baldeschi, et alii, nam cum exposita fuisset hæc eadem ratio dubitandi, S. C. R. respondit die 12. Martii, 1836. "Juxta Ritualis Romani Rubricam debet (stola) esse coloris officio illius diei convenientis."—Neque dicas 2°. ex hac solutione sequi die 2°. Nov. posse adhiberi stolam nigri coloris in danda communione, nam respondetur,

Officium proprium illius diei esse festivum, scilicet de octava Omnium Sanctorum, et consequenter stolam debere esse albi coloris. Difficultas urgeri posset pro feria VI. majoris hebdomadæ, sed respondetur quod illa die omnino prohibetur distributio Eucharistiæ, nisi sit per modum Viatici, quod semper dari debet cum stola coloris albi.—Adverte tamen quod, tempore paschali, si viget consuetudo administrandi sanctissimam Eucharistiam cum stola albi coloris, potest tolerari. — Cf. *Acta S. Sedis*, vol. 12. p. 95.—O'Kane, n. 658.

QUAER. 4°. ***An communio dari possit cum paramentis nigris sive ante, sive post, sive intra Missam tum ex particulis in ipsa Missa consecratis, tum ex præconsecratis?***

RESP. *Affirm.*, in omnibus, ut constat ex Decreto S. R. C. confirmato a SS. D. N. Pio IX. 23. Jul. 1868.—Adverte tamen 1°. in prædicto casu benedictionem non esse dandam. Adverte 2°. ex mente S. Congregationis ut possit distribui sanctissima Eucharistia ante Missam, requiri rationabilem causam, sed hæc vix deesse potest si qui communionem tunc petant.—Cf. Baller. not. (c) p. 197.

QUAER. 5°. ***An posset sacerdos pro lubitu et semper dare communionem extra Missam?***

RESP. Si agatur de sacerdote non celebrante, certe ipse potest semper eam dispensare, quoties adsint qui rationabiliter petant; nullum enim assignari potest præceptum vi cujus communio solum intra Missam distribui debeat. Cavendum tamen est ne singulis quasi momentis aperiatur tabernaculum ut uni vel alteri importune accedenti satisfiat, nam hoc levitatem quamdam saperet, et irreverentia non careret. Si vero agatur de sacerdote celebrante, juxta Rituale Romanum, et generatim loquendo, communio ab ipso distribui deberet intra Missam post sumptionem calicis. Sed ex usu recepto, accedente rationabili causa, quæ, ut dictum est in præcedenti quæsito, semper adest si qui petant, dari etiam potest communio ante vel post Missam. Imo ubi est magna communicantium affluentia expedit differre communionem ad finem, ne qui Missæ adsistunt, diutius quam par sit, in ecclesia detineantur. — Adverte etiam hic responsionem a S. R. C. datam 12. Martii, 1836., juxta quam si adsit necessitas, tolerari potest consuetudo ut "sacerdos qui ad altare aliquod ad celebrandum accedit, vel ab eo recedit, sic sacris vestibus sacrificii indutus, et præ manibus calicem tenens (possit) in transitu

ascendere ad altare, in quo adest sanctissima Eucharistia, ut ibi sacram communionem fidelibus distribuat."—Cf. S. Alphons. n. 249.—Gardellini, n. 4777.

QUAER. 6°. *Qua hora communio dispensari possit?*

RESP. Regulariter ministrari deberet tantum horis, quibus Missam sive ex consuetudine, sive ex peculiari Indulto celebrare licet. Verum, justa interveniente causa, potest ex communi sententia theologorum ministrari qualibet hora, excepta extrema parte diei, nisi tamen tunc adesset specialis quædam ratio.—Advertendum hic est ex Decreto S. R. C. anno 1641. prohiberi quominus distribuatur communio in Missa Nativitatis Domini quæ celebratur media nocte, nisi habeatur speciale privilegium.—Cf. S. Alphons. n. 252.

QUAER. 7°. *Quid faciendum, si minister sacerdoti desit: an vir communicaturus, vel mulier supplere potest?*

RESP. Sane quilibet communicaturus, si sit vir, sacerdoti inservire potest; vel etiam ipse sacerdos supplere potest, dicendo *Confiteor*, et respondendo *Amen.* Mulier tamen supplere non potest, nisi sit Monialis, quæ, juxta morem receptum intra claustrum respondet; tunc igitur ipse sacerdos omnia peragere debet.—Nec dicas, quod in necessitate mulier Missæ respondere potest, modo a longe stet; nam in Missa sacerdos solus omnia respondere facile non posset.—Cf. Bouvier, *de Eucharistia*, cap. 4. art 2.—Gousset, n. 212.

QUAER. 8°. *An dari possint plures particulæ uni communicanti, vel una major devotionis gratia, etc.?*

RESP. *Neg.*, quia hoc fuit expresse prohibitum decreto S. Congr. Conc. approbato ab Innocentio XI. die 12. Februarii, 1679. Verba autem decreti (apud Benedictum XIV.) hæc sunt: "Episcopi, Parochi, seu confessarii admoneant, nulli tradendas plures Eucharistiæ formas, seu particulas, neque grandiores, sed consuetas."

QUAER. 9°. *An particulæ frangi possint, si deficiant?*

RESP. *Affirm.*, ex communi sententia theologorum et praxi generali, modo adsit causa justa, v. gr., si desit alia Missa vel fideles exspectare non possint. Attamen sacerdos Hostias tunc dividere debet tantum in duas vel ad summum tres partes, quia secus vix posset cum debita reverentia communio dari.—Cf. Lacroix, n. 508.

QUAER. 10°. *An ad fideles communicandos possit sacerdos, deficientibus Hostiis minoribus, detrahere partem majoris a se sumendæ?*

RESP. *Affirm.*, in casu Viatici moribundo deferendi, ratione urgentis necessitatis. *Affirmative* etiam respondendum, extra casum Viatici, si tantum unus vel alter fidelis esset communionem suscepturus, nec expectare posset absque incommodo.—Adverte insuper quod magna Hostia, quæ adhibita fuerit pro expositione SSmi., non debet, secluso semper casu magnæ necessitatis, in plures partes dividi ut satisfiat communicaturis.—Cf. S. Alphons. n. 217.—*Instruct. Clem.* §. xxxi. n. 24.

QUAER. 11°. *Quid faciendum si* a) *Hostia decidat in terram, vel* b) *in vultum, barbam aut vestes communicantis, vel* c) *in sinu mulieris?*

RESP. *In primo* casu locus, in quem sancta Hostia decidit, statim tegendus est aliqua re munda, et postea abluendus. Si cadat in mappam, seu linteolum, quo manus communicantis obteguntur, locus signandus est, et postea pari modo abluendus. Ita Rubrica, quæ tamen, juxta communem sententiam, non obligat sub gravi; graviter tamen obligaret ad abluendum locum in quem decidissent sacræ species vini, quippe qui facile iis imbui potest; non est tamen opus, ut id, in quod inciderunt, comburatur. In *secundo* autem casu omittenda est purificatio; quia melius est vitare admirationem, turbationem, aut offensionem populi, quam servare Rubricam, sub levi tantum obligantem. Demum in *tertio* casu mulier ipsa Hostiam extrahere debet et reponere in ciborio, vel porrigere sacerdoti, a quo deinde illam in os recipiat. Digiti vero mulieris abluantur et ablutio in piscinam dejiciatur. Si mulier nequeat facile Hostiam ibidem extrahere, seorsim recedat, v. gr., in aliquod sacellum, vel in sacristiam, etc.—Cf. S. Alphons. n. 250.—Bened. XIV. *de Sacrif. Missæ*, n. 1. sect. 2.—O'Kane, n. 653. et seqq.

ARTICULUS IV.

DE MODO EUCHARISTIAM INFIRMIS MINISTRANDI.

Modus iste adamussim describitur in Rituali Romano ubi *de Communione Infirmorum*, isque servandus profecto esset si adjuncta temporis et locorum permitterent.—Cf. O'Kane, n. 764. et seqq.

691. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *An et quomodo observandæ sint in hac regione dispositiones juris communis circa externam pompam qua Eucharistia deferri debet ad infirmos?*

RESP. Quamvis satagendum nobis sit ut hac in re ad communem Ecclesiæ disciplinam quam maxime accedamus, in præsens tamen non est possibile, propter hæreticos et infideles, quos inter versamur, omnino exequi dispositiones juris communis. Quare solent nostri Ordinarii communicare facultatem "deferendi SSmum. Sacramentum occulte ad infirmos sine lumine, illudque sine eodem retinendi pro iisdem infirmis, in loco tamen decenti."—Verum aiunt Patres Baltimorenses: "Studeant sacerdotes ut interna animi devotione hujus pompæ defectum suppleant, simulque haud negligant quantum in ipsis est reverentiæ externæ, quæ Christo revera præsenti debetur, prospicere."—Præ oculis etiam habenda sunt quæ in *Litt. Encycl.* S. C. de Prop. Fide ad Archiep. Baltimorensem datis 25. Feb. 1859. leguntur: "Voluit S. C. ut singuli Antistites excitarentur, quemadmodum præsentium tenore excitantur, ad communem Ecclesiæ disciplinam hac in re custodiendam, quantum temporis, ac locorum adjuncta, nec non inductarum consuetudinum ratio patiatur."—Tria autem potissimum attendenda sunt sacerdotibus, ut constat ex citatis documentis: 1°. ut, dum Sanctissimum deferunt, evitent vana et inutilia colloquia; 2°. ut sanctam Hostiam super pectus gestent; 3°. ut delatio ista fiat tantum ad actuale ministerii sacerdotalis exercitium.—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. n. 264., et Append. n. 9. p. 297.

QUAER. 2°. *An sacerdos celebraturus diebus dominicis in aliqua domo seu statione procul ab ecclesia, possit secum afferre aliquot particulas, ut ii qui ex familia et vicinis locis sunt aliquantulum ægroti et debiles, communionem recipiant summo mane ante Missam?*

RESP. *Affirm.*, ut videtur satis probabiliter colligi posse ex citata facultate fere ubique ab Episcopis nostris communicata; nam non est ratio cur vox illa *infirmis* debeat restringi ad eos qui graviter decumbunt. Idem videtur posse fieri tempore paschali, pro iis qui proprie infirmi non sunt, sed tamen nequeunt præ debilitate ad ecclesiam pergere. Adverte etiam quod juxta tenorem citatæ facultatis potest sacerdos sanctissimam Eucharistiam per noctem secum retinere in eodem cubiculo, quin necesse sit lumen accendere coram ea; sed tunc magna cum reverentia sese gerere debet. Idem dicas si sacerdos vocatus ad Viaticum infirmo ministrandum, illum inveniat mortuum, et tamen obligetur per noctem remanere apud privatam aliquam domum.

Quaer. 3°. *An sacerdos qui, apud nos, degit in loco exclusive, vel quasi exclusive catholico, possit aut debeat Sanctissimam Eucharistiam ad infirmos deferre cum ea pompa, quæ in Rituali Romano praescribitur?*

Resp. *Neg.*, ut nobis videtur; nam in *Litt. Encycl.* superius citatis innuitur jam adesse, apud nos, consuetudinem deferendi Sanctissimum absque pompa, ac proinde non liceret, saltem absque venia Ordinarii, secus agere. Insuper semper timendum esset aliquod periculum irreverentiæ, saltem in futurum.

Quaer. 4°. *An liceat tempore pestis porrigere Eucharistiam medio aliquo instrumento?*

Resp. *Affirm.*, probabiliter, juxta S. Alphonsum, quia tanta necessitas a consueto Ecclesiæ ritu excusare videtur.—Cf. S. Alphons. n. 244.

Quaer. 5°. *Quid agendum si infirmus nequeat aut nolit sumere ablutiones prout statuitur in Rituali Romano?*

Resp. Curet imprimis sacerdos ut parvam quantitatem aquæ adhibeat ad abluendos digitos sive in vase ipso, sive in cocleari aliquo quod postea purificatorio erit abstergendum. Quod si neque hanc parvam quantitatem possit recipere infirmus, tunc deferenda est ad ecclesiam, ut projiciatur in sacrarium, aut in ignem apud ipsam domum infirmi mittatur, et si neutrum commode fieri potest, abluantur digiti cum purificatorio prius madefacto, vel infundatur aliquid aquæ super digitos, supposito purificatorio.—Cf. O'Kane, n. 826.

Quaer. 6°. *An pluries deferri possit Eucharistia infirmis non jejunis, seu per modum Viatici?*

Resp. *Affirm.*, et non solum si recurrat novum mortis periculum, sed etiam si idem perduret. Ita communis et vera sententia, ait S. Alphonsus. Confirmatur auctoritate Bened. XIV. qui testatur nullum theologum alicujus nominis hanc sententiam negare; et dein addit: "Episcopus insinuet Parochis, posse et debere Viaticum in eadem infirmitate iterum ac tertio administrari, præsertim si ægrotus exposcit; et si velit, pœnam decernat in Parochos qui ægrotis devote postulantibus iterum et tertio Eucharistiam deferre detrectant, falsis prætextibus." Adde quod juxta communiorem sententiam non tantum *pluries*, sed etiam octo quibusque diebus, potest dari communio non jejuno per modum Viatici; et juxta S. Alphonsum non improbabiliter potest dari altero post Viaticum sumptum die, si infirmus assuetus fuerit

sæpius communicare ex devotione. Imo quidam admittunt hoc fieri posse singulis diebus. Ratio horum omnium est, quia *infirmi simpliciter non tenentur lege jejunii.*—Attamen attendendum est ad locorum, personarum, et statutorum particularium circumstantias. Quare facicilius concedi potest communio infirmis Religiosis, vel aliis personis piis in monasterio degentibus, sive sint jejunæ sive non, quam cæteris; quia tunc minor habetur apparatus, populique admiratio, cum sacra Eucharistia non sit publice per plateas deferenda. Propter eamdem rationem facilius repeti potest Viaticum apud nos, quam alibi.—Cf. S. Alphons. n. 285.—Bened. XIV. *de Synod. diœc.* lib. 7. cap. 12.—O'Kane, n. 774.—Baller. not. (a) p. 228.

ARTICULUS V.

DE MODO EUCHARISTIAM ASSERVANDI.

692. ***Dico.*** SS. Eucharistia asservari *debet* in qualibet ecclesia cathedrali et parochiali; *potest* autem asservari de jure communi in ecclesiis Regularium vota solemnia emittentium et etiam aliorum Religiosorum, supposito indulto apostolico, quod scimus adesse pro omnibus Monialibus Prov. Philadelphiæ et Baltimorensis. Præterea nunquam sine lumine, in uno tantum altari, super corporali, in tabernaculo clavi obserato, quæ clavis semper a sacerdote, qui ecclesiæ curam gerit, custodiri debet. Tabernaculum regulariter debet esse ligneum, extra deauratum, intus vero aliquo panno serico decenter contectum et conopeo operiri debet; nec possunt illi superimponi reliquiæ Sanctorum aut S. Crucis, nec pictæ Imagines; similiter vasa florum, vel quid simile ante ipsius ostiolum retinere illicitum est. Sacra Eucharistia poni debet in pyxide seu ciborio ex solida decentique materia, et suo operculo bene clauso, albo velo cooperta. Præter Eucharistiam, nec vasa SS. Oleorum, nec reliquiæ servari debent in tabernaculo.—Demum eliminandus est abusus habitandi, vel dormiendi in ea parte domus religiosæ quæ super altare est sita.—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. n. 265. et seqq., et Append. n. xxiii. p. 326.—Ferraris, V. *Eucharistia.*—*Acta S. Sedis*, passim.

693. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *An ciborium debeat esse argenteum et consecratum?*

RESP. De jure quidem communi non statuitur quod debeat esse argenteum; attamen videretur æquiparandum calici et patenæ, quæ debent esse ex auro, vel argento, vel saltem ex stanno, si ecclesia sit valde pauper. Sed non potest esse ex ære, nec ex ligno, aut vitro, etc. Cæterum si vasa sacra non sint ex auro, intus deaurari semper debent.—Quoad consecrationem autem certo non requiritur pro ciborio, sed sufficit benedictio; nam in Rit. Romano benedictio pyxidis adnotatur inter ea quæ unctione chrismatis non indigent.—Cf. S. Alphons. n. 370. et 383.

QUAER. 2°. *An graviter peccet qui negligit asservare lumen coram sanctissimo Sacramento?*

RESP. *Affirm.*, si tempus sit notabile: integra autem dies a pluribus auctoribus reputatur tempus notabile. Sic Busembaum, cujus verba refert et implicite approbat S. Alphonsus n. 248.

QUAER. 3°. *An requiratur oleum olivarum ad lampadem ecclesiæ nutriendam?*

RESP. Generatim oleo olivarum utendum est; ubi vero haberi nequeat, aliud oleum ex *vegetalibus*, quantum adjuncta ferunt, ab Episcopo permitti potest. Constat ex decisione S. Congr. Rit. quæ est hujusmodi: "Generatim utendum esse oleo olivarum; ubi vero haberi nequeat, remittendum prudentiæ Episcoporum, ut lampades nutriantur ex aliis oleis quantum fieri possit vegetalibus."—Adverte omnino quod lampas ista non debet poni in parte laterali, sed *coram*, seu ante altare SSmi.—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. n. 267.—Gardellini, n. 3525.—*Acta S. Sedis*, vol. 1. p. 38. et vol. 2. p. 320.

QUAER. 4°. *Quid dicendum de obligatione adhibendi conopeum?*

RESP. Certum est 1°. illud præscribi a Rituali Romano, et hanc præscriptionem esse servandam; nam proposito dubio: "Utrum Tabernaculum .... conopeo cooperiri debeat, ut fert Rituale."—S. R. C. die 21. Julii, 1855., respondit "*affirmative.*"—Certum est 2°. contrariam consuetudinem jam existentem in Diœcesi S. Jacobi Chilensis fuisse reprobatam ab eadem S. R. C. die 28. Apr. 1866.—Nihilominus non videntur damnandi de peccato qui, apud nos, non adhibent conopeum quamdiu Episcopi taceant, et tam universalis sit praxis contraria.—Adverte tamen quod conopeum potest esse contextum ex serico, lana, gossypio aut canaba, et quamvis laudabilius color ejus varietur pro variis

officiis et festis, potest tamen semper retineri color albus.—Cf. de Herdt, vol. 3. n. 180.—O'Kane, n. 610.

QUAER. 5°. *Quid faciendum de fragmentis hostiarum si quæ reperiantur?*

RESP. 1°. Si sacerdos inveniat fragmenta sui præsentis sacrificii, ea sumere debet, etiam post ablutiones, sive sint parva, sive magna, quia ad idem sacrificium spectant. Hoc autem servandum est, non solum immediate post Missam, sed etiam si sacerdos sit in sacristia, adhuc tamen indutus vestibus sacris. Si vero sacerdos jam sit exutus vestibus sacris, fragmenta reponere debet in tabernaculo, si adsit, vel reservare alteri sacerdoti eodem mane celebraturo. Si neutrum fieri possit, ipse ea sumat. Si autem reliquiæ fuerint in alia Missa consecratæ, non sunt sumendæ post ablutiones, sed in loco decenti reponi debent. Ratio est, quia Rubrica Missalis sacerdoti *non jejuno* permittit tantum sumere illas reliquias, quæ ad *idem sacrificium spectant.* Si tamen hoc fieri non possit, et adsit grave periculum irreverentiæ, tunc eas sacerdos absumat.—Cf. S. Alphons. n. 251.—Benedict. XIV. *de Sacrif. Missæ.* —Rubr. *Missal.* tit. 7. n. 2.

RESP. 2°. Si vero laicus fragmenta inveniat, moneat quamprimum sacerdotem, si quis prope sit, vel eum accersat, si inveniri queat. Sacerdos autem fragmentum reverenter colligens, reponat in ciborio, vel in loco decenti et tuto, si tabernaculum desit, ut in proxima Missa sumi queat. Si autem sacerdos non possit haberi, colligatur reverenter fragmentum ab ipso laico in charta vel linteolo mundo, mediante acicula, et reponatur intra corporale, aut in vase decenti, donec sacerdos advenerit.

QUAER. 6°. *Quid agendum si inveniatur in altari, vel alibi, hostia certo vel dubie consecrata?*

RESP. Si Hostia credatur certo consecrata, et aliunde videatur munda et recenter consecrata, reponenda est cum aliis in ciborio. Potest etiam sumi a celebrante ante ablutiones. Si autem non sit munda, vel si extracta a loco non mundo fuerit, aut non sit recenter consecrata, non est immiscenda cum aliis, sed celebrans eam sumere poterit ante ablutionem; quod si nimiam repugnantiam experiatur, Hostiam seorsim in tabernaculo reponat in vase mundo, donec corrumpatur, et cor-

rupta in sacrarium dejiciatur. Si vero dubie sit consecrata, sumenda est a sacerdote in Missa post ablutionem, et ante purificationem ; quod si nimiam nauseam ipsi provocet, reponenda est in tabernaculo, seorsim, donec corrupta fuerit, ut modo dictum est. Sic Rubrica Missalis, Tit. 7. *de defect.*

QUAER. 7°. *Quid faciendum, si infirmus sacras species rejecerit?*

RESP. Si appareant, debent sedulo in vase mundo colligi, in ecclesiam deferri, et loco tuto et bene clauso servari donec sint omnino corruptæ, ita ut in sacrarium sine irreverentia projici possint. Si autem non possint discerni, utpote sordibus omnino permixtæ, os quidem infirmi detergendum est; quidquid vero fuerit rejectum, stuppis colligatur; deinde, combustis stuppis, cineres in sacrarium sunt projiciendi.—Cf. Reuter, n. 169.—Gousset, n. 232.

QUAER. 8°. *Utrum et quam sæpe renovandæ sint particulæ consecratæ?*

RESP. Juxta Rituale Romanum renovandæ sunt *frequenter*, et juxta Cæremoniale Episcoporum saltem *semel in hebdomada.* "Hanc regulam,"—aiunt Patres Baltimorenses—"quam S. Rituum Congregatio nedum sæpius confirmavit, verum stricte et rigorose obligare declaravit, sacerdotibus omnibus fideliter servandam serio inculcamus."—Præterea addunt post Rituale Romanum: "Ubi sacerdos novas consecraverit hostias, veteres primo distribuat, vel sumat, minime vero in tabernaculo servet. Curet insuper ut particulæ consecrandæ recentes sint."—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. n. 268.—O'Kane, n. 620. et 621.

QUAER. 9°. *Quomodo purificandum sit ciborium in renovandis particulis?*

RESP. Renovatio ciborii facienda est in ipsa Missa, sequenti ratione: Celebrans, sumpto pretiosissimo Sanguine, antiquas hostias sumet, licet multæ sint; potest autem 20 aut 30 hostias sic consumere. Raro autem eveniet ut plures sint, quia consecrari non debet, nisi quantum sufficiens esse videatur. Si autem aliquando multo major quantitas hostiarum absumenda foret, sacerdos eas in pluribus Missis divisim aut etiam plures sacerdotes successive celebrantes sumere possunt.—Particulas autem minutiores in ciborio repertas conjiciet in calicem, easque, superinfuso vino, sumet, et novas hostias in ciborio omnino vacuo deponet. Potest etiam vinum in ciborium infundere ad minimas

particulas colligendas. Vinum tamen non erit e ciborio bibendum, sed in calicem refundendum.—Cf. Lacroix, n. 501. et seqq.—O'Kane, n. 622.

Si sacerdos ex inadvertentia sumpsisset prius ablutionem, adhuc posset purificare ciborium, et sumere reliquias, eo quod pro sumptione moraliter una reputatur.—Cf. Lacroix, n. 502.—Elbel, n. 77.—Tamb. *de Communione*, cap. 2. n. 34.

CAPUT IV.

DE SUBJECTO EUCHARISTIÆ.

ARTICULUS I.

DE OBLIGATIONE SUSCIPIENDI EUCHARISTIAM.

694. ***Dico.*** Realis sumptio Eucharistiæ nemini est necessaria necessitate medii ad salutem; at fidelibus adultis est necessaria necessitate præcepti tum divini, tum ecclesiastici, etsi non sub utraque specie, nisi pro solis sacerdotibus in actu celebrationis Missæ. Ratio *primi* desumitur ex universali Ecclesiæ praxi, juxta quam communio neque parvulis præbetur, neque adultis infirmitate impeditis, v. gr., ad vomitum proclivibus, phreneticis, etc. Ratio *secundi* eruitur ex verbis Christi, Joan. vi. 54: "Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis." Ratio autem *tertii* et *quarti* habetur ex Conc. Trident. ubi imponitur quidem præceptum sumendi Eucharistiæ sacramentum ad minus in paschate, sed simul anathema dicitur iis qui asserunt necessarium esse omnibus et singulis Christifidelibus illud sumere sub utraque specie.—Cf. Conc. Trid. sess. 13. can. 9. et sess. 21. can. 1. et seqq.—S. Alphons. n. 295.—De Augustinis, part. 2. art. 6.

695. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *Quonam tempore urgeat præceptum divinum communicandi?*

RESP. Obligat *per se* tum sæpe in vita, tum in articulo seu periculo proximo mortis. Ratio est, quia Eucharistia instituta est non solum per modum cibi spiritualis, quo anima nutriatur et roboretur; cibus autem sæpe sumendus est; sed etiam uti viaticum confortans adversus hostes salutis. Christus tamen, quoties in vita ad hoc sacramentum accedendum sit, ipse non determinavit, sed Ecclesiæ reliquit determi-

mandum.—Dixi *per se*, nam *per accidens* potest obligare etiam sæpius in anno, si Eucharistia necessaria sit ad superandam aliquam gravem tentationem.—Cf. S. Alphons. n. 295.

QUAER. 2°. *Quandonam pueri communicare possint aut debeant?*

RESP. Omnes consentiunt cum S. Thoma, pueros posse *per se* recipere Eucharistiam, statim ac, adepto usu rationis, corpus Christi discernere, et devotionem hujus sacramenti concipere valent. — Quoad obligationem autem, non desunt Doctores, qui sentiunt pueros obligari ad communionem suscipiendam statim ac possunt. Verum sententia, juxta S. Alphonsum, *communissima* et *probabilior*, tenet perfectiorem usum rationis exspectandum esse antequam ad id præcepto adstringantur. Ratio est, quia recepta ubique consuetudo sic interpretata est præcepti hujus obligationem, tum ut pueri cum majori reverentia et fructu Eucharistiam suscipiant, tum ne ipsi facile exponantur periculo transgressionis.—Cf. S. Thom. 3. q. 80. art. 9.—S. Alphons. n. 301.

Si vero ulterius quæras quo proprie ætatis anno debeant pueri communionem recipere, ita respondent Patres Baltimorenses: "Pastorum . . . erit hac super re diligenter inquirere, ne quis vel per incuriam nimis cito admittatur, vel per severitatem diutius quam par sit arceatur. Hæc vero regula generalis, quæ tamen suas admittat exceptiones, statui videtur tuto posse, neminem scilicet, ordinarie loquendo, ante decimum annum Angelorum Panis participem fieri debere, nec post annum quartum decimum cuivis cæteroquin digno eum esse negandum."—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. n. 261.

QUAER. 3°. *An eadem regula generalis applicanda sit pueris in periculo mortis constitutis?*

RESP. *Neg.*, prorsus; nam ex una parte pueri in tali periculo constituti dupliciter tenentur communicare vi præcepti divini, ex alia vero nec consuetudo aliud suadet, nec major utilitas aut devotio expectari potest ab ipsis. Graviter igitur errant Pastores qui Viaticum hujusmodi pueris administrare recusant. Idem quoque dicendum de neo-conversis non adhuc satis instructis, et in periculo mortis constitutis, non autem si sint valde rudes et parum instructi, et dubie dispositi appareant, ita ut baptizentur sub conditione.—Cf. S. Alphons. n. 301.—Kenrick, n. 41.—*Conc. Plen. Balt.* II. n. 261.

QUAER. 4°. *An teneatur quis suscipere sacrum Viaticum, instante mortis periculo, si paucis ante diebus ex devotione communicaverit?*

RESP. *Affirm.*, ut videtur; nam hoc præceptum, ex interpretatione Ecclesiæ, urget in periculo mortis ad hostes spirituales debellandos; ergo non impletur per communionem ante morbum factam. Negant tamen plures, quia præceptum communionis substantialiter jam adimpletum est. S. Alphonsus dicit hanc sententiam esse satis probabilem, saltem si periculum mortis naturaliter accidat, quia per breve illud tempus antecedens jam moraliter cœpit imminere, quamvis fuerit ignoratum.—Cf. S. Alphons. n. 285.—Lugo, disp. 16. n. 49.

QUAER. 5°. *An qui mane communicaverit ex devotione, teneatur aut possit, urgente periculo mortis, Viaticum sumere?*

RESP. Triplex est sententia probabilis: alii dicunt *posse et teneri*, alii *nec teneri nec posse*, et demum alii *posse sed non teneri*. Hæc ultima sententia quæ stat pro libertate videtur melior, et est practice tenenda. —Cf. S. Alphons. n. 285.—Bened. XIV. *de Synod. diœc.* lib. 7. cap. 11.

QUAER. 6°. *An possit dari Eucharistia ægro qui tussi laborat?*

RESP. *Affirm.*, quia periculum, ne sacræ species simul cum phlegmatibus rejiciantur, plerumque abest, et ratio est, quia via per quam sputa tussiendo expelluntur, non est œsophagus, id est via per quam cibus ac potus in stomachum trajicitur, sed est arteria aspera, per quam respiratio ad pulmones usque se protendit. Si tamen tussis adeo sit assidua, ut impediat quominus hostia possit in stomachum transmitti, tunc a communione erit abstinendum. Ita Rituale Romanum.—Cf. S. Alphons. n. 292.

QUAER. 7°. *An possit dari Eucharistia ægro qui jugi vomitu laborat?*

RESP. Certe dari nequit in dubio an infirmus sit sacram particulam vomiturus, quia tunc exponeretur sacramentum periculo irreverentiæ. Tota quæstio igitur practica est et reducitur ad assignandam optimam regulam cognoscendi num adsit hujusmodi periculum. Porro *prima* regula est interrogare medicum si adsit: *secunda* est experiri num infirmus possit particulam retinere, dando illi aliquid cibi vel potus, et præsertim aliquam particulam non consecratam: *tertia* est videre num infirmus a sex horis fuerit liber a vomitu. Verum hæc ultima regula debet cum discretione applicari, et examinandum est num causa vomi-

tus sit irregularis quædam irritatio stomachi, vel potius regularis et periodica. Si *primum* sufficiunt sex horæ, imo etiam quatuor aut tres, ut prudenter judicari possit stomachum esse sedatum; *si alterum* non sufficiunt, et indagandum est quam sæpe recurrat periodicus ille vomitus.—Cf. S. Alphons. n. 291.—Capellman, *Pastoral Medicine*, p. 157. et seqq.

QUAER. 8°. *An communio in periculo mortis dari possit aut debeat amentibus, semifatuis, delirantibus, sensibus destitutis, obsessis, et demum epilepticis?*

RESP. *Quoad amentes.*—Si fuerint perpetuo amentes, nunquam juxta Rituale Romanum communio eis danda est. Si vero lucida intervalla sæpius habeant, et desiderium communicandi manifestaverint, communio eis dari poterit, imo et debebit, secluso irreverentiæ periculo.—Cf. S. Thom. 3. q. 80. art. 9.—S. Alphons. n. 302.

Quoad semifatuos.—Ipsis danda est communio, quando sufficientem habent discretionem, ut cœlestem hunc cibum ab aliis distinguant; sed rarius autem aut frequentius ipsi dari poterit prout prudens confessarius judicaverit.—Cf. S. Alphons. n. 303.—Baller. not. (a) p. 218.

Quoad delirantes.—Ipsis communio dari potest, si communicare valeant, secluso irreverentiæ periculo; aliqui putant bonam praxim esse si infirmo antecedenter detur particula non consecrata, et sic appareat, an decenter communicare possit.—Cf. S. Alphons. n. 292.

Quoad destitutos sensibus.—Ipsi sane a præcepto dispensantur, cum nullius legis observandæ sint capaces. Sed non ideo dispensatur Pastor ab obligatione Eucharistiam ipsis ministrandi, si ante rationis amissionem dispositos eos fuisse noverit. Sacramenta enim *ex opere operato* in eis operantur, qui cupierunt ea recipere antequam usum rationis amitterent. Excipe tamen si adsit periculum irreverentiæ, aut si timeatur, ne hostiam deglutire non valeant.—Cf. Gousset, n. 232.

Quoad obsessos.—Distinguendum est: neganda est ipsis communio, quando non sunt sui compotes; secus concedenda est. Imo expedit ut tales sæpius juxta prudentiam confessarii communicent, cum Eucharistia sit speciale remedium ad dæmones arcendos.

Quoad epilepticos.—Communio eis dari non potest, quando versantur in *paroxysmo* actuali, ob proximum irreverentiæ periculum; cæteris autem temporibus non est deneganda.—Cf. S. Alphons. n. 303.

QUAER. 9°. *An dari possit communio capite damnatis?*

RESP. *Affirm.* Docet quidem Benedictus XIV. eam consuetudinem sequendam esse, quæ in unoquoque loco respective esse dignoscitur; sed magis conformem pietati christianæ vocat usum SS. Eucharistiam illis ministrandi, et S. Pii V. testimonium hac de re profert. Addit S. Alphonsus tunc præceptum jejunii non obligare, neque esse necessarium communicare eadem die mortis, quamvis laudabiliter hoc fiat; modo tamen communio præcedat per horam executionem, ita ut absit periculum irreverentiæ.—Cf. S. Alphons. *de quinto præc. Decal.* n. 379.—Benedict. XIV. *de Synod. diœc.* lib. 7. cap. 11.—Gousset, n. 230.

ARTICULUS II.

DE DISPOSITIONIBUS REQUISITIS IN SUBJECTO EUCHARISTIÆ.

§ I. De dispositionibus animæ.

696. ***Dico.***—Ad recipiendum Eucharistiæ sacramentum non solum requiritur status gratiæ, sed etiam ut hic status obtineatur a fidelibus per sacramentum Pœnitentiæ, excepto tamen casu necessitatis, cum scilicet ex una parte deest copia confessarii, et ex alia nequit omitti communio absque gravi nota aut suspicione, vel quando sacerdos celebrare debet ut fideles die festo Missæ intersint; nam tunc sufficit contritio perfecta. Ratio *primi* est, quia Eucharistia est sacramentum vivorum, ac proinde, juxta Apostolum, qui illam sumit indigne, judicium sibi manducat et bibit. Ratio autem *secundi* desumitur ex positivo præcepto, quod innititur excellenti hujus sacramenti dignitati.—Cf. Conc. Trid. sess. 13. cap. 7.—S. Alphons. n. 256. et seqq.

697. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *Quandonam confessarii copia deesse censeatur?*

RESP. Censetur deesse 1°. si nullus confessarius sit præsens, et spectatis circumstantiis debilitatis, ætatis, negotiorum, distantiæ, aeris, brevitatis temporis, etc., sine gravi difficultate adiri absens non possit; 2°. si alius confessarius non adsit, nisi ignarus idiomatis, vel carens jurisdictione, vel cui non possis confiteri sine gravi damno tuo vel alieno. Non censetur autem deesse copia confessarii, si adsit is cui soles confiteri, sed debet deesse quilibet approbatus.—Cf. S. Alphons. n. 264.

QUAER. 2°. *An qui recordatur peccati mortalis, quod ex inculpabili oblivione in confessione non declaravit, teneatur illud ante communionem confiteri?*

RESP. *Neg.*, et ratio est, quia peccatum involuntarie omissum certe est remissum, etsi indirecte tantum; ac proinde communioni sumendæ nullatenus obstat. Nec dicas urgere præceptum Tridentinum confitendi ante communionem; pœnitens enim cum jam fuerit rite confessus, et justificatus per sacramentum Pœnitentiæ est sufficienter probatus etiam juxta mentem Concilii Tridentini. Attamen in praxi non solum benigne excipiendus est hujusmodi pœnitens, si redeat, et iterum absolvendus, sed etiam suadendus ut peccatum illud statim confiteatur, si commode possit.—Cf. S. Alphons. n. 257. et *Hom. Ap.* n. 23.—Gousset, n. 249.

QUAER. 3°. *An sacerdos qui ob urgentem necessitatem celebravit, vel laicus qui communicavit conscius peccati mortalis, præmisso quidem actu contritionis, sed absque prævia confessione, quamprimum confiteri teneantur?*

RESP. *Affirm., quoad sacerdotem*, ex præcepto Tridentini sess. 13. cap. 7. ubi legitur: "Quod si, necessitate urgente, sacerdos absque prævia confessione celebraverit, *quamprimum* confiteatur."—Neque verbum *confiteatur* intelligi potest quasi sit consilium, quia damnata fuit ab Alex. VII. prop. 38. quæ sic sonat: "Mandatum Tridentini, factum sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum est consilium non præceptum."—Quoad *laicum* autem *negative* respondendum, quia Concilium loquitur tantum de sacerdotibus.—Cf. S. Alphons. n. 262.

QUAER. 4°. *Quomodo intelligendum sit præceptum illud sacerdotibus impositum confitendi quamprimum?*

RESP. Probabilius sufficit, si sacerdos intra triduum confiteatur; quia cum hoc præceptum sit tantum ecclesiasticum, vox *quamprimum* intelligi moraliter potest, prout intelligitur in aliis legibus humanis, ubi illud verbum, aut aliud simile, ex communi interpretatione ad spatium trium dierum protenditur.—Attamen sacerdos non potest iterum celebrare, antequam fuerit confessus; quia non fuit excusatus a confessione nisi propter *instantem* necessitatem. Hinc si urgeat eadem necessitas celebrandi die sequenti, et possit confiteri, confessionem ad alium

diem remittere nequit. Si vero eadem necessitas celebrandi urgeat die sequenti, imo et die tertia, aut etiam quarta, etc., nec per ipsos dies adsit copia confessarii, sacerdos non secus ac prius poterit celebrare. —Cf. S. Alphons. n. 266.—Baller. not. (a) p. 222.

QUAER. 5°. *An teneatur confiteri quamprimum sacerdos celebrans post confessionem, in qua inculpabiliter alicujus peccati mortalis oblitus est?*

RESP. *Neg.*, sive meminerit peccati post celebrationem, sive ante celebrationem, quia in neutro casu dici proprie potest celebrare cum *conscientia* peccati mortalis.—Cf. S. Alphons. n. 267.

QUAER. 6°. *An teneatur confiteri quamprimum sacerdos celebrans sacrilege, non urgente necessitate, vel, si hæc urgeat, non deficiente copia confessarii?*

RESP. *Neg.*, et ratio est, quia præceptum Conc. Trident. ordinatur tantum ad incutiendum metum iis qui prætextu necessitatis confessionem differunt, non vero celebrantibus *sacrilege*, quibus præceptum hujusmodi valde raro prodesset; qui enim, contempto præcepto divino, audent sacrilege celebrare, facilius sane præceptum Ecclesiæ contemnerent.—Cf. S. Alphons. n. 266.

§ II. De dispositionibus corporis seu de jejunio.

698. ***Dico.*** Ex præcepto Ecclesiæ ad communionem requiritur jejunium *naturale*, seu abstinentia totalis post mediam noctem a re qualibet, quantumvis minima, quæ sumitur per modum cibi et potus, certis tamen exceptis casibus. Constat tum ex universali Ecclesiæ consuetudine et unanimi traditione; tum ex omnibus Catechismis et Ritualibus ab Ecclesia approbatis; necnon ex Conciliis et præsertim ex Conc. Constantiensi, sess. 13. Ut autem jejunium illud frangatur, juxta communem sententiam, tres requiruntur conditiones, nempe 1°. ut quod sumitur habeat *rationem cibi aut potus;* 2°. ut sumatur *ab extrinseco et in stomachum trajiciatur;* 3°. ut sumatur *per modum comestionis aut potationis.* Ratio est, quia si una ex his conditionibus desit, jam non proprie habetur *manducatio*, juxta communem hominum sensum et æstimationem. Hinc ferrum, vitrum, lignum, etc., aut sanguis effluens ex ore, lingua, gingivis, etc., aut musca, nix, aqua, etc., per modum respirationis aut salivæ sumptæ non frangunt jejunium. Ita communiter cum S. Thoma, 3. q. 80. art. 8., et S. Alphons. n. 281.

699. ***Resolves.***—1°. Trajectio reliquiarum cibi, quæ hærent inter dentes, sive sit involuntaria, sive voluntaria non frangit jejunium; quia non fit ab extrinseco. Constat etiam ex Rubrica Missalis Tit. 9. n. 3. —Cf. S. Thom. in 4. dist. 8. q. 1. art. 4. q. 2. ad. 3.—S. Alphons. n. 279.—Baller. not. (a) p. 225.

2°. Guttulæ aquæ quæ dum dentes abluuntur, salivæ admiscentur et præter intentionem deglutiuntur, non frangunt jejunium; quia non sumuntur per modum nutritionis.—Dixi *præter intentionem*, nam si ex proposito trajiciantur, nihil deest ut rationem cibi aut potus habeant.—Cf. Rub. Miss. *de defectibus*, n. 3.—S. Alphons. n. 279.

3°. Neque pulvis tabaci sumpti per nares neque fumus ejus aut alterius similis rei aspiratus solvunt jejunium; quia non habent rationem cibi, vel saltem non sumuntur per modum cibi aut potus.—Cf. S. Alphons. n. 280.

4°. Imo jejunium sufficienter servat, saltem probabiliter, qui sumit folium tabaci vel aroma ut illud dentibus conterat et phlegmata exspuat, etiamsi, præter intentionem, aliquid succi salivæ inseparabiliter mixti deglutiat. Ratio est, quia hujusmodi masticatio per se tendit ad humores ejiciendos, et si casu aliquid deglutitur, hoc fit per modum salivæ.—Omnes tamen conveniunt masticationem istam ante communionem esse indecentem, unde non videtur excusanda a culpa veniali, nisi aliqua justa causa intercedat.—Omnes pariter convenire debent jejunium certo frangi si masticatio ista ita fiat ut succus foliorum, data opera, extrahatur et deglutiatur.—Cf. S. Alphons. n. 280.

700. ***Quæsita.***—Quaer. 1°. *An debet quis stare recenti rationi computandi tempus apud nos, ut dicatur servare jejunium naturale?*

Resp. Extat hac in re recens quædam decisio, quæ etsi proprie non respiciat nostrum casum, potest tamen argumentum præbere ad eum simili modo solvendum. Etenim proposito dubio: "Utrum ubi horologia adhibentur, tempori medio accommodata, ipsis sit standum, tum pro onere divini Officii solvendi; tum pro jejunio naturali servando; vel debeat quis, aut saltem possit uti tempore vero?"—Sacra Pœnitentiaria die 29. Nov. 1882. respondit: "Fideles in jejunio naturali servando, et in Officio divino recitando, sequi tempus medium posse, sed non teneri."—Eadem solutio data fuerat, pro aliquo casu particulari, die 18. Junii, 1873.—Cf. *Acta S. Sedis*, vol. 15. p. 445., et vol. 7. p. 399.

Quaer. 2°. *An possit communicare, qui positive dubitat utrum post mediam noctem cibum aut potum sumpserit, aut in ipso die aliquid deglutierit?*

Resp. *Affirm.*, probabilius, et ratio est, quia in casu non constat de violato jejunio, et proinde non constat communionem esse interdictam; factum enim violati jejunii esset probandum, prius quam invocetur lex prohibens Eucharistiam non jejuno. — Cf. S. Alphons. n. 282. et *de conscientia dubia* n. 39.—Baller. not. (a) p. 226.

Quaer. 3°. *An liceat edere et bibere statim post communionem?*

Resp. Olim quidem post communionem præcipiebatur jejunium usque ad *Sextam*. Sed hoc præceptum jamdudum abrogatum est.—Attamen ex decentia mora aliqua servari debet inter sumptionem hujus sacramenti et alios cibos, saltem quamdiu species consecratæ in stomacho nondum plane corruptæ perseverant, nisi tamen adsit aliqua rationabilis causa aliquid cibi statim sumendi: secus talis comestio ob irreverentiam a veniali culpa non excusatur.—Cf. S. Alphons. n. 283.

Quaer. 4°. *An sit illicitum exspuere post communionem?*

Resp. *Neg.*, per se, modo nullum hostiæ fragmentum in ore remanserit. Nullum enim est periculum irreverentiæ erga species sacras; quandoquidem via, per quam sputa in os confluunt, non est œsophagus, seu via cibi et potus, sed est via respirationis. Omnes tamen conveniunt congruum esse, ut communicantes per aliquod temporis intervallum ab exspuendo abstineant.—Cf. S. Alphons. n. 283.

Quaer. 5°. *Quandonam liceat aliquem non jejunum communicare?*

Resp. Non jejunus licite communicat 1°. in periculo mortis, ex quacumque causa proveniat; 2°. in periculo ne Eucharistia pereat, vel male tractetur, v. gr., ab hæreticis, impiis; 3°. in periculo proximo gravis scandali ex omissione sacrificii vel communionis; 4°. in necessitate perficiendi sacrificium vel communionem, v. gr., si pro speciebus vini sacerdos sumpserit aquam, etc.—Cf. S. Alphons. n. 284. et seqq.

Quaer. 6°. *An requiratur moralis certitudo periculi mortis, ut Viaticum non jejuno ministrari possit?*

Resp. *Neg.*, sed sufficit dubium prudens, seu probabilitas periculi, præsertim quando timendum est, ne æger repentina morte corripiatur. Imo graviter arguendi sunt Parochi et parentes aut cognati infirmorum, qui ex incuria aut vano timore administrationem sacri Viatici ita pro-

trahunt, ut absque Eucharistia decedere periclitentur. Imo S. Alphonsus ait, in hoc non esse scrupulose procedendum, cum in Concilio Constantiensi, sess. 13. simpliciter infirmi excipiantur a lege jejunii.—Cf. S. Alphons. *Hom. Ap.* n. 46. et lib. 6. n. 285. dub. 3.—Baller. not. (a) p. 227.

QUAER. 7°. *An liceat aliquando, saltem semel in anno, dare communionem infirmo diuturno morbo laboranti, et qui neque jejunium servare possit, neque periculose decumbat?*

RESP. *Neg.*, tum quia est contra actualem Ecclesiæ praxim, tum quia contradicit communissimæ sententiæ theologorum a qua recedere nefas est. Neque dicas communionem paschalem esse de jure divino, et jejunium de jure tantum ecclesiastico; nam respondetur, per communionem paschalem satisfieri quidem præcepto divino sumendi Eucharistiam pluries in vita, at illam proprie et qua talem non esse de jure divino. Practice tamen loquendo, saltem apud nos, solutio difficultatis facilis est, cum facile possit vi facultatis deferendi Eucharistiam occulte et sine lumine, dari hujusmodi infirmo communio statim post mediam noctem.—Cf. O'Kane, n. 784. et seqq.—*Revue des sciences ecclesiastiques*, Maii, 1880. p. 470.

APPENDIX.

DE COMMUNIONE FREQUENTI.

Nomine communionis frequentis communiter cum S. Alphonso intelliguntur, sensu strictiori, communiones illæ, quæ præter dies Dominicos vel festos fiunt diebus ferialibus etiam sine prævia confessione.

701. ***Dico*** 1°. Certum est frequentem communionem, etiam quotidianam, semper fuisse in Ecclesia optatissimam. Constat 1°. ex communi suffragio Patrum, qui semper enixe eam fidelibus commendarunt.—Constat 2°. ex Conc. Trid. sess. 22. cap. 6. ubi ait: "Optaret quidem sacrosancta synodus ut singulis in Missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi hujus sacrificii fructus uberior proveniret."— Constat 3°. ex Decreto Innocentii XI. anno 1679, necnon ex communi Doctorum suffragio.— Cf. S. Alphons. *Praxis Confessarii*, cap. 9. § 4.— *Conc. Plen. Balt.* II. n. 258.

***Dico* 2°.** Certum est non posse generaliter constitui dies ad sacram Eucharistiam suscipiendam; nec illos esse ab ea arcendos, qui frequenter accedere cupiunt, nisi indigni videantur. Totum hoc igitur relinquendum est judicio confessariorum, qui pro conscientiæ puritate et fructu e sacra mensa percepto, id quod singulis magis profuturum existiment, præscribere debent.

Advertendum tamen sedulo est, sumptionem Eucharistiæ non esse *mercedem virtutis*, ut falsissime asserebant antiquiores quidam theologi rigidis Jansenismi doctrinis imbuti, aut moderni nonnulli Auctores frequenti communioni adversantes supponere videntur, sed juxta doctrinam SS. Patrum esse *medium virtutem acquirendi.*

Ut confessarius facilius simul et cautius incedat, attendendum ipsi est ad sequentes regulas practicas:

Regula I. Communio *menstrua* nemini sat disposito deneganda, imo omnibus maxime consulenda est, etiamsi vitam degant negotiis sæcularibus implicatam; secus enim valde difficile est, diu in divina gratia perseverare ob innumeras occasiones, et rerum æternarum quasi obliterationem.

Regula II. Communio hebdomadaria permittenda est, imo et consulenda iis, qui graves culpas ex habitu non committunt: attamen illis, si pluribus vitiis levibus laborent, nec ullatenus sint de emendatione solliciti, aliquando utile erit communionem aliqua hebdomada interdicere, ut scilicet aliqua alacritate ad vitia abjicienda excitentur.

Regula III. Communio *frequens*, seu *pluries* in hebdomada, permitti potest, aut etiam consuli iis fidelibus, qui licet debiles, officia boni christiani servant, tum Deum amare, colere et orare gestiunt, tum orationi mentali, cum possunt, aliquod tempus libenter quotidie tribuunt, nec in culpas deliberatas sæpius labuntur.

Regula IV. Communio *quotidiana* concedenda iis est qui carent affectu etiam in culpas leves, malasque cupiditates majori ex parte superarunt, et ad christianam perfectionem serio tendere conantur.—Expedit tamen, si causa subsit, interdum semel, et aliquando etiam pluries in hebdomada communionem iis subtrahere.—Cf. S. Alphons. n. 254. et seqq., et *Praxis Confessarii*, n. 130. et seqq.

702. QUAERES. *Quid superiorissa Monialium præcipere aut prohibere possit sororibus subditis circa communionem frequentandam?*

RESP. Ad ipsam certe non spectat, ut, per modum præcepti vel prohibitionis aut quocumque alio modo definiat quoties Moniales intra mensem aut hebdomadam accedere debeant ad communionem; nam Ecclesia jus illud tribuit solis superioribus ecclesiasticis, et vult ut id, quoad singulares personas, decidendum relinquatur confessariis secreta cordium explorantibus.—Attamen ex potestate dominativa quam superiorissa habet in subditas, poterit interdum, raro tamen, ne potestate sua utatur in destructionem, Monialem aliquam ab una aut altera communione prohibere, "*si alioquin ejusmodi pœna,*" inquit Suarezius, "*sit conformis suæ regulæ, ordinarium modum disciplinæ religiosæ non excedat . . . et non inferatur proprie ut est spiritualis privatio, sed ut inducit aliquam notam vel ruborem.*"—Quæ quidem conformia sunt responsioni quam S. Congr. Episcop. et Regul. die 27. Junii, 1876. dedit Cardinali Protectori Sororum Boni Pastoris. Ex hac enim responsione habetur, mentem esse Summi Pontificis ut in posterum superiorissa prædictarum Monialium eo tantum casu prohibere possit alicui sorori ad sacram communionem accedere, quo culpam aliquam sat gravem, et publicam admiserit ab ultima sacramentali confessione. — Hæc quæ de superiorissa relate ad Moniales valent, a fortiori valere debent de Monialibus quibuscumque sive magistræ eæ sint, sive superiorissæ, relate ad puellas ipsarum curis commissas. Porro scimus magnum existere abusum hac in re; sunt enim quæ sibi adscribunt quemdam episcopatum animarum.—Cf. Suarez, *de Relig.* tract. 8. lib. 2. c. 9. n. 10.—Bouix, *de Jure Reg.* vol. 2. p. 432.—Craisson, *Manuale jur. can.* n. 3043.—Baller. not. (b) p. 232.

PARS SECUNDA

DE EUCHARISTIA UT SACRIFICIO.

CAPUT I.

DE NATURA ET VIRTUTE SACRIFICII MISSÆ.

703. **Dico.** Missa non solum est verum et proprie dictum novæ legis sacrificium, sed etiam diversas sacrificiorum antiquæ legis rationes perfecte continet. *Primum* constat ex Conc. Trid. sess. 22. can. 1. ubi hæc habentur: "Si quis dixerit in Missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud quam Christum nobis ad manducandum dari, anathema sit." *Alterum* autem constat ex can. 3. ejusdem sessionis; ac proinde sacrificium Missæ est *latreuticum* quatenus specialiter Deo offertur in agnitionem supremi ejus dominii; est *eucharisticum* quatenus offertur in gratiarum actionem pro beneficiis a Deo collatis; est *propitiatorium* et *satisfactorium* quatenus per illud obtinemus tum veniam peccatorum tum remissionem pœnæ illis debitæ; est demum *impetratorium* quatenus Deo offertur ad beneficia ab eo per merita Christi impetranda.—Cf. De Augustinis, part. 3. Thes. 17. p. 316.

704. **Quæsita.**—QUAER. 1°. *An et quomodo differt sacrificium Missæ a sacrificio Crucis?*

RESP. Differt utique, sed solum accidentaliter; nam cum eadem sit victima, eadem ratio formalis sacrificii, et idem principalis offerens seu sacerdos, nequit profecto dari differentia essentialis. Differentiæ autem accidentales plures assignantur: præcipuæ sunt una ex parte victimæ, quæ in Missa est immortalis et in ara Crucis fuit mortalis; et altera ex parte offerentis, quia in Cruce Christus obtulit sacrificium per seipsum, et in Missa illud offert per manus Ministrorum.—Cf. De Augustinis, part. 3. Thes. 15. Scholion, p. 293.

QUAER. 2°. *In quonam proprie consistat essentia sacrificii Missæ?*

RESP. Multum hac de re disputant theologi, at *probabilius* dici debet eam consistere in sola consecratione, quia solum in consecratione

proprie invenitur mystica victimæ mactatio; quamvis diverso modo hoc explicetur a patronis hujus sententiæ, præsertim a Suarezio et Card. de Lugo.—S. Alphonsus autem ceu *probabiliorem* habuit sententiam, quæ ponit essentiam sacrificii Missæ *etiam* in communione.—Cf. S. Alphons. n. 305.—De Augustinis, part. 3. Thes. 16. p. 298.

QUAER. 3°. *An sacrificium Missæ offerri possit pro omnibus indiscriminatim?*

RESP. *Neg.*, nam oportet distinguere inter sacrificium oblatum *nomine proprio*, quatenus scilicet sacerdos quicumque ex sua devotione motus, privatim celebret cum intentione juvandi, si Deo placuerit, determinatam quamdam personam sive vivam sive mortuam, et sacrificium oblatum *nomine Ecclesiæ*, cum scilicet adhibentur in favorem alicujus personæ preces liturgicæ speciales, et ritus solemnes ab ipsa Ecclesia instituti. Si primum, licet celebrare pro omnibus omnino hominibus etiam infidelibus aut excommunicatis quibuscumque, et ratio est, tum quia nullibi hoc invenitur prohibitum, tum quia Christus ipse in ara Crucis sacrificium obtulit pro omnibus indiscriminatim. In altero autem casu certe non licet celebrare pro excommunicatis vitandis, quia Ecclesia nihil vult ipsis indulgere, at probabiliter licet offerre pro excommunicatis toleratis et infidelibus, et a fortiori pro omnibus peccatoribus, secluso semper periculo scandali. Ratio est, quia ex una parte Ecclesia hodie non prohibet quominus omnes isti adsint in ecclesia dum Missa offertur, et ex alia inter preces liturgicas adest illa qua Hostiam offerimus *pro omnibus circumstantibus.*—Cf. S. Alphons. n. 308. et seqq.—Lacroix, lib. 6. part. 2. n. 33.—Baller. not. (a) p. 240.—Cretoni, not. ad n. 349. p. 198.

QUAER. 4°. *Quotuplex sit fructus sacrificii Missæ?*

RESP. Fructus Missæ distinguitur ex duplici capite, nempe ex parte offerentis, et ex parte victimæ.

I. *Ex parte offerentis.*—Cum duplex sit offerens, Christus nempe et sacerdos, hinc duplicis generis est fructus Missæ ex parte offerentis. Prior provenit ex Christo offerente, et dicitur *ex opere operato*, quia recipitur intuitu meritorum Christi et ejus promissionis. Alter provenit ex sacerdote offerente, quatenus recipitur intuitu meriti et devotionis sacerdotis celebrantis, et fructus *ex opere operantis* nuncupatur. Inde

fit ut sacrificium oblatum a sancto sacerdote, quatenus consideratur *ex opere operato*, non prosit magis quam si ab indigno Ministro offeretur; quia sacrificium, sic spectatum, est opus Christi, et solum a meritis Christi fructus dimanat. Quare hoc sensu recte dici potest, Missam mali sacerdotis tanti valere, quanti valet Missa boni sacerdotis. Secus vero dicendum, si attendatur meritum *ex opere operantis;* quo enim dignior est sacerdos et majori devotione præditus, tanto major Missæ fructus evadit.

II. *Ex parte victimæ.*—Ex hoc capite triplex distinguitur fructus sacrificii, scilicet generalis, specialis, specialissimus.

1°. Fructus *generalis* ille est, qui respondet sacrificio, quatenus est opus positum a sacerdote, prouti operatur nomine totius Ecclesiæ. Et omnes quidem fideles, quamvis sacerdos de eis non cogitet, hunc fructum percipiunt; sed ipsis tribuitur per modum *impetrationis* tantum, non vero, ut videtur, per modum *satisfactionis*, quia ex millenis sacrificiis, quæ quotidie offeruntur, quivis justus, etiam inscius, immensæ pœnæ remissionem consequeretur, quod incredibile apparet. De fructu hoc generali, abundantiori, seu specialiori modo participant adstantes sacrificio, et *a fortiori* ad illud cooperantes, v. gr., sacerdoti inservientes, etc. Iste autem fructus, utpote *ex opere operantis*, eo uberior est, quo major est devotio et sanctitas assistentium et cooperantium. Hinc, licet plures Missam audiant, vel ei ministrent, quisque totum fructum suæ devotioni proportionatum percipiet, haud secus ac si solus esset audiens vel ministrans.

2°. Fructus *specialis* est ille, qui advenit ei vel illis, quibus sacerdos specialiter sacrificium applicat. Hi *ex opere operato* participant de sacrificio, ut est *impetratorium* et *propitiatorium;* imo etiam, modo nihil obstet, ut est *satisfactorium.*

3°. Fructus *specialissimus* ille est, qui obvenit sacerdoti offerenti, quatenus est persona privata offerens. Si enim cooperatores quilibet e sacrificio suum percipiunt fructum omnino specialem, multo magis hunc percipere debet sacerdos, qui sacrificat. An vero hunc fructum applicare aliis sacerdos possit, incertum est, quamvis certum sit sacerdotem non posse stipendium recipere ut fructum hunc specialissimum alteri applicet.—Cf. S. Alphons. n. 312.—Baller. not. (b) p. 241.

QUAER. 5°. *An valor sacrificii Missæ sit infinitus?*

RESP. Est certe infinitus, si spectetur *in se*, seu in re oblata et in excellentia dignitatis Christi offerentis. Ipse enim Christus in hoc sacrificio est simul victima et principalis offerens. Quare Missa est oblatio victimæ infiniti pretii facta a Christo primario offerente, qui meritum habet infinitum. Attamen non est neque esse potest infinitus quoad applicationem singulis hominibus factam, seu quoad effectum aut fructum, quia creaturæ percipiendi infinitum fructum non sunt capaces; potest autem applicatio esse major vel minor, prout dispositio seu capacitas illius, cui applicatur, major vel minor exstiterit.

QUAER. 6°. *An applicatio fructus sacrificii sit ad certum gradum restricta, vel fiat indefinite juxta capacitatem illorum pro quibus offertur?*

RESP. Valde controvertitur inter theologos. Multi enim contendunt applicationem fieri *indefinite* juxta capacitatem fidelium pro quibus offertur, et hanc sententiam S. Alphonsus dicit hodie esse communissime receptam. Ratio ipsius est, quia ex una parte valor sacrificii cum sit in se infinitus potest applicari innumeris hominibus quin exhauriatur; ex alia autem nullibi invenitur lex quædam restrictiva hujus applicationis, si adsit aliunde capacitas recipiendi. Quare, dicunt, si sacrificium offeratur pro uno tantum vel pro centum, hi singuli tantum percipient fructum, quantum ille unus. Alii autem plures theologi tenent fructum Missæ ad certum gradum esse restrictum, quia licet Missa in se et quoad sufficientiam sit infiniti valoris, effectus tamen est limitatus et restrictus in certa quantitate ex voluntate Christi, qui hoc sacrificium instituit, ut *ex opere operato* certum effectum, sive certum satisfactionis gradum produceret, independenter ab hominum dispositione. Attamen hujus sententiæ patroni concedunt, posse hunc gradum fructus augeri *ex opere operantis*, id est juxta majorem devotionem offerentis sacerdotis et personæ pro qua offertur; atque fructum ipsum *ex opere operato* non restringi *extensive* quoad offerentes, id est quoad sacerdotem, ministrantes, et assistentes, ita ut, quantocumque adsint numero, tantus sit in singulis, quantus esset in uno qui solus offerret. Insuper isti theologi etiam concedunt diversos sacrificii fructus, *valide* a celebrante dividi, seu diversis applicari posse. Et id quidem etiam *licite* fieri docent tum in Missa libera, tum in Missa quæ ex sola fidelitate debeatur, et promissa fuit diversis ad diversos fines.

Cum secunda sententia sit vere probabilis, saltem extrinsece, quippe quam tenent præclarissimi theologi, ut Bellarminus, *de Sacrif. Missæ*, lib. 2. cap. 4. prop. 4., Suarez, disp. 79. sect. 12. n. 7., Card. de Lugo, et Card. Bona, qui ambo eam vocant *communiorem* et *veriorem*, recte monet S. Alphonsus non licere sacerdoti qui stipendium ab uno accipit, eamdem Missam pro illo et pro aliis, quibus nihil debet vi stipendii, simul applicare, nisi saltem sub conditione, nempe modo ille a quo stipendium accepit non defraudetur. Hujus tamen conditionis appositio, stante solida probabilitate primæ sententiæ, impedire nequaquam potest aut debet quominus sacerdos aliquis per ejusdem sacrificii applicationem alteri cuipiam obligationi, quam aliter ac per acceptum stipendium contraxit, satisfacere possit.—Cf. S. Alphons. n. 312. et seqq.—Lugo, disp. 19. n. 249.—Baller. not. (a) p. 242. et not. (a) p. 243.

QUAER. 7°. *An Missa prosit defunctis ex infallibili promissione Christi?*

RESP. *Affirm.*, nam Missa utiliter offertur pro defunctis, ut constat ex Trid. sess. 22. can. 3.; sed id fieri nequit, nisi ex Christi promissione, quæ perhibetur Matth. xxvi. 28: "Hic est Sanguis meus .... qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum." Constat etiam ex verbis formæ in Ordinis collatione: "Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, Missasque celebrare tam pro vivis quam pro defunctis in nomine Domini. Amen."—Attamen pœna temporalis non remittitur defunctis certa lege, sed solum per modum suffragii iis prodest, prout Deo placuerit illud acceptare.—Cf. Perrone, n. 282.

QUAER. 8°. *An Missa de Requiem magis prosit defunctis, quam Missa de Sanctis?*

RESP. *Neg.*, quoad substantiam, seu *ex parte sacrificii; affirmative* autem quoad accidentalia, seu *ex parte orationum*, quarum defectum devotio supplere potest.—Adverte hic Missam *de Requiem* et *in nigris* applicari posse pro vivo; modo qui eleemosynam tribuit, expresse oppositum non declaraverit.—Cf. S. Alphons. n. 310. post S. Thomam, *Suppl.* q. 72. art. 3.—S. C. Rit., 29. Nov. 1856.

CAPUT II.

DE APPLICATIONE SACRIFICII MISSÆ.

705. ***Dico.*** Necessaria non est specialis sacerdotis applicatio, ut fructus *specialissimus* ipsi proveniat, et ut pars fructus *generalis* a fidelibus percipiatur. Requiritur tamen applicatio seu intentio qua sacerdos velit ut fructus *specialis*, seu *ministerialis* alicui personæ obveniat. Ratio *primi* est, quia illa applicatio semper implicite continetur in generali intentione celebrandi juxta mentem Ecclesiæ. Ratio autem *secundi* est, quia sacerdos est sola persona quæ agit nomine Christi ut minister, ac proinde ipse solus potest de tali fructu disponere, et consequenter absque ipsius applicatione non est ratio cur uni potius quam alteri hujusmodi fructus detur. Quod si revera nulla fit specialis applicatio, fructus iste tunc ad generalem Ecclesiæ thesaurum accedit, ac proinde minus utilis evadit.—Cf. Billuart, dissert. 8. art. 4.

706. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *An applicatio fructus Missæ debeat esse actualis?*

RESP. *Neg.*, sed sufficit, ut sit habitualis, scilicet ut semel facta non retractetur. Ratio est, quia applicatio ista fit per modum donationis, adeoque per intentionem semel habitam sacerdos jam donavit fructum sacrificii sui, et proinde ei, cui donavit, debetur, et cum Missa celebratur, eidem obvenit, nisi donatio revocetur. Expedit tamen applicationem Missæ facere antequam inchoetur. Quod si id vel ante consecrationem, vel saltem in consecratione secundæ speciei sacerdos non fecerit, non potest postea sacrificium ulli specialiter applicare.—Cf. S. Alphons. n. 335.

QUAER. 2°. *Si sacerdos immemor prioris intentionis novam celebrando eliciat, quænam valida censeri debeat?*

RESP. In genere definiri nequit, sed inspiciendum est qualis intentio fuerit in mente sacerdotis prædominans. Cæterum in praxi parvi refert; etenim cum alterutra certo valida sit, satis erit alia vice Sacrum ei applicare, cui applicatum non fuit.

QUAER. 3°. *An intentio celebrantis debeat esse explicite determinata?*

RESP. *Neg.*, nam sufficit ut determinetur implicite. Sic valet applicatio, si dicas: Offero hoc sacrificium pro eo, qui dedit stipendium,

—pro quo superior vult Sacrum fieri,—pro quo exigit fundatio,—pro maximo peccatore, vel anima graviori tentatione afflicta,—pro anima purgante majori auxilio indigente, aut magis Deo grata,—pro omnibus animabus Purgatorii,—pro eo cui applicare teneor,—pro persona vel intentione scripta vel mente determinata in principio hebdomadæ, etc. E contrario non valet ista applicatio; Offero, ut Deus Sacrum istud applicet; quia nulla adesset determinatio.

QUAER. 4°. *Si sacerdos acceperit stipendia a* 10 *personis, an satisfaciat celebrando cum intentione omnino confusa et indeterminata?*

RESP. *Neg.*, quia requiritur intentio determinata saltem implicite ad certam personam; alioquin nulla est ratio, cur uni potius quam alteri Missa applicetur, et sic nulli applicaretur.—Attamen si quamlibet Missam intenderet applicare decem illis personis, singulis decimam partem cujuslibet missæ applicando, obligationi satisfaceret; quia fructus sacrificii est divisibilis, et unicuique tribuitur, quod ei debetur; unusquisque enim in singulis decem Missis decimam fructus partem percipiens, facto decimo Sacro, jam totum sibi debitum fructum est adeptus. A fortiori autem hoc licet juxta sententiam illorum qui negant fructum Missæ percipi secundum limitatam quamdam mensuram a Christo ipso stabilitam.—Cf. S. Alphons. n. 335.—Baller. not. (b) p. 245.

QUAER. 5°. *Quomodo determinanda sit applicatio, quando stipendia a multis ignotis dantur?*

RESP. Intentio facienda est pro iis qui priora dederunt stipendia. Hoc facile succedit, quando idem sacerdos omnibus obligationibus est satisfacturus; nec obest, quod ipse partem celebrandarum Missarum aliis sacerdotibus forte distribuat: quia illas eodem ordine, quo accepit, distribuere potest; et sic sufficienter applicatio determinata videtur. Difficultas major videtur adesse, si sacrista vel alius multa stipendia a diversis collegerit, et pecuniam confusam pluribus sacerdotibus distribuat. Quomodo enim tunc facienda erit Missæ applicatio? Respondeo: Nihil aliud faciendum est, neque aliud moraliter fieri potest, quam ut applicatio fiat juxta ordinem temporis, quo stipendia a fidelibus erogata sunt, juxta axioma, quod aliquando in justitiæ materia usurpatur: *Qui prior tempore, potior jure.* Imo nec necessarium est, ut sacerdos ad hoc explicite attendat; siquidem sic velle agere censetur, cum id expostulet naturalis æquitas.

QUAER. 6°. *An tenearis ad novam applicationem, si pro vivo celebrasti, quem putabas mortuum, si tantum pro eo jam mortuo celebrare debuisses?*

RESP. *Neg.*, probabiliter, tum quia ille, qui dedit stipendium non supponitur rationabiliter velle tali modo urgere suum jus; tum quia Missa jam dicta non fuit ei adhuc vivo inutilis.

CAPUT III.

DE OBLIGATIONE CELEBRANDI.

ARTICULUS I.

DE OBLIGATIONE CELEBRANDI RATIONE SACERDOTII.

707. ***Dico.*** Omnes sacerdotes ratione sacerdotii jure divino tenentur sub gravi aliquando celebrare. Evincitur ex verbis Christi, Luc. xxii. 19: "Hoc facite in meam commemorationem."—Quibus verbis, teste Concilio Tridentino, Christus Apostolis eorumque successoribus præcepit, ut sacrificium offerrent. Insuper sacerdotes omnes in sua ordinatione accipiunt non solum potestatem, sed etiam *munus* et *officium* sacrificandi illi adnexum. Hinc Apost. Hebr. v. 1: "Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis." Porro in re gravi quisque tenetur sub gravi munus suceptum exsequi.—Cf. S. Thom. 3. q. 82. art. 10.—S. Alphons. n. 313.

708. QUAERES. *Quoties in vita vel in anno sacerdos celebrare teneatur?*

RESP. Non clare constat; at probabilius videtur non teneri sub gravi ad celebrandum, nisi ter vel quater in anno, seu in festis solemnioribus. Imo non improbabile apparet, sacerdotem suo muneri fecisse satis, si quibuscumque tandem diebus ter vel quater in anno sacrificium offerat.—Dixi *sub gravi* nam talis sacerdos non videtur excusari posse ab aliquo peccato veniali.—Cf. S. Alphons. n. 313.

ARTICULUS II.

DE OBLIGATIONE CELEBRANDI RATIONE OFFICII.

709. ***Dico.*** Omnes animarum Pastores tenentur jure naturali et divino aliquando pro ovibus suis celebrare. Ratio desumitur tum ex eo quod pascere spiritualiter aliquem necessario importat procurare illi bona spiritualia quæ per excellentissimum Missæ sacrificium præcipue obtinentur, tum ex Conc. Trid. sess. 23. cap. 1. *de Reform.* ubi dicitur : "Cum præcepto divino mandatum sit omnibus quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre," etc.

710. ***Quæsita.***—Quaer. 1°. *Quid importat particula illa aliquando ?*

Resp. Ecclesia Dei, interpres juris naturalis et divini, jam determinavit ejus extensionem. Igitur Pastores animarum tenentur ad celebrandum pro ovibus suis "in Dominicis aliisque festis diebus, qui ex præcepto adhuc servantur, et qui ex dierum de præcepto festorum numero sublati sunt." Hæc sunt ipsissima verba PP. Leonis XIII. in suis Litt. Apostolicis *In Suprema.* Si autem quæras quot et quinam sint, præter dominicos dies isti festi sive actualiter servati, sive suppressi, respondetur esse 35, eorumque catalogum inveniri superius sub n. 328. —Cf. *Acta S. Sedis*, vol. 14. p. 529. et seqq.

Quaer. 2°. *Quinam sint Pastores animarum qui sive jure naturali et divino sive ecclesiastico tenentur ad celebrandum pro populo ?*

Resp. Hoc nomine veniunt 1°. omnes Episcopi post adeptam sedis possessionem, non autem Vicarii capitulares; 2°. Abbates jurisdictionem quasi episcopalem in clerum et populum cum territorio separato habentes; 3°. Parochi proprie dicti non solum sæculares, sed et Regulares; itemque ii qui ad tempus vel amovibiliter, v. gr., ob absentiam vel infirmitatem Parochi, ad hujus supplendum officium deputati sunt, ut Vice-parochi. Imo Parochus duabus parochiis præpositus, non autem Episcopus qui assumitur ad duas Diœceses regendas, duplicem Missam, recurrentibus festis tenetur applicare, nisi unio duarum parochiarum sit *plenaria* et *exstinctiva*, ita ut ex duabus ecclesiis parochialibus una prorsus ob extinctionem tituli alterius evaserit.—Cf. *Acta S. Sedis*, loc. cit. —Bened. XIV. Const. *Cum semper*, die 19. Aug. 1744.

QUAER. 3°. *An sacerdotes qui, apud nos, curam habent animarum, quocumque nomine vocentur, prædicto onere teneantur?*

RESP. *Neg.*, exceptis Rectoribus aliquarum ecclesiarum Provinciæ S. Francisci. Ratio est, quia cum non sint Parochi proprie dicti, nec jura omnia Parochorum habent, nec omnia officia. Jus autem divinum urgeri non potest contra missionarios, quia hi proprie non sunt sponsi ecclesiarum quibus præficiuntur, ut ait Card. Tarquini, sed adjutores Episcopi, ipsiusque veluti milites discurrentes. Constat ex positiva responsione Congr. de Prop. Fide quæ voluit ut evitaretur etiam formula exprimens nostros quasi-Parochos *teneri ex caritate* ad applicandam Missam pro populo.—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. n. 368.—*Acta S. Sedis*, vol. 1. p. 389. et seqq.—*Nouvelle Revue theol.* vol. 14. p. 534. et seqq.

QUAER. 4°. *An Vicarii Apostolici teneantur prædicta obligatione?*

RESP. *Neg.*, dummodo non agatur de locis in quibus sedes episcopalis jam canonice erecta fuerit, atque Vicarius Apostolicus ad eam missus sit ut legitimi pastoris vices gerat. Item non tenentur Episcopi *titulares* non residentes ut declaratur in citatis Litt. Apost. PP. Leonis XIII *In suprema*, § *Quamquam.*—Cf. *Acta S. Sedis*, vol. 14. p. 535., et Append. v. p. 552.

ARTICULUS III.

DE OBLIGATIONE CELEBRANDI RATIONE STIPENDII.

711. **Dico.** Licite accipi potest stipendium seu eleemosyna pro Missa quam quis pro alio non tenetur celebrare: at stipendio semel accepto, exurgit obligatio justitiæ, cui quidem non satisfit per unicam Missam, si plura accepta fuerint stipendia, utut infinitus sit valor Missæ, sed pro singulis stipendiis distinctum sacrificium offerri debet. Ratio *primi* est, tum quia stipendium non datur tanquam pretium Missæ, ac proinde nulla fit comparatio inter rem sacram et pecuniam, tum quia justum est ut de sacrario vivant, qui in sacrario operantur. Ratio autem *secundi* est, quia, accepto stipendio, intervenit pactum onerosum, quod titulo justitiæ, non secus ac in quovis alio contractu, servari debet. Ratio demum *tertii* desumitur tum ex prop. 8. ab Alex. VII. damnata, quæ sic se habet; "Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem Missa accipere, applicando petenti partem etiam specialissi-

mi fructus ipsimet celebranti correspondentem;" tum præsertim ex prima parte prop. 10. ab eodem Alex. VII. damnata, et quæ ita jacet: "Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, et sacrificium unum offerre."—Quare non minus ad restitutionem tenetur qui unam Missam celebrat cum plura accepisset stipendia, quam ille qui, uno tantum accepto stipendio, nullam dicit Missam.—Cf. Viva, in cit. prop.—*Conc. Plen. Balt.* II. n. 369.

712. ***Quæsita.***—Quaer. 1°. *Quodnam censeatur justum sacerdotis celebrantis stipendium?*

Resp. Quantitas stipendii justi universaliter determinari non potest, sed in diversis locis attendendum est ad consuetudinem et ad statuta Ordinariorum, quibus etiam Regulares sub gravi conformare se debent. Præterea Episcopus, saltem quoad eleemosynas manuales, prohibere potest ne stipendium minus taxa statuta accipiatur, et Patres Baltimorenses decreverunt ne hoc fiat *regulariter.*—Attamen sicut ex caritate, amicitia, vel aliqua alia de causa, stipendium minus quandoque admitti potest, ita etiam ex dantis liberalitate majus recipere fas est. Potest pariter sacerdos plus recipere, imo etiam exigere, pro labore extraordinario, v. gr., pro sacro celebrando tali hora, vel tali loco incommodo, etc.—Cf. S. Alphons. n. 319. et 320.—Bened. XIV. Inst. 56. n. 10.—*Conc. Plen. Balt.* II. n. 369.

Quaer. 2°. *An graviter peccet sacerdos qui, accepto stipendio, Missam celebrare notabiliter differt?*

Resp. *Affirm.*, et ratio est, quia violat contractum in re gravi; quamvis non consentiant Doctores in determinanda gravitate dilationis. Gravis sane videtur cum S. Alphonso dilatio trium mensium, et e contra inquietandi non sunt illi sacerdotes qui intra duos menses acceptis stipendiis satisfaciunt. In Missis autem celebrandis pro recenter defunctis, dilatio unius mensis gravis reputanda est juxta eumdem S. Doctorem. Certe vero peccat graviter sacerdos, quoties Missam pro aliqua instante gratia impetranda petitam ac promissam intra tempus circumstantiis aptum celebrare omittit; et idcirco tenetur acceptum stipendium restituere, licet deinceps celebraverit.—Cf. S. Alphons. n. 317. — *Conc. Plen. Balt.* II n. 369.—Varceno, vol. 2. p. 660.

Quaer. 3°. *An sacerdos possit Missam alteri celebrandam committere stipendium minus dando, quam ipse acceperit?*

Resp. *Neg.*, nam ob speciem turpis lucri id prohibuit S. Congr. Concilii, Decreto approbato ab Urbano VIII. et confirmato ab Innocentio XII., ubi hæc habentur: "Omne damnabile lucrum Ecclesia removere volens, prohibet sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem Missam alteri, parte ejusdem Missæ sibi retenta, celebrandam committat." Hinc et Alexander VII. damnavit sequentem propositionem sub n. 9. expressam: "Post Decretum Urbani potest sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta."—Imo Benedictus XIV. Epistola encyclica *Quanta cura*, die 30. Junii, 1741. pœna suspensionis ipso facto incurrendæ et Sedi Apostolicæ reservatæ damnat sacerdotem, qui, pro Missis celebrandis stipendia colligens majoris pretii juxta consuetudinem vel statuta locorum, Missas ibi, vel in locis ubi minora stipendia tribuuntur, celebrari curet, parte sibi retenta. Pius autem IX. Bulla *Apostolicæ Sedis*, eumdem afficit pœna excommunicationis latæ sententiæ summo Pontifici simpliciter reservatæ.

Excipe tamen 1°. nisi excessus stipendii traditus fuerit intuitu personæ, amicitiæ, paupertatis, gratitudinis, propinquitatis, quod ex circumstantiis cognosci potest; 2°. si alter sacerdos, omnino sponte et non rogatus, excessum remittat; 3°. si sacerdos Beneficiarius committit celebrationem Missæ debitam pro Beneficio, tradito stipendio congruo juxta consuetudinem loci, quin tradat totam ratam fructuum.—Cf. S. Alphons. n. 321.—*Acta S. Sedis*, vol. 8. p. 71. et seqq., p. 650. et seqq., et vol. 3. p. 555. et seqq.

Quaer. 4°. *An qui retinet partem stipendii, teneatur ad restitutionem?*

Resp. *Affirm.*, et ratio est, tum quia ex prop. damnata ab Alex. VII. superius relata, deducitur hujusmodi sacerdotem non posse satisfacere justitiæ; qui autem obligationi justitiæ non satisfacit, ad restitutionem tenetur; tum quia sacerdos, dividens stipendium, agit contra voluntatem dantis; voluntas enim dantis est, non solum ut Missa celebretur, sed ut pro tali stipendio celebretur. Cui autem fieri debeat restitutio, num danti scilicet eleemosynam an celebranti, controvertitur apud theologos sed potius celebranti facienda videtur.—Cf. S. Alphons. n. 322.

QUAER. 5°. *An sacerdos cui offertur pingue stipendium pro hodierna Missa, possit, hoc retento, rogare alium sacerdotem ut celebret pro ipso, promittens celebrare die sequenti pro eodem, qui pro ordinaria eleemosyna est celebraturus?*

RESP. *Affirm.*, saltem probabiliter, tum quia nihil in hac intentionis permutatione apparet quod turpis lucri speciem sapit, tum quia sic fert communissima piorum prudentumque sacerdotum praxis. Nec demum huic sententiæ deest sufficiens auctoritatis pondus; imo ipse S. Alphonsus ab ea amplectenda non est omnino alienus, nec hujusmodi praxim damnat de mortali.—Cf. Baller. not. (a) p. 254.

QUAER. 6°. *Quid tenendum de moderatoribus diariorum religiosorum, bibliopolis, et aliis mercatoribus, qui diaria, libros, et alias merces permutant cum Missarum stipendiis?*

RESP. Multæ extant hac super re Romanarum Congregationum responsiones, quarum summa hæc est: Prædicti moderatores, bibliopolæ et mercatores improbandi sunt, et de turpi mercimonio accusandi, si adhibitis publicis invitamentis et præmiis vel alio quocumque modo Missarum eleemosynas colligunt vel colligere faciunt, quicumque demum sit eorum finis, et usus pecuniæ ita collectæ. Imo ii etiam qui eos adjuvant in colligendis vel tradendis eleemosynis, nec non sacerdotes qui a dictis bibliopolis et mercatoribus pro Missis celebrandis libros aliasve merces recipiunt, improbandi pariter sunt et accusandi.—At nullo modo damnare licet eos qui pro Missis celebratis, vel celebrandis tradunt vel recipiunt, stipendii loco, libros vel alias merces, seclusa quavis negotiationis vel turpis lucri specie.—Cf. *Acta S. Sedis*, vol. 8. p. 107. et p. 659.—Baller. not. (a) et (b) p. 257.

QUAER. 7°. *An administratores ecclesiarum possint aliquid sibi retinere ex Missarum eleemosynis pro expensis altarium, luminum, etc.?*

RESP. *Neg.*, nisi ecclesiæ alios redditus non habeant, et tunc nullatenus excedi debet valor expensarum, quæ pro ipso Missæ sacrificio necessariæ sunt; imo et curandum est, ut, expensis deductis, adhuc ex pecuniis quæ supersunt tot Missæ celebrentur, quot fuerunt præscriptæ ab offerentibus eleemosynas.—Cf. S. Alphons. n. 322.—*Acta S. Sedis*, loc. cit.

QUAER. 8°. *An restituere debeat, qui accepto stipendio ad Missam in altari privilegiato celebrandam, eamdem in alio altari celebrat?*

RESP. *Neg.*, ut videtur; sed tenebitur ad lucrandam indulgentiam plenariam defunctis applicabilem, ut sunt indulgentiæ *Viæ Crucis*, etc., quia sic proportionata compensatio tribuitur. Si tamen stipendium majus ordinario ad hoc acceperit, excessum restituere tenetur. Si autem quis accipiat stipendium, ea lege ut celebret in loco certo, v. gr., ad statuam miraculosam, vel in sacello ut populus Missam audiat, vel certo tempore, v. gr., die sabbati in honorem B. Virginis, ita ut locus et tempus per se intendantur, non potest retinere stipendium, nisi Missam tempore et loco præscripto legerit. Ratio est, quia alias dans stipendium graviter invitus censetur, secus vero, si tempus et locus per se non intendantur.—Cf. S. Alphons. n. 329.—Elbel, n. 210.

QUAER. 9°. *An obligatus ex stipendio ad celebrandum in altari privilegiato pro defuncto debeat legere Missam de Requiem, quando ritus id permittit?*

RESP. *Affirm.*, et ratio est, quia ad indulgentias lucrandas id requiritur. Diebus vero quibus prohibentur Missæ *de Requiem*, sacerdos lucratur indulgentias legendo Missam diei, ut pluries a S. R. Congr. declaratum est. Ita ad postulatum: "Utrum qui celebrant in altari privilegiato pro singulis diebus debeant semper uti paramentis nigris, diebus non impeditis, ut privilegii indulgentiam consequantur?" respondit S. R. C. *Affirmative*, die 11. Aprilis, 1840.—Cf. S. Alphons. n. 339.

QUAER. 10°. *Quid dicendum de illa consuetudine quæ in plurimis Statuum Fœderatorum Diœcesibus existit, ut scilicet die Commemorationis omnium Defunctorum pinguis colligatur summa eleemosynarum, et una dicatur pro omnibus Missa?*

RESP. Non est improbanda; nam proposito dubio ab Episcopo Roffensi, S. Congr. Conc. die 27. Jan. 1877. respondit: "Nihil innovetur; tantum apponatur tabella in ecclesia, qua fideles doceantur, quod illis ipsis eleemosynis una canitur Missa in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum."—Cf. *Analecta Jur. Pontif.* fascic. 133. p. 603, et fascic. 139. p. 186.—*Acta S. Sedis*, vol. 10. p. 120.

CAPUT IV.

DE TEMPORE CELEBRATIONIS MISSÆ.

713. ***Dico* 1°.** Licet celebrare quotidie, imo id laudabile est, nisi obstet celebrantis indignitas, aut specialis Ecclesiæ prohibitio. Prohibet autem Ecclesia, ne celebretur Missa in die Parasceves, seu feria 6ª Hebdomadæ majoris; item ne plura Sacra fiant in eadem ecclesia feria 5ª et Sabbato ejusdem Hebdomadæ. Necessitas autem approbata ab Episcopo, sive ratione communionis infirmorum qui nequeunt interesse Missæ solemni, sive ratione præcepti audiendi Missam propter aliquod festum, potest esse causa cur una Missa privata, in casu infirmorum, et plures in casu festivitatis, dicantur in eadem ecclesia feria 5ª in Cœna Domini, at non in Sabbato Sancto sine speciali indulto.—Ita ex multis S. R. Congr. decretis.—Cf. S. Alphons. n. 350.—De Herdt, vol. 2. n. 280., et vol. 3. n. 36.

***Dico* 2°.** Non licet ordinarie et secluso speciali privilegio, celebrare ante auroram, nec post meridiem. Licet tamen Missam ante auroram inchoare, modo ante auroram non absolvatur. Licet pariter celebrationem ultra meridiem protrahere, modo saltem meridie incipiatur; tempus enim auroræ et meridiei non *mathematice* sed *moraliter* accipiendum est. Pari modo privilegium celebrandi una hora ante auroram vel post meridiem, quod sacerdotibus nostris vix non ubique ab Ordinariis communicatur, intelligi debet de una hora ante vel post tempus pro aliis non privilegiatis assignatum: alioquin enim privilegium parum prodesset.—Cf. S. Alphons. n. 341. et 345.

714. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *An peccet graviter qui celebrat ante auroram aut post meridiem?*

RESP. *Affirm.*, si multum præveniat, aut protrahat tempus ab Ecclesia statutum; secus vero, si mutatio sit levis; imo si justa adsit causa, omni culpa vacabit. Qualis autem censeatur immutatio notabilis controvertitur. Juxta communiorem et probabiliorem sententiam gravis non habetur, nisi celebratio hora integra ante vel post tempus statutum incipiatur.—Cf. S. Alphons. n. 346.

QUAER. 2°. *Quandonam liceat tempus celebrationis antevertere vel protrahere?*

Resp. Licet 1°. in necessitate, v. gr., ut morituro ministretur Viaticum, quo casu liceret etiam media nocte celebrare; 2°. ubi est mos rationabilis, v. gr., ut opifices et famuli summo mane possint Sacrum audire; 3°. vi privilegii a Papa concessi vel facultatis ab Episcopo, aut etiam a Prælato religioso quoad subditos, in casu aliquo particulari datæ rationabili de causa; 4°. quando secus magna pars populi Missa careret; ex causa itineris, solemnioris alicujus funeris, concionis, publicæ supplicationis, collationis Ordinum, saltem per unam aut alteram horam.—Cf. S. Alphons. n. 343. et seqq.

Quaer. 3°. *An liceat sæpius in die celebrare?*

Resp. Juxta vigentem Ecclesiæ disciplinam, excepto die Nativitatis Domini, semel tantum in die licet celebrare, *nisi causa necessitatis aliud suadeat.* Quomodo autem intelligenda sit hæc necessitas colligi debet ex recenti *Instructione* a C. de Prop. Fide data, et cujus hæc est summa:

De *jure communi*, semper tamen dependenter ab Ordinario, in duplici casu verificatur hæc necessitas: 1°. cum duæ sunt parochiæ vel duo populi adeo sejuncti, ut alter ipsorum Parocho celebranti per dies festos adesse nullo modo possit ob locorum maximam distantiam; 2°. quando una tantum sit ecclesia in qua Missa celebratur, et ad quam simul universus populus convenire non potest.

De *jure particulari*, scilicet attentis formulis quibus facultas binandi concedi solet a Congr. de Propaganda Fide in locis Missionum, prouti sunt nostræ omnes Diœceses, requiritur sane necessitas aliqua, sed multo minor.—Quod si iterum quæras qualis et quanta hæc esse debeat, ad removendam formidinem et animi anxietatem quam clausulæ formularum creare possent, respondetur ejus judicium totum relinqui charitati et prudentiæ Ordinariorum. Nam quamvis certum sit necessitatem binandi non debere desumi ex devotione fidelium volentium Missam audire diebus festis suppressis, neque ex desiderio magnatum satisfaciendi præcepto in suis privatis capellis, neque ex consuetudine, neque demum ex Missionariorum paupertate; difficile tamen est *positive* indicare casus omnes particulares, aut regulam aliquam generalem statuere circa distantiam vel numerum fidelium qui requiruntur ad hujusmodi necessitatem adstruendam. Quare cum Episcopus S. Ludovici anno 1828. postulasset: "Utrum quoties triginta aut quinquaginta fideles periculo exponuntur Missam de præcepto non audire, bis celebrare

valeant?" jussu Leonis XII., litteris datis die 13. Martii, rescriptum est: "Omnem te anxietatem animi deponere débere, et quin commovearis verborum rigore, Se [Sanctitatem suam] conscientiæ ac prudentiæ tuæ committere, ut judices, quibus in casibus ratione habita adjunctorum diœcesis tuæ graves adesse causæ censendæ sint, facultatem, de qua sermo est, sacerdotibus impertiendi." Et iterum in litteris datis die 9. Maii, 1844. ad alium Episcopum Statuum Fœderatorum dicebatur: "Noverit Amplitudo Tua necessitatem bis in die celebrandi veram quidem sed moralem intelligi, non autem absolutam, de qua proinde dijudicare in singulis casibus pendet a prudenti judicio, inspectis circumstantiis."—Cf. Instruct. Congr. de P. F. apud Cretoni, vol. 2. p. 658 — *Acta S. Sedis*, vol. 12. p. 232. et seqq., vol. 13. p. 340. et seqq., et vol. 16. p. 35. et seqq.

Quaer. 4°. *An qui duas Missas celebrat possit sumere duo stipendia?*

Resp. *Neg.*, prorsus, secluso speciali indulto, ne ea quidem ratione ut alterum ex illis in *pium usum* applicetur. Ratio est, quia hoc districte prohibetur, ne sacerdotes facilius alliciantur ad binandum.—Imo qui tenentur unam Missam diebus festis et dominicis pro populo dicere, ne unum quidem possunt stipendium sumere quando bis celebrant. Constat ex Declar. S. Congr. Conc. 25. Sept. 1858. et 21. Martii, 1863.—Attamen,

Adverte 1°. quod ex declar. ejusdem S. C. Conc. constat "Supplementum pensionis quod plerumque tribuitur sacerdoti binas Missas celebranti *intuitu defatigationis* non habere rationem stipendii."

Adverte 2°. quod potest concedi, et de facto Ordinariis Missionum conceditur indultum illud speciale quod requiritur ad sumendum stipendium pro secunda Missa, ut constat ex Instructione S. C. de Prop. Fide superius citata, ubi n. 8. ita legitur: "Habita peculiarium quarundam Missionum circumstantiarum ratione, SSmus Pater dignatus est auctoritatem facere, ut constat ex dictis litteris circularibus, earum Ordinariis permittendi, *ut justa et gravi causa interveniente, sacerdotes sibi subditi etiam pro secunda Missa in eadem die celebranda stipendium percipere possint ac valeant.*"

Adverte 3°. quod ex recenti responsione S. C. C. licet secundam Missam applicare pro defuncto sacerdote ab illis qui societate inita ad celebrandum pro sociis defunctis sese adstrinxerunt.

Adverte 4°. quod in die Nativitatis Domini licet sumere tria stipendia, tum quia nullibi hoc prohibitum est, tum quia ita fert consuetudo, nam ait Bened. XIV. "Cum ubique fere receptum sit ut in solemnitate Nativitatis Domini pro tribus Missis tria recipiantur charitativa stipendia."—Cf. Bened. XIV. *de sacrif. Missæ* lib. 16. n. 10.—*Acta S. Sedis*, vol. 11. p. 283. et seqq.—*Nouvelle Revue theol.* vol. 11. p. 25.—*Revue des sciences eccles.* vol. 48. p. 486. et seqq.

QUAER. 5°. *An liceat in nocte Nativitatis Domini celebrare omnes tres Missas ante auroram?*

RESP. *Neg.*, sine licentia Episcopi ex justa causa, vel sine indulto Apostolico. Id enim expresse prohibet Rubrica Missalis, quæ sic habet: "Prima Missa dicitur in nocte; secunda in aurora; et tertia in die." Constat etiam ex Decreto S. Congr. Rit. edito die 18. Decemb. 1702. quod ita se habet: "Non licet in media nocte Nativitatis Domini celebrare successive duas alias [Missas] et Communionem sacram exhibere."—Hoc autem applicandum non est, ut videtur, nostris sacerdotibus quibus, fere ubique, conceditur facultas "celebrandi una hora ante auroram."—Cf. S. Alphons. n. 343.

QUAER. 6°. *Quanto temporis spatio Missa lecta durare debeat?*

RESP. Regula generalis est, Missam nec longiorem esse debere dimidia hora, ne adstantes tædio afficiantur, nec breviorem tertia horæ parte, quia secus non poterit decenter celebrari. Non excusabis autem a peccato mortali sacerdotem, qui Sacrum faciens non attingat horæ quadrantem; quia, ut ait S. Alphonsus, tam brevi spatio committere necessario debet duos graves defectus, alterum gravis irreverentiæ erga sacramentum, alterum gravis scandali erga populum. Quare notum est illud distichon:

Uno si fuerit brevior tua Missa quadrante,
Mortalis culpæ crederis esse reus.

CAPUT V.

DE LOCO AD CELEBRANDUM APTO.

715. ***Dico.*** Non licet communiter celebrare nisi in ecclesia, eaque consecrata vel saltem benedicta, et quæ non sit polluta, execrata aut interdicta. Ratio horum omnium habetur ex Conc. Trid. sess. 22. *Decreto de observandis et evitandis in celebratione Missæ.*

716. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *Utrum de licentia Episcopi possit in aliquo alio loco celebrari, præter ecclesiam?*

RESP. Episcopi, qua tales, non possunt amplius, ut olim, concedere facultatem celebrandi in domibus privatorum, neque in oratorio privato, nisi graves et urgentes adsint causæ, et tunc tantum per modum actus transeuntis. Possunt tamen permittere ut Sacrum fiat *in oratoriis publicis*, seu quorum aditus omnibus patet, et in omni loco religioso et pio. Locus autem *religiosus* ille dicitur in quo pietatis et misericordiæ opera exercentur, et Episcopi vel alterius Præsulis ecclesiastici auctoritate erectus est, ut sunt Monasteria, quælibet religiosæ Communitates, Seminaria, etc.—Locus vero *pius* ille vocatur qui ad pietatis et misericordiæ opera constituitur etiam sine ecclesiastica auctoritate, uti, v. gr., Hospitalia vel Orphanatrophia a civili potestate erecta et constituta. Adde et oratoria quæ in carceribus eriguntur, utut carceres *loca pia* dici non soleant.—Cf. S. Alphons. n. 357. et 359.—*Revue des sciences eccles.* vol. 6. p. 265., et plures Declar. S. C. C. 27. Maii, 1617., 23. Jan. 1847., 20. Dec. 1856., et 27. Martii, 1847.

Dixi *Episcopi qua tales*, quia Episcopi nostri utpote muniti amplioribus Indultis solent communicare facultatem: "celebrandi sub dio, et sub terra, in loco tamen decenti, si aliter celebrari non possit."—Verum hæc verba tam generalia intelligenda sunt juxta limitationem appositam a Patribus Baltimorensibus qui statuerunt: "nulli sacerdoti licere Missam celebrare in ædibus privatis, nisi in stationibus, et in iis ædibus quas Ordinarius designaverit; aut dum actu missionis exercitiis, procul ab aliqua ecclesia dat operam."—Aliæ etiam limitationes apponuntur a non paucis Episcopis nostris in suis statutis Diœcesanis, ad

quæ debet unusquisque recurrere.—Cf. Kenrick, tract. 17. n. 87.—*Conc. Plen. Balt.* II. n. 362.

QUAER. 2°. *Quomodo ecclesia polluatur?*

RESP. Ecclesia *polluitur,* seu *violatur* quando in ea exercentur actiones quædam turpes vel indecentes et loco sacro injuriosæ, ob quas indecens reputatur, ut ibi offeratur Hostia immaculata, et divina Officia celebrentur, donec reconcilietur. Quare polluitur præsertim 1°. per homicidium voluntarium et injustum; 2°. per effusionem sanguinis humani ex percussione, aut vulnere graviter injurioso; 3°. per effusionem humani seminis mortaliter malam. Sed ut ecclesia censeatur polluta, hæc crimina debent esse notoria, ita ut nullo modo celari possint.—Debent etiam patrari in ipsa ecclesia, non vero tantum in turri, tecto, sacristia, aliisve cubiculis ecclesiæ adhærentibus.—Cf. S. Alphons. n. 362. et seqq.

QUAER. 3°. *Quomodo Ecclesia jam polluta reconciliari debeat?*

RESP. Distinguendum est, nam si ecclesia fuit tantum *benedicta,* reconciliari potest a sacerdote delegato ab Episcopo cum orationibus consuetis, et cum aqua ab Ordinario benedicta. Si tamen talis aqua facile non haberetur, ab ipso sacerdote delegato ad ecclesiam reconciliandam benedici posset.—Si vero ecclesia illa fuerit *consecrata,* reconciliari debet ab ipso Episcopo, vel a sacerdote delegato a Papa juxta ritum Pontificalis Romani. Attamen si non possint omitti divina Officia sine gravi incommodo, Episcopus aliquo impedimento detentus delegare potest sacerdotem ad ecclesiam benedicendam simplici benedictione, donec ipse eam consecrare possit. Oratoria autem privata, licet benedicta et ad cultum deputata, non censentur pollui; et ideo reconciliatione non indigent.—Cf. S. Alphons. n. 363.

QUAER. 4°. *Quomodo ecclesia execretur, et semel execrata iterum ad cultum idonea reddatur?*

RESP. Ecclesia execratur cum amittit suam benedictionem vel consecrationem; quod quidem fieri potest quin ullum admittatur crimen. Censetur autem ecclesia amittere suam benedictionem vel consecrationem, quando totaliter vel ex maxima parte corruit, vel destruitur, ita ut de novo, saltem ex majori parte, ædificari debeat, aut si omnis parietum crusta, vel major saltem pars simul auferatur. Ecclesia autem semel execrata, iterum benedicenda vel consecranda est, juxta ritum et

formam præscriptam pro benedictione vel consecratione ecclesiarum.—Cf. S. Alphons. n. 368.

Juvat autem hic animadvertere 1°. altare fixum consecrationem amittere cum mensa seu lapis superior a stipite suo amovetur: 2°. altaria sive portatilia sive fixa suam consecrationem amittere per fractionem tumuli, in quo reconduntur sacræ Reliquiæ, vel per earumdem amissionem; nec sufficere in illis tumulari alias Reliquias authenticas; sed altaria denuo sunt consecranda. Ita ex variis Decret. S. R. C. 15. Maii, 1819., 23. Sept. 1848., 7. Dec. 1844.—Exinde patet cur recenter responsum fuerit primum Episcopo Sancti Pauli in Statu Minnesota, et postea Archiepiscopo Baltimorensi: "Altaria portatilia ita consecrata ut sepulchrum Reliquiarum non lapide marmoreo sed cera sigillari, vel gypso coopertum fuerit atque firmatum, nova indigere consecratione." Patet inquam, quia tumulus ita coopertus et firmatus habetur ab Ecclesia uti fractus.—Cf. *Nouvelle Revue theol.* vol. 13. p. 580.

CAPUT VI.

DE REQUISITIS AD MISSAM CELEBRANDAM.

717. ***Dico.*** Ad Missam licite celebrandam sequentia requiruntur: 1° altare lapideum, fixum vel portatile, ab Episcopo consecratum; 2°. mappa triplex ex lino vel cannabe confecta; 3°. vestes sacræ, ab Ordinario benedictæ; 4°. calix et patena consecrata; 5°. corporale lineum vel ex cannabe, ab Ordinario benedictum; 6°. palla pariter linea vel ex cannabe; 7°. purificatorium lineum; 8°. missale cum pulvillo; 9°. crucifixus, non vero sola crux; 10°. candela duplex ex cera accensa; 11°. bursa, velum, manutergium, ampullæ: 12°. minister masculus.

718. ***Quæsita.***—Quaer. 1°. *Quænam sint vestes necessario benedicendæ?*

Resp. Vestes certo benedicendæ ab Ordinario vel ab alio sacerdote facultatem habente, uti apud nos, sunt amictus, alba, manipulus, stola et casula. De cingulo autem, palla et purificatorio disputatur. De mappis etiam an debeant benedici, non una est sententia theologorum, et quamvis S. Alphonsus adhæreat sententiæ affirmativæ, non putat tamen op-

positam omnino improbabilem; corporalia autem certo debent benedici sub mortali, nisi urgeat casus necessitatis. Imo in casu necessitatis posset quis celebrare etiam sine corporali, et a fortiori sine palla, sed tunc deberet purificatorium vel aliquid aliud adhiberi pro corporali, et bursa vel aliud pro palla. Certum demum est albam, amictum, mappas, corporalia, purificatorium et pallam debere esse ex lino vel cannabe. —Cf. S. Alphons. n. 375. et seqq.

QUAER. 2°. *An sit mortale celebrare sine ulla veste sacra, aut sine stola, vel alba, casula, manipulo vel cingulo?*

RESP. Est mortale celebrare sine ulla veste sacra in omni casu ex quacumque causa. Item celebrare sine casula, vel alba, aut stola et manipulo simul; sed probabiliter non est mortale celebrare sine manipulo, vel sine manipulo benedicto. Itèm celebrare sine amictu, saltem pro iis qui illo non utuntur ad tegendum caput, sed tantum humeros. Idem etiam dicendum de celebratione sine cingulo; unde ab his omnibus causa rationabilis facile excusat.—Cf. S. Alphons. n. 377.—Baller. not. (a) p. 271.

QUAER. 3°. *An color vestium sit de præcepto?*

RESP. *Affirm.*, quia omnes Rubricæ, quæ respiciunt cæremonias Missam concomitantes, ut præceptivæ habentur. Attamen hæc Rubrica obligare sub gravi non videtur, nisi scandalum adsit, v. gr., si die Paschatis vel alia simili solemnitate Missa celebraretur vestibus nigris. Hinc causa non adeo gravis ab hoc præcepto excusare potest.—Cf. S. Alphons. n. 378.

QUAER. 4°. *Quinam colores in paramentis requirantur?*

RESP. Requiruntur paramenta *albi, rubri, viridis, violacei* et *nigri* coloris. Omnino reprobantur paramenta ex filamentis sericis et vitreis simul intertexta. Pariter reprobantur paramenta varii coloris quæ propter flores cujusque coloris immixtos non pauci senserant omni festo posse adhiberi; sed hoc fieri posse prohibuit S. C. R., atque adeò hujusmodi paramenta illum solum colorem possunt repræsentare, qui primarius est et prædominans. Prohibentur etiam paramenta *flavi* et *cærulei* coloris. Permittuntur autem illa quæ sunt ex panno aureo (*gold cloth*), et quæ juxta quosdam pro omni colore adhiberi possunt; juxta plures pro albo, rubeo et viridi non autem pro nigro aut violaceo; sed

juxta usum Romæ vigentem a quo non esset recedendum, solum pro albo et rubro.—Adverte tamen 1°. quod si fila serica quæ cum filis aureis intermiscentur sint coloris præscripti, tuto omnino adhiberi possunt pro omni colore, scilicet pro albo si fila mixta sint albo, pro rubro si sint rubra, etc., quia revera tunc colorem requisitum exhibent.—Adverte 2°. quod pro usu hujusmodi paramentorum attendi debet ad consuetudinem ; nam proposito dubio : "An sacra paramenta revera auro maxima saltem ex parte contexta pro quocumque colore, exceptis violaceo et nigro, inservire possint?" S. C. R. die 28. Apr. 1866. respondit: "Tolerandam esse locorum consuetudinem relate tantum ad paramenta auro contexta."—Cf. de Herdt, vol. 1. n. 147.—*Acta S. Sedis*, vol. 4. p. 52.

QUAER. 5°. *Ex quanam materia debeant conflari calix et patena, et an necessario debeant consecrari?*

RESP. Ex præsenti disciplina, calicis saltem cuppa debet esse aurea, vel argentea intus inaurata. In casu vero necessitatis calix ex stanno adhiberi posset. Patena esse debet ex auro, vel argento inaurato. At semper debent consecrari *sub gravi*, quia præceptum versatur circa rem gravem.—Adverte tamen quod apud nos, uti patet ex *facultatibus extr.* C. n. 6. potest simplex sacerdos deputari abEpiscopo ad consecrandum calicem, patenam et etiam altare, dummodoutatur oleis ab Episcopo benedictis.—Cf. S. Alphons. n. 379.—Gousset, n. 323.

QUAER. 6°. *An calix et patena consecrationem amittant, si interna inauratio pereat?*

RESP. *Neg.*, probabilius, cum sententia communi; et ratio est, quia licet unctio non fiat nisi in superficie, tota tamen moles calicis consecratur. Quare ceu abusus habendum est quod sacerdos *execrari* velit prædicta vasa sacra, antequam ea reficienda, vel iterum refundenda tradat artifici. Debent ergo ei tradi, si opus sit, quin sacerdos vel directe manu, aut aliquo mediante instrumento conetur ea execrari.—Bene tamen consecrationem amittunt prædicta vasa post novam deaurationem, ac proinde tunc nova indigent consecratione. S. C. R. die 23. April. 1882., et 14. Jun. 1843.—Cf. S. Alphons. n. 370.

QUAER. 7°. *Quale peccatum sit celebrare sine ministro?*

RESP. Est mortale juxta omnes. Attamen communiter dicunt Doc-

tores, licitum esse celebrare sine ministro, urgente necessitate ministrandi Viaticum, vel, ut alii concedunt, ut populus audiat Missam de præcepto. Verum juxta S. Alphonsum, Card. de Lugo et alios, minor necessitas sufficit ad celebrandum cum ministro qui nesciat respondere. —Imo quia Episcopis nostris, et per eos missionariis fere ubique communicatur facultas specialis "celebrandi sine ministro," minor adhuc requiritur necessitas, quamvis aliqua requiratur propter formulam adnexam "si aliter celebrari non possit:" sed in hoc casu juxta responsum S. R. C. die 4. Sept. 1875., sacerdos non debet bis dicere *Confiteor* initio Missæ.—Præterea in casu necessitatis posset mulier, præsertim Monialis, a longe respondere, non tamen ad altare proprie ministrare porrigendo urceolos, etc.—Cf. S. Alphons. n. 391. et seqq.

QUAER. 8°. *Qualis crux requiratur in altari dum Missa celebratur?*

RESP. Crux quæ requiritur non debet esse exigua, sed præeminere inter candelabra, ita ut sacerdos et populus facile eam possint intueri. Quod si in altari in quo Missa celebratur, adsit magna imago Crucifixi sive sculpta, sive depicta, necessarium non est addere aliam crucem in medio candelabrorum. Item si Missa celebratur in altari ubi SS. Sacramentum publice est expositum, necessaria non est crux, at poterit exponi vel non exponi juxta locorum consuetudinem. In quocumque autem casu eam omittere peccatum veniale non excedit. Imo ait Kenrick: "In missionibus necessitas facit ut crux adhibeatur non admodum magna."—Cf. Kenrick, n. 101.

QUAER. 9°. *Utrum, quot, et quænam lumina requirantur?*

RESP. Mortale est celebrare sine ullo prorsus lumine, excepto unico casu, quando peracta consecratione lumen extinguitur nec aliud haberi potest; quia tunc urget ratio perficiendi sacrificium. In Missis autem privatis non minus quam duo debent adhiberi, quamvis uno tantum uti grave non sit, nec plus quam duo possunt accendi, nisi celebret Episcopus, aut aliqua solemnitas extraordinaria aliud exigat. Semper autem lumina ista debent esse cerea, excepto casu absolutæ necessitatis, ac proinde illicitus est usus candelarum ex stearina.—Imo juxta S. Alphonsum mortale est uti candelis ex sebo, quia hoc indecentiam redolet.—Cf. S. Alphons. n. 394.—*Acta S. Sedis*, vol. 3. p. 600.

719. Monitum.—Laudabile sane est et necessarium quam maxime adhærere S. R. C. responsis circa ea quæ ad celebrandum requiruntur, sed cum non eadem sit omnium ratio, discretione opus est. Prudentia pariter opus est in perpendendis necessitatibus quæ apud nos, ruri præsertim, occurrere solent. Neque zelus aut pietas eo usque progredi debent ut quis videatur omnia velle reformare et Episcopos ipsos docere. Etenim cum sacerdos quidam nuper apud S. R. C. conquestus esset quod "candelæ quæ pro recitanda vel cantanda Missa incenduntur, non sint ex cera nisi pro minima parte, v. gr., quinta vel sexta parte," —et præterea quod "albae ex lino quidem in parte superiore et manicis, sed ex bombicio in tota reliqua et multo certe majore sua parte confectæ essent," et simul petiisset quid ei esset agendum, etc. S. R. C. die 8. Martii, 1879, respondit "*Orator acquiescat sententiæ sui Episcopi.*" —Cf. *Acta S. Sedis*, vol. 12. p. 644.

CAPUT VII.

DE RUBRICIS IN MISSA SERVANDIS.

720. ***Dico.*** Sacerdotes omnes maxima cura et sollicitudine servare tenentur leges Ecclesiæ quæ spectant ad modum Missam celebrandi. Ratio desumitur tum ex Scripturis quæ magnam pœnam comminantur illi qui facit opus Domini negligenter, tum ex positiva voluntate Ecclesiæ.—Quare Patres Baltimorenses postquam dixerint nullum ritum in hoc sacrificio peragendo adhiberi qui inanis citra impietatem existimari possit, addunt: "Volumus . . . . districteque præcipimus ut sacerdotes in hisce Provinciis universi ea omnia quæ in Romano Missali habentur adamussim sequantur."—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. n. 357. et seqq.

721. ***Quæsita.***—Quaer. 1°. *An omnes Rubricæ Missæ sint præceptivæ?*

Resp. Juxta communem sententiam, omnes Rubricæ, quæ servantur *intra Missam*, sunt *præceptivæ*, cum rem adeo sacram respiciant. Obligant autem *sub gravi* vel *sub levi*, pro gravitate vel levitate materiæ, ut infra dicetur. Rubricæ vero, quæ servantur *extra Missam*, id est, ante vel post Sacrum, habentur communiter ut mere *directivæ*, ut, v. gr., orationes pro præparatione Missæ vel gratiarum actione; possunt

enim aliæ orationes recitari. Controvertitur tamen quoad orationes quæ ex Rubrica recitandæ sunt dum vestes induuntur; sed cum communi sententia tenendum est, ait S. Alphonsus, earum omissionem esse venialiter culpabilem. Alii tamen tenent hanc omissionem omni culpa vacare.—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. n. 358.—de Herdt, vol. 1. n. 2.—S. Alphons. n. 399. et seqq.

QUAER. 2°. *An sacerdos infirmus celebrare possit, licet non omnes Rubricas servare queat?*

RESP. *Affirm.*, si paucas et leviores tantum omittat, præsertim si privatim celebret. Imo plures gravis notæ auctores permittunt infirmo celebranti, ut etiam baculo utatur, si indigeat, etc.—Cf. S. Alphons. n. 402.

QUAER. 3°. *An usus parvi cochlearis pro aqua in calicem infundenda sit omnibus licitus?*

RESP. S. C. R., proposito dubio, respondit servandam esse Rubricam. Hæc autem formula importat *usum parvi cochlearis non esse prohibitum* juxta responsum datum Arch. Baltimorensi, 6. Feb. 1858.—Cf. *Acta S. Sedis*, vol. 3. p. 600. et seqq.

QUAER. 4°. *An aliquando liceat Missam interrumpere?*

RESP. Nunquam licet Missam interrumpere *essentialiter*, ita scilicet ut sacrificium inceptum remaneat truncatum, nisi gravissima seu extrema urgeat necessitas, ut in casu imminentis incendii, aut hostis ad necandum irruentis; tunc enim sacerdos, omissa calicis consecratione, posset sumere Hostiam jam consecratam, vel eam secum effugiendo auferre. Quod si utramque consecrationem perfecerit, utramque speciem statim sumat, si possit; vel si non possit, secum auferat in loco vicino citissime sumendam. At licet interrumpere *accidentaliter*, nempe aliquid interponendo justa de causa *ante canonem*, 1°. ob concionem post Evangelium, ob preces pro defunctis recitandas, ob proclamationes Bannorum faciendas, vel ob processionem excipiendam, etc; 2°. in gratiam turbæ peregrinorum die festo, si alias Missam audire nequeant, et tunc, si oblatio facta non fuerit, sacerdos de novo incipere potest ut totum Sacrum audiant; 3°. si sacerdos recordetur de aliquo impedimento, v. gr., se non esse jejunum, vel in statu gratiæ, vel esse irregularem, modo Missa sine scandalo aut nota abrumpi possit. Non licet tamen interrumpere, etiam *accidentaliter*, incepto canone, et *a fortiori*,

peracta consecratione, nisi gravissima de causa, v. gr., si moribundus baptizari vel absolvi debeat. Alia autem sacramenta ministrare inter consecrationem et communionem non licet, quia non sunt tantæ necessitatis, excepto S. Viatico quod ministrari posset moribundo, qui prope esset, ita ut sacerdos vestes sacras exuere non deberet. Sed ad hoc etiam requiritur, ut celebrans altare e conspectu suo non amittat.—Cf. S. Alphons. n. 352. et seqq.

QUAER. 5°. *Quid agendum, si sacerdos morbo vel morte correptus Sacrum perficere nequeat?*

RESP. Si sacerdos deficiat ante consecrationem, nihil ab alio sacerdote agendum est, quia sacrificium proprie non fuit inceptum. Si vero deficiat post consecrationem etiam unius tantum speciei, tunc alius sacerdos jejunus, si adsit, supplere debet; si non adsit jejunus, suppleat alius etiam non jejunus et Sacrum perficiat; quia præceptum de integritate sacrificii procuranda gravius urget. Imo etiam sacerdos irregularis vel excommunicatus supplere deberet. Attamen si statim alius sacerdos inveniri non posset post interjectam unam horam, probabiliter amplius non foret quærendus, quia deesset unio moralis, et proinde non censeretur idem Sacrum. Si autem sacerdos morbo inter celebrandum correptus perficere Sacrum valeat post aliquam interruptionem, melius ipse, quam alius, perficiet, etiamsi jejunus non sit.—Cf. S. Alphons. n. 355.

TRACTATUS

DE SACRAMENTO POENITENTIAE

PARS PRIMA

DE ESSENTIA SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

CAPUT I.

DE NOTIONIBUS GENERALIBUS PŒNITENTIÆ.

722. Pœnitentia considerari potest uti virtus simpliciter, et ut sacramentum. Si primo modo consideretur, definitur: **Virtus moralis inclinans ad peccati detestationem, quatenus est offensa Dei, et ad propositum efficax in posterum illud vitandi, et divinæ justitiæ satisfaciendi.**—Dixi, *quatenus est offensa Dei*, id est quatenus injuriam Deo infert ejusque in hominem jura lædit; non autem quatenus offendit summam Dei bonitatem ac perfectionem in se spectatam: hoc enim pertinet ad contritionem caritate perfectam. Hinc docent plerique theologi post S. Thomam, pœnitentiam, ut peculiaris virtus est, ad justitiam pertinere, qua homo reddit Deo quod suum est.—Cf. S. Thom. 3. q. 85. art. 3.

Si autem Pœnitentia consideretur ut sacramentum, definitur: **Sacramentum novæ legis per modum judicii a Christo institutum, ad peccata post Baptismum commissa homini contrito et confesso per absolutionem sacerdotalem remittenda.**—Porro de veritate, necessitate, et constitutivis hujus sacramenti tenenda sunt sequentia:

I. Pœnitentia est verum et proprie dictum novæ legis sacramentum, atque vi institutionis divinæ vim habet remittendi omnia peccata post Baptismum commissa. Constat ex Conc. Trid. sess. 14. can. 1. ubi dicitur: "Si quis dixerit in Catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse vere et proprie sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in

peccata labuntur, ipsis Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum, anathema sit."—Cf. de Augustinis, part. 2. Thes. 13. p. 155.

II. Sacramentum Pœnitentiæ est necessarium *necessitate medii in re*, vel, si nequeat *in re* suscipi, *in voto*, saltem implicito, ad remittenda peccata mortalia post Baptismum commissa. Constat ex Conc. Trid., quod sess. 14. hæc duo declaravit, nempe cap. 2: "Est autem hoc sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus:" et cap. 4: "Docet S. Synodus, etsi contritionem aliquando caritate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare priusquam hoc sacramentum [Pœnitentiæ] actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam."—Cf. de Augustinis, part. 2. Thes. 16. p. 197.

III. Partes sacramenti Pœnitentiæ sunt contritio, confessio, absolutio, et satisfactio. Sacramentum enim Pœnitentiæ fuit institutum per modum judicii reconciliativi: hæc autem judicialis reconciliatio sita est essentialiter, ex parte pœnitentis, in dolorosa peccatorum accusatione, id est, in contritione et confessione; ex parte sacerdotis vices Christi gerentis, in eorumdem peccatorum remissione per absolutionem; perficitur vero ac completur satisfactione, qua temporalis etiam pœnæ reatus tollitur. Satisfactio igitur, quatenus adimplenda, est tantum pars integralis hujus sacramenti; quia effectus primarius, nempe gratia et remissio peccatorum quoad culpam et pœnam æternam sine satisfactione haberi potest.—Cf. De Augustinis, part. 2. Thes. 18. p. 227.

723. ***Quæsita.***—Quaer. 1°. *Quandonam sacramentum Pœnitentiæ fuit institutum?*

Resp. Fuit institutum quando Christus post suam Resurrectionem insufflavit in discipulos suos dicens: "Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis," etc. Tunc enim, ut declarat Conc. Trid. sess. 14. cap. 1., contulit eis potestatem judiciariam, quam ante Passionem tantum promiserat. Unde Patres Tridentini dicunt istud sacramentum fuisse institutum *præcipue* post Resurrectionem.

Quaer. 2°. *An vel quatenus conveniant judicium sacramentale et forense?*

RESP. Partim conveniunt, et partim differunt, ut patet ex utriusque forma. Potissima vero differentia duplex est, una quoad modum et altera quoad effectum: *quoad modum* quidem, quia in judicio sacramentali res tota secreto peragitur, ac proinde pœnitens ipse est reus, accusator et testis, secus ac in judicio forensi: *quoad effectum* autem, quia judicia forensia tendunt ad reum puniendum, ac proinde sunt per se vindicativa; judicium autem sacramentale tendit ad absolvendum sive ad peccatorem cum Deo reconciliandum.

CAPUT II.

DE MATERIA SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

724. ***Dico*** 1°. Sicut in cæteris sacramentis, ita in sacramento Pœnitentiæ, duplex est materia, alia remota, alia vero proxima. Materia *remota* sunt omnia peccata post Baptismum commissa; quæ dicuntur materia *circa quam*, quia circa illa destruenda versatur absolutio. Est autem vel necessaria, vel mere sufficiens et libera. Materia *remota necessaria* sunt omnia peccata mortalia post Baptismum commissa, nec unquam vi clavium adhuc directe remissa; quia ex præcepto divino hujusmodi peccata clavibus subjicienda sunt. Materia autem sufficiens et libera, sunt omnia peccata venialia nondum accusata atque, ut inferius dicetur, mortalia etiam et venialia clavibus jam rite subjecta.—Dicitur *sufficiens* quia quælibet peccata etiam minima objectum veniæ sacramentalis esse possunt.—Dicitur autem *libera* quia nullum est præceptum ea clavibus subjiciendi. De his constat ex perpetua praxi et traditione Ecclesiæ, necnon ex doctrina Conc. Trid. sess. 14. cap. 3.

Dico 2°. Materia *proxima* sacramenti Pœnitentiæ sunt tres actus pœnitentis, scilicet contritio, confessio et satisfactio, quæ dicuntur *quasi materia* hujus sacramenti, quia sunt instar materiæ sensibilis, quæ in aliis sacramentis formæ subjicitur; per hos enim actus peccata proponuntur verbis formæ destruenda. Constat præsertim ex Conc. Trid. sess. 14. can. 4.—Cf. De Augustinis, part. 2. Thes. 18. p. 227.

725. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *An sint materia sufficiens sacramenti Pœnitentiæ peccata jam rite confessa et per absolutionem remissa?*

RESP. *Affirm.*, et ratio est, quia peccatum, licet remissum, est sem-

per peccatum commissum; Christus autem indefinite omne peccatum subjecit clavium potestati: et præterea sacramento tribuere debuit, ut efficaciam haberet in ea omnia ad quæ virtus pœnitentiæ se extendit; ergo, sicut ejusdem peccati contritio et confessio potest cum fructu repeti, ita et absolutio. Nec obstat, quod tunc sacramentum peccatum hoc non deleat: nam sufficit, ut habeat effectum in *actu primo*, nempe ut præbeat gratiam deletivam peccati, quamvis per accidens in *actu secundo* peccatum non deleat.—Cf. S. Alphons. n. 427.—De Augustinis, part. 2. art. 6. p. 221.

QUAER. 2°. *An adultus baptizandus sub conditione in dubio Baptismi præcedentis, peccata jam accusata confiteri debeat?*

RESP. *Neg.*, et ratio est, quia illa peccata jam remissa sunt per sacramentum Pœnitentiæ, si validus fuit prior Baptismus; si autem non fuit validus, non sunt materia confessionis, et per secundum Baptismum remittentur.—Cf. Reuter, n. 118.

QUAER. 3°. *An adultus præfatus accusare debeat peccata nondum confessa, seu ab ultima confessione commissa?*

RESP. Controversum olim fuit, ut videre est ex theologorum, v. gr., Lacroix, lib. 6. part. 1. n. 323., et Billuart, *de Baptismo*, diss. 1. art. 5. oppositis sententiis. Nam posita probabili prioris Baptismi invaliditate, peccata subsequentia probabiliter non sunt materia capax sacramenti Pœnitentiæ; ergo etiam probabiliter non sunt clavibus subjicienda; obligatio enim confitendi peccata sequi non potest nisi consequenter ad Baptismum rite collatum.—Verumtamen *ad praxim* quod attinet, et pro *hæreticis neo-conversis* omne dubium sustulit S. C. Inquis., nam hæc Episcopis Angliæ postulantibus: "An debeat confessio sacramentalis a neo-conversis in Anglia exigi, et an debeat esse integra?" Ad utramque dubii partem respondit die 17. Dec. 1868: "*Affirmative; et dandum esse decretum latum sub fer.* 5. 14. Jun. 1715."—Porro statutum fuerat dicto decreto, ut hæreticus aliquis sub conditione rebaptizandus, post receptum Baptismum, *suæ præteritæ vitæ peccata confiteretur, et ab iis sub conditione absolveretur.*

Neque dicas Responsum istud non esse extendendum ad hanc regionem; nam proposito hoc eodem dubio ab Archiep. Quebecensi, ita die 12. Julii, 1869, respondit Card. Barnabo Præfectus S. C. de Prop. Fide: "Quoad dubium ab A. T. litteris diei 29. elapsi mensis Maii propositum

atque sacramentalem confessionem attingens a neo-conversis exigendam, observandum occurrit, responsum S. C. diei 17. Dec. elapsi anni, licet Episcopis Angliæ tantummodo rogantibus datum, universalem legem continere, proindeque non solum in Anglia, sed in aliis etiam regionibus obligare. Hinc patet quod nullatenus permitti possit ut prædictæ decisioni contraria sententia doceatur."

Adverte tamen casum alicujus catholici, qui sub conditione esset rebaptizandus, propterea quod prudenter dubitatur de validitate præcedentis Baptismi, non esse solvendum juxta tenorem prædictorum decretorum, quæ ad ipsum certe extendi non possunt. Quare neque ad generalem confessionem totius vitæ, obligari posset; neque ad ea peccata confitenda quæ ab ultima confessione commisit.

QUAER. 4°. *Quandonam facienda est confessio a neo-conversis, ante vel post Baptismum conditionatum?*

RESP. Juxta Instructionem C. S. Officii., supra n. 666. *Quær.* 7°. citatam, hoc ordine erit procedendum:

"*A*) Abjuratio seu fidei professio,

B) Baptismus conditionatus,

C) Confessio sacramentalis cum absolutione conditionata."

Verum non videtur esse contra *spiritum* prædictæ Instructionis praxis eorum sacerdotum, qui confessionem proprie dictam, seu accusationem peccatorum audiunt vel *ante*, vel *post* receptam abjurationem, deinde conferunt Baptismum conditionatum, et demum impertiuntur absolutionem.

QUAER. 5°. *An peccatum accusatum tantum in genere, sit materia sufficiens ad confessionis* validitatem *vel* liceitatem; *v. gr., si quis dicat:*—peccavi,—*vel,*—me accuso de omnibus peccatis meis?

RESP. In casu necessitatis, seu quando pœnitens, v. gr., moribundus nullum peccatum in specie accusare potest, talis confessio est certo *valida* et *licita;* tum quia ad impossibile nemo tenetur, tum quia ita fert communissima sententia theologorum, et sensus fidelium. Verum extra casum necessitatis, dicendum est talem confessionem esse probabilius validam si materia necessaria deficiat. Ratio est, quia plus non exigitur neque vi judicii sacramentalis naturæ, cum eadem hæc esse debeat extra necessitatem, et in casu necessitatis, neque vi præcepti integritatis quod urget tunc solum cum peccata gravia habentur. At

plures theologi dubitant de validitate hujusmodi accusationis, quia natura hujus sacramenti, quod est ad modum judicii, exigit materiam determinatam; ille autem qui solum dicit se *esse peccatorem* nihil determinati submittit clavibus. Exinde sequitur hujusmodi confessionem esse certo illicitam extra casum necessitatis, quia stante probabilitate non spernenda hujus rationis, qui eam perageret, exponeret sacramentum periculo nullitatis absque justa causa. Adde hunc modum confitendi adversari praxi Ecclesiæ, et causam præbere multis incommodis; nam pœnitentes carerent monitis, consiliis, et directione confessarii, et minus ad contritionem excitarentur; nec confessarius judicium ferre posset de materia sufficienti clavibus subjecta. Pœnitens enim dicens *accuso me de peccatis meis*, non raro *meras imperfectiones* in mente haberet.—Cf. Suarez, disp. 23. sect. 1.—Lugo, disp. 17. n. 8.—Lacroix, lib. 6. part.2. n. 620.—*Nouvelle Revue theol.* vol. 1. p. 67.

QUAER. 6°. *An, pœnitente materiam sufficientem dubiam tantum præbente, confessarius teneatur exquirere certam de vita præterita, ut eum absolvere possit?*

RESP. *Affirm.*, si velit absolvere, quia secus sacramentum periculo nullitatis exponeretur; nisi tamen casus occurrat, in quo pœnitens conditionate absolvi possit, ut inferius dicetur. Secus autem esset respondendum si nolit absolvere, sed tantum benedictionem impertire. Hoc autem posse fieri nemo dubitat, siquidem hujusmodi pœnitens jus non habet ad absolutionem.

QUAER. 7°. *An sit necessario absolvendus pœnitens qui non affert materiam necessariam, sed tamen certo sufficientem?*

RESP. *Affirm.*, et quidem ex justitia, supposito tamen quod sit rite dispositus, et nulla adsit extrinseca ratio quæ suadeat absolutionem non esse impertiendam. Neque dicas talem pœnitentem non pati magnum incommodum, quia jam est in statu gratiæ; nam recusando absolutionem illum privas gratiæ sanctificantis augmento, et ingenti illo cœlestium donorum cumulo, quæ fructus sunt hujus sacramenti rite suscepti.—Cf. Lacroix, lib. 6. part. 2. n. 1885.—Baller. not. (a) p. 297.

726. ***Resolves.***—1°. Materia sufficiens et licita confessionis sunt venialia, aut mortalia alias confessa, secundum *speciem suam* etiam genericam, v. gr., *accuso me de peccatis præteritis contra castitatem, caritatem*, etc., præscindendo a numero et a circumstantiis quibuslibet.—

Ratio est, quia sic habetur confessio peccati et quidem determinati, saltem unius in specie; nec est obligatio addendi numerum venialium, vel mortalium jam remissorum.

2°. Si quis de nullo peccato se accuset in particulari, et dicat, v. gr., *nihil scio*, nisi quod sæpe debui peccare sicut cæteri homines, examinetur ut pueri examinari solent. Si nihil ab ultima confessione elici possit, interrogetur de vita præterita, juxta statum et conditionem suam. Item cum mulierculis, devotulis et aliis ejusmodi, qui nonnisi confuse et de valde levibus confitentur, curandum est, ut culpam aliquam de vita præterita aut in specie, aut saltem in genere addant. Quod si, factis opportunis interrogationibus, nihil determinati possible sit extundere, et tamen urgeat tempus præ multitudine pœnitentium, videtur adesse moralis necessitas, quæ sufficiat ad absolutionem dandam saltem sub conditione.

3°. Ad majorem securitatem et certiorem percipiendum fructum pœnitentibus suadendum est, ut præter peccata dubia aut etiam levia quotidiana, semper ex jam confessis subnectant saltem generice aliud certum peccatum, de quo vehementius doleant, ne forte sacramentum periculo frustrationis exponatur.

4°. Monendi vero sunt pœnitentes, qui prædictam praxim servant, ne tantum ex quadam consuetudine peccatum vitæ præteritæ clavibus iterum subjiciant, præsertim si peccatum illud leve sit; quia subest timor, ne non satis doleant, et proinde scopum prospiciendi validitati et fructui sacramenti non attingant.

5°. Sufficit juxta omnes confessio *in genere*, si confessarius plane agnoscat aliunde pœnitentem, v. gr., ex recenti confessione totius vitæ, etc., et sciat, illum accusare se velle de peccatis jam sibi notis; tunc enim satis erit dicere:—Me accuso de omnibus peccatis meis jam tibi notis;—vel simpliciter:—de omnibus peccatis vitæ præteritæ.

CAPUT III.

DE FORMA SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

727. ***Dico.*** Forma sacramenti Pœnitentiæ duplex distinguitur: alia *essentialis*, et alia *præceptiva* seu *rubricalis*. Prima consistit in verbis: *Te absolvo a peccatis tuis;* ut constat ex Conc. Trid. sess. 14.

cap. 3. ubi dicitur: "Docet sancta Synodus, sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis Ministri verbis positam esse: *Ego te absolvo*, etc.: quibus quidem, de Ecclesiæ sanctæ more, preces quædam laudabiliter adjunguntur."—Forma autem *rubricalis* consistit in iis precibus quæ antecedunt vel subsequuntur formam essentialem, et ita habetur in Rituali Romano:

Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam. Amen.

Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens et misericors Dominus. Amen.

Dominus noster J. C. te absolvat, et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, et interdicti, in quantum possum et tu indiges; deinde: *Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.*

Passio Domini nostri J. C., merita B. M. Virginis et omnium Sanctorum, et quidquid boni feceris, et mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, et præmium vitæ æternæ. Amen.

Adverte tamen 1°. manum esse elevandam a verbo *Indulgentiam* usque ad verba *Passio Domini;* 2°. faciendum esse signum crucis in pœnitentem dum dicitur, *In nomine Patris*, etc.; 3°. verbum *suspensionis* omitti debere si pœnitens sit laicus.—Est autem pia consuetudo, quæ tamen nullo modo obligat, ut confessarius ante confessionem, dum benedicit pœnitentem, dicat: "Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis, ut rite confitearis omnia peccata tua," vel similem aliquam orationem.

728. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *An aliquid omitti possit de forma rubricali, et quandonam?*

RESP. In praxi, ex rationabili causa, facile omitti possunt preces *Misereatur*, etc., et *Indulgentiam*, etc.; imo juxta communiorem sententiam absque peccato semper omitti possunt. Idem etiam dicendum de orationibus quæ absolutionem sequuntur; sed, cum juxta sententiam probabilem hæc elevent bona opera pœnitentis ad meritum satisfactionis sacramentalis, convenit ut quam rarissime omittantur. Verba

autem *Dominus noster*, etc., non videntur posse omitti sine culpa veniali, nisi necessitas urgeat.—Cf. Rit. Rom. § *Absolutionis forma.*—O'Kane, n. 981. et seqq.

QUAER. 2°. *An necessaria sit elevatio manus et formatio signi crucis in absolutione impertienda?*

RESP. Certum est non requiri *ad validitatem* sacramenti, quia nec ad materiam pertinet, nec ad formam. Constat ex Conc. Flor., et Trid. necnon ex theologorum, saltem post Conc. Trid. unanimi consensu. Nec requiritur sub mortali *ad liceitatem* juxta communem sententiam, contra paucos; quia est tantum Rubrica, quæ gravis non videtur. Imo plures graves auctores asserunt, hoc omitti posse sine peccato; sic Busembaum relatus et implicite approbatus a S. Alphonso. Quidquid sit, saltem omitti potest sine peccato elevatio manus dum recitantur preces quæ absolutionem formalem præcedunt.—Cf. S. Alphons. n. 425. —O'Kane, n. 982. et 983.

QUAER. 3°. *An stola et superpelliceum requirantur in administratione sacramenti Pœnitentiæ?*

RESP. Hac super re ita loquuntur Patres Baltimorenses: "Ad tribunal sacrum accedens confessarius superpelliceo et stola violacea, ad præscriptum Ritualis Romani, sit indutus." Porro præscriptum Ritualis Romani ita se habet: "Superpelliceo et stola violacei coloris utatur, [sacerdos] prout tempus, vel locorum feret consuetudo." In praxi igitur attendendum est ad consuetudinem, ad particularia cujusque diœcesis statuta, et ad privilegia quibus aliquæ familiæ Regularium hac in re gaudent.—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. n. 213.—Baruffaldi, *de Sacr. Pœnit.* tit. 18. n. 21.—*Acta S. Sedis*, vol. 4. p. 62. n. III.

QUAER. 4°. *An omnia verba formæ essentialis:* Te absolvo a peccatis tuis *sint essentialia?*

RESP. *Neg.*, nam probabiliter docetur verbum *te* posse omitti, quia sufficienter continetur in verbo *tuis*, et probabilius adhuc totum comma *a peccatis tuis*, quia duo illa verba *te absolvo* continent totum effectum sacramenti. Verum, practice loquendo, oportet integram formam essentialem proferre, tum quia præcipitur, tum quia extra casum necessitatis, qui hac in re vix fingi posset, non licet uti probabilitatibus in iis quæ

ad validitatem sacramenti pertinent.—Cf. S. Alphons. n. 430.—Lugo, disp. 13. n. 26.—O'Kane, n. 984.

QUAER. 5°. *An sacerdos possit valide plures absolvere unica forma, dicens:* Ego vos absolvo a peccatis vestris?

RESP. *Affirm.*, quia omnia requisita ad validitatem reperiuntur. Imo licite quoque id fieri potest in casu necessitatis, v. gr., in naufragio, ante prælium, vel in ipso prælio, etc.; essetque talis absolutio multiplex, non quidem *formaliter*, sed *virtualiter* et *æquivalenter*, et essent tot sacramenta, quot homines forent, qui per aliqualem confessionem et sufficientem dolorem essent dispositi.—Cf. Lacroix, n. 645.

QUAER. 6°. *Quænam præsentia pœnitentis reputatur moralis in ordine ad absolutionem?*

RESP. Illa sola, quæ efficit ut verba *absolvo te*, juxta communem hominum æstimationem, censeantur cadere in pœnitentem: quod quidem certo tunc verificatur, cum confessarius et pœnitens non magis unus ab alio distarent, quam si duo homines communi voce colloqui possent et solerent. Multi theologi, hanc distantiam magis determinantes eam extendunt ad 20 passus, præsertim si pœnitens non sit extra aspectum confessarii.—Urgente vero necessitate, pœnitens absolvi potest et debet quoties aliquo sensu percipitur. Hinc 1°. absolvendus est ille qui videtur e tecto ruere, in flumen cadere, in mare submergi, saltem si non procul a confessario distet; 2°. si confessarius ob periculum infectionis, aut ob aliam causam, non possit cubiculum infirmi ingredi, illum e janua absolvere debet; 3°. si pœnitens recederet a confessario non adhuc absolutus, se absolutum existimans, absolvendus esset, si parum distans aspiceretur, aut certo sciretur adesse intra vicinam turbam; revocandus tamen foret, si commode fieri posset.—Cf. S. Alphons. n. 429.

QUAER. 7°. *Quid dicendum de absolutione data, adhibito novo illo instrumento, quod vulgo dicunt* telephone?

RESP. Extra casum necessitatis est certo et graviter illicitum confessario tali instrumento uti, quia certo exponeretur sacramentum periculo nullitatis, et quia nova praxis induceretur in administratione sacramentorum, eaque fraudibus obnoxia.—Utrum autem in casu extremæ necessitatis possit tolerari usus talis instrumenti, difficile est decer-

nere, et quæstio digna est quæ ad Sedem apostolicam deferatur.—Attamen ut quid mihi videtur dicam; non apparet cur damnandus sit sacerdos qui per telephonium conditionate absolveret pœnitentem aliquem postquam ab hoc cognoverit se esse subito gravissimoque morbo correptum, de peccatis suis maxime dolere, et ad instrumentum aures applicuisse absolutionem expectaturum. Etenim præsentia moralis et nexus inter materiam et formam in unoquoque sacramento requiruntur utique, sed diverso gradu et modo pro diversitate uniuscujusque ritus. Quoniam autem sacramentum Pœnitentiæ est institutum ad instar judicii forensis ad quod sufficit illa præsentia vi cujus judex et reus possint simul colloqui, non videtur in casu proposito absolutionem esse certo invalidam, siquidem pœnitens et sacerdos possunt dici vero sensu esse colloquentes.—Cf. *Irish Ecclesiastical Record*, Feb., Mar. et Apr. 1883.

QUAER. 8°. *Quid dicendum de absolutione conditionata?*

RESP. Certum est validam esse in omni casu absolutionem sub conditione de *præsenti* vel *præterito* impertitam, modo adsint alia requisita ad sacramenti validitatem: conditio enim nullo modo mutat sensum formæ sacramentalis, quam nullatenus afficit; sed afficit tantum voluntatem confessarii, qui non intendit absolvere nisi impleatur apposita conditio: hac autem impleta, forma evadit absoluta; et proinde nihil reperitur, quod ejus validitati officere possit. Certum pariter est, absolutionem conditionatam esse quandoque licitam; si enim valida sit, etiam licita esse debet, urgente necessitate.

Rejicienda autem est, ut plane laxa, doctrina nonnullorum, qui tenent, conditionatam absolutionem impertiri posse levi qualibet ex causa, ac nulla urgente necessitate, etiamsi de sufficienti dispositione pœnitentis mortalibus quoque peccatis gravati quomodocumque dubitetur. Nemo quippe non videt, quot sacrilegia induceret hujusmodi praxis. Confessarius siquidem jam non esset prudens dispensator sacramentorum, sed projiceret *margaritas ante porcos;* et hac absolvendi facilitate efficeret ut pœnitentes in peccatis tabescerent. Verum non magis admittenda est doctrina eorum qui, cum Collet, et aliis quibusdam, tenent non esse impertiendam absolutionem sub conditione nisi in extrema necessitate seu in extremo vitæ periculo: hujusmodi enim doctrina summe noxia est pœnitentibus, qui difficile ad confessarium reverti

possunt, et dimissi absque absolutione periculum æternæ damnationis incurrunt.

Hinc servatis debitis conditionibus, urgente necessitate, vel stante gravi et proportionata causa, licet absolvere conditionate in sequentibus casibus: 1°. in dubio, an pœnitens sit vivus, vel mortuus; 2°. in dubio materiæ sufficientis, v. gr., urgente præcepto confessionis annuæ, etc.; 3°. in dubio jurisdictionis ex parte confessarii; 4°. in dubio utrum pœnitens rite fuerit absolutus; 5°. in dubio usus rationis in pueris, amentibus, etc.; 6°. in dubio utrum pœnitens sit moraliter præsens; 7°. in dubio an moribundus sensibus destitutus sacramenti capax sit; 8°. in dubio de dispositione pœnitentis, urgente non tantum *extrema*, sed etiam simpliciter *gravi* necessitate spirituali.—Cf. S. Alphons. n. 431. et seqq.—Billuart, diss. 6. art. 10. § 7.—Lacroix, lib. 6. part. 1. n. 78.

PARS SECUNDA

DE SUBJECTO SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

Subjectum, in sacramento pœnitentiæ, essentiale est, non solum quia requiritur aliquis homo viator qui ritum sanctificantem suscipiat, sicut in Baptismo, v. gr., aut in Confirmatione, sed etiam ex alia ratione, quatenus scilicet ab eo dependet subministratio materiæ proximæ; nam superius dictum est materiam proximam hujus sacramenti consistere in actibus pœnitentis. Hi actus tres enumerantur, nempe contritio, confessio, et satisfactio; quare de singulis hic erit dicendum pro praxi.

CAPUT I.

DE CONTRITIONE.

729. Contritio juxta Concilium Tridentinum est "animi dolor et detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero." Hæc definitio præscindit a nova lege, in qua contritio nullam habere potest efficaciam, sine voto confessionis. Quare idem Concilium paulo infra addit "cum voto præstandi reliqua . . . quæ ad rite suscipiendum hoc sacramentum requiruntur." Hinc congruit definitio S. Thomæ: "Dolor pro peccatis assumptus cum proposito confitendi et satisfaciendi."—Cf. Conc. Trid. sess. 14. cap. 4.—S. Thom. *Supplem.* q. 1. art.—S. Alphons. n. 435.—De Augustinis, part. 1. art. 5. p. 43.

Disputant theologi, ut videre est apud S. Alphonsum, num contritio in *dolore* proprie consistat an potius in detestatione, et quis ordo inter hæc duo intercedat; at practice loquendo, parum id refert, nam verendum non est ut alterutrum desit, cum mutuo se supponant. Certum tamen est dolorem animi et detestationem peccati præteritum respicere, propositum vero circa futurum versari. Igitur primo loco dicendum de hoc dolore et detestatione, seu de contritione proprie dicta, et deinde de proposito.

ARTICULUS I.

DE CONTRITIONE PROPRIE DICTA.

730. Contritio duplex distinguitur; scilicet *perfecta* quæ est detestatio peccati orta ex motivo speciali caritatis perfectæ, seu bonitatis Dei propter se summe dilecti; et *imperfecta* seu *attritio*, quæ est detestatio peccati, orta ex alio motivo, v. gr., ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex metu inferni, aut ex amore beatitudinis æternæ. De utraque tria sunt exponenda, nempe necessitas, dotes, et efficacia.

§ I. De necessitate contritionis.

731. ***Dico.*** Contritio vel perfecta cum voto sacramenti, vel imperfecta cum ipso sacramento est *peccatori* necessaria tum necessitate medii ad justificationem consequendam, tum etiam necessitate præcepti, saltem aliquando in vita. Ratio *primi* desumitur ex verbis Christi, Luc. xiii. 3: "Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis." et etiam ex Conc. Trid. sess. 6. cap. 6. ubi *odium* et *detestatio* de peccato recensentur inter præcipuas dispositiones ad justificationem. Ratio autem *secundi* est, tum quia sæpe in Scripturis sermo est de tali præcepto, præsertim, Matth. iii. 2. ubi expresse dicitur: "Pœnitentiam agite;" tum quia existit præceptum naturale faciendi quidquid est necessarium necessitate medii ad salutem.—Cf. S. Thom. 3. q. 86. art. 2.—S. Alphons. n. 334.

732. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *Quomodo et quandonam obligat præceptum contritionis?*

RESP. Præceptum contritionis, supposito semper quod aliquis sit in statu peccati mortalis, obligat graviter, quamvis modo *per se*, modo *per accidens.* Obligat *per se* tum in periculo etiam probabili mortis, propter necessitatem consequendi finem ultimum, tum aliquando in vita, ut jam dictum est, et inferius magis determinabitur. Obligat autem *per accidens*, quando urget aliud præceptum quod sine contritione adimpleri nequit, v. gr., confessionis annuæ; vel etiam quando quis sacramentum suscepturus aut ministraturus est, vel etiam quoties sacramentum Pœnitentiæ recipit solius devotionis causa. Certum tamen est præceptum contritionis non obligare statim post patratum peccatum mortale, quia est affirmativum; est enim de natura præcepti affirma-

tivi ut non obliget statim, quia secus obligaret singulis momentis.—Cf. S. Thom. 4. dist. 17. q. 3. art. 1. q. 4.—S. Alphons. n. 437.—Baller. not. (c) p. 312.

Quaer. 2°. *Quænam est vis illius particulæ* aliquando, *seu quandonam dilatio contritionis peccatum grave inducit?*

Resp. Non conveniunt theologi; nam alii illam producunt ad annum, alii ad sex menses; alii cum S. Alphonso ad unum mensem. Verum addit ipse S. Doctor: "Peccatores præsertim rudes ab hoc peccato dilatæ pœnitentiæ, ob inadvertentiam ut plurimum, imo fere semper excusari possunt."—Videtur autem, non improbabiliter, quod non solum rudes, sed omnes qui præcepto annuæ confessionis satisfaciunt excusari possint, quia non certo constat de obligatione contritionis actum faciendi sæpius quam semel in anno. Qui autem a multis annis non sunt confessi, cum jam implicite hoc peccatum dilatæ pœnitentiæ accusent, non sunt hac super materia necessario interrogandi.—Cf. S. Alphons. n. 437.—Lugo, disp. 15. n. 55.—Salmant. tract. 6. cap. 1. n. 51. et 55.—Pal. punct. 3. n. 10.—Baller. not. (b) p. 313. et not. (a) p. 314.

Quaer. 3°. *An ille qui in articulo mortis suscipit sacramentum Pœnitentiæ cum attritione cognita ut tali, teneatur insuper elicere actum contritionis perfectæ?*

Resp. *Neg.*, probabiliter; ideo enim potissimum teneretur, quia adest absoluta necessitas consequendi ultimum finem: atqui hæc ratio nequit urgeri, quia est moraliter certum justificationem obtineri per solam attritionem cum sacramento: aliunde non tenetur quis uti *medio tutiore,* quando jam adhibuerit medium *simpliciter tutum.* Ergo etc.—Aliqui tamen affirmant adesse obligationem eliciendi actum contritionis, sed *per accidens,* scilicet si moribundo occurreret memoria peccati præteriti; nam, inquiunt, ille tunc non satisfaceret obligationi eliciendi actum perfectæ caritatis, si, occurrente memoria peccati, hoc non detestaretur ex illius motivo. At quia de obligatione eliciendi actum perfectæ caritatis in articulo mortis, cum quis jam obtinuerit justificationem, hinc inde probabiliter disputatur, neque hoc argumentum rem conficit. Quidquid sit, expedit plane ut moribundi excitentur, quantum fieri potest, ad actus perfectæ caritatis, et contritionis eliciendos atque iterandos.—Cf. Baller. not. (b) p. 314.

QUAER. 4°. *An necessarium sit ad valorem sacramenti, ut contritio præcedat ipsam accusationem peccatorum?*

RESP. *Neg.*, et ratio est, quia juxta Rituale Romanum tenetur profecto sacerdos pœnitentem efficacibus verbis ad dolorem adducere, at nonnisi *audita confessione.* Quamvis autem praxis aliquorum fidelium sit, ut cum accusationem persolverint, hac vel simili formula utantur: *de peccatis istis maxime doleo, et me accuso;* attamen nonnisi scrupulosi pœnitentes, a scrupulosis confessariis instructi obligatoriam existimant hujusmodi formulam.—Dixi *a scrupulosis confessariis instructi;* hi enim soli inani fundamento innixi has formulas exigunt ad valorem sacramenti. Inane hoc fundamentum duplex est: etenim objiciunt 1°. contritionem debere esse *sensibilem*, et hoc obtineri per accusationem; at respondetur sensibilitatem contritionis posse manifestari, et de facto manifestari multis aliis modis, præsertim per *petitionem* et *expectationem* absolutionis. Objiciunt 2°. juxta theologos confessionem debere esse *dolorosam;* at respondetur theologos per illam vocem *dolorosam* exigere tantum ut confessio non sit mera peccatorum narratio, sed potius accusatio sui in ordine ad absolutionem recipiendam.—Cf. S. Alphons. n. 445.—Lugo, disp. 14. n. 13. et 18.—Salmant. tract. 6. cap. 5. n. 22.—Baller. not. (a) p. 316.

QUAER. 5°. *Per quantum temporis spatium perduret actus contritionis ita ut valide postea suscipiatur sacramentum?*

RESP. Hoc nequit certo determinari: attamen juxta sententiam communem dicitur posse perseverare per unum diem, et etiam longius, modo non fuerit retractatus per aliud peccatum mortale.—Verum aliqui theologi requirunt præterea, ut fuerit elicitus cum intentione confessionis faciendæ. Quidquid sit, practice loquendo, non sunt inquietandi illi pœnitentes qui cum mane, dum Missam audiebant, vel serius versus meridiem, actum contritionis elicuerint cum intentione confitendi illa die; vespere autem ad confessionem revera accesserint quin contritionem renovaverint. Imo inquietandi non sunt, etiamsi nullum habuissent respectum ad confessionem ea die faciendam, quia neque in illa hypothesi constaret de nullitate confessionis.—Cf. S. Alphons. n. 446. et 447.—Lugo, disp. 14. n. 37. et 40.—Baller. not. (a) p. 318. et not. (a) p. 319.

QUAER. 6°. *An requiratur novus actus doloris ad novam absolutionem recipiendam, quando pœnitens statim post absolutionem peccatum mortale ex oblivione omissum confitetur?*

RESP. Sententia, juxta S. Alphonsum, *communior*, at juxta plerosque graves theologos, *communis, indubitata, moraliter certa* negat id requiri. Nam prior contritio cum non fuerit destructa per receptam absolutionem, certo perseverat, et quia erat universalis, extendebatur etiam ad peccatum illud ex oblivione omissum, et nunc iterum manifestatur in ipso actu novæ accusationis.—Verum S. Alphonsus sententiam affirmantem habet ut *probabiliorem*, quia dolor debet esse non solum elicitus, sed etiam elicitus in ordine ad absolutionem. Quare in praxi ante factum, si quis non habet sententiam negantem ut moraliter certam, oportet ut novum exquirat a pœnitente actum contritionis; quod quidem facillime præstabit dum ad novam absolutionem impertiendam manum attollit.—Cf. S. Alphons. n. 448.—Baller. not. (a) p. 320.

§ II. De dotibus contritionis.

733. ***Dico.*** Dotes necessario requisitæ ad validitatem contritionis tum perfectæ, tum imperfectæ, quatuor numerantur; requiritur scilicet ut sit interna, supernaturalis, summa, universalis. Igitur 1°. debet esse *interna* seu *vera*, id est corde et animo vere concepta, juxta illud Joel. ii. 13: "Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra;" 2°. debet esse *supernaturalis*, id est, elicita per auxilium gratiæ, et ex motivo quod aliquatenus ad Deum referatur, quia secus nullo modo posset disponere ad justificationem obtinendam; 3°. debet esse *summa*, quatenus scilicet peccator *appretiative* detestetur crimen suum plus quam omne aliud malum, et animo paratus sit omnia potius perdere et pati, quam peccatum patrare; 4°. debet esse *universalis*, nempe extendi debet ad omnia peccata gravia vel ex motivo universali unico, vel ex pluribus motivis particularibus, quæ saltem simul sumpta se extendant ad omnia mortalia commissa, etiam memoriæ non occurrentia; nam nullum peccatum actuale remittitur sine dolore, unum autem mortale sine alio remitti nequit, cum remissio fiat per infusionem gratiæ, quæ cum mortali simul stare non potest.

734. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *An contritio non solum* appretiative, *sed etiam* intensive *summa esse debeat?*

Resp. *Neg.*, quia intensitas doloris, seu affectus vel conatus major vel minor, est quid mere accidentale in contritione. Præterea si intensitas ista requireretur, deberet esse vel *absolute* summa, vel *relative;* si primum, contritio esset impossibilis, quia semper concipere possumus gradum majorem intensitatis: si alterum, sequeretur posse fieri ut contritio, quæ hodie bona est et sufficiens, cras insufficiens inveniatur; quod sane repugnat. Sufficit igitur ut contritio sit *appretiative* summa, id est, ut peccatum æstimatione seu voluntate seria præ cæteris odio habeatur; ac proinde omnis anxietas ab illis abjicienda est, qui vehementiorem sensum doloris experiuntur ex morte alicujus amici, quam ex offensa Dei.—Cf. S. Alphons. n. 441. et 442.—Lugo, disp. 5. n. 84. et 87.—De Augustinis, part. 1. Thes. 6. p. 64.

Quaer. 2°. *An requiratur comparatio* formalis *in appretiatione inter varia mala et peccatum, vel Deum?*

Resp. *Neg.*, nam sufficit ut peccator sincere et vere peccata detestetur, et nolit amplius peccare. Quare valde imprudenter agerent confessarii qui, ad dolorem, summusne sit, explorandum, pœnitentibus quasdam comparationes proponerent valde periculosas, v. gr., mallesne vivus comburi, vel omnia martyrum tormenta subire, aut reptilia venenosa manducare, quam iterum peccare? Tales enim comparationes vividius phantasiam movent, et accedente valida tentatione, facile amittitur vera dispositio quæ antea existebat. Imo S. Thomas non tantum *imprudentiæ* sed etiam *stultitiæ* accusat hujusmodi confessarios. Præterea quoniam pro aliquibus personis ipsa idea mortis solet phantasiam nimium turbare, generatim loquendo, non oportet pœnitentem interrogare num paratus sit potius mori, et centies mori quam Deum offendere.—Cf. S. Thom. Quodl. 1. art. 9.—S. Alphons. n. 433.—Baller. not. (a) p. 328.

Quaer. 3°. *Quænam temporis diuturnitas ad veram ac summam contritionem concipiendam exigatur?*

Resp. Nulla *per se*, quia diuturnitas non pertinet ad essentiam actus, sed est ipsi mere accidentalis: quamobrem satis est ut actus sit substantialiter impletus; quod minimo etiam tempusculo fieri potest. Tutius tamen est actum contritionis elicere intensiorem et productiorem; ne forte ex levitate aut nimia festinatione nullus quoad substantiam concipiatur.—Cf. S. Alphons. n. 433.

Quaer. 4°. *An contritio de venialibus debeat gaudere quatuor iisdem dotibus?*

Resp. Debet gaudere necessario tribus prioribus; scilicet 1°. debet esse *interna*, quia contritio quæ ex intimo corde non elicitur, vera non est; 2°. debet esse *supernaturalis*, quia, ut dictum est, contritio naturalis nequit esse medium ad effectum supernaturalem; 3°. debet etiam esse *summa*, seu debet peccator detestari peccatum veniale plus quam mala naturalia omnia. Non autem debet necessario esse *universalis*, sive in sacramento, sive extra sacramentum. Ratio est, quia cum peccatum veniale non sit incompossibile cum gratia sanctificante, unum veniale potest remitti sine aliis.—Cf. S. Alphons. n. 449.

Quaer. 5°. *An attritio* formidolosa, *seu ex metu gehennæ concepta, sufficiat ad justificationem in sacramento Pœnitentiæ?*

Resp. *Affirm.*, modo sit vere supernaturalis, absolute efficax, et tantum *materialiter* non vero *formaliter* seu *serviliter servilis*. Ratio est, tum quia hujusmodi attritio est vera conversio ad Deum, et vera aversio a peccato, tum quia hoc clare eruitur ex Conc. Trid. sess. 14. cap. 4., ubi dicitur attritionem conceptam ex metu gehennæ et pœnarum esse honestam et disponere peccatorem ad justificationem in sacramento Pœnitentiæ obtinendam. Attritio porro vocatur *formaliter* seu *serviliter servilis*, ubi quis de peccato quidem dolet, illudque vult vitare ob pœnas, quas a Deo infligendas novit; adhuc tamen paratus esset peccare, si pœnæ istæ non subsisterent. Dicitur vero *materialiter* seu *simpliciter servilis*, ubi quis ob pœnarum quidem timorem a peccato abstinet, non tamen ita dispositus est, ut vellet peccare, si pœnæ illæ non essent.—Cf. De Augustinis, part. 1. Thes. 8. p. 90.

Quaer. 6°. *An sufficiat attritio ex metu pœnarum Purgatorii pro peccatis venialibus?*

Resp. *Affirm.*, cum sententia communissima et moraliter certa; quia rationes omnes superius adductæ pro sufficientia attritionis ex metu gehennæ, hic quoque valent.

Quaer. 7°. *An sufficiat attritio ex metu pœnarum temporalium hujus vitæ pro peccato subeundarum, prout a Deo infliguntur?*

Resp. *Affirm.*, cum sententia quæ videtur moraliter certa, modo talis attritio sit supernaturalis. Ratio est, tum quia in Conc. Trid. dicitur: "Attritio ex metu gehennæ, et pœnarum," ac proinde sicut

certo sufficit solus metus gehennæ, ita sufficere debet solus metus pœnarum; tum quia in ejusmodi metu omnes veræ attritionis conditiones adesse possunt. Attamen S. Alphonsus sententiæ neganti tribuit aliquam probabilitatem, quam si quis admittit, nequit in praxi et ante factum attritione illa esse contentus.—Cf. Baller. not. (a) p. 331.

QUAER. 8°. *An ad justificationem in sacramento Pœnitentiæ obtinendam cum attritione etiam initium amoris requiratur?*

RESP. *Neg.*, si per initium amoris intelligatur aliquis gradus caritatis perfectæ, qua Deus super omnia diligitur. Ratio est, quia ad rite suscipiendum sacramentum non prærequiritur necessario actus, qui extra sacramentum essentialiter justificet. Concedi autem potest initium aliquod amoris requiri, quatenus attritio, ut ad sacramentum disponat, excludere debet, ut Synodus Tridentina loquitur, peccandi voluntatem; et debet etiam conjunctam habere veniæ, seu justificationis a Deo obtinendæ spem, qua peccator *incipit Deum diligere tanquam omnis justitiæ fontem.*—Cf. S. Alphons. n. 440.—De Augustinis, part. 2. Thes. 19. p. 238.

§ III. De efficacia contritionis.

735. ***Dico*** 1°. Contritio perfecta hominem justificat etiam extra sacramentum Pœnitentiæ, at non sine voto hujus sacramenti. Ratio *primi* est, quia perfecta contritio includit perfectam caritatem quæ importat conjunctionem cum Deo. Ratio *secundi* est, quia sacramentum Pœnitentiæ est unicum medium a Christo institutum ad remissionem peccatorum.—Cf. De Augustinis, part. 1. Thes. 5. p. 45.

Dico 2°. Attritio extra sacramentum Pœnitentiæ peccatorem justificare nequit; at, si cum sacramento conjungatur tanquam prærequisita dispositio, sufficit ad obtinendam veniam peccatorum. Ratio *primi* est, quia attritus licet a creaturis discedat, primosque conversionis ad Deum gressus exordiatur, nondum tamen est perfecte ad ipsum conversus, et per amorem conjunctus. Ratio autem *secundi* est, quia tunc nihil deest quominus sacramentum suum producat effectum. Quare attritio in sacramento non justificat propria virtute, sed tantum simul cum ceteris partibus, maxime cum absolutione sacerdotis.—Dicitur autem in hoc casu pœnitentem *ex attrito evadere contritum*, non *proprie* et *formaliter*,

sed quoad *æquivalentiam* et *effectum*.—Cf. De Augustinis, part. 1. Thes. 9. p. 90., et part. 2. p. 249. Scholion II.

736. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *An votum confessionis debeat esse* explicitum *in contritione?*

RESP. *Neg.*, cum sententia communi. Ratio est, quia ad remissionem sufficit, ut quis vere conjungatur toto corde cum Deo per contritionem perfectam; Deus enim, ut patet ex dictis, rejicere nequit peccatorem toto corde et ex perfectissimo motivo ad se accedentem; atqui fieri potest aliquando, ut peccator eliciat actum perfectæ contritionis, quin cogitet de confessione, sive ex inadvertentia vel oblivione naturali, sive ex ignorantia invincibili. Ergo ad remissionem peccati per contritionem non est essentiale, ut votum confessionis sit explicitum.—Cf. S. Alphons. n. 437.—Salmant. cap. 2. n. 23.

QUAER. 2°. *An contritio remittat non tantum culpam, sed etiam pœnam culpæ debitam?*

RESP. Remittit certo pœnam æternam, quia homo justificatus per contritionem nequit remanere reus æternæ damnationis. Insuper juxta majorem vel minorem ejusdem intensitatem remittit etiam partem pœnæ temporalis deletis mortalibus vel venialibus debitæ. Proinde contritio perfecta valde intensa etiam omnem pœnam potest abolere; sed non necessario ex natura sua hanc efficaciam habet. Eruitur ex Conc. Trid. sess. 6. cap. 14., et sess. 14. *de Pœnit.* cap. 8. et can. 12.

QUAER. 3°. *An attritio remittat peccata venialia extra sacramentum?*

RESP. Controvertitur, sed probabilius affirmandum videtur. Ratio est, 1°. quia ex Conc. Trid. variis modis remitti possunt peccata venialia: ergo non sola contritione perfecta remittuntur; 2°. quia in opposita sententia non facilius remitterentur peccata venialia, quam mortalia: hoc autem sensui fidelium adversatur; 3°. quia vis remittendi venialia communiter tribuitur sacramentalibus; falso autem tribueretur, si ad ea delenda contritio requireretur. Negant tamen non pauci, quia ex Trid. sess. 14. cap. 5. peccata venialia *utiliter* in confessione accusantur; non autem accusarentur *utiliter* si attritione remitti possent. Ergo, etc. Sed merito reponitur peccata venialia *utiliter* exponi in confessione aliis quoque de causis, nimirum ob remissionem pœnæ, ob meritum confusionis, ob emolumentum directionis, etc.—Cf. De Augustinis, part. 1. art. 9. p. 105.

ARTICULUS II.

DE PROPOSITO NON PECCANDI DE CÆTERO.

737. **Dico.** Propositum non peccandi de cætero, saltem implicitum est absolute necessarium ad peccati remissionem. Ratio est, quia secus contritio ipsa esset illusoria, nam peccatum vere non detestatur qui animum habet illud iterum committendi. Verum autem propositum triplici conditione gaudere debet; scilicet requiritur ut sit firmum, efficax et universale. Debet igitur esse:

1°. *Firmum*, scilicet pœnitens habere debet sinceram voluntatem non relabendi in peccatum, non obstante quocumque incommodo, aut timore humano; secus enim non vellet totaliter et sincere ad Deum converti. Non debet tamen confessarius animum pœnitentis tentare, adhibitis comparationibus, aut propositis incommodis et particularibus quibusdam difficultatibus ad perturbandam ejus phantasiam idoneis.

2°. *Efficax*, id est, pœnitens non tantum firmiter statuere debet se amplius peccare non velle, sed etiam adhibere media necessaria ad peccatum vitandum, fugiendasque proximas occasiones, etc., etc. — Sufficit autem ut propositum sit efficax *affective*, id est, sufficit ut peccator sit animo paratus ad media necessaria adhibenda; quia futura de facto emendatio non est de essentia propositi.

3°. *Universale*, seu extendi debet ad omnia peccata mortalia non patrata modo, sed etiam quæ patrari possent. Ratio est, quia plena et vera ad Deum conversio dari nequit absque lethalis cujuslibet peccati aversione.

738. **Quæsita.**—Quaer. 1°. *An propositum, ut sit firmum, debeat insuper constans reperiri?*

Resp. *Neg.*, saltem absolute et generatim loquendo. Ratio est, quia propositum afficit præsentem voluntatem, quæ ex natura sua alioqui variabilis est. Hinc ex relapsu post confessionem colligi per se nequit propositi infirmitas.—Dixi *absolute et generatim loquendo;* nam si pœnitens statim et sine ulla fere resistentia relabatur, indicium aliquod, vel saltem suspicionem aliquando præbere potest, quod proposito vere firmo caruerit; qui enim firmiter proponit, fere non adeo

facile sui propositi obliviscitur, sed constans saltem per aliquod tempus perseverare solet, et conatus adhibere ad resistendum tentationibus vel peccati occasionibus, et proinde ordinarie difficilius rariusque cadit.—Cf. S. Alphons. n. 451. et 459.—Lugo, disp. 14. n. 160. et seqq.

QUAER. 2°. *An firmum censeri queat propositum illius qui habet quidem animum non peccandi, pertimescit tamen, et quodammodo prævidet se relapsurum?*

RESP. *Affirm.*, generatim loquendo: non enim impedit sinceram voluntatem timor, qui ex præterita fragilitate, et humanæ voluntatis inconstantia ingeritur. Hinc verum habet propositum pœnitens ille, qui confessario interroganti de voluntate non peccandi respondet: *Fragilis sum, formido lapsum, non tamen illum nunc volo.* In praxi vero indoles pœnitentis inspicienda est: reperies enim non raro peccatores asseverantes se relapsuros, qui idcirco timent, ne propositum satis firmum non habeant, nec tamen aliud ostendunt præter relabendi timorem, suique diffidentiam. Hujusmodi pœnitentibus inculcandum est, non agi de his quæ forte sint eventura, sed de actuali voluntate, et de fiducia in auxilio divino reponenda.—Cf. Lacroix, lib. 6. part. 2. n. 1733.—Baller. not. (a) p. 344.

QUAER. 3°. *An ad sacramentum Pœnitentiæ rite suscipiendum requiratur propositum explicitum?*

RESP. Valde controvertitur inter theologos. *Prima* sententia absolute affirmat; quia licet dolor necessario includat propositum, attamen explicitum requiri videtur a Tridentino aiente: "cum proposito non peccandi de cætero." *Altera* sententia absolute negat; quia si propositum *vere* et *proprie* continetur in dolore, quod certum omnino est, nihil amplius requiri debet: verba autem Conc. Trid. dicunt patroni hujus sententiæ, non indicare necessitatem propositi *expliciti*, sed tantum quod dolor, ut sit verus, debeat continere animum firmum non peccandi de cætero, scilicet conjungi cum proposito. Accedit auctoritas Conc. Romani sub Benedicto XIII., quod in Instructione pro pueris sacramentum Pœnitentiæ recepturis ad calcem Decretorum subjecta, requirit tantum ad valorem sacramenti ut habeatur propositum saltem *implicitum.* Hæc sententia propugnatur a plurimis et præclarissimis theologis, et a quibusdam illorum vocatur *communis, moraliter certa,* aut etiam *verissima.* *Tertia* demum sententia, quam S. Alphonsus *communem* dici testa-

tur, docet quod si pœnitens cogitet de vita futura, debet formaliter proponere emendationem; secus autem si nihil de futuro cogitet. Etenim si cogitet de futuro, consentiunt omnes vix fieri posse, ut sincere pœnitens doleat quin simul propositum explicitum et formale non eliciat.

Hisce sententiis expositis, ita suum judicium profert S. Alphonsus: "Illæ duæ ultimæ sententiæ sunt quidem probabiliores; sed quia prima non caret sua probabilitate, in praxi ante factum tutius sequenda est." Præterea quoniam, teste eodem S. Doctore, plerique etiam eorum qui pro prima sententia allegantur, utut ipse non acquiescat, consentiunt quod si bona fide cum vero dolore confessus fueris sine proposito formali, non tenearis confessionem repetere, jam hæc erit unica conclusio practica facilis simul et tuta:—ante factum eliciatur propositum explicitum, præsertim si quis de futura vita cogitet; post factum autem nemo est inquietandus.—Cf. S. Alphons. n. 450.—Salmant. cap. 5. n. 54. —Layman, cap. 4. n. 6.—Baller. not. (a) p. 346. et not. (c) p. 347.

Quaer. 4°. *Quale propositum requiratur et sufficiat ad valorem sacramenti ubi venialia tantum accusantur?*

Resp. Idem dicendum est de proposito ac superius dictum est de dolore requisito cum venialia tantum accusantur; ac proinde sicut certum est non requiri propositum circa omnia venialia, quia hæc compossibilia sunt cum infusione gratiæ, ita certum est requiri et sufficere propositum circa unum tantum ex iis quæ accusantur, sive sit aliquod veniale ab ultima confessione commissum, sive sit aliquod veniale aut mortale vitæ præteritæ, et sæpe jam accusatum, etsi accusatio ista fiat tantum secundum speciem etiam infimam. Imo non solum hoc sufficit, sed expedit etiam ut ex pluribus venialibus quæ accusantur, unum aliquod præcipuum seligatur, ad quod detestandum et emendandum præ cæteris animus applicetur.—Cf. Sporer, n. 339.—Elbel, n. 113. et seqq.

CAPUT II.

DE ACCUSATIONE PECCATORUM SEU DE CONFESSIONE.

ARTICULUS I.

DE NECESSITATE CONFESSIONIS.

739.* ***Dico.*** Confessio seu manifestatio peccatorum sacerdoti facta in ordine ad absolutionem eorum obtinendam est omnibus qui post Baptismum in peccatum aliquod mortale lapsi sunt, omnino necessaria tum de jure divino tum de jure ecclesiastico. *Primum* constat ex Conc. Trid. sess. 14. can. 6. ubi sic legitur: "Si quis negaverit confessionem sacramentalem .... ad salutem necessariam esse jure divino; aut dixerit, modum secrete confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia catholica ab initio semper observavit et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi, et inventum esse humanum; anathema sit." *Alterum* autem constat ex multis Conciliis sed præsertim ex Conc. Later. IV. sub Innoc. III. his verbis: "Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus pec cata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti, et injunctam sibi pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere ...; alioquin vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, et moriens christiana careat sepultura."

740. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *Quomodo et quandonam urgeat præceptum divinum confessionis?*

RESP. Supposito semper peccato aliquo mortali, præceptum confessionis obligat tum per se, tum per accidens: *per se* quidem in periculo, eoque magis in articulo mortis, et aliquando in vita. Ratio *primi* est, quia omnia præcepta positiva obligant saltem tempore necessitatis, secus enim frustra imponerentur; et ratio *secundi*, quia si Christus tantum moribundos obligasset ad confessionem, jam non posset dici, ut communiter docetur, et certo tenendum est, Ecclesiam obligando fideles ad annuam confessionem, præceptum ipsum divinum magis explicite determinasse.—*Per accidens* autem obligat 1°. cum Eucharistia suscipienda est; 2°. quando urget præceptum se reconciliandi cum Deo, vel requiritur status gratiæ, v. gr., ad sacramenta administranda, vel ad ea recipienda, quæ dicuntur *vivorum*, nec elici

potest actus contritionis perfectæ; 3°. quando urget gravis tentatio, quæ secus superari nequeat.—Cf. S. Alphons. n. 663.—Lacroix, lib. 6. part. 2. n. 2020.

QUAER. 2°. *An unquam possit fieri confessio scripto, vel nutibus aut signis?*

RESP. Certum est, confessionem posse fieri valide nutibus aut signis; et, justa interveniente causa, etiam licite. Ad scriptum autem quod attinet tres casus sunt sedulo distinguendi. *Primus* est cum confessio simul et absolutio fiant scripto. *Alter* casus est cum vel confessio vel absolutio fiat separatim per epistolam. *Tertius* demum est cum pœnitens, scripta confessione, eam det vel mittat ad confessarium ut legat, et postea genuflexus coram eo dicat: *accuso me de omnibus peccatis quæ legisti.*—Porro in primo et secundo casu sacramentum esset non solum illicitum sed et invalidum, tum quia, in primo casu saltem, nulla haberetur forma, tum quia ita constat ex Decreto Clem. VIII. dato 20. Jun. 1602., quod ita se habet: "Sanctissimus Dominus Noster . . . hanc propositionem, scilicet licere per litteras, seu internuncium, confessario absenti, peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minus ut falsam, temerariam et scandalosam, damnavit ac prohibuit, præcepitque ne deinceps ista propositio publicis privatisque lectionibus, concionibus et congressibus doceatur, neve unquam, tanquam aliquo casu probabilis, defendatur, imprimatur, aut ad praxim quovis modo deducatur."— Quod Decretum istud intelligi debeat non solum *copulative* sed etiam *disjunctive*, scilicet cum sive absolutio, sive confessio tantum fiat scripto, constat ex authentica declaratione facta a Paulo V. in C. S. Officii. die 14. Julii, 1605.—Quod autem S. Pontifex voluerit declarare sacramentum esse non solum illicitum, sed etiam invalidum, constat ex tenore verborum et ex communi theologorum interpretatione.—In tertio autem casu sacramentum esset validum et, data justa causa, v. gr., vehementissima repugnantia, etiam licitum. Ratio est, quia tunc confessio proprie verbis fieret sacerdoti præsenti per illam formulam: *accuso me de omnibus peccatis quæ legisti.*—Cf. S. Alphons. n. 428. et 429.—Viva, vol. 3. p. 577.—De Augustinis, part. 2. Thes. 21. p. 266.

ARTICULUS II.

DE INTEGRITATE CONFESSIONIS.

741. Duplex distinguitur integritas, alia *materialis*, alia *formalis*. Prima sita est in accusatione omnium peccatorum mortalium, quæ commissa sunt; altera autem, scilicet formalis, consistit in accusatione omnium mortalium, quæ quis hic et nunc, spectatis circumstantiis, moraliter confiteri potest, vel tenetur. Hinc quoties habetur integritas materialis, habetur etiam formalis; sed non vice versa.

§ I. De necessitate integritatis confessionis.

PUNCTUM I.

De necessitate integritatis in genere.

742. ***Dico.*** Quamvis integritas materialis non semper requiratur quia est quandoque vel physice, vel moraliter impossibilis, Deus autem impossibilia non jubet; attamen integritas formalis est de jure divino absolute necessaria. Constat ex Conc. Trid. sess. 14. cap. 5. ubi hæc habentur: "Universa Ecclesia semper intellexit institutam esse a Domino integram peccatorum confessionem, et omnibus post Baptismum lapsis jure divino necessariam existere; quia Dominus noster Jesus Christus e terris ascensurus ad cœlos, sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tanquam præsides et judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint; quo, pro potestate clavium, remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient. Constat enim sacerdotes judicium hoc, incognita causa, exercere non potuisse, si in genere dumtaxat, et non potius in specie, ac singillatim, sua ipsi peccata declarassent. Ex his colligitur, oportere a pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima sint." Et can. 7. definitum est ita: "Si quis dixerit in sacramento Pœnitentiæ, ad remissionem peccatorum necessarium non esse de jure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta et quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, et circumstantias quæ speciem peccati mutant . . . anathema sit."

743. ***Quæsita.***— Quaer. 1°. *An necessitas integritatis requirat accusationem peccatorum secundum species infimas?*

Resp. *Affirm.*, prorsus, quia species infimæ proprie species dicuntur, et de illarum accusatione *proprie* loquitur Concilium Tridentinum, ac proinde non sufficit manifestare tantum species genericas, quod nempe castitatem aut religionem læseris, sed addere oportet circumstantias omnes propriam speciem inducentes. Hoc autem non importat quod si quis non possit aut non teneatur hic et nunc speciem infimam manifestare, excusetur etiam a manifestanda specie generica. Quare si quis sciens se peccasse contra castitatem sed non possit aut non teneatur hic et nunc dicere num fuerit cum viro aut fœmina, cum soluta aut conjugata, tenetur nihilominus dicere se contra castitatem peccasse. Ratio est, quia secus non haberetur integritas formalis.

Quaer. 2°. *Quomodo satisfaciendum sit integritati cum nequeat quis ad præcisum numerum devenire?*

Resp. Qui recordari nequit de numero certo, tenetur accusare numerum probabiliorem, seu qui magis accedit ad veritatem, addendo particulam *circiter;* quia ubi deest certitudo, illud quod verisimilius est, accusari debet. Cæterum bene monet S. Alphonsus, confessarium non debere esse nimis anxium circa exquirendum numerum peccatorum in pœnitente consuetudinario, quia est sæpe impossibile talem numerum certum habere. Diligenter potius exquirat statum conscientiæ interrogando, num frequenter an raro peccaverit; quoties *circiter* in mense, in hebdomada, in die, etc.—Cf. S. Alphons. n. 466.

Quaer. 3°. *Qualis numerus censeatur comprehendi in particula* circiter?

Resp. Non potest regula omnino certa id determinari; non tamen comprehenditur qualiscumque excessus, nec notabilis defectus: sed modicus tantum, major tamen vel minor proportionate ad numerum expressum. Sic autem statuitur a S. Alphonso: Modicus excessus, vel defectus erit, relative ad *quinque circiter* peccata, unitatem unam hinc inde addere vel demere; relative ad *circiter decem*, duas; relative ad *viginti*, tres vel quatuor; relative ad *quadraginta*, quatuor vel quinque; relative ad *centum*, quinque vel sex . . . ; censebiturque prudenter in primo casu pœnitens quater, quinquies, vel sexies, peccasse; in secundo vero octies, novies, decies, undecies, vel duodecies peccasse, et similiter

de aliis resolves.—Adverte tamen aliquando ex ipso statu pœnitentis facile erui posse numerum peccatorum. Sic, v. gr., ubi vir se accusat quod per tres annos in concubinatu vixerit, aut mulier quod per sex menses questum corporis exercuerit, nihil est quod amplius exquiratur numerus peccatorum commissorum in eo statu.—Cf. S. Alphons. n. 466.

QUAER. 4°. *Ad quid teneatur pœnitens qui, post peractam confessionem in qua usus est particula* circiter, *invenit exactum numerum peccatorum?*

RESP. Distinguendum est: Si peccata quorum nunc recordatur sunt certe plura quam numerus accusatus simul cum particula *circiter*, tunc in proxima confessione, debet addere numerum excedentem, quia iste nullo modo fuit manifestatus: secus ad nihil tenetur. Ad nihil pariter tenetur, si inveniat peccata commissa pauciora fuisse, et ipse bona fide numerum exaggeraverit.—Dixi *bona fide;* nam si mala fide egerit, *per se* grave sacrilegium commisit. Quamvis enim a peccato gravi excusatur mendacium in ipsa confessione prolatum, et quod non attingit materiam necessariam ipsius confessionis, quia neque est pœnitenti damnosum, nec sacramento graviter injuriosum; aliter tamen dicendum si mendacium versatur circa materiam necessario in ipsa confessione exprimendam.—Cf. S. Alphons. *Hom. Ap.* n. 34.—Reuter, n. 313.

QUAER. 5°. *An officiat integritati confessionis, si quis accuset venialia confessario ordinario, mortalia vero alteri?*

RESP. *Neg.*, dummodo absolutionem nunquam recipiat, quin omnia mortalia uni manifestaverit, et ab eodem absolvatur. Ratio est, quia integra est illa confessio, quæ omnia mortalia complectitur, cum venialia non sint necessario accusanda. Quare in praxi non sunt damnandi de integritate non servata qui aliquando graviora peccata ignoto confessario confitentur, leviora vero ordinario subjiciunt, si ex pudore, quo suffunderentur cum confessario familiariter cognito, periculo se committerent sacrilege confitendi.—Dixi *de integritate non servata,* quia sane damnandi essent ex alia ratione, v. gr., si juvenes statum clericalem aut religiosum amplexuri ita agentes proprium confessarium decipiunt.—Cf. S. Alphons. n. 471.

QUAER. 6°. *An officiat integritati, si quis simulet aliam vocem, ne a confessario agnoscatur?*

RESP. *Neg.*, per se; dummodo enim omnia mortalia aperiat, confessionem integram peragit. Nec necesse est, ut a confessario nominatim cognoscatur; sufficit enim ut confessarius præsentem peccatorem absolvere intendat: intentio autem confessarii *per se* semper ad pœnitentem præsentem est determinata.—Cf. Lacroix, *de Sacram. in genere*, n. 68.

PUNCTUM II.

De peccatis dubiis.

Dubium hic versari potest præcipue 1°. circa actum peccati, seu circa peccatum commissum; 2°. circa gravitatem peccati, tum ex parte materiæ, tum ex parte assensus; 3°. circa confessionem peccati certo commissi.

744. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *An necessario accusanda sint peccata mortalia non certo sed probabiliter tantum commissa?*

RESP. *Neg.*, probabilius, si, præhabito diligenti examine, dubium perseveret. Ratio est, quia nequit imponi obligatio nisi de ea certo constat. Et sane ex Tridentino accusari debent peccata mortalia quorum *habetur conscientia*: atqui non habetur conscientia peccatorum dubiorum; habere enim conscientiam importat notitiam certam peccati, cum conscientia nihil aliud sit, quam certa scientia et judicium de peccato commisso. Ergo, etc.—Cf. S. Alphons. n. 473. et 476.—Sporer, n. 389.—Roncaglia, cap. 2. quæst. 7.—Reuter, n. 305.

QUAER. 2°. *An sint accusanda peccata certo quidem commissa, sed de quorum gravitate probabilis tantum habetur ratio?*

RESP. *Neg.*, probabilius, *per se*, inspectis scilicet principiis probabilismi. Ratio eadem est, ac pro quæsito præcedente; nam cum non constat de peccato gravi commisso, nec de obligatione confessionis constare potest. In praxi autem attendendum est ad duas sequentes regulas:

Regula I. In dubio an materia peccati sit gravis, pœnitentes rudes ordinarie debent dubia accusare, 1°. quia fere non possunt per seipsos conscientiam efformare; 2°. quia plerumque non norunt distinguere venialia a mortalibus. Excipe tamen scrupulosos, qui mortalia

committere frequenter non solent. Pœnitentes vero instructi non tenentur dubie gravia accusare, quia per seipsos conscientiam efformare possunt; nihilominus ad hæc quoque accusanda, ordinarie suaviter hortandi sunt.

Regula II. In dubio de consensu pleno aut advertentia perfecta, 1°. si pœnitentes sint timoratæ conscientiæ, nec soleant graviter peccare, nullo modo tenentur peccata dubia confiteri, quia ipsis favet præsumptio, quæ *ex ordinarie contingentibus* habetur; imo sæpe sunt ab hac accusatione impediendi, si ad scrupulos propensi videantur; 2°. si pœnitentes mediam viam servent inter timoratam et laxam conscientiam, non sunt quidem obligandi, sed utique inducendi ad consensum dubium declarandum, quia illud prodest ad conscientiæ tranquillitatem, etc.; 3°. si pœnitentes sint laxæ conscientiæ, generatim peccata dubia declarare debent, quia ipsis præsumptio adversatur.—Cf. S. Alphons. n. 476.

QUAER. 3°. *An necessario accusanda sint peccata certo quidem commissa et certo etiam gravia, at probabiliter tantum confessa?*

RESP. Valde controvertitur: alii, quos inter S. Alphonsus, dicunt hujusmodi peccata esse declaranda, quia obligatio confessionis est certa, ejus autem adimpletio dubia. Negant autem plures alii Doctores, ita ut Lugo affirmare potuerit: "*Communiter docent omnes* non teneri [quempiam] ad confitendum peccatum quod probabiliter judicat se confessum jam fuisse." Ratio autem est, quia lex cui probabiliter jam satisfactum est, cum non sit amplius *certa* et *integra*, nequit sibi vindicare integram obedientiam et certam obligationem parere. Ita quidem quoad obligationem, nam in praxi consulenda est repetitio confessionis ad pacem conscientiæ procurandam, et animi anxietates removendas: nisi tamen fiat ut hoc pacto anxietas anxietati superaddatur.—Cf. Lugo, disp. 16. n. 58. et seqq.—Baller. not. (c) p. 367., et not. (a) p. 368.—S. Alphons. n. 477.

QUAER. 4°. *An qui confessus est aliquod peccatum tanquam dubium, debeat illud repetere, si illud ut certum postea cognoscat?*

RESP. Affirmabant olim communiter Doctores; at hodie valde controvertitur: et sententia negans solide probabilis apparet. Ratio deducitur ex iis quæ superius dicta sunt de numero peccatorum declarando; nam sicut exposito semel numero peccatorum dubio cum

particula *circiter*, non teneris amplius ad certum numerum, quem postea detexisti, in confessione declarandum, modo excessus non sit notabilis; ita neque peccatum, quod tanquam dubium accusasti, teneris certo postea cognitum in confessione repetere: nullum enim est inter utrumque casum discrimen, cum etiam in numero dubio peccata quædam ut dubia declarentur: nec species magis, quam peccatorum numerus, sit aperienda. Insuper peccatum dubium fuit directe remissum, cum remissum fuerit vi absolutionis, cui, ut erat in conscientia, subjectum est. Ergo necesse non est, iterum clavibus illud subjicere.—Cf. Lugo, disp. 16. n. 78.—Sporer, n. 397.—Elbel, n. 274.— Reuter, n. 332. —Baller. not. (b) p. 368.

PUNCTUM III.

De circumstantiis peccatorum.

745. Circumstantiæ peccatorum varie distinguuntur. Etenim 1°. aliæ *speciem mutant*, quæ scilicet ratione sui addunt actui malitiam specie distinctam ab ea quam actus habet ratione objecti; sic voti aut matrimonii circumstantia addit fornicationi malitiam sacrilegii vel adulterii; 2°. aliæ sunt *aggravantes* tantum, sed notabiliter, aut leviter, prout vel notabiliter vel leviter intra eamdem speciem malitiam actus peccaminosi augent ratione durationis, intensitatis, gradus, modi, temporis, personæ, loci, etc; et demum 3°. aliæ sunt *imminuentes* utpote quæ minorem peccati malitiam reddunt, v. gr., defectus advertentiæ, etc.—Cf. quæ dicta sunt supra n. 26.

746. ***Dico.*** Sicut certum est, accusandas esse circumstantias *speciem mutantes*, si peccatum trahunt in aliam speciem peccati lethalis; ita certum pariter est non esse necessario accusandas circumstantias *leviter* aggravantes, licet eas exponere interdum melius sit. Ratio *primi* est, quia tunc habetur proprie novum peccatum mortale: ratio autem *secundi* est, quia peccata venialia non sunt materia necessaria sacramenti Pœnitentiæ.

747. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *An necessario accusandæ sint circumstantiæ* notabiliter aggravantes *malitiam peccatorum mortalium intra eamdem speciem?*

RESP. *Neg.*, communius et probabilius. Ratio est, quia Conc. Tri-

dentinum loquitur tantum de circumstantiis, quæ *peccati speciem mutant*, ac proinde videtur excludere obligationem confitendi alias circumstantias. Adde quod secus tum pœnitentes tum confessarii inter angustias semper fluctuarent, cum difficile sit distinguere, quænam sint circumstantiæ notabiliter aggravantes; nulla enim regula, plerumque saltem, assignari potest, ex qua dignoscantur, v. gr., pro duratione, intensitate, modo, etc. Præterea rationes quibus sententia affirmans innititur facile diluuntur.—Cf. S. Alphons. n. 467.—Baller. not. (d) p. 372. et notas (a) et (b) p. 373.

Ceterum in praxi solent fideles, ordinarie loquendo, notabiliores circumstantias declarare; quod quidem sicut ad majorem conscientiæ pacem, sic etiam ad uberiorem fructum percipiendum confert, tum ratione humilitatis in ipsa confessione, tum ratione directionis, quam congruentiorem recipiunt.—Verum si sermo sit de circumstantiis peccatorum contra sextum præceptum, non solum de ipsis inquirendum non est, sed nec permittendum quidem ut exponantur, propter periculum quod tum confessarius tum pœnitens pati possent in lutulenta hac materia versanda. Imo monent communiter Doctores periculum istud interdum exigere posse ut etiam speciei inquirendæ parcatur.—Cf. Baller. not. (c) p. 373.

Quaer. 2°. *An necessario accusanda sit circumstantia consuetudinis peccati?*

Resp. *Neg.*, probabilius, sive sub hoc nomine intelligatur habitus malus, sive intelligatur simplex iteratio ejusdem peccati: consuetudo enim sumpta pro habitu ex malis actibus repetitis inducto, quamvis sit vitium, per se tamen non est peccatum: consuetudo vero sumpta pro iteratione ejusdem peccati jam alias declarati non facit ut peccatum iterum admissum, atque hic et nunc confitendum, sit vel gravius ex parte objecti, vel diversum in sua specie.—Excipe tamen si confessarius interroget, ut constat ex prop. 58. ab Innocentio XI. damnata, quæ sic legitur: "Non tenemur confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem."

Quaer. 3.° *An declaranda sit circumstantia gradus incestus patrati cum consanguineis vel affinibus?*

Resp. Declaranda sane est, ut per se patet, et communius docent theologi circumstantia conjunctionis in *primo gradu* lineæ rectæ sive

ratione consanguinitatis, sive ratione affinitatis, scilicet inter patrem et filiam, matrem et filium, socerum et nurum, socrum et generum; at non est necessario declaranda neque origo istius incestus, num scilicet proveniat ex affinitate, an ex consanguinitate, neque circumstantia aliorum graduum, incluso etiam primo gradu in linea collaterali.—Cf. S. Alphons. n. 469. et 470., et *Hom. Ap.* tract. 9. n. 17. et 18.

QUAER. 4°. *An necessario accusanda sit circumstantia dignitatis, vel officii personæ, v. gr., si peccans sit superior, magistratus, sacerdos, etc., vel medicus, confessarius, etc., vel circumstantia temporis sacri?*

RESP. *Neg.*, ad omnia, seclusa ratione scandali vel obligationis omnino particularis, aut doli et vis ex parte medici: item seclusa ex parte confessarii quacumque relatione peccati ad confessionem. Ratio est, quia omnes dictæ circumstantiæ ad summum aggravant peccatum, at non mutant ipsius speciem.—Cf. S. Alphons. *de tertio præc. Decal.* n. 273., et *de sexto præc. Decal.* n. 451.—Lugo, disp. 16. n. 359. 451. et 520.

QUAER. 5°. *An satisfaciat integritati confessionis, qui peccatum recens accusat tanquam olim commissum?*

RESP. *Affirm.*, per se, quia temporis circumstantia minime ad confessionem pertinet. Hinc obligationi confessionis satisfacit pœnitens, qui nova peccata cum antiquis immiscet, vel qui, confessionem generalem instituens, non discernit ab aliis peccata mortalia ab ultima confessione patrata, licet id de industria faciat ad tegendum tempus, quo peccata commisit. Attamen explicare debet, an ratione temporis, quo peccatum admisit, adhuc subjiciatur reservationi vel censuræ, aut vi alicujus circumstantiæ, v. gr., voti aut matrimonii peccatum ipsum sit diversum. Si vero pœnitens mentiatur circa tempus, v. gr., si negat se peccasse hodie, et declaret peccatum velut alio tempore determinato et remoto commissum, communius putant Doctores illum obligationi suæ non satisfacere. Ratio est, quia actus quem posuit pœnitens hodie, non est actus positus anno præterito. Hinc dupliciter mentitur, scilicet celando peccatum hodie patratum, et accusando peccatum tanquam alio tempore admissum. Non desunt tamen theologi qui forte probabiliter putant hoc mendacium leve esse.—Cf. Lugo, disp. 16. n. 53. et seqq.—Tamburini, *Method. conf.* lib. 2. cap. 1.—Baller. not. (a) et (b) p. 376.

QUAER. 6°. *An effectus peccati prævisus, sed postea tantum secutus, v. gr., mors inimici ex veneno antea propinato secuta, pollutio nocturna prævisa et a pravis cogitationibus in die voluntarie admissis causata, etc., sit necessario in confessione exprimendus?*

RESP. Valde controvertitur, sed sententia negans videtur solide probabilis, etsi ejus patroni concedant adesse aliquando *per accidens* obligationem declarandi effectum peccati, nempe ratione censuræ adnexæ, restitutionis faciendæ, etc.—Card. de Lugo, postquam ita affirmaverit:—"Hæc sententia [negans] verior semper mihi visa est,"—ita rationem petit ex discrimine quod inter actum peccati externum et effectum peccati intercedit: "Ratio magis communis hujus differentiæ est, quod actus externus, qui denominatur liber a libertate actuali actus interni, est vere et proprie peccatum: effectus vero postea consecutus, in somno, verbi gratia, non est proprie peccatum, ut diximus, sed effectus peccati: in confessione autem explicari debent omnia et sola peccata: ideo debet explicari actus externus, quando est actu liber, non effectus postea secutus .... quia non potest esse peccatum actuale in eo qui actu non peccat; nec potest actu peccare, qui actu non agit; ille autem, qui dormit dum ejus inimicus veneno moritur, nihil tunc agit; ergo tunc non peccat."—Attamen S. Alphonsus omnino dissentit.—Cf. S. Alphons. *de peccatis*, n. 10.—Lugo, disp. 16. n. 440. et 449.—Baller. not. (a) p. 377.

QUAER. 7°. *An pœnitens declarare debeat diversas personas cum quibus peccavit?*

RESP. *Neg.*, per se, quia sufficit ut declaretur numerus peccatorum et eorum species; peccata autem non ideo mutant speciem, quod cum pluribus patrata fuerint. Hinc qui fornicatus est cum tribus diversis, vel ter cum eadem, satisfacit dicendo, se ter fornicatum esse; nec tenetur sponte dicere, num complex unica fuerit, an plures, num fuerint meretrices, an aliæ. Attamen si confessarius de hoc interroget, pœnitens respondere tenetur, quia expedit ut confessarius sciat, utrum forte adsit proxima peccandi occasio, ut pronum est, si cum eadem persona pluries peccatum fuerit.—Cf. Bonac. disp. 5. q. 5. sect. 2. punct. 2. § diff. 3. n. 14.—Tamburini, *in Dec.* lib. 7. cap. 7.—Lacroix, n. 1040.

QUAER. 8°. *An sacerdos, vel religiosus peccans contra castitatem conditionem suam aperire debeat, vel solam voti castitatis circumstantiam?*

RESP. Controvertitur, sed probabiliter dicendum est sufficere si uterque circumstantiam voti manifestet, quia species obligationis non videtur mutari per specialem conditionem sive sacerdotis, sive religiosi. —Cf. Lugo, disp. 16. n. 149.

QUAER. 9°. *An declaranda sit propinquitas personarum in peccatis odii?*

RESP. *Affirm.*, si agatur de propinquitate *propiori* ob strictum virtutis pietatis vinculum. Hinc declarandum est odium grave in parentes, filios, avos, nepotes, affines in primo gradu, in patrinos, in filiolos, in conjugem, et in fratres: secus vero si agatur de propinquitate remota, inter cæteros nempe consanguineos aut affines.—Cf. Lugo, disp. 16. n. 308. et seqq.

PUNCTUM IV.

De peccatis oblitis.

748. ***Dico.*** Peccata mortalia ex oblivione inculpabili omissa accusari debent, si in pœnitentis memoriam redeunt. Ratio est, quia ex præcepto divino omnia peccata mortalia post Baptismum commissa in confessione sacramentali declaranda sunt; nec præsens oblivio a tanta obligatione excusare etiam in posterum potest. Constat etiam ex prop. 11. ab Alexandro VII. damnata, quæ sic se habet: "Peccata in confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere."

749. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *An peccata, ex oblivione aut alia justa causa omissa,* quamprimum *accusanda sint?*

RESP. *Neg.*, probabilius; nam hujusmodi obligatio *moraliter* accipienda est, cum præsertim hæc peccata jam deleta sint, nec proinde adsit periculum animæ *in mora.* Imo juxta plures graves theologos pœnitens differre probabiliter potest confessionem horum peccatorum, donec vi alterius obligationis iterum confiteri teneatur, ac proinde ad varios menses, et etiam ad tempus annuæ confessionis, differre eam posset.—Attamen nulla alia confessio, iis omissis, interponi potest. Ratio est, quia ad integritatem confessionis pertinet declarare in actuali accu-

satione omnia peccata mortalia nondum accusata, quæ memoriæ occurrunt, seu *quorum habetur conscientia*, ut loquiter Concilium Tridentinum. Atqui ut ait Suarezius, "ea peccata sunt in præsenti conscientia, quæ, commissa post Baptismum, per aliam confessionem non sunt rite clavibus subjecta." Ergo, etc.—Cf. Suarez, disp. 22. sect. 1. n. 1.—Bonac. disp. 5. q. 5. sect. 2. punct. 4. n. 32.

QUAER. 2°. *An necessario absolvi debeat iterum pœnitens accusans peccatum grave in præcedente confessione ex oblivione aut alia legitima causa omissum, et jam indirecte remissum?*

RESP. *Affirm.*, cum sententia communissima. Ratio est, quia omnia peccata mortalia ex institutione Christi sunt clavibus subjicienda, ut directe remittantur. Licet enim jam remissa sint, non tamen vi sacramenti, seu vi absolutionis remissa sunt, sed tantum vi gratiæ per sacramentum infusæ, et concomitanter cum aliis peccatis. Et quamvis, absolute loquendo, confessarius omittere possit absolutionem cum pœnitentibus qui ad eumdem confessarium redire solent; siquidem isti in alia confessione directe absolventur; melius est tamen omnibus absolutionem impertiri, quando facile fieri potest, ad pœnitentis solatium et animi tranquillitatem, necnon ob fructum ex sacramento percipiendum. Adde periculum, ne pœnitens eumdem confessarium amplius adire non possit. —Cf. Sporer, n. 627.

§ II. De causis ab integritate excusantibus.

PUNCTUM I.

De causis ab integritate excusantibus in genere.

750. ***Dico.*** Difficultas ipsi confessioni *intrinseca*, quantumvis gravis ea sit, nunquam ab integritate confessionis excusat; excusat tamen, seu potius obligationem suspendit, gravis difficultas extrinseca, scilicet impotentia aliqua moralis, et a fortiori impotentia physica. Ratio *primi* est, quia cum confessio sit de natura sua et essentialiter laboriosa, si difficultas quæcumque ipsi intrinseca, v. gr., magna repugnantia, aut verecundia, ab integritate excusaret, plerumque fideles excusarentur ab accusandis mortalibus, et proinde magna ex parte rueret institutio sacramenti Pœnitentiæ. Ratio autem *secundi* desumitur ex generali principio quod præcepta positiva non obligant cum

gravissimo incommodo, quoties istud extrinsecum est, et *per accidens* illis conjungitur.—Requiritur tamen 1°. ut ea tantum peccata omittantur quæ declarari nequeunt; 2°. ut non possit inveniri alius confessarius, quo habito, cessaret illud incommodum extrinsecum; 3°. ut confessio sit hic et nunc necessaria, v. gr., ob communionem paschalem vel necessitatem celebrandi, aut si quis versans in statu peccati mortalis per plures vel etiam per unum diem alium confessarium expectare deberet. Ratio harum conditionum est, quia secus non adesset vera impotentia moralis.—Dixi tamen, *seu potius obligationem suspendit*, quia, cessante gravissimo illo incommodo, iterum reviviscit et urget tota obligatio integritatis. Ratio est, quia præceptum confessionis non est affixum ad tempus quoddam determinatum, sed integram vitam afficit.—Cf. S. Alphons. n. 487., et *Hom. Ap.* tract. 16. n. 39.—Baller. not. (a) p. 381. — De Augustinis, part. 2. Thes. 21. p. 266. — Viva, in prop. 11. ab Alex. VII. damnatam.

751. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *Quænam sint præcipua exempla impotentiæ sive physicæ sive moralis?*

RESP. Sunt sequentia: 1°. *Infirmitas extrema*, id est, quando moribundus unum tantum vel alterum peccatum exprimere potest, vel usu linguæ jam destitutus aliquo tantum signo pœnitentiam ostendit, absolutionemque petit. 2°. *Defectus loquelæ;* sicut accidit in mutis qui nec signis integre confiteri possunt; aut peregrinis qui penitus aut fere penitus ignari sunt idiomatis regionis in qua confitentur. 3°. *Defectus temporis*, v. gr., si milites statim ad pugnam pergere debeant. Non autem excusat sola multitudo pœnitentium; nam damnata fuit ab Innocent. XI. prop. 59. quæ sic se habet: "Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione magni concursus pœnitentium; qualis, v. gr., potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis aut indulgentiæ." 4°. *Periculum vitæ* pœnitentis, confessarii, aut tertii; v. gr., si adveniant hostes, si multi in periculo naufragii vel contagii versentur. Imo aliquando in summo plurium periculo, omnes, exhibito aliquo generali signo contritionis et confessionis, unica formæ prolatione absolvi sic possunt: *Ego vos absolvo*, etc. 5°. *Periculum famæ*, v. gr., si sacerdos mox celebraturus, et confessione generali indigens, non posset integre confiteri, quin adstantes rem suspicarentur. 6°. *Periculum revelationis* seu violationis sigilli; v. gr., si confessarius ne-

queat integre confiteri, quin peccata in confessione audita manifestet, etc.; vel si pœnitens ex gravi causa timeat, ne confessarius legem sigilli infringat. Posterior autem hic casus, si tamen unquam contingere dicendus sit, rarissimus est. 7°. *Periculum scandali vel lapsus*, tum ex parte pœnitentis, tum ex parte confessarii; v. gr., si mulier certo cognosceret maximam confessarii fragilitatem, etc.—Cf. S. Alphons. n. 479. et seqq.

Quaer. 2°. *An sit obligatio confitendi peccatum mortale, quod explicari nequit sine complicis manifestatione?*

Resp. *Affirm.*, probabilius, et ratio est, quia nulla datur legitima excusatio, ut præcepto integritatis derogetur: non enim dici potest præceptum positivum restringi præcepto naturali non infamandi proximum; nam justitia et caritas prohibent tantum, ne manifestetur crimen alienum sine rationabili causa; hic autem causa habetur, et quidem gravis, nempe integritas confessionis procuranda et conscientiæ directio. Præterea complex, peccatum patrando, amittit omne jus ad famam, quod habere poterat apud confessarium, in ordine ad confessionem hujusce peccati: et ipse implicite huic famæ detrimento ultro consentit, quando peccat. Ita S. Alphonsus, n. 489. cum aliis multis. —Attamen multi alii Doctores probabiliter *negant*, docentes posse, imo debere, juxta plures, omitti circumstantiam, ex qua complex detegeretur, donec alius confessarius inveniatur: nec rationibus prioris sententiæ moventur, quas dicunt esse petitionem principii.—Utriusque autem sententiæ patroni conveniunt in affirmanda obligatione quærendi alium confessarium.—Cf. Lugo, disp. 16. n. 395.—Baller. not. (b) p. 382. et seqq.

Quaer. 3°. *Quænam sint causæ excusantes ab obligatione quærendi alium confessarium, cui complex sit ignotus?*

Resp. Sunt sequentes: 1°. si urgeat periculum mortis, aut præceptum annuæ confessionis; 2°. si grave sit pœnitenti omittere confessionem aut communionem; 3°. si quis difficulter alteri confessario conscientiam aperiret; 4°. si quis secus in peccato, etiam per unam diem, remanere deberet; 5°. si quis alias privaretur beneficio alicujus indulgentiæ extraordinariæ; 6°. si adeundo confessarium, cui complex cognitus est, haberetur melior directio, aut consolatio notabiliter major.—Cf. S. Alphons. n. 490.—Baller. not. (b) p. 383.

Quaer. 4°. *An liceat confessario petere nomen complicis, v. gr., ad correctionem, etc.?*

Resp. *Neg.*, saltem generatim loquendo, tum quia hoc sine justa causa inducit ad detrahendum proximo, tum quia odiosum reddit sacramentum Pœnitentiæ. Constat insuper ex Const. *Suprema omnium* Benedicti XIV. data 7. Jul. 1745. ad Episcopos Lusitaniæ. Idem Pontifex in alia Const. quæ incipit *Ubi primum* data 2. Jun. 1746., pariter pro Lusitania, loquens de confessariis, qui sub pœna denegandæ absolutionis nomen complicis requirunt, iterum declarat eos peccare graviter, et præterea incurrere suspensionem ab audiendis confessionibus, sed ferendæ tantum sententiæ. Demum in tertia Const. quæ incipit *Ad eradicandum* data 28. Sept. 1746., prædictæ declarationes et pœnæ extenduntur ad totam Ecclesiam.—Docentes autem vel defendentes tanquam licitam ejusmodi praxim, prouti damnata est a Benedicto XIV. in prædictis Constitutionibus, incurrunt excommunicationem latæ sententiæ Romano Pontifici simpliciter reservatam in Bulla *Apostolicæ Sedis*, tabella 2. n. 1.— Cf. Baller. not. (b) et (c) p. 384.

Quaer. 5°. *An per prædictas litteras Benedicti XIV. ita interdictum sit quærere nomen complicis, ut in nullo casu id liceat?*

Resp. *Neg.*, tum quia ipse Bened. XIV. supponit casus, in quibus id liceat juxta *veras*, ut inquit, *et sanas opiniones;* tum quia aliquando pœnitens necessario complicem revelare debet, nec tamen id nisi per confessarium præstare potest.—Cf. Lugo, disp. 16. n. 424. et seqq.—Baller. not. (a) p. 386.

Quaer. 6°. *An vel quomodo surdi simul et muti confiteri teneantur?*

Resp. Muti et surdi tenentur aliquo modo confiteri, saltem per signa, nisi sint adeo ignari et hebetes, ut nihil extundi ab ipsis possit. Ratio est, quia præceptum confessionis respicit omnes fideles, qui sua peccata ratione aliqua manifestare possunt. Hinc muti sufficienter instructi tenentur integre confiteri, saltem signis, si hæc a confessario intelligantur; si autem sint minus instructi, aut difficulter a confessario intelligi possint, sufficiet ipsis unum tantum vel alterum peccatum manifestare, aut in genere significare, se esse peccatores et velle peccatum vitare. Surdi autem, usum linguæ habentes, tenen-

tur ex parte sua confiteri peccata quæ memoriæ occurrunt; sed confessarius non tenetur eos interrogare ad procurandam confessionis integritatem ob nimiam interrogandi difficultatem et periculum revelationis.

Quaer. 7°. *An muti scientes scribere teneantur scripto confiteri ad procurandam confessionis integritatem?*

Resp. Id permitti posse nemo dubitat; monent autem theologi tunc curandum esse ut scriptura aboleatur. At si agatur de obligatione, non pauci valde probabiliter negant, tum ob periculum revelationis, tum quia scriptura est medium extraordinarium, quod nunquam in Ecclesia habitum est velut præscriptum, tum etiam, quia talis modus confessionis de se est publicus, cum scriptura sit de se publica.—Cf. Baller. not. (a) p. 388.

Quaer. 8°. *An vel quomodo confiteri teneantur ignari idiomatis loci, in quo confiteri volunt?*

Resp. Ignari idiomatis loci in quo versantur, et carentes confessario a quo intelligi possint, tenentur, urgente præcepto annuæ confessionis, et in articulo mortis, confiteri aliquo modo, saltem signis generalibus; quia etsi materialiter integre confiteri nequeunt, tenentur tamen ad id quod possunt.—Verum non tenentur confiteri per interpretem, quia hoc est onus gravissimum et multis periculis obnoxium, v. gr., revelationis, irrisionis, etc.—Cf. S. Alphons. n. 479.—Baller. not. (a) p. 389.

Punctum II.

De confessione et absolutione moribundorum.

752. ***Dico.*** Quamvis nullo modo absolvi possit moribundus qui omnino recusat sacramentum Pœnitentiæ, vel qui nullo modo præsumi potest attritus; attamen quilibet alius moribundus potest et debet absolvi, sive absolute sive conditionate; absolute quidem si aliquo modo voce vel signo confitetur; conditionate autem si attritio et confessio aliquo fundamento, quantumvis tenuiter probabili, præsumi possunt. Ratio *primi* est, quia secus poneretur forma sacramenti absque dispositionibus essentialiter requisitis. Ratio *secundi*, quia tunc haberetur confessio formaliter integra. Ratio *tertii* demum est, quia in extrema

necessitate licet conditionate administrare sacramentum cum opinione etiam tenuiter probabili.—Cf. S. Alphons. n. 480. et seqq.

753. ***Resolves.***—1°. Absolvendi sunt omnes moribundi nondum sensibus destituti et in absolutionem consentientes, mandatisque confessarii obtemperantes: *absolute* quidem, si confessionem ultro requirant, aut si libenti animo confiteri proponant; *conditionate* vero si ægre vix ad aliqualem confessionem inducantur, aut si de ipsorum sufficienti dispositione prudenter dubitetur.

2°. Absolvendi sunt, saltem *conditionate,* omnes moribundi sensibus destituti, qui ante sensuum privationem expresse confessionis desiderium ostenderunt, v. gr., jubendo advocari sacerdotem, etc. Ratio est, quia censetur vere confiteri per testimonium adstantium; videtur enim tunc fieri veluti confessio per interpretem.—Cf. S. Alphons. n. 481.

3°. Absolvendi sunt *sub conditione* moribundi omnes sensibus omnino destituti, qui christiane vixerunt, etsi tunc nec doloris, nec desiderii confessionis signum ullum dederint. Ratio est, quia isti semper præsumi possunt habere vel habuisse lucidum aliquod intervallum in quo signis vere sensibilibus, puta suspiriis, motu corporis, etc., petierunt absolutionem.—Cf. S. Alphons. n. 482.—Lacroix, n. 1162.—Elbel, n. 208.

4°. Absolvendi sunt *conditionate* etiam alii moribundi sensibus destituti, qui parum christiane vixerunt; quia adhuc in ipsis præsumi aliquo modo potest pœnitentia et confessionis desiderium, quod exterius significaverint.—Cf. Lacroix, ibid.—Baller. not. (b) p. 390.

5°. Potest *probabiliter sub conditione* absolvi moribundus destitutus sensibus in actu ipso peccati, v. gr., in duello, adulterio, furto, etc. Ratio est, quia etiam ille sufficienter dispositus esse potest. Id præsertim locum habet pro illo qui ad peccatum fortasse fuit adductus timore, respectu humano, etc.—Cf. S. Alphons. n. 483.—Elbel, n. 211.

ARTICULUS III.

DE ITERATIONE CONFESSIONIS.

754. ***Dico.*** Confessio peccatorum mortalium jam facta potest esse vel certo valida, etsi materialiter non integra, vel certo invalida, vel demum probabiliter tantum valida. Si *primum,* non est necessario repetenda, sed solum supplendus est defectus; quia peccata

jam declarata directe remissa fuerunt vi absolutionis, et ea quæ omissa fuerunt debent clavibus subjici. Si *alterum*, tota confessio debet necessario repeti, et ratio est quia omnia peccata mortalia debent clavibus subjici; peccata autem accusata in confessione certo invalida non fuerunt clavibus subjecta. Si *tertium* demum accidat, nulla datur obligatio confessionem repetendi, tum quia legi divinæ de facienda confessione jam probabiliter factum est satis, ac proinde pristina obligatio nequit nunc tota et certa existere; tum quia quando actus est certo positus, obtinet regula juris: *Standum est pro valore actus.*—Cf. S. Alphons. n. 502. et seqq.—Lugo, disp. 16. n. 638.—Lacroix, n. 1216. et seqq.

755. ***Resolves.***—1°. Repetitio confessionis certo invalidæ *ex integro* facienda est, si pœnitens novum adeat confessarium, ut per se patet; at si confiteatur apud eumdem præcedentis invalidæ accusationis adhuc bene memorem, sufficit ut dicatur summatim: *Accuso me de peccatis jam declaratis in tali confessione,... tali die, etc.* Ratio est, quia peccata omnia hac ratione sacramentaliter accusantur.—Cf. S. Alphons. n. 502.—Elbel, n. 253.

2°. Imo si confessarius *in confuso* tantum recordetur præcedentis confessionis invalide apud ipsum factæ, tunc etiam, saltem probabiliter, sufficiet summaria prædicta repetitio. Ratio est, quia cum confessarius jam de singulis peccatis judicaverit, generalis præsens repetitio conjuncta cum notitia antecedenter habita sufficit ad sacramentale judicium hic et nunc ferendum. Quod si confessarius ne in confuso quidem recordetur de peccatis jam accusatis, tunc requiritur et sufficit ut pœnitens ita statum suum manifestet, ut confessarius ad confusam saltem notitiam deveniat. Advertendum hic est, prædictam solutionem valere tum si confessio sit invalida ex parte confessarii, quia, v. gr., non habuerit jurisdictionem, aut verba formæ non recitaverit, tum si sit invalida ex parte pœnitentis, quia, v. gr., non habuerit sufficientem attritionem. Ratio est, quia in omnibus istis casibus confessio præcedenter facta, fuit aliquo modo sacramentalis, saltem inspecta intentione pœnitentis.—Cf. S. Alphons. n. 502. et 503.

3°. Si peccata omnia *historice* tantum fuerint manifestata, et postea concipiatur desiderium confitendi, sufficit summaria confessio, si confessarius *totius historiæ* adhuc recordetur. Ratio est, quia tunc nihil

deesset quin peccata omnia dicantur clavibus subjecta, et sacramentaliter accusata. Verum si confessarius confusam tantum retineat notitiam *auditæ historiæ*, juxta S. Alphonsum *verius* repetenda est tota accusatio peccatorum. Ratio est, quia tunc nulla esset confessio sacramentalis: non prima, quia peccata non fuerunt manifestata in ordine ad absolutionem, adeo ut de iis confessarius non teneatur ad sigillum sacramentale; non secunda, quia, ut supponitur, est tantum summaria et generica, quod quidem juxta Tridentinum non sufficit, extra casum necessitatis. Nec dicas hanc solutionem contradicere præcedenti sub n. 2°.; nam ibi confessio antea facta supponebatur sacramentalis, saltem ex parte pœnitentis.—Non desunt tamen theologi qui negant obligationem repetendi ex integro totam confessionem; quæ sententia forte posset aliquando esse utilis, saltem ut conditionate detur absolutio.—Cf. S. Alphons. n. 502.—Lugo, disp. 16. n. 637. et 638.—Baller. not. (b) p. 398.

4°. Pœnitens, qui timet ne diu invalide confessus sit, nihil repetere tenetur, præsertim si timoratæ sit conscientiæ, solitusque fuerit diligentiam sufficientem in confessionibus adhibere. Ratio est, quia præsumptio stat pro confessionum valore: secus, si stet contra pœnitentem præsumptio tam gravis, ut morali certitudini æquipolleat.

5°. Si confessarius peccatum grave tanquam grave non agnoverit, vel mortale judicaverit esse veniale, non ideo adest obligatio illud repetendi, modo pœnitens factum recte et fideliter exposuerit; quia ad valorem sacramenti, et ad directam peccati remissionem non est necessarium, ut confessarius judicet hoc esse mortale; imo id sæpe discernere non potest.—Cf. S. Alphons. n. 500.

6°. Si pœnitens animadvertat confessarium ob somnum peccata aliqua non percepisse, et nesciat qualia, tenetur totam confessionem repetere, si brevis illa fuerit, quia tunc prudenter dubitare potest de singulis, an a confessario intellecta fuerint, necne: secus autem si prolixa fuerit confessio, et pauca tantum non percepta videantur; quia tunc prudenter præsumere potest, quod unumquodque fuerit intellectum; nec verisimile apparet, Christum integritatis præceptum cum tanto onere imposuisse. —Cf. S. Alphons. n. 499.

APPENDIX I.

DE EXAMINE CONSCIENTIÆ.

756. ***Dico.*** Pœnitens *per se* tenetur sub gravi, antequam ad confessionem accedat, diligens examen instituere peccatorum mortalium. Verum diligentia ista, etsi seria esse debeat, ac tanta quanta adhiberi solet in negotiis magni momenti, non tamen æqualis pro omnibus requiritur, nec tam exquisita ut tamdiu protrahatur quamdiu spes adest novum quoddam peccatum inveniendi. Ratio *primi* est, tum quia Concilium Tridentinum expresse requirit *diligentem sui discussionem*, tum quia obligatio finis importat obligationem mediorum: diligens autem examen est medium essentialiter ordinatum ad integritatem in confessione procurandam. Ratio autem *secundi* est, quia ex ipsa natura rei minori examine indigent qui frequenter confitentur, aut privatam et tranquillam ducunt vitam, quam qui raro accedunt ad hoc sacramentum, aut mundanis negotiis penitus implicantur. Ratio demum *tertii* est, quia, ut sapienter monet Card. de Lugo, non requiritur exactissimum examen, sed *humanum*, hoc est tale quo sacramentum non reddatur *nimis grave* et onerosum.—Cf. Conc. Trid. sess. 14. cap. 5.—Lugo, disp. 16. n. 590.—Baller. not. (b) p. 392.

757. ***Resolves.***—1°. Certo satisfacit, qui recogitat ubi quovis die fuerit, quæ negotia gesserit, quid in iis circumstantiis, cogitatione, affectu, verbo et opere vel omissione deliquerit, quomodo domi, in templo, in conversatione cum proximo se habuerit.—Cf. Baller. not. (b) p. 393.

2°. Nemo tenetur dum se ad confessionem parat peccata scribere etiamsi timeat ne e memoria excidant. Ratio est, quia hujusmodi medium est extraordinarium, onerosum et periculo revelationis obnoxium.—Cf. S. Alphons. n. 471.

3°. Qui certus est *moraliter* se peccata mortalia non commisisse ab ultima confessione, proprie non tenetur ad examen, nisi in quantum requiritur ad materiam sufficientem sacramento subministrandam. In praxi tamen suadendum est pœnitentibus piis, ut examini conscientiæ dent operam saltem per quinque minuta, aut per medium qua-

drantem *circiter*, ad defectus scilicet veniales cognoscendos et exstirpandos.

4°. Mediocris omnino examinis diligentia requiritur in timoratis, quia conscientia non sileret, si quid graviter culpabile intus lateret; imo scrupulosis inquisitio est omittenda, et aliquando omnino interdicenda, utpote inutilis et sæpe nociva: si enim graviter peccassent, semper præ oculis peccatum haberent.

5°. Pro ægrotantibus non requiritur examen tam accuratum, sicut pro sanis: imo quandoque nullum ab eis exigendum est ob capitis debilitatem; nec facile iis mos gerendus, dum confessionem de die in diem differre se dicunt, quasi nondum satis conscientiam discusserint; sed quantum eorum status patitur, sunt a confessario ipso breviter examinandi per Decalogi et Ecclesiæ præcepta; præstat enim eos etiam imperfecte confessos in statum gratiæ restituere per absolutionem, quam, dilatis Ecclesiæ sacramentis, damnationis periculo exponere.—Cf. Elbel, n. 153.

758. QUAERES. *Quid agendum confessario, si pœnitentes non satis discussa conscientia accedant?*

RESP. Si sint instructi, et nisi circumstantiæ aliud suadeant, benigne dimitti possunt, ut accuratius conscientiam discutiant et revertantur, saltem si de prolixis et implicatis confessionibus agatur. Ratio est, quia fere est impossibile, ut quis repente rogatus de omnibus recordetur. Si autem sint rudes aut parum instructi in rebus spiritualibus, non facile dimittendi sunt ut conscientiam suam examinent, quia caritas tunc suadere debet confessario ut operam suam interponat. Nonnullis enim interrogationibus plus ipse obtinebit, quam illi sibi relicti longo examine præstarent, quamvis omnia peccata in memoriam revocare conarentur. Præterea timendum est, ne forte difficultate territi amplius ad confitendum non redeant.—Cf. S. Alphons. n. 471.

APPENDIX II.

DE CONFESSIONE GENERALI.

I.—De necessitate vel opportunitate confessionis generalis.

759. Confessio generalis potest esse vel necessaria, vel utilis tantum, vel inutilis, aut etiam nociva. Hinc statuendæ sunt sequentes regulæ:

Regula I. Censenda est *necessaria* confessio generalis, quoties præcedentes confessiones moraliter certo invalidæ aut sacrilegæ fuerunt, vel ex parte pœnitentis ob defectum contritionis aut integritatis, vel ex parte confessarii jurisdictione carentis; in cæteris autem casibus nunquam præcipi potest. Ratio utriusque patet ex dictis supra de confessionis iteratione.

Regula II. Suadenda est, non autem præcipienda, quando licet de invaliditate confessionum præcedentium non constet, grave tamen de hoc dubium habetur. Ratio hujus consilii est ut anxietates ita expellantur.

Regula III. Permittenda est, aut etiam *prudenter* suadenda confessio generalis, etsi non necessaria, quando, spectatis circumstantiis, pœnitens *notabilem* fructum spiritualem ex ea percepturus est, v. gr., ratione humilitatis, devotionis, fervoris, cognitionis sui ipsius, manifestationis conscientiæ ad perfectiorem directionem, aut majorem animæ puritatem, ad auxilia divina efficacius obtinenda, etc.; quia confessarius ex caritate majus bonum spirituale pœnitentis, quando facile potest, promovere debet.

Regula IV. Prohibenda est in cæteris casibus ut *inutilis*, et etiam *nociva*, quando prudenter pertimescenda sunt alia, præter jacturam temporis, incommoda, scilicet scrupuli, anxietates, conscientiæ perturbatio, etc.; si enim tantum onus pro confessario et pœnitente non est suscipiendum sine spe notabilis fructus; *a fortiori* cum timore notabilis damni.

760. ***Resolves.***—1°. Facile permittenda, imo suadenda est confessio generalis in præcipuis vitæ christianæ epochis, nempe ante primam communionem, ante electionem aut susceptionem status vitæ particularis, v. gr., ante sacerdotium, professionem religiosam aut

etiam ante matrimonium; item quando quis statuit vitam perfectiorem ducere.

2°. Præter confessionem tempore primæ communionis peractam facile, generatim loquendo, permittenda est altera generalis confessio totius vitæ; sed difficillime tertia concedenda esset, quando prior sat accurate, bona fide et bona voluntate facta est, nisi forte in juvenili ætate, v. gr., ante 20. annos peracta fuerit. Hinc pœnitentes, qui petunt a confessario licentiam confessionem generalem peragendi, interrogandi sunt, qua de causa id postulent, an alias jam confessi fuerunt generaliter, a quo tempore, et quoties; et ex responsis judicabit confessarius, utrum expediat hæc confessio, necne.

3°. Facile permittenda est personis devotis confessio generalis partialis, nempe unius anni, seu a tempore ultimæ confessionis generalis, juxta morem servatum apud plerasque familias religiosas. Item permitti aliquando potest pœnitentibus piis, ut repetant summarie paucis verbis præcipua vitæ sua peccata: attende tamen ad varias personarum circumstantias.

4°. Potissimum vero cavere debent confessarii, ne facilius pœnitentes ad confessionem generalem compellant; et summopere sunt reprehendendi, qui ab omnibus novis pœnitentibus hanc exigunt prætextu necessitatis, vel ratione directionis, etc.

5°. Non est permittenda confessio generalis etiam in dubio de validitate præcedentium confessionum, ubi ex illa metuenda sunt incommoda notabilia, ratione scrupulorum, perturbationis conscientiæ, etc., quia ob dubiam obligationem subeunda non sunt gravia ac certa incommoda.

6°. Nunquam permittenda est confessio generalis scrupulosis aut meticulosis; quia si una permittatur, hac finita, statim aliam facere volent, et post secundam, etiam tertiam suscipere importunis precibus petent cum summo animæ detrimento, etc. Constat enim experientia, confessionem generalem multo plures scrupulos in iis generare, quam destruere.

II.—De modo peragendi confessionem generalem.

761. Multiplici modo fieri potest confessio generalis ; sed magis expediet, generatim loquendo, si fiat juxta sequentes regulas :

Regula I. *Ante confessionem*, satagere debet confessarius, explicitum cognocere statum pœnitentis, et varias circumstantias, ex quibus potest dirigi ad prudenter et fructuose interrogandum. Hinc

1°. Examinet utrum agendum sit de confessione necessaria, necne; si enim necessaria sit, multo majori diligentia et cura pœnitens audiendus, interrogandus et adjuvandus erit. Si vero necessaria non est, prorsus moneri debet pœnitens, hujusmodi diligentiam non requiri, imo liberum ipsi esse peccata, quæ velit, reticere ; nec sollicitum dein esse debere, quod ex oblivione plura seu pauciora omiserit.

2°. Inquirat, prudenter tamen, de conditione pœnitentis, de ejus ætate, statu, occupationibus et officiis, et demum de ejus familia.

3°. Interroget a quo tempore sit confessus pœnitens? an absolutus? an hic et nunc aliqua prava consuetudine, aut pravo animi affectu sit irretitus, an frequenter ad sacramenta accesserit? an pie confessus vel sacrilege? an peccata celaverit aliquando ; quo tempore? quamdiu? an ea postea confessus fuerit, aut confessiones sacrilegas iteraverit?

Præviæ istæ notiones plurimum confessario inservient: eas autem interrogationes magis vel minus urgebit pro qualitate confitentis, et indole responsionum.

Regula II. *Quoad ordinem confessionis :* accusatio et interrogationes in ipsa confessione *certo* ordine fiant oportet, ne omnia misceantur cum perturbatione confitentis et periculo defectus integritatis, etc. Via autem brevior et facilior est, si fiat declaratio peccatorum secundum ordinem mandatorum Dei, Ecclesiæ, et specialium obligationum pro statu cujusque proprio.

Regula III. *Quoad modum confessionis:* si pœnitens sit satis instructus, benigne eum inducat confessarius ad peccata sua exponenda juxta præfatum ordinem, promittens illum adjuturum, et quoties opus fuerit, interrogaturum ut omnia recte perficiantur.—Si autem pœnitens sit rudis, fere totum onus confessionis in se assumat confessarius, interroget per ordinem de omnibus quæ committere solent pœni-

tentes paris conditionis, et post singula peccata inquirat a pœnitente, an aliquid addendum noverit. Antequam autem interrogationes incipiat, sedulo confitentem admoneat, nihil sibi pertimescendum esse quoad difficultatem peccata detegendi: "*Sis quietus et bono animo,*" inquiet; "*ego tuam peragam confessionem; novi sane omnia peccata quæ patrare potuisti: ego tibi ea omnia detegam, tuum solum erit clare et sincere interrogationibus meis respondere, et de peccatis verum dolorem concipere.*"—Ita Salvatori, *Instructio practica pro neoconfessariis.*

CAPUT III.

DE SATISFACTIONE.

ARTICULUS I.

DE IMPOSITIONE SATISFACTIONIS SACRAMENTALIS.

762. ***Dico.*** Confessarius tenetur, cuilibet pœnitenti, qui possit satisfactionem persolvere, eam imponere; non autem qualemcumque et pro lubitu suo, sed tum *vindicativam*, tum *medicinalem*, *convenientem*, et *salutarem* satisfactionem injungere debet, eam scilicet quæ sit proportionata numero et gravitati peccatorum, necnon pœnitentis viribus ac dispositionibus. Ratio *utriusque* est, tum quia confessarius ut minister sacramenti tenetur ejus integritatem, etiam accidentalem, quantum in se est, debito modo et secundum prudentiam procurare, tum quia ita requirit Conc. Trid., sess. 14. cap. 8. ubi sic legitur: "Debent ergo sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et pœnitentium facultate, *salutares* et *convenientes* satisfactiones injungere; ne, si forte peccatis conniveant et indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam et castigationem."

763. ***Quæsita.***—Quaer. 1°. *Quanta sit obligatio imponendi pœnitentiam?*

Resp. Hæc obligatio, si in confessione accusata sint peccata mortalia, gravis est ex genere suo, etsi dari possint multæ exceptiones, ut

inferius dicetur. Ratio est, quia præceptum, quo in tali hypothesi tenetur confessarius, grave esset *per se* tum ratione materiæ tum ratione finis. Si vero accusata sint tantum venialia, controvertitur inter theologos; sed probabilis est sententia eorum qui tenent esse levem, quia Christus instituit hoc sacramentum per modum judicii, cujus pars integralis tantum seu complementum esset satisfactio; non autem graviter deest muneri suo judex omittens in judicio ferendo complementum aliquod levis momenti. Præterea non peccat graviter pœnitens qui non adimplet levem satisfactionem sibi pro levibus impositam; ergo neque peccat graviter confessarius qui eam non imponit; tam enim requiritur ad integritatem sacramenti satisfactionis impletio, quam ejus impositio.—Cf. S. Alphons. *Hom. Ap.* n. 47.—Lugo, disp. 25. n. 47. et seqq.—Salmant. cap. 10. n. 15 et seqq.—Baller. not. (a) p. 409.

QUAER. 2°. *Quanta satisfactio imponenda sit pœnitentibus?*

RESP. Quantitas hæc universaliter determinari non potest; sed relinquitur prudentiæ et judicio confessarii. Certum tamen est *regulariter loquendo* satisfactionem gravem pro mortalibus imponi debere, et levem pro venialibus: censetur autem satisfactio gravis, saltem ex praxi hodierna Ecclesiæ, quæ respondet operi quod sub gravi ab Ecclesia injungitur, vel quod sub gravi ex se obligaret, si præciperetur. Hinc satisfactio gravis et pro peccato gravi ordinario sufficiens erit Missam audire, jejunare, recitare Rosarium etsi quinque tantum decadum, Officium parvum B. Virginis, Litanias Sanctorum, et alia similia: non autem gravis censeretur, si Psalmus *Miserere* tantum imponeretur.—Cf. S. Alphons. n. 508. et 515.

QUAER. 3°. *Quandonam imponenda sit satisfactio, seu pœnitentia sacramentalis?*

RESP. Generatim loquendo, imponenda est *ante absolutionem:* ratio est quia sic servatur judicii ordo, qui exigit ut reus satisfactionem prius spondeat, quam absolvatur. Si autem confessarius ex oblivione pœnitentiam *ante* absolutionem non injunxerit, eam *post* absolutionem imponere debet. Non est tamen grave pœnitentiam post absolutionem imponere; imo *probabiliter* omni culpa vacat, si præsumatur, pœnitentem opus sibi injunctum accepturum esse.—Cf. S. Alphons. n. 514.

QUAER. 4°. *Qua de causa pœnitentia levior imponi possit?*

RESP. Si pœnitens 1°. sit valde debilis et infirmus corpore; qua de

re sic Rituale Romanum : "Meminerit sacerdos ægris non esse injungendam gravem et laboriosam pœnitentiam, sed indicendam tantum illam, quam, si convaluerint, opportuno tempore peragant:" imo si infirmus sit constitutus in periculo mortis, tunc potest absolvi sine ulla pœnitentia, licet expediat semper aliquam ei imponere; 2°. si prudens timor sit, ne majorem pœnitentiam non adimpleat, aut ne ob graviorem pœnitentiam a confessione avertatur; 3°. si probabiliter major pœnitentia magis ei obfutura sit, quam profutura; 4°. si pœnitens valde contritus appareat; 5°. si adsit tempus indulgentiæ plenariæ lucrandæ, præsertim Jubilæi.—Cf. S. Alphons. n. 507., et *Hom. Ap.* n. 49.—Baller. not. (a) p. 411.

764. ***Resolves.***—1°. Nunquam sunt imponendæ pœnitentiæ perpetuæ, tum quia inducere solent periculum oblivionis vel nimiæ anxietatis, tum quia, si tales pœnitentiæ a variis confessariis eidem pœnitenti imponantur, hic innumeris vinculis simul et pro tota vita obstringetur. Imo nec sunt imponendæ pœnitentiæ ad diuturnum tempus, v. gr., ad annum, aut ad quinque menses, nec etiam ad unum mensem saltem ordinarie.—Cf. S. Alphons. *Hom. Ap.* n. 52.

2°. Nunquam eæ sunt imponendæ satisfactiones, quæ pœnitentem ludibrio aliorum exponere possunt, v. gr., ut recitet in media ecclesia quinque *Pater* brachiis extensis, etc.—*A fortiori* autem imponendæ non sunt pœnitentiæ quæ adimpleri nequeunt, quin confessionis revelatio facile subsequatur.

3°. Nec sunt imponenda jejunia pueris, rusticis, opificibus continuo labore defatigatis, neque filiisfamilias, qui jejunando admirationem parentibus injicerent, aut etiam eos offenderent. Non sunt injungendæ peregrinationes aut prolixæ preces, aut generatim eleemosynæ mulieribus sub potestate viri constitutis, sicut nec pauperibus jugi labore victum sibi comparantibus.

4°. Non sunt imponendæ pœnitentiæ multis operibus diversis implicatæ, quia memoriter teneri non possent; nec, ordinarie saltem, pœnitentiæ nimis naturæ repugnantes, v. gr., signare crucem cum lingua in terra, invisere inimicos, etc. Imprudenter etiam generatim imponitur pueris ut veniam petant a parentibus, vel ab aliis ob inobedientiam, irreverentiam aut furtula; quia sæpe odiosam reddunt confessionem, et plerumque omittuntur, etc.

5°. Imponi certo potest, et sæpe utilius imponitur opus aliquod alimunde debitum. Ratio est, quia, cum opus illud sit satisfactorium, bene potest per claves ad meritum satisfactionis sacramentalis elevari.—Cf. S. Alphons. n. 513.

6°. Potest etiam imponi, saltem probabiliter, pœnitentia aliqua sub conditione relapsus, v. gr., *si iterum te inebrias, jejunabis.* In hoc enim casu pœnitentia esset veluti disjunctiva: vel adhibebis magnum omnino conatum ad resistendum tentationi, vel jejunabis. Expedit tamen ut aliqua alia satisfactio absolute imponatur.—Cf. S. Alphons. n. 524.—Baller. not. (a) p. 412.

ARTICULUS II.

DE IMPLETIONE SATISFACTIONIS SACRAMENTALIS.

765. **Dico.** Pœnitens tenetur acceptare rationabilem pœnitentiam sacramentaliter injunctam, eamque adimplere tempore a confessario designato, vel quamprimum commode potest, ita ut si pœnitentia sub gravi obliget, graviter peccabit si diu eam differat. Ratio *primi* est, quia obligationi confessarii imponendi pœnitentiam, necessario respondere debet obligatio pœnitentis eam acceptandi atque adimplendi. Ratio autem *secundi* est, quia per se grave est solutionem debiti notabilis diu protrahere.—Cf. S. Alphons. n. 516., et *Hom. Ap.* n. 55.

766. **Quæsita.**—QUAER. 1°. *Quanta sit obligatio adimplendi pœnitentiam?*

RESP. Si pœnitentia est gravis in se et simul est pro peccatis gravibus imposita, obligatio erit certo gravis, omnibus consentientibus; nisi tamen confessarius vel expresse vel tacite manifestaverit se leviter tantum velle obligare, quod quidem præstare profecto potest, quamvis generatim non expediat.—Si autem pœnitentia imposita fuerit pro peccatis levibus, obligatio erit semper levis, sive opus injunctum sit in se leve, sive sit grave; nam si primum, obligatio erit certo levis ratione materiæ; si alterum, tunc sicut confessarius non tenebatur, imo proprie non poterat illam præcipere, ita nec pœnitens sub gravi eam implere tenetur. —Cf. S. Alphons. n. 517. et 518.

QUAER. 2°. *Quænam pœnitentiæ dilatio sit culpa gravis?*

RESP. Si pœnitentia fuerit levis in se, dilatio, quantacumque sit, nunquam erit gravis, cum ex dictis ipsa pœnitentiæ omissio culpam

levem non excedat. Si autem pœnitentia sit gravis, et pro gravibus peccatis imposita, juxta probabiliorem et communiorem sententiam gravis tantum reputanda est dilatio duorum vel trium mensium, nisi pœnitentia medicinalis sit, aut adsit periculum oblivionis. Cæterum nulla regula generalis absoluta circa hoc statui potest, et nemo facile damnandus est de mortali.—Cf. S. Alphons. n. 521.—Baller. not. (b) p. 416.

QUAER. 3°. *An, si pœnitens injunctæ pœnitentiæ oblitus fuerit, teneatur confessionem repetere, ut aliam pœnitentiam recipiat?*

RESP. *Neg.*, probabilius, et ratio est, quia impletio pœnitentiæ jam semel injunctæ, per oblivionem etiam culpabilem, *impossibilis* effecta est. Ad impossibile autem nemo tenetur. Si tamen pœnitens prudenter præsumat confessarium adhuc esse injunctæ pœnitentiæ memorem, deberet ipsum, si commode posset, adire, ut ab eo qualis sit illa, resciat. —Cf. S. Alphons. n. 520.

QUAER. 4°. *A quonam posset commutari pœnitentia?*

RESP. Ad validitatem quod attinet certo nunquam ab ipso pœnitente commutari potest, ne in melius quidem, quamvis votum ab ipso vovente possit in opus evidenter melius mutari; quia pœnitentia nequit ad sacramentalis satisfactionis meritum elevari, nisi a ministro ipso sacramenti Pœnitentiæ imposita fuerit.—Potest tamen commutari 1°. a confessario qui eam imposuit, quia ipse est ad instar legislatoris qui potest propriam legem mutare; 2°. a quolibet alio confessario, quia quilibet alius confessarius potest esse ejusdem causæ judex, si pœnitens ipsius tribunali se submittat; successor enim in eadem auctoritate potest quidquid potuit antecessor. Excipiendum tamen videtur, si pœnitentia ab ipso superiore pro casibus reservatis imposita est, quia inferior sententiam superioris mutare nequit: nisi tamen causa gravis adsit, aut consensus superioris facile præsumi possit.—Verum ad commutationem licite faciendam requiritur causa justa: qualis est; 1°. si pœnitentia videatur difficilis; 2°. si prævideatur pœnitens non esse ei satisfacturus ob repugnantiam, fragilitatem, oblivionem, etc.—Cf. S. Alphons. n. 528.

QUAER. 5°. *An pœnitens teneatur confessionem repetere ad pœnitentiæ commutationem obtinendam?*

RESP. *Neg.*, saltem probabiliter sive eumdem confessarium utcum-

que memorem, aut immemorem statua conscientiæ pœnitentis, sive diversum adeat confessarium. Ratio est, quia non agitur de judicio ferendo circa culpas declaratas in præcedente confessione, ubi judicium circa illas jam fuit formatum, sed tantum de pœnitentia commutanda; ad hoc autem sufficit prioris pœnitentiæ cognitio, et notio fragilitatis aut difficultatis ad eam implendam. Neque dicatur novam pœnitentiam non posse habere rationem *vindictæ* aut *medicinæ*, causa non cognita, nam confessarius potest facile illam rationem servare, si attendat ad naturam prioris pœnitentiæ.—Cf. S. Alphons. n. 529.

QUAER. 6°. *An confessarius possit pœnitentiam commutare extra confessionem?*

RESP. *Neg.*, si confessarius sit diversus. Ratio est, quia confessarius nullam habet potestatem, nisi in judicio sacramentali. Si vero sit idem, qui pœnitentiam imposuit, potest illam mutare *immediate* post absolutionem, antequam pœnitens discedat; non vero postea, *saltem probabilius.* Ratio est, quia ad id requiritur et sufficit, ut præcedens confessarii judicium moraliter perseveret, quod non videtur locum habere, si pœnitens confessarium extra Pœnitentiæ tribunal adierit. Ergo, etc. Ita S. Alphonsus, qui dicit hanc esse sententiam *veriorem et communiorem.* Alii tamen dicunt, commutationem pœnitentiæ fieri posse ab eodem confessario extra confessionem etiam post plures dies, imo et quamdiu confessarius retinet memoriam, saltem confusam, peccatorum; quia tunc adhuc videtur moraliter uniri cum præcedenti judicio sacramentali. Nam partes hujus sacramenti (inquiunt) tempore distantes possunt uniri moraliter ad integrandum unum sacramentum, et quemadmodum longius spatium non impedit, quominus moraliter uniantur aut dolor, aut confessio, aut impletio satisfactionis cum absolutione, ita et de mutatione pœnitentiæ judicari potest.—Cf. S. Alphons. n. 529.—Lugo, disp. 25. n. 112.—Voit, n. 632.

767. ***Resolves.***—1°. Non tenetur pœnitens pœnitentiam adimplere, quando invalida fuit confessio; quia judicis sententia sacramentalis nulla fuit, ac proinde nullum adest sacramentum integrandum: alias vero bis pro iisdem peccatis esset satisfaciendum. Idem dicendum est ob eamdem rationem de pœnitentia imposita sine absolutione. Excipe 1°. si pœnitentia sit medicinalis, atque adeo necessaria ratione medicinæ: 2°. si pœnitens ad eamdem confessionem perficiendam

pluries accedat, et interim confessarius, ut sæpius fieri solet, pœnitentiam aliquam singulis vicibus imponat, quo minor in fine imponenda supersit.

2°. Peccat graviter non modo qui pœnitentiam omittit, sed et qui omittit ejus partem præ integra pœnitentia notabilem; vel etiam quæ gravis esset in se spectata.

3°. Universim ad judicandum de omissionis gravitate, attendendum est, num materia vel circumstantia omissa multum ne, an parum ad præcepti finem conferat, num substantia præcepti impleta sit, etc. Sic præcepti substantiam implet nec peccat, nisi venialiter, qui stans, vel in cubiculo Rosarium recitat, quod ex jussu confessarii flexis genibus vel ante imaginem B. Virginis recitari debuisset; secus vero si pœnitens jussus esset, v. gr., expansis brachiis orare; notabilis enim est hæc mortificatio, cujus omissio gravis haberi potest.

4°. Preces in pœnitentiam impositæ recitari possunt etiam dum Missam de præcepto interea quis audit, nisi tamen aliud fuerit a confessario statutum. Possent etiam alternatim cum sociis recitari preces, quæ ex Ecclesiæ usu, aut fidelium praxi, velut in choro recitari solent, v. gr., *Rosarium*, etc.

5°. Satisfacere nequit pœnitens per alterum, nisi forte, ut plures senserunt, id de consensu confessarii fiat; quia satisfactio definitur a Tridentino esse quasi sacramenti hujus materia, et pars integralis, quatenus est actus pœnitentis adimplentis pœnitentiam sibi a confessario impositam. Ergo *per se* ab ipso pœnitente ponenda est. Constat etiam ex propositione 15. ab Alexandro VII. damnata, quæ est hujusmodi: "Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat."—Cf. Suarez, disp. 38. sect. 9. n. 2.

6°. Si confessarius duas Missas eodem die audiendas in pœnitentiam imposuerit, illæ successive, non autem eodem tempore, videntur audiendæ; id enim intendisse confessarium rationabiliter præsumimus.—Cf. S. Alphons. *Hom. Ap.* n. 57.

7°. Satisfacit, juxta sententiam communem, qui pœnitentiam implet in mortali, quia ad satisfaciendum alicui præcepto sufficit opus injunctum ponere, licet finis præcepti non obtineatur. Utrum autem pec-

cet, non una est sententia theologorum, sed potest teneri ipsum ab omni culpa eximi, quia, secluso contemptu, nulla est culpa soli pœnarum remissioni obicem ponere.—Cf. S. Alphons. n. 522. et 523.—Baller. not. (a) p. 416.

8°. Pœnitens, cui difficilior injungitur pœnitentia, confessarium monere debet de impossibilitate aut nimia difficultate eam adimplendi; et si confessarius non acquiescat, alium adire potest. Si autem pœnitentia non appareat adeo gravis, pœnitens eam acceptare tenetur, nec potest recedere sine aliqua culpa.

9°. Si pœnitens, accepta pœnitentia ab uno confessario, confessionem iteret apud alium, ut mitiorem pœnitentiam sortiatur, vel etiam alia de causa, a priori pœnitentia minime liberatur, nisi mentionem de præcedenti confessione et accepta pœnitentia faciat; ratio est, quia ad commutandam pœnitentiam ex parte confessarii requiritur positivus voluntatis actus, quo prior obligatio revocetur.

PARS TERTIA

DE MINISTRO PŒNITENTIÆ.

CAPUT I.

DE POTESTATE MINISTRI.

Tria requiruntur ad potestatem adæquatam Ministri Pœnitentiæ, scilicet: 1°. potestas Ordinis; 2°. potestas jurisdictionis; 3°. approbatio. De potestate Ordinis nihil hic venit dicendum; sed tantum de approbatione et jurisdictione.

ARTICULUS I.

DE APPROBATIONE.

768. Approbatio nihil aliud est nisi *juridicum Prælati judicium de idoneitate sacerdotis ad audiendas confessiones.*—Hinc ad concedendam approbationem non requiritur essentialiter examen: judicium enim prudens de idoneitate etiam sine examine haberi potest, quando de hoc aliunde constet. Hoc autem judicium ad duo refertur, scilicet ex parte intellectus ad scientiam et prudentiam, ex parte voluntatis ad morum sanctitatem vicario Christi in hoc ministerio congruam.

769. ***Dico.*** Ad confessiones tum licite tum valide excipiendas requiritur approbatio, quam solus Episcopus, aut quicumque habet jurisdictionem quasi-episcopalem concedere potest. Ratio *utriusque* desumitur ex Concilio Tridentino quod ita statuit: "Nullum [sacerdotem] etiam regularem, posse confessiones sæcularium, etiam sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, et approbationem, quæ gratis detur, obtineat."—Cf. Conc. Trid. sess. 23. cap. 15. *de Reform.*—S. Alphons. n. 545.—Lugo, disp. 21. n. 24.

Advertendum hic est juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam, una cum approbatione etiam jurisdictionem a Prælato sacerdotibus conferri solere, exceptis Regularibus exemptis, ac proinde usu communi approbationis nomine etiam jurisdictio comprehenditur. Olim vero, scilicet ante Tridentinum, cum approbatio Episcopi necessaria non esset, juris-

dictio communiter a Parochis concedebatur; quæ quidem facultas modo in Parochis vix exercitium habet, et inutilis fere evasit, quia vix reperiri nunc potest sacerdos, qui simul cum approbatione non etiam jurisdictionem ab Episcopo jam acceperit.

770. **Quæsita.**—QUAER. 1°. *A quonam Episcopo habenda sit approbatio?*

RESP. Disputari olim potuit hac de re, cumque tres essent diversi Episcopi de quibus probabiliter moveri posset quæstio, scilicet Episcopus *pœnitentis*, Episcopus *confessarii*, et Episcopus *loci* in quo confessio excipitur, in tres diversas sententias abierunt Doctores. At hodie absolute tenendum est requiri et sufficere approbationem Episcopi loci, ut constat ex Const. Innoc. XII. quæ incipit, *Cum sicut*, ubi ita sancitur: "Confessarios, tam sæculares quam regulares, quicumque illi sint, nullatenus posse audire pœnitentes sine approbatione Episcopi loci, in quo ipsi pœnitentes degunt, et confessarios eligunt; neque ad hoc suffragari approbationem semel vel pluries ab aliis Ordinariis aliarum diœcesum obtentam, etiamsi pœnitentes illorum Ordinariorum, qui tales confessarios approbassent, subditi sint."—Deinde declarat Pontifex alias confessiones fore nullas, et confessarios suspensos. Hanc Constitutionem confirmavit Bened. XIV. per Bullam quæ incipit, *Apostolica;* sed cum suspensio latæ sententiæ ab ea inflicta non fuerit renovata a Pio IX. in Const. *Apostolicæ Sedis*, dicendum est eam hodie non amplius vigere.—Cf. S. Alphons. n. 548.—Baller. not. (a) p. 426.

QUAER. 2°. *An absolvere quis possit proprium subditum in aliena diœcesi sine approbatione Ordinarii?*

RESP. *Affirm.*, si habeat jurisdictionem vere *personalem* seu *ordinariam* in illum. Ratio est, quia quisquis ratione muneris sui habet jurisdictionem ordinariam, censetur approbatus ipso jure ad suos ubique audiendos: neque jurisdictio ordinaria, dummodo fiat sine strepitu judiciali, arctatur ad locum; sed, nisi specialiter restringatur, ubique exerceri potest.— Hinc Episcopi et Parochi proprie dicti subditos suos extra proprias diœceses et parochias absque approbatione Episcopi loci absolvere possunt.—Nostri autem quasi-Parochi, et quicumque habent jurisdictionem delegatam, quia hæc *per se* est mere *territorialis*, nequeunt absolvere suos subditos extra locum ad quem restrin-

gitur eorum jurisdictio.—Cf. S. Alphons. n. 548.—Reuter, n. 348.—Lacroix, n. 1516.

QUAER. 3°. *An sufficiat approbatio præsumpta?*

RESP. *Neg.*, et ratio est, quia ex Conc. Trident. requiritur approbatio actu et absolute existens, et jam obtenta; ac proinde necessarius est consensus actualis signo aliquo declaratus. Imo nec licet incipere confessiones antequam consensus ille, per litteras petitus, receptus fuerit, etsi certo obtinendus videatur. *A fortiori* autem non valet ratihabitio approbationis etiam prudenter præsumpta; quia ratihabitio locum habet tantum in actibus quorum valor in futurum suspendi potest; sed valor absolutionis præsentis suspendi nequit; valor enim sacramentorum pendere non potest ab actione futura.—Cf. S. Alphons. n. 570.

QUAER. 4°. *An Episcopus possit valide et licite limitare approbationem quoad certum tempus, locum et personas, vel eam quomodocumque concessam revocare?*

RESP. *Affirm.*, *quoad validitatem*, etiam sine causa. Ratio est, quia est actus omnino dependens a voluntate Episcopi ut superioris. Hinc sicut valide approbationem recusare potest, sic eam potest solum cum restrictione concedere vel concessam revocare. Id constat etiam ex propositione 13. ab Alexandro VII. damnata, quæ ita sonat: "Satisfacit præcepto confessionis annuæ, qui confitetur regulari Episcopo præsentato, sed injuste ab eo reprobato." Ergo denegatio approbationis, etiam injusta, est valida, ac proinde etiam revocatio et a fortiori restrictio. *Quoad liceitatem* autem distinguendum est: potest quidem Episcopus restringere aut etiam omnino negare aut revocare approbationem justa de causa, ut patet; quia in hunc finem inducta est necessitas approbationis, ut idonei a non idoneis secernantur. Secus vero, si id absque justa causa agat.—Cf. S. Alphons. n. 542.—Lugo, disp, 21. n. 51.

ARTICULUS II.

DE JURISDICTIONE.

771. Jurisdictio generatim sumpta est quædam potestas moralis regendi subditos. Jurisdictio ecclesiastica duplex est: alia *in foro externo*, quæ est potestas ferendi leges, infligendi pœnas, etc.; alia vero *in*

foro interno, quæ est potestas absolvendi, vel ligandi in tribunali Pœnitentiæ.—Hæc ultima, de qua præcipue agemus, duplex est scilicet *ordinaria* et *delegata*. Prima competit alicui ratione officii habentis annexam curam animarum; altera autem est illa quæ positivo actu confertur ab eo qui habet jurisdictionem ordinariam, et ideo vocatur delegata.

772. ***Dico*** 1°. Potestas *jurisdictionis* necessaria est ad confessiones valide excipiendas, nec sufficit potestas *Ordinis*. Ratio desumitur ex Conc. Trident. sess. 14. cap. 7. ubi sic legitur: "Quoniam igitur natura et ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur; persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem."

Dico 2°. Jurisdictio *ordinaria* competit 1°. Papæ pro tota Ecclesia *in utroque foro;* ipsi enim a Christo dictum est in persona Petri, Matth. xiv. 19: "Tibi dabo claves regni cœlorum; et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis;" 2°. Episcopo pro sua diœcesi, pariter *in utroque foro*, cum hæc ideo sit ipsi commissa, ut eam regat ac dirigat; 3°. Parochis pro subditis *in foro interno;* 4°. Abbatibus et Prælatis Regularium pro subditis.

Dico 3°. Jurisdictio *ordinaria* potest delegari, seu per alium exerceri; at jurisdictio *delegata* non potest subdelegari, saltem generatim loquendo. Ratio *primi* est, quia delegatio est actus proprius potestatis ordinariæ. Ratio autem *secundi* est, quia delegato conceditur solum potestas exercendi jurisdictionem non vero eam alteri committendi, prout communiter intelligitur a theologis, et a Prælatis in usum deducitur. Excipe tamen si quis substituatur in locum Pastoris ordinarii cum delegatione universali, v. gr., in vices Parochi defuncti; vel si quis delegatur ad universitatem causarum.—Dixi *generatim loquendo*, quia potest quandoque accedere specialis concessio delegantis, et tunc nomine ipsius delegantis, subdelegari censetur, prout dicendum de nostris quasi-Parochis qui cum non gaudeant nisi jurisdictione *delegata*, quandoque tamen subdelegant.—Cf. S. Alphons. n. 566.—Kenrick, tract. 18. n. 133.

Dico 4°. Jurisdictio delegata ad confessiones excipiendas expirat per revocationem a superiore factam, vel per lapsum temporis præfixi; item morte delegantis, vel ejus cessatione ab officio, si data fuerit pro aliqua persona particulari, et judicium nondum inceptum sit, aut etiam si generaliter data fuerit, sed cum clausula, *ad arbitrium concedentis, ad beneplacitum nostrum,* vel alia simili.—Cf. S. Alphons. n. 558. et 559.

773. *Quæsita.*—Quaer. 1°. *An Ecclesia suppleat jurisdictionem quando pœnitentes ipsius defectum invincibiliter ignorant?*

Antequam respondeatur prænotandum est defectum jurisdictionis in diversis rerum adjunctis locum habere posse. Etenim error esse potest vel *communis* inter fideles, vel *privatus* tantum alicujus personæ. Rursum sacerdos jurisdictione carens potest habere titulum *coloratum,* vel solum *existimatum.* Titulus autem *coloratus* est titulus in se quidem falsus, sed tamen vere collatus a superiore, et ideo præ se ferens speciem veri tituli, licet ex aliqua causa vitio occulto nullitatis laboret. Sic sacerdos, qui simoniace creatur Parochus, invalidum sortitur titulum ex jure canonico; et si a legitimo Episcopo fuerit in parochia constitutus, titulum habet *coloratum.* Titulus vero mere *existimatus* ille est, qui a fidelibus adesse reputatur, licet non existat. His adnotatis:

Resp. 1°. Ecclesia *certo* supplet, si error sit *communis* inter fideles, et simul cum titulo *colorato* conjunctus. Ratio eruitur ex communi theologorum interpretatione diversis locis juris innixa. Ut enim aiunt, Ecclesia velut pia mater ad bonum animarum jurisdictionem supplere merito censetur, cum id possit.

Resp. 2°. *Probabilius* etiam supplet Ecclesia, si adsit error *communis* sine *titulo colorato,* sed cum titulo tantum *existimato* seu *ficto.* Eadem enim urget ratio ac in casu præcedente, cum etiam in hac hypothesi innumeræ animæ perire possint. Ita multi et graves theologi apud S. Alphons. n. 572.

Resp. 3°. Non censetur Ecclesia supplere jurisdictionem, si error sit *privatus,* v. gr., si sit unius aut paucorum. Ratio est, quia Ecclesia non censetur supplere, nisi ratione boni communis, ad instar scilicet provisoris seu gubernatoris generalis, qui ad solum bonum generale so-

cietatis attendit, et bonum privatorum curæ provisorum particularium relinquit.—Ita communissime theologi.—Cf. S. Alphons. loc. cit.

QUAER. 3°. *An liceat absolvere cum jurisdictione dubia, id est de qua practice dubitatur an adsit, quin solvatur dubium?*

RESP. *Neg.*, nisi aliqua necessitas urgeat et tunc absolutio danda est sub conditione: *si possum.* S. Alphonsus putat ejusmodi necessitatem adesse, 1°. si urgeat præceptum annuæ confessionis; 2°. si pœnitens debeat Missam celebrare, vel communicare, et alias notam infamiæ incurreret; 3°. si sacerdos ex obligatione celebrare teneatur.—Cf. S. Alphons. n. 571.

QUAER. 4° *An liceat absolvere cum jurisdictione probabili, scilicet si ex probabili ratione solutum sit dubium quamvis cum formidine oppositi?*

RESP. *Affirm.*, cum sententia communi, modo opinio sit vere probabilis gravi fulcita ratione et auctoritate. Ita gravissimi Doctores qui hanc sententiam vocant *tutissimam* vel *moraliter certam.* Ratio potior est, quia communi consensu, qui fundat moralem certitudinem, testantur Doctores adesse in Ecclesia universalem consuetudinem fere omnium confessariorum absolvendi cum jurisdictione probabili. Posita igitur ut certa hac consuetudine, certum est, licitum esse sacramentum ministrare cum tali jurisdictione: nam universalis consuetudo aut vim habet jurisdictionem conferendi, aut saltem eam a superioribus collatam authentice declarat. Confessarius igitur, ita absolvendo, non absolvit cum sola opinione probabili, sed cum opinione moraliter certa, non directa certitudine sed reflexa.—Ita fere ad verbum S. Alphonsus, quamvis ipse aliam sententiam sequatur præcedenti valde affinem, sed magis restrictam, quæ docet licitum quidem esse ministrare hoc sacramentum Pœnitentiæ cum jurisdictione probabili, sed nonnisi quando adest gravis necessitas, aut magna utilitas, vel causa quædam rationabilis. Ratio hujus limitationis est, quia licet Ecclesia eo casu ob bonum animarum bene censeri possit jurisdictionem supplere, tamen non præsumitur, nulla justa causa accedente, velle connivere meræ libertati confessariorum.—Porro hæc limitatio, si *theoretice* spectetur, opponitur communi, imo communissimæ sententiæ theologorum, ipso S. Doctore testante, si *practice,* in idem recidit ac præcedens communis doctrina.—Cf. S. Alphons. n. 573.—Baller. not. (a) p. 432. et not. (c) p. 433.

QUAER. 5°. *An hæretici, excommunicati vitandi, degradati, irregulares, apostatæ, etc., valide absolvant in periculo mortis, deficiente alio sacerdote?*

RESP. *Affirm.*, quia tunc Ecclesia supplet jurisdictionem, ut constat ex Conc. Trid. sess. 14. cap. 7. ubi ita legitur: "Pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt." Imo non solum in articulo, sed etiam in periculo mortis dari potest absolutio a quocumque sacerdote, quia in jure canonico pro eodem accipi solet articulus et periculum mortis, quale, v. gr., censetur adesse in prælio, in longa navigatione, difficili partu, et similibus.—Cf. S. Alphons. n. 560. et 561.

QUAER. 6°. *An possit simplex sacerdos valide absolvere moribundum etiam præsente confessario approbato?*

RESP. Dissentiunt inter se Doctores. Multi inter quos S. Alphonsus negant, tum quia Concilium Tridentinum nihil de hac re innovavit, sed id tantum declaravit quod *in Ecclesia Dei custoditum semper fuerat*: antiquo autem jure ut constat ex cap. *Presbyter, caus.* 26. q. 6., et *Extrav. comm*, lib. 5. *de Privil.* cap. 1. non permittebatur, ut alienus sacerdos, etiam in casu necessitatis, moribundos absolveret sine illa dependentia a proprio sacerdote, quæ commode saltem posset haberi; tum quia ex eodem Tridentino omnibus sacerdotibus confertur in hoc extremo discrimine jurisdictio, *ne aliquis pereat;* at hæc ratio cessat, quando adest sacerdos approbatus.—Admittuntur tamen exceptiones, quarum præcipuæ sunt; si approbatus nollet vel non posset audire confessionem; si infirmus non posset confiteri approbato sine magna difficultate aut repugnantia; si approbatus superveniat, incepta jam confessione a non approbato.—Verum alii theologi affirmant, quia Concilium Tridentinum, nulla distinctione facta inter casum quo adest vel non adest approbatus, simpliciter asserit posse omnes sacerdotes in articulo mortis quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis absolvere. Doctores qui ita sentiunt plures sunt et graves, quos inter Card. de Lugo, qui ita judicium suum profert adversus Luisium Turrianum: "Unde constat excessisse in censura hujus opinionis Luisium Turrianum, dicendo, hanc opinionem [affirmantem] esse improbabilem . . . Certe sententia quam

tot et tam graves Doctores tenent, negari non potest, quin probabilis sit, præsertim cum fundetur in verbis Tridentini, quæ non facile explicari possunt ab adversariis."—Neque hæc probabilitas destrui posse videtur argumento deducto ex Rituali Romano, ubi dicitur "si approbatus desit confessarius," cum non possit supponi illum textum tot Doctoribus fuisse ignotum.—Quare cum agatur hic non de materia sacramenti, sed de jurisdictione, quam Ecclesia potest supplere, licet in praxi uti hac secunda sententia, præsertim si rationabilis accedit causa.—Ceterum positis omnibus exceptionibus quas patroni primæ sententiæ admittunt, practice loquendo, locus non est amplæ controversiæ.—Cf. S. Alphons. n. 562. et 563.—Lugo, disp. 18. n. 23.—Baller. not. (a) p. 439.

QUAER. 7°. *An Parochus possit advocare Parochum ejusdem vel diversæ diœcesis ad confessiones in sua parochia audiendas?*

RESP. *Affirm.*, quoad Parochum ejusdem diœcesis; nam licet hic vi officii sui jurisdictionem habeat tantum pro sua parochia, tamen ex consuetudine fere universali confessiones etiam in universa diœcesi audire potest nisi Episcopus aliter decernat.—Verum quoad Parochum diversæ diœcesis variæ feruntur opiniones, ut inquit Benedictus XIV. Qui affirmant, arguunt ex Tridentino ut deducant *parochiale beneficium* valere pro approbatione universali. Alii vero negant, quorum sententia, inquit S. Alphonsus, robur accipit ex responso S. Congr. Conc. die 31. Dec. 1707.—Quidquid sit, ad hanc regionem quod spectat, et practice loquendo, nequit dari controversia, nam neque Parochus qui advocatur approbationem universalem ullam habet, quia caret *beneficio parochiali;* neque Parochus, qui vocat, jurisdictionem potest delegare, quia illa qua gaudet non est *ordinaria.*—Cf. Benedict. XIV. *Instit.* 86. n. 7.—S. Alphons. n. 544.

QUAER. 8°. *An adhuc vigeat apud nos antiquum illud pactum, quo sacerdos aliquis, acceptis facultatibus a suo Episcopo, possit valide iisdem uti in alia diœcesi?*

RESP. *Neg.*, ut constat ex sequenti Decreto Patrum Baltimorensium: "Ne vagi, ignoti, pravique sacerdotes sacra aggrediantur munera cum offensione fidelium, revocandas esse facultates quas communi quodam pacto Episcopi sibi invicem in conventu anno 1810. habito largiti sunt, censuerunt Patres; ideoque in posterum, neminem ex sacerdo-

tibus, vi illius pacti, posse jurisdictionem exercere, vel sacrum aliquod aggredi munus absque Ordinarii auctoritate."—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. n. 118.

QUAER. 9°. *An sacerdos approbatus ab Episcopo possit audire confessiones fidelium sine venia Parochi?*

RESP. *Neg., quoad liceitatem,* si confessiones excipiantur in ecclesia Parocho subjecta, quia debitus ordo omnino requirit, ut, cum superior immediatus sit in sua ecclesia, ab ipso petatur venia inibi exercendi sacra ministeria. At *quoad validitatem*, certum est juxta omnes, non requiri licentiam Parochi extra casum annuæ confessionis; imo nec etiam pro annua confessione, saltem *per se*, seu de jure communi. Constat ex communi doctrina theologorum, necnon ex præsenti consuetudine et praxi universali Ecclesiæ, ut testatur Bened. XIV.

Quoad regulares autem non paucæ extant Romanorum Pontificum decisiones quibus constat eos posse semper valide excipere confessiones fidelium sine ulla venia Parochi: præsertim vero Clemens X. in Const. *Superna* decernit et declarat, "semel approbatos Regulares posse in diœcesi Episcopi approbantis quovis anni tempore, etiam paschali, et quorumcumque etiam infirmorum confessiones audire absque ulla Parochorum vel Episcopi licentia . . . et eos, qui dictis Religiosis simpliciter approbatis paschali tempore confessi fuerint, Constitutioni quæ incipit, *Omnis utriusque sexus*, quoad confessionem dumtaxat, satisfecisse."—Cf. Baller. not. (a) p. 443.

QUAER. 10°. *An sacerdos in aliquo loco approbatus excipere valeat confessiones peregrinorum eo advenientium?*

RESP. *Affirm.*, quoad confessarios regulares, de quibus id expresse asseritur in Const. *Superna*, Clem. X.—*Affirmative* etiam est respondendum quoad sacerdotes sæculares; quia talis est consuetudo universalis, quæ, initio originem habens ex tacito Ordinariorum consensu, nunc longo usu firmata legitime præscripta est, atque vim legis universalis, obtinet.—Cf. S. Alphons. n. 569.

QUAER. 11°. *An Episcopus possit sub pœna invaliditatis prohibere, ne diœcesani pergant ad confitendum extra diœcesim?*

RESP. *Neg.*, sive confiteantur extra diœcesim apud confessarios regulares, sive apud sacerdotes sæculares. Ratio solutionis, *quoad regulares* desumitur ex positivo privilegio audiendi confessiones omnium

fidelium undequaque venientium, et quod a nullo Episcopo potest supprimi; *quoad sæculares* autem ex universali consuetudine. Etenim non magis potest Episcopus, seclusis casibus particularibus, vim consuetudinis universalis abolere, quam positivum aliquod privilegium a Romano Pontifice concessum. Neque objicias repugnare juri divino ut quis confessarium sibi eligat sine licentia proprii Pastoris, id enim ultro conceditur; verum qui, summo Pontifice permittente, confessarium sibi eligit eum non eligit sine licentia proprii Pastoris.—Sunt tamen theologi qui ab hac solutione, quoad confessarios sæculares dissentiunt, quia tenent peregrinos absolvi vi jurisdictionis communicatæ ab eorumdem Episcopo, de qua ratione inferius agetur.—Cf. Suarez, *de Relig.* tract. 10. lib. 9. cap. 2. n. 8.—Reiffenstuel, tract. 14. dist. 8. q. 1. n. 11.—Laymann, lib. 5. tract. 6. cap. 10.

QUAER. 12°. *An simplex sacerdos possit absolvere navigantes in Oceano, vel a quo obtinenda sit approbatio?*

RESP. *Neg.*, excepto periculo mortis, ut supra dictum est; quia ejusmodi sacerdos extra illum casum quavis jurisdictione caret. At extra periculum mortis, ex consuetudine universali, requiritur et sufficit approbatio Episcopi loci, a quo suscipitur navigatio.—Ita communiter cum Bouvier, § 5. *in fine*, et decisum fuit a Congr. S. O., plene approbante ac confirmante SS. D. P. Pio IX. in resp. ad Episc. Nannetensem die 20. Mart. 1869., pro omnibus sacerdotibus navigantibus, *usquedum perveniant ad locum ubi alius superior ecclesiasticus jurisdictione pollens constitutus sit.*—Cf. Cretoni, vol. 2. p. 318.

APPENDIX I.

DE JURISDICTIONE ET APPROBATIONE REGULARIUM.

774. ***Dico.*** Regulares proprie dicti, seu qui vota solemnia emittunt, et qui privilegio exemptionis donati, ab Episcoporum jurisdictione per specialem concessionem subtrahuntur, jurisdictionem ad audiendas confessiones tum *suorum*, tum *sæcularium* accipiunt immediate a Papa; approbationem autem, si sermo sit de confessionibus *sæcularium*, recipiunt ab Episcopo loci ubi confessiones excipiendæ sunt; si autem agatur de confessionibus *suorum*, a superioribus sui Monasterii vel Ordinis

simul cum jurisdictione, seu potius dicendum est ea proprie tunc non indigere. *Primum* constat ex multis locis juris canonici, et Romanorum Pontificum Constitutionibus, et ex ipso tenore privilegii exemptionis, vel particularis concessionis. *Alterum* vero constat ex Constit. *Cum sicut* Innoc. XII. superius citata, ubi sancitur confessarios, quicumque illi sint, tam *sæculares* quam *regulares* nullatenus posse audire pœnitentes *sæculares* sine approbatione Episcopi loci. *Tertium* demum colligitur ex eo quod Concilium Tridentinum requisivit approbationem Episcopi tantum pro confessionibus *sæcularium*, ut patet ex textu supra citato sub n. 769., ac proinde antiquam disciplinam quoad confessiones Regularium nihil immutavit. — Cf. Lugo, disp. 21. n. 4.—Lacroix, n. 1552.—Billuart, dissert. 6. art. 6.

775. ***Resolves.***—1°. Jurisdictio, quam diximus Regulares recipere immediate a Papa, non confertur singulis individuis in particulari, sed ordini, ac proinde, nisi aliter constitutum fuerit per regulas, tantum Prælati eam habent atque per eos debet inferioribus communicari.

2°. Supposita tamen jam facta hujusmodi communicatione, jurisdictio ita accepta adhuc ligata manet in singulis Regularibus quoad confessiones sæcularium audiendas; siquidem ad absolutionis validitatem approbatio Episcopi, velut *conditio sine qua non*, requiritur.

3°. Si Episcopus expresse approbationem tantum pro actu aliquo transitorio, v. gr., pro aliqua missione peragenda concessit, facultas accepta pro illo solo actu, et pro omni judicio tunc incœpto valere censetur.

4°. Si Episcopus, vel superior tuus ex ejus delegatione, tibi concedat approbationem pro determinata pœnitentium classe, facultas ad alios extendi nequit, ut patet. Si autem postulatio facultatis ab Episcopo vel a superiore sit generalis, inspecto tenore verborum, nec fuerit restricta concessio, facultas obtenta non limitatur ad operam quæ fuit occasio petitionis. Ratio desumitur ex nota regula: *Continetur in concessione quidquid non excipitur.* Excipe tamen casus reservatos, qui ipso jure in facultate generali audiendi confessiones nunquam intelliguntur comprehensi.

5°. Religiosus missionarius advocatus ab Episcopo ad missionem peragendam in ipsius diœcesi, eo ipso accipit approbationem tacitam ad

audiendas confessiones tempore missionis, pro qua advocatur. Idem dicendum est, si requisitus fuit a Parocho vel alio superiore ex licentia Episcopi. Attamen semper pro solis casibus ordinariis approbatus censetur.

6°. Superior religiosus, quando ex Episcopi delegatione adhibet subditum ad opera generalia sacri ministerii, seclusa hypothesi specialis alicujus restrictionis, censetur ipsi concedere omnimodam facultatem pro quibusvis pœnitentibus, et pro omnibus quoque casibus reservatis in concessione episcopali contentis. Ratio est, quia concedere censetur id omne quod concedere potest et solet, juxta præfatam regulam: *Continetur in concessione quidquid non excipitur.*

776. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *An Episcopus licite possit sine causa approbationem denegare Regularibus, vel illam concedere cum limitatione temporis, personarum aut locorum, vel jam concessam revocare?*

RESP. *Ad* 1um. *Neg.*, quia irrogaretur injuria Romano Pontifici, qui ideo jurisdictionem concedit Regularibus ut ea utantur in bonum proximi: quod si requiritur approbatio, requiritur solum ut conditio recti usus potestatis, non autem ut origo et causa ipsius potestatis.—Ad 2um. *Affirm.*, ut constat ex variis Decretis S. Sedis apud S. Alphonsum, excepta limitatione temporis paschalis.—Ad 3um. distinguendum est: non potest revocare approbationem omnibus Regularibus ejusdem communitatis, inconsulta S. Congregatione Episcoporum, ut constat ex Bulla *Superna.* Potest autem revocare approbationem singulorum Regularium in individuo, sed tantum, justa de causa *confessionem concernente;* idque valet etiamsi Religiosus prævio examine approbatus fuerit. Potest quoque Episcopus, etiam sine justa causa, Religiosum sine prævio examine approbatum, ad examen revocare.—Cf. S. Alphons. *Hom. Ap.* tract. 20. n. 103.—Pignatelli, *Consult. Canon.* vol. 4. consult. 163.

QUAER. 2°. *An Regularis semel approbatus in aliqua diœcesi, nova approbatione indigeat, si, mutata habitatione, eodem redeat?*

RESP. *Neg.*, quia approbatus indefinite et illimitate, remanet approbatus saltem usque ad implicitam approbationis revocationem: atqui in casu præsenti nulla intervenit revocatio, ne implicita quidem. Ergo, etc.—Cf. Lugo, disp. 21. n. 44.—Lacroix, n. 1541.

Adverte tamen quod apud nos constat aliquos Episcopos revocare

velle, et de facto revocare facultates concessas statim ac aliquis sacerdos a diœcesi ita discedit ut non amplius ibi habeat domicilium.

QUAER. 3°. *An valide sæculares absolvat Religiosus, inscio vel invito superiore, ex sola delegatione Episcopi?*

RESP. *Neg.*, si Episcopus intenderit tantum dare approbationem, et aliunde superior ita sit inscius ut non dederit, aut ita invitus, ut nolit dare, vel datam velit auferre a suo subdito jurisdictionem, quia tunc Religiosus a nemine jurisdictionem haberet. *Affirmative* autem est respondendum, si Episcopus intenderit etiam conferre jurisdictionem, ut in hodierna praxi fieri solet. Ratio est, quia Episcopus bene potest jurisdictionem Religioso, non secus ac sacerdoti sæculari, in proprias oves conferre. Quisquis enim jurisdictione ordinaria gaudet, eam cuilibet sacerdoti delegare potest.—Verum Religiosus ille graviter contra obedientiam peccaret, excepto semper casu laudabilis epikeiæ, quia in re gravi præceptum superioris sui transgrederetur; nec in hujusmodi casu posset uti privilegiis, quibus Religiosi gaudent, v. gr., ad absolvendum a quibusdam censuris; quia Religiosus hujusmodi privilegium nonnisi per ipsum superiorem accipit, qui ex hypothesi nullam subdito facultatem tribuit.

Hæc, de quibus olim potuit forte dubitari, nunc certa omnino sunt ex Declaratione S. Congr. EE. et RR.—Cf. *Acta S. Sedis*, vol. 1. p. 683.—Baller. not. (b) p. 463.

QUAER. 4°. *An Regulares absolvere possint, sine Episcopi approbatione, famulos suos vel alios familiares in Monasterio degentes?*

RESP. *Affirm.*, si isti famuli vel alii sæculares sint *velut de familia*, id est, si diu noctuque in domo remaneant, ibique nutriantur, ita ut sint *continui commensales et vivant sub obedientia Religiosorum.* Secus vero si ita non habeantur, ut sunt operarii seu, mercenarii quotidiani, ruricolæ, etc. Constat ex pluries citata Clementis X. Const. *Superna*, § 4. ubi legitur: "In Monasteriis, ac etiam in Collegiis, ubi juxta instituta regularia vivitur, posse tam prælatos regulares quam confessores Regularium eorumdem Monasteriorum seu Collegiorum, audire confessiones illorum sæcularium qui sunt de familia et continui commensales; non autem illorum qui tantum ipsis deserviunt."—Cf. Lacroix, n. 1505.

QUAER. 5°. *An Regulares absolvere possint alumnos convictores sine Episcopi approbatione, utpote de familia?*

RESP. *Affirm.*, juxta sententiam valde probabilem; tum quia alumni seu convictores, cum habeant actu majorem dependentiam a Regularibus, potiori jure dicendi sunt ipsorum familiares, quam famuli proprie dicti; tum quia pluribus Ordinibus Regularibus, quales sunt *Benedictini, Theatini, Congregatio de Somascha, Clerici ministri infirmorum*, etc., imo et nonnullis sæcularibus Congregationibus, uti *Sancti Sulpitii, Sancti Spiritus, etc.*, privilegium competit familiaritatis pro ipsorum convictoribus. Ergo ex communicatione privilegiorum cæteri Ordines Regulares jam tale privilegium consequuntur.—Neque objicias Decisionem S. Congr. EE. et RR. die 21. Jun. 1848. *in Parmensi;* nam respondetur 1°. illam fuisse datam pro casu *specialissimo;* 2°. in ea agi de *juribus* Parochi in causa mortis; et 3°. Parochum ibi innixum fuisse consuetudini.—Cf. Baller. not. (a) p. 465.

APPENDIX II.

DE JURISDICTIONE RESPECTU MONIALIUM.

777. **Dico** 1°. Moniales non possunt confiteri nisi sacerdoti specialiter pro ipsis approbato ab Episcopo, licet sint exemptæ ab ejusdem Episcopi jurisdictione, et Regularibus proprii Ordinis subjectæ. Constat ex Const. Gregorii XV., *Inscrutabili*, et ex aliis Constitutionibus SS. Pontificum. Imo confessarius approbatus pro uno Monasterio non potest valide excipere confessiones Monialium alterius Monasterii, nisi in genere pro Monialibus fuerit approbatus. Hæc confirmavit Clemens X. an. 1670. Bulla *Superna*. Ex decreto autem S. Congr. EE. et RR. die 20. Septembris, 1642. confessarius ordinarius Monialium non potest approbari nisi pro triennio; quo elapso, non potest amplius audire confessiones in eodem Monasterio sine licentia S. Congregationis. Sed quoniam hujusmodi restrictio, non servatur ubique, imo propter penuriam confessariorum præsertim apud nos servari non potest, dicendum est approbationem valere usquedum verbis aut facto revocetur.

Dico 2°. Episcopi et alii Monialium superiores, illi nempe ad quos pertinet confessarii electio et deputatio, tenentur bis aut ter in anno,

ipsis etiam Novitiis, exhibere confessarium extraordinarium. Sic statuit Concilium Tridentinum, sess. 25. cap. 10. *de Regularibus Monialibus,* ubi dicitur: "Præter ordinarium autem confessarium, alius extraordinarius ab Episcopo et aliis superioribus bis aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat."—Hæc statuta confirmarunt alii SS. Pontifices, præsertim Bened. XIV. in Bulla *Pastoralis,* edita 5. Aug. 1748. Debet insuper concedi confessarius particularis Monialibus in articulo mortis, si petant, imo etiam aliquando in vita, si aliqua Monialis id postulet, aut recuset confiteri ordinario; sed tunc pro certis tantum vicibus extraordinarius confessarius deputandus est. De his constat ex Bulla Bened. XIV. *Pastoralis,* modo citata. Neque vero Concilium Tridentinum prohibet, ne præficiantur plures confessarii extraordinarii, neque ultra duas vel tres vices offerantur. Sensus igitur Decreti est, eos ad minus saltem bis vel ter concedendos esse.—Cf. Ferraris, V. *Moniales,* art. 5. n. 33. — S. Alphons. n. 576. et 577.

778. ***Quæsita.***—Quaer. 1°. *An omnes Moniales teneantur se præsentare confessario extraordinario et ipsi confiteri?*

Resp. Tenentur quidem omnes et singulæ se præsentare saltem ad audienda monita salutaria; at non tenentur confiteri. Constat ex eadem Bulla Benedicti XIV, necnon ex Declaratione expressa S. Congr. EE. et RR. die 19. Oct. 1621. Ratio autem hujus dispositionis est, ut consulatur libertati Monialium, quæ ministerio confessarii extraordinarii forte indigeant; secus enim timor vel displicendi confessario ordinario vel in suspicionem incidendi penes alias Moniales, facile eas prohiberet.—Cf. S. Alphons. n. 576.

Quaer. 2°. *Quid dicendum de confessariis Monialium in hisce Statibus degentium?*

Resp. 1°. *Quoad specialem approbationem* in ordinario confessario requisitam, generatim loquendo, ea non est necessaria vi juris communis, quia hujus dispositiones respiciunt tantum Moniales stricte dictas quarum numerus apud nos valde exiguus est. At requiritur certe tum ex statuto Patrum Baltimorensium, tum ex mente S. Sedis quæ ultimis hisce annis in approbandis regulis aliquarum Congregationum, illas dispositiones servari voluit, tum demum ex praxi nostrorum Episcopo-

rum, qui in facultatibus concedendis semper excipiunt vel *expresse* vel *implicite* facultatem audiendi confessiones Monialium quarumcumque. Imo aliqui ex illis hanc exceptionem extendunt ad puellas, quæ causa educationis apud Moniales vivunt.

RESP. 2°. *Quoad confessarium extraordinarium* Episcopus vi juris communis non tenetur illum concedere piis fœminarum Congregationibus quæ nullam habent clausuram, etsi Bened. XIV. eos enixe hortetur ut ad quaslibet Monialium communitates extendant legem Tridentinam. Si vero sermo sit de Monialibus claustratis videtur pro Episcopo stricta adesse obligatio illis procurandi aliquem confessarium extraordinarium, non proprie quia urget lex Tridentina, sed quia, stante clausura, verificatur ratio propter quam lex Tridentina lata fuit. Ceterum apud nos iisdem motivis quibus requiritur specialis approbatio pro confessario ordinario, requiritur etiam, et de facto conceditur confessarius extraordinarius.—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. n. 417.—Cretoni, notas ad n. 565. et seqq.—Craisson, *Manual.* n. 1587. 1592. et 2972.—Bened. XIV. Const. *Pastoralis.*

QUAER. 3°. *An absolvi possint a quolibet confessario Moniales claustratæ, dum casu extra Monasterium versantur?*

RESP. *Affirm.*, quia Constitutiones Gregor. XV. *Inscrutabili*, et aliorum SS. Pontificum, quæ prohibent ne Moniales confiteantur alteri sacerdoti quam specialiter ab Episcopo pro Monialibus approbato, non videntur intelligendæ nisi *de Monialibus in Monasteriis degentibus*; supponunt enim quod Moniales semper intra claustrum versentur. Quilibet igitur confessarii, licet pro Monialibus non approbati, absolvere possunt Moniales *per accidens* ad se venientes.—Cf. Lacroix, n. 1527.

ARTICULUS III.

DE CASIBUS RESERVATIS.

779. Reservatio est restrictio seu limitatio jurisdictionis, sive negatio potestatis absolvendi a certis peccatis, salva potestate absolvendi a cæteris.

§ I. De principio et natura reservationis.

780. *Dico* 1°. Datur in Ecclesia potestas reservandi certos casus sive causas criminum graviorum, a quibus inferiores confessarii absque speciali facultate absolvere nequeunt. Hæc autem potestas *per se*

competit Episcopis, et iis omnibus et solis qui ordinariam habentes fori interni jurisdictionem, eam possunt alteri delegare. Ratio *utriusque* evidens est, nam illius est limitare potestatem, qui potest eam totam conferre. Constat insuper ex Conc. Trid. sess. 14. can. 11. et cap. 7.

Dico 2°. Tria requiruntur, saltem ex consuetudine Ecclesiæ, ut peccatum aliquod possit reservari, scilicet, ut sit 1°. mortale non modo ratione objecti, sed etiam malitiæ in actu voluntatis; 2°. externum, et quidem grave qua externum; 3°. opere consummatum, non vero tantum attentatum, nisi aliud constet ex declaratione expressa reservantis.—Cf. S. Alphons. n. 582.—Baller. not. (a) (b) et (c) p. 470.

781. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *An Parochi possint reservare casus?*

RESP. *Affirm.*, absolute loquendo, in sua parochia, quia ipsis competit jurisdictio ordinaria; verum sicut inutilis fere evasit, prout supra monuimus, ipsorum facultas delegandi, nam ad confessiones audiendas essentialiter requiritur approbatio, quæ ab Episcopis solis concedi potest, ita etiam et facultas casum aliquem sibi reservandi; quapropter eam exercere non solent.—Dixi *absolute loquendo*, quia ferre statuta vel leges, quibus certi casus stabiliter reserventur, ii soli possunt qui jurisdictionem habent in utroque foro interno et externo quam Parochi non habent.—Cf. Lugo, disp. 20. n. 1. et seqq.—Salmant. cap. 13. n. 2.

QUAER. 2°. *An Episcopi possint indiscriminatim quemcumque casum sibi reservare?*

RESP. *Neg.*, et quamvis, ut ait Benedictus XIV. non possit quoad hoc certa regula præscribi ubique custodienda, attamen instar regulæ esse possunt quædam generalia monita et Decreta, quæ a Romanis Congregationibus hac super re emanarunt, et ex quibus colligitur Episcopos non posse, nec debere multa peccata, scilicet plus quam decem vel duodecim sibi reservare, neque passim, sed atrociora tantum crimina, quæque jam non fuerint a Romano Pontifice reservata, et quorum reservatio, inspectis moribus et circumstantiis diœcesis, in ædificationem sit non vero in destructionem.—Cf. Bened. XIV. *de Synod. diœces.* lib. 5. cap. 5.—Baller. not. (a) p. 115.

QUAER. 3°. *Utrum casus omnes reservati, reservati fuerint propter censuram, an independenter ab ea?*

Resp. Plerique casus episcopales sunt simpliciter reservati sine censura; casus autem papales fere omnes censuram habent, et principaliter propter censuram reservantur, ita ut in iis reservetur immediate censura et mediate seu accessorie ipsum peccatum. Hinc in casibus papalibus, reservata censura, etiam peccatum manet reservatum; e contrario vero, sublata censura, v. gr., ex eo quod ignorata fuerit, neque peccatum est reservatum, quia, sublato reservationis objecto, id est censura, jam peccatum non manet reservatum. Casus autem Papæ reservati absque censura sunt duo: *primus* est cum quis recipit munera in materia gravi a Regularibus utriusque sexus, quamdiu saltem accepta restituere nolit, nam si restituere consentiat nulla est reservatio; *secundus* autem est, si quis vel per se vel per alium calumniose accuset aut denuntiet de sollicitatione confessarium innocentem. —Cf. S. Alphons. n. 580.

Quaer. 4°. *An ignorantia simplicis reservationis, quæ scilicet facta fuerit independenter a censura, ab ea incurrenda excuset?*

Resp. Valde controvertitur, et duplex datur sententia. *Prima* sententia juxta S. Alphonsum *communior* omnino negat ignorantiam *per se* excusare: 1°. quia reservatio afficit directe et immediate confessarium; 2°. quia omnes, aut saltem pleræque reservationes sunt medicinales, et non pœnales; 3°. quia nullus confessarius qui non habeat facultates speciales audet absolvere a peccatis reservatis eos qui ignorant reservationem, et Card. de Lugo, disp. 20. n. 9., asserit talem esse praxim omnium Religionum. Concedunt tamen non pauci patroni hujus sententiæ, aliquando fieri posse ut simplex reservatio *per accidens* in pœnam assumatur, sed exigunt ut id ex verbis legis aperte colligatur, scilicet, si superior expresse prohiberet aliquod peccatum, et postea in ejus odium reservationem infligeret, prout fecit, inquiunt, Sixtus V. in Bulla contra male promotos ad Ordines.—Verum *altera* sententia, quæ profecto videtur *probabilis*, affirmat; et ejus patroni ita respondent ad rationes allatas. Ad 1^{am}. dicunt reservationem afficere directe confessarium certum esse; at hoc non probare superiorem voluisse etiam casum ignorantiæ comprehendere; ad 2^{am}. non constare simplicem reservationem esse medicinam, sed eam optime posse concipi vel ut *pœnam*, vel ut *pœnam simul et medicinam;* ad 3^{am}. falsum esse talem esse generalem omnium praxim, et Lugonem loqui de *Religionibus* ubi ratio

perfectionis assequendæ aliud potest suadere.—Cf. S. Alphons. n. 581. —Salmant. tract. 18. cap. 4. n. 9. et seqq.—Lugo, disp. 20. n. 11.—Sporer, q. 9. art. 3. n. 3.—Roncaglia, q. 7. cap. 2. q. 4.—Baller. not. (a) (b) et (c) p. 473.

QUAER. 5°. *An ignorantia saltem excuset a reservatione quando hæc cum censura conjungitur?*

RESP. *Affirm.*, pro casibus *papalibus*, quia casus papales, exceptis duobus superius memoratis, non solum cum censura reservantur, sed etiam propter censuram, a qua certe excusat ignorantia, ut dicetur in tractatu de censuris, ac proinde, sublata censura, nulla remanet reservatio. Pro casibus vero *episcopalibus*, si potestas sola seu jus spectatur, certum est posse Episcopos, sicut et Papam sibi reservare peccata propter censuram adnexam, et tunc ignorantia a reservatione excusaret. Utrum reipsa hoc generatim faciant, non una est Doctorum sententia. S. Alphonsus quidem censet sententiam negantem esse veriorem; at alii non pauci dissentiunt. Melius forte dicetur cum Suarezio, in simili quæstione, id ex circumstantiis esse dijudicandum, ac proinde consideranda esse verba reservationis et consuetudinem.—Cf. S. Alphons. n. 580. et seqq.—Suarez, disp. 29. sect. 3. n. 7.

QUAER. 6°. *An censendum sit reservatum peccatum in dubio de reservatione?*

RESP. *Neg.*, sive dubium sit *facti*, scilicet si peccatum fuit dubie commissum, aut dubie grave: sive sit *juris*, id est, versetur circa existentiam legis reservantis, ejusque extensionem. Ratio utriusque solutionis est, quia reservatio est quid odiosum, ac proinde est strictæ interpretationis.—Cf. S. Alphons. n. 600.—Elbel, n. 343.

QUAER. 7°. *Utrum absolvi possit subditus alterius diœcesis, si casus est reservatus tantum in loco confessionis?*

RESP. Communius et longe probabilius recentiores *negant.* Ratio est, quia confessarius, ut diximus superius, habet jurisdictionem in peregrinos, non, ut olim fiebat, ab indirecta proprii eorum Episcopi concessione, qui proficiscentibus permittebat ut confessarium in via sibi eligerent; sed a voluntate Ecclesiæ, quæ, per consuetudinem universalem legitime præscriptam, permittit et vult ut peregrini in ordine ad confessionem habeantur tanquam incolæ loci in quo versantur. Non potest igitur eos absolvere confessarius qui jurisdictionem habet ab

hujus loci Episcopo restrictam. Ita S. Alphonsus, n. 588.—*Affirmant* tamen quidam cum antiquorum communissima sententia. Ratio horum est, quia confessarius absolvit hunc pœnitentem jurisdictione indirecte communicata ab hujus Ordinario, qui peccatum illud sibi non reservavit, ac proinde jurisdictionem quoad illud non restrinxit.—Cf. Baller. not. (a) p. 478.

QUAER. 8°. *An absolvi possit subditus alterius diœcesis, quando peccatum reservatum est in ipsius diœcesi, non autem in loco confessionis?*

RESP. *Affirm.*, et quidem *certo* a Regularibus vi privilegii ipsis concessi in Const. *Superna* Clement X.; *probabilius* autem et *verius* juxta S. Alphonsum, etiam a confessariis sæcularibus vi consuetudinis universalis, qua peregrini, quoad confessionem, reputantur ut incolæ loci quo versantur. Semper tamen excipiendus est casus fraudis, ut inferius dicetur.—Cf. S. Alphons. n. 589.

QUAER. 9°. *An Prælati aut superiores regulares possint reservare casus in suo Ordine vel Monasterio?*

RESP. Possunt nonnullos tantum reservare a Clem. VIII. determinatos, qui sunt undecim numero et ita enuntiantur:

"Veneficia, incantationes, sortilegia.

"Apostasia a Religione, sive habitu dimisso, sive retento, quando eo pervenit, ut extra septa Monasterii seu Conventus fiat egressio.

"Nocturna ac furtiva e Monasterio seu Conventu egressio, etiam non animo apostatandi facta.

"Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale.

"Juramentum falsum in judicio regulari seu legitimo.

"Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam effectu non secuto.

"Falsificatio manus aut sigilli Officialium Monasterii aut Conventus.

"Furtum de rebus Monasterii seu Conventus in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale.

"Lapsus carnis voluntarius opere consummatus.

"Occisio aut vulneratio, seu gravis percussio cujusque personæ.

"Malitiosum impedimentum aut retardatio aut aperitio litterarum a Superioribus ad inferiores, et ab inferioribus ad Superiores."

Præter ista nequeunt a superioribus reservari alia peccata sine consensu Capituli generalis pro toto Ordine.—Cf. Baller. not. (a) p. 514.

§ II. De Absolutione Reservatorum.

782. ***Dico*** 1°. Absolvere possunt a casibus reservatis de potestate ordinaria 1°. ipsi reservantes; 2°. eorum successores in eadem potestate; 3°. eorum superiores. Ratio est, quia ad auferendam reservationem eadem potestas requiritur et sufficit, ac ad eam ponendam.

Dico 2°. Episcopi, vel eorum delegati, absolvere possunt etiam a casibus papalibus *occultis*, exceptis tamen iis qui *specialiter* reservantur R. Pontifici in Const. *Apostolicæ Sedis.* Constat ex § *Firmam* prædictæ Constitutionis, ubi confirmatur concessio Episcopis facta a Conc. Trid. sess. 24. *Decreto de Reform.* cap. 6. *Liceat.*—Episcopi autem nostri non ex jure, sed ex indulto apostolico ampliores habent facultates.

Dico 3°. Confessarius quilibet, etiam Regularis, absolvere non potest a casibus *proprie episcopalibus*, nisi ab Episcopo ipso facultatem acceperit, etiamsi absolvere possit a quibuscumque casibus Papæ reservatis. Constat ex Bulla *Superna* Clem. X. ubi dicitur: "Habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis, non ideo a casibus ab Episcopo reservatis possunt absolvere."

783. ***Quæsita.***—Quaer. 1°. *An Episcopi possint aliquando absolvere a casibus papalibus etiam* notoriis *seu* publicis?

Resp. *Affirm.*, et quidem sive sint *simpliciter*, sive *specialiter* Papæ reservati, sed tunc tantum quando fideles legitime impediuntur adire Sedem Apostolicam *personaliter.* Constat ex regula a Doctoribus communiter recepta: *Casus papalis, superveniente impedimento adeundi Papam, fit episcopalis.* Ratio autem hujus regulæ est ne propter dilationem pœnitentiæ immineat periculum animarum.—Dixi *personaliter*, quia tuto teneri potest cum S. Alphonso non adesse obligationem petendi absolutionem a Sede Apostolica per internuntium aut epistolam. —Cf. S. Alphons. *de Censuris* n. 85.—Viva, in prop. 3. damnat. ab Alex. VII.—Varceno, vol. 1. p. 127. et seqq.

Porro impedimentum adeundi Romam potest esse vel *perpetuum*, vel simpliciter *diuturnum.* Si primum, nempe si sermo sit de senibus, pauperibus, infirmis, Regularibus, mulieribus, etc., etc., Episcopus potest *directe* absolvere a casu papali, et absque ullo onere imposito pœnitenti. Si vero impedimentum sit diuturnum, cujus duratio computatur a sex mensibus ad quinquennium, Episcopus absolvit quidem *directe,*

sed præstito juramento, aut etiam simplici promissione ab eo qui absolvitur comparendi coram Pontifice.—Quod si impedimentum est brevis durationis, nempe unius diei ad sex menses, tunc non solum Episcopus, sed quicumque sacerdos potest absolvere, sed *indirecte* tantum, et verificatis circumstantiis de quibus statim dicetur in sequenti solutione.—Cf. S. Alphons. ibid. n. 86. et 88.—Viva, ibid.—Varceno, ibid.

QUAER. 2°. *An aliquando inferior, scilicet sacerdos non habens potestatem absolvendi a reservatis, possit absolvere habentem peccata reservata, extra mortis periculum?*

RESP. Potest quidem quandoque absolvere, nempe quoties facultas peti nequit a superiore, et alioquin adest periculum in mora, vel grave imminet incommodum; et hoc valet etiamsi peccatum cum excommunicatione reservatum esset. Ratio est, quia Ecclesia, pia mater, et quilibet superior, non potest censeri velle obligare ad aliquid moraliter impossibile, vel ad tantum incommodum subeundum. Casus autem, in quibus inferior sic absolvere potest, sunt præsertim 1° periculum infamiæ, vel scandali, v. gr., ex omissione celebrationis Missæ; 2° necessitas adimplendi præceptum confessionis vel communionis; 3°. timor ne pœnitens remaneat diu in statu peccati mortalis.—Non potest tamen in tali casu absolvere nisi *indirecte* a reservatis, quamvis *directe* ab aliis absolvat. Ratio est, quia non habet jurisdictionem in reservata; nec censetur hanc supplere Ecclesia; nulla enim est supplendi necessitas, cum pro necessitate præsenti sufficiat absolutio indirecta reservatorum; et aliunde Conc. Trid. sess. 14. cap. 7. expresse declaravit; "extra mortis articulum, sacerdotes nihil posse in casibus reservatis."—Hinc:

1°. Non potest tunc absolvere confessarius, nisi cum onere, ut data opportunitate pœnitens se sistat superiori vel alteri habenti facultatem absolvendi a reservatis.

2°. Si pœnitens non habeat nisi peccata reservata, non potest absolvi, nisi submittat clavibus aliud peccatum saltem veniale vitæ præteritæ directe remittendum. Secus enim nulla daretur sacramenti materia.—Cf. S. Alphons. n. 585.

QUAER. 3°. *An reservatione ligatus, in necessitate communicandi aut celebrandi, teneatur confiteri confessario simplici, alio deficiente?*

RESP. Probabilius non tenetur confiteri, si nullum aliud peccatum mortale habeat, nisi reservatum; quia ad confessionem neque tenetur

ratione peccati reservati, quod directe remitti nequit, neque ratione venialium aut mortalium jam remissorum, quippe quæ non sunt materia necessaria confessionis. Tenetur tamen certe ad actum contritionis, et si advertat se habere solam attritionem, tenebitur confiteri saltem veniale vel mortale jam alias remissum, ut sic indirecte a reservatis absolvatur, et in statu gratiæ communicet. Verum tenetur confiteri, si habeat mortalia tum reservata, tum non reservata. Ratio est, quia urget strictum præceptum præmittendi confessionem communioni, et a quo nulla datur legitima excusatio. — Dixi *tenetur confiteri*, quin adderem *omnia peccata;* nam probabile est non adesse in tali casu obligationem confitendi peccata etiam reservata. Ratio est, tum quia alias quis teneretur bis peccata illa confiteri, scilicet inferiori et superiori, tum quia non videtur esse obligatio accusandi peccata illa de quibus nequit confessarius judicare.—Cf. S. Alphons. 265. et 585.

QUAER. 4°. *An absolutus a reservatis in articulo mortis ab inferiori, teneatur se sistere superiori, si convalescat?*

RESP. *Neg.*, quoad *simplicem reservationem*. Ratio est, quia ex Conc. Trid. in articulo mortis nulla est reservatio, ac proinde nullum reservationis onus, nisi aliunde probetur. *Affirmant* vero communiter Doctores quoad *censuras* reservationi adnexas, ex *cap. Eos qui*, 22. *de Sententia excommunic.*, in 6°., ubi nemo in articulo mortis a censura reservata absolvitur, nisi ea lege ut, cum cito commode poterit, conspectui superioris se præsentare curet, ejus mandatum humiliter suscepturus. Hinc si convalescat, ad superiorem recurrere debet, et quidem sub pœna iterum incidendi in censuras, nisi usus legitimus ab hac obligatione eximat. Attamen nonnulli theologi limitant hanc obligationem se sistendi superiori pro casu *percussionis clerici*, aut pro alia reservatione quam forte exceperit legislator. Id eruunt tum ex Conc. Trid. a quo declaratum fuit sine ulla restrictione, omnem reservationem in periculo mortis cessare, tum præsertim ex Rituali Romano, quod obligationem se sistendi superiori non absolutam, sed conditionatam clare innuit. Accedit quod in Const. *Apostolicæ Sedis* clausula innuens hanc obligationem ponitur tantum post casus *speciali modo* Papæ reservatos; quæ exceptio videtur confirmare sententiam eorum qui pro aliis casibus hanc obligationem non admittunt.—Cf. Varceno, vol. 2. p. 178.—Baller. not. (a) p. 525.

Quaer. 5°. *An inferior absolvere possit moribundum a reservatis, præsente superiore, aut alio facultatem habente?*

Resp. *Affirm.*, sive agatur de *simplici reservatione*, sive agatur de reservatione *cum censura*, neque necessarium est recurrere ad Episcopum si casus sint papales. Ratio est, quia in articulo mortis nulla est reservatio, ut patet ex sæpe citatis verbis Conc. Trid.: "In Ecclesia Dei semper custoditum fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis; atque ideo *omnes* sacerdotes *quoslibet* pœnitentes a *quibuslibet peccatis* et *censuris* absolvere possunt."—Attamen S. Alphonsus dissentit ab hac solutione quatenus spectat ad casum reservationis cum censura.—Quidquid sit utile sane foret adhibere confessarium qui potestate in reservata polleat, quia sic adimitur necessitas adeundi superiorem post sanitatem forte restitutam, si quidem agatur de iis reservatis quæ id exigant.—Cf. S. Alphons. n. 596.—Baller. not. (a) p. 532.

Quaer. 6°. *An tollatur reservatio per confessionem nullam aut sacrilegam?*

Resp. *Affirm.*, ad utrumque, juxta sententiam probabilem. Ratio est, quia reservatio ad hoc principaliter ordinatur, ut peccata superiori deferantur. Excipe tamen 1°. si pœnitens culpabiliter reticeat ipsum peccatum reservatum, quia minime præsumitur superior in sacrilega ejusmodi confessione velle auferre reservationem peccati sibi de industria non delati; 2°. si confessio invalida fiat in jubilæo, quia Pontifex non dat facultatem absolvendi a reservatis, nisi ut fideles jubilæum lucrentur, ac proinde secus non censetur velle eam concedere. Verum alii theologi, quos inter Card. de Lugo, aliter sentiunt quoad secundam hanc exceptionem, quam ponit S. Alphonsus, modo pœnitens habeat animum lucrandi jubilæum, scilicet confitendi postea valide ac ponendi omnia alia requisita.—Cf. S. Alphons. n. 598.—Lugo, disp. 20. n. 113. —Baller. not. (a) p. 533.

Quaer. 7°. *An tollatur reservatio, si pœnitens, confitendo apud superiorem, obliviscatur confiteri casum reservatum?*

Resp. *Affirm.*, saltem probabiliter, quia recte præsumitur, superiorem voluisse liberare pœnitentem ab omni vinculo, a quo absolvere ipsum potest.—Cf. S. Alphons. n. 597.

Quaer. 8°. *An qui confessus est inferiori peccatum dubie reservatum, omnino liberetur a reservatione, etiamsi postea illud agnoscat ut certum?*

RESP. *Affirm.*, probabilius, quia cum peccatum dubie reservatum est accusatum, jam directe absolutum est, et proinde directe ablata est reservatio.—Cf. S. Alphons. n. 600.

QUAER. 9°. *An absolvi possint peregrini a peccato reservato, si in propria diœcesi peccaverint et alio ad confitendum perrexerint in fraudem?*

RESP. *Neg.*, ut aperte constat ex sæpe jam citata Bulla *Superna* Clementis X.—Quid autem proprie sit *pergere in fraudem*, non conveniunt Doctores; sed juxta probabiliorem sententiam dicendum est fraudem ejusmodi tunc intercedere quando quis alienam petit diœcesim ob principalem finem non solum confitendi, sed etiam declinandi judicium proprii Pastoris. Hinc valide absolvi poterit peregrinus, si abierit in alienam diœcesim ob aliquem honestum finem, puta negotii agendi, vel lucrandæ indulgentiæ causa, vel ut confiteatur minori cum incommodo, aut citius confessionem perficiat, vel ut confessarium incognitum aut prudentiorem inveniat, qui melius eum dirigat, et tranquillitati suæ conscientiæ consulat, aut ob alia motiva similia.—Cf. S. Alphons. n. 589.

QUAER. 10°. *An si superior Regularis, requisitus a confessario pro facultate absolvendi ab aliquo casu reservato, eam recusaret, possit nihilominus confessarius subditum absolvere?*

RESP. *Affirm.*, ut constat ex declaratione Clementis VIII., quæ ita se habet: "Sanctitas sua deinceps declaravit et declarat, ut si hujusmodi Regularium confessariis casus alicujus reservati facultatem petentibus superior dare noluerit, possint nihilominus confessarii illa vice pœnitentes Regulares, etiam non obtenta a superiore facultate, absolvere." Ad hæc adverte 1°. sensum particulæ *illa vice* esse non quod *unica* tantum vice id a Pontifice concedatur, sed quoties facultas pro eodem vel alio pœnitente petatur et negetur, toties confessarius absolvere possit. Adverte, 2°. hoc valere etiam pro confessario Monialium, sive earum ordinarius sit Regularis, sive sit loci Episcopus.—Cf. Ferraris, V. *Prælatus Regularis*, n. 58.—Pellizzar. *de Monial.* cap. 9. n. 29.—Baller. not. (a) p. 514.—Varceno, vol. 2. p. 181.

APPENDIX I.

DE ABSOLUTIONE PROPRII COMPLICIS IN PECCATO TURPI.

784. **Dico.** Nullus confessarius absolvere potest complicem suum in peccato turpi; ita ut absolutio, si qua datur et invalida sit et illicita; qui autem absolvere præsumit, excommunicationem Papæ reservatam ipso facto incurrit. Constat ex Constitutione Benedict. XIV., *Sacramentum Pœnitentiæ*, 1. Jun. 1741. Item ex alia Constitutione ejusdem Pontificis, *Apostolici muneris*, 8. Febr. 1745.—Ex Bulla autem Pii IX. *Apostolicæ Sedis*, prædicta excommunicatio *speciali modo* Pontifici reservatur, imo ex duobus Decretis Congr. S. U. Inquisitionis, 17. Jun. 1866. et 4. Apr. 1871. declaratum fuit hunc casum, non secus ac alium, de eo qui calumniose denuntiavit sacerdotem aliquem de crimine sollicitationis, contentos in Const. *Sacramentum Pœnitentiæ*, semper in posterum esse excipiendos etiam in amplissimis facultatibus quæ Episcopis et missionariis conceduntur. Quare hic casus hodie dicitur *specialissimo modo* Romano Pontifici reservatus.—Cf. Varceno, vol. 2. 436.

785. **Quæsita.**—Quaer. 1°. *Quid hac in re veniat nomine peccati turpis?*

Resp. Venit omne peccatum grave contra sextum Decalogi præceptum, etiamsi non sit copula consummatum. Requiritur autem, ut ex utraque parte adsit peccatum mortale non modo internum, sed etiam in ratione actus externi, et cum formali complicitate, id est cum mutuo consensu exterius manifestato. Utrum autem simplex colloquium turpe etiam comprehendatur, non una est sententia theologorum. Negantem sententiam tenet Amort, eamque dicit conformiorem verbis Benedicti XIV. *de Synod. diœces.* lib. 7. cap. 14. ubi hoc crimen describitur. Accedit quod in *Collect. Decisionum*, vol. 1. p. 101. cas. 6., quæ, Bononiæ, ubi mens Benedicti XIV. magis quam alibi nota erat, datæ fuerunt, hæc eadem sententia defenditur rationibus non spernendis. Nam per peccatum turpe, ibi dicitur, communiter intelligitur actio quædam turpis, non autem sermo turpis, qui proprie vocatur *turpiloquium;* adde quod Bendictus XIV. contra sacerdotes sollicitantes animadvertens, cum voluerit etiam turpiloquium comprehendere, de eo specialem men-

tionem fecit. Quare sententia hæc probabilis videtur, ac proinde si quis, v. gr., turpi collocutione conveniat cum aliquo sacerdote de seducenda quadam muliere, et postea eam de facto ambo seduxerint atque peccaverint, posset tamen ab eo valide absolvi, quia ex una parte non fuit complex sed tantum *socius* peccati turpis; et ex alia turpiloquium in quo proprie verificata est complicitas, probabiliter non comprehenditur in hac lege.—Cf. Amort, *de pœnit.* disp. 10.

QUAER. 2°. *An nomine complicis veniant non solum mulieres, sed etiam viri?*

RESP. *Affirm.*, quia verba Bullæ sunt omnino generalia; in ea enim dicitur: "Qui confessionem sacramentalem personæ complicis in peccato turpi contra sextum præceptum excipere audeat eique absolutionem impertire."—Ergo Constitutionis dispositio ad sexum muliebrem non est restringenda.—Ita communiter.

QUAER. 3°. *An sacerdos debeat dici complex cum peccatum turpe commissum fuit ante susceptionem Ordinum sacrorum, sed nunc primum apud eum clavibus subjicitur?*

RESP. *Affirm.*, ut videtur, quia lex debet intelligi prout verba sonant, et juxta finem quem intendit legislator. Porro sacerdos erit semper vero sensu complex, quamdiu vivit; et finis legis est impedire periculum peccandi, et dignam sacramenti administrationem procurare; atqui finis iste certe non obtineretur si sacerdos posset suum antiquum complicem adhuc turpi hoc peccato inquinatum absolvere. Præterea per susceptionem Ordinum facta est aliqua mutatio in sacerdote tantum; sed in hac quæstione non attenditur, ut iterum possit dari jurisdictio, nisi ad mutationem pœnitentis.—Cf. Ituriaga, vol. 5. cas. 47.

QUAER. 4°. *An sacerdos possit absolvere complicem in articulo vel periculo mortis?*

RESP. *Affirm.*, valide et licite, si non possit advocari alius sacerdos, qui munus confessarii obire possit; vel si potest quidem advocari sed non absque scandalo. Si vero adsit sacerdos alter etiam non approbatus, qui confessionem excipere queat, tunc sacerdos complex absolvet quidem valide, sed illicite, pœnasque non effugiet. Constat ex dictis Constitutionibus Benedict. XIV.—Cf. S. Alphons. n. 553.

QUAER. 5°. *An sacerdos complex possit absolvere extra mortis pericu-*

lum ratione scandali, quod secus haberetur, vel propter aliquod gravissimum incommodum, quod vel ipse vel pœnitens incurreret?

RESP. *Neg.*, prorsus, et ratio est, quia ubi legislator expresse excipit unicum casum, scilicet mortis, cæteros omnes eo ipso comprehendit. Quid ergo, num in casu veræ complicitatis, et veri periculi infamiæ tenebitur sacerdos seipsum prodere? Neque hoc est necessarium, sed poterit tunc vel remittere pœnitentem ad alium confessarium prætextu aliquo, vel simpliciter ei dicere se non habere facultates requisitas, vel si sermo est de scandalo quod alii sumerent ex eo quod pœnitens non accedit ad communionem et alius confessarius non adest, poterit ei permittere communionem, præmisso actu contritionis.

QUAER. 6°. *An sacerdos absolvere possit complicem ab aliis peccatis sibi extraneis, postquam ille semel ab alio rite fuerit absolutus?*

RESP. *Affirm.*, per se, qui a caret tantum jurisdictione in hunc pœnitentem quamdiu hic peccato complicitatis innodatus remaneat, sed illo deleto per absolutionem ab alio sacerdote directe impertitam, jam cessat prohibitio, et redit jurisdictio.—Dixi *per se*, quia ex jure particulari, vi Decreti ad nostros Ordinarios dati, et inferius citandi, injungi debet sacerdoti qui attentaverit absolvere suum complicem, ut *ab audiendis personæ complicis confessionibus omnino abstineat.*—Cf. S. Alphons. n. 555.—*Conc. Plen. Balt.* II. p. cxlvi. IV.

QUAER. 7°. *An incurrat excommunicationem sacerdos confessionem complicis audiens quidem, sed eum non absolvens, sed tantum benedicens?*

RESP. Communior sententia theologorum cum S. Alphonso tenet hujusmodi sacerdotem non incurrere excommunicationem, et ratio eorum est quia fere in omnibus documentis ecclesiasticis ubi sermo est de hac excommunicatione ponuntur simul duo hæc, scilicet *audire confessionem*, et *absolvere*, et si quandoque unum omittitur, non est secundum sed primum quod omittitur.—Verum ex recenti responsione S. Pœnitentiariæ data 1. Martii, 1878. habetur: "Confessarios simulantes absolutionem complicis in peccato turpi non effugere excommunicationem reservatam in Bulla S. P. Benedicti XIV. *Sacramentum Pœnitentiæ.*"—Cf. S. Alphons. n. 556.—*Nouvelle Revue theol.* vol. 14. p. 139. et. seqq.

QUAER. 8°. *Quid dicendum de duplici sequenti casu, scilicet;* 1°. *de sacerdote qui suum complicem peccatum complicitatis bona fide accusantem*

absolveret, quin adverteret ipsum esse suum complicem; 2°. de sacerdote qui complicem absolveret peccati complicitatis inculpabiliter oblitum, quamvis adverteret non solum ipsum esse suum complicem, sed etiam esse peccati oblitum?

RESP. Communior et longe probabilior sententia theologorum huc usque tenuit hujusmodi confessionem in duplici casu invalidam esse, quia deesset jurisdictio, et excommunicationem incurri, quia vere absolveretur complex. Attamen Scavini, lib. 3. tract. 10. n. 554., Varceno, vol. 2. p. 183. cum paucis aliis contrarium docent; nam dicunt in 1°. casu, stante inadvertentia, deest *præsumptio* et *temerarius ausus* prout Bulla Benedicti XIV. requirit, et in 2°. absolutio proprie non cadit directe super peccatum complicitatis. Porro huic ultimæ sententiæ videtur hodie standum esse, ex recenti responsione S. Pœnitentiariæ data 16. Maii, 1877. Etenim proposito sequenti dubio:

"An incurrat censuras in absolventes complicem in peccato turpi latas, qui complicem quidem absolvit, sed complicem qui complicitatis peccatum in confessione non declaravit? Ratio dubitandi esse videtur, quia talis sacerdos, etiamsi complex sacrilege hujus peccati confessionem omitteret, et ipse culpabiliter ab interrogando abstineret, non tamen absolvit ab hujusmodi complicitatis culpa, utpote non declarata, nec subjecta clavibus."

S. Pœnitentiaria respondit: "Privationem jurisdictionis absolvendi complicem in peccato turpi, et adnexam excommunicationem quatenus confessarius illum absolverit, esse in ordine ad ipsum peccatum turpe in quo idem confessarius complex fuit. Tenetur nihilominus confessarius sacerdoti, qui hac ratione complicem, non tamen a peccato complicitatis, absolvit, omni studio ob oculos ponere enormitatem delicti sui, et abominabilem abusum sacramenti Pœnitentiæ, nec aliter ei beneficium absolutionis impertiri, quam præmissa gravissima adhortatione ut officium confessarii dimittere studeat, necnon imposita obligatione ut a confessionibus complicis audiendis in posterum omnino abstineat, monita eadem persona complice, si denuo compareat, ut de peccato complicitatis, et cæteris invalide confessis, apud alium confessarium se accuset."—Cf. *Nouvelle Revue theol.* vol. 13. p. 577.

QUAER. 9°. *Quid in hac regione practice agendum sacerdoti qui in*

talem excommunicationem inciderit, vel confessario ad quem habetur recursus pro remedio?

Resp. Attendendum est stricte ad Decretum datum a Congr. de Prop. Fide, anno 1868., cujus præcipua pars ita se habet: "Sanctitas sua singulis Archiepiscopis, Episcopis, ac Vicariis Apostolicis Statuum memoratorum [Fœderatorum Americæ Septentrionalis], facultatem benigne concessit, qua illorum quisque pro quindecim casibus in propria Diœcesi vel Vicariatu uti possint, sive per se, sive per suum Vicarium Generalem, sive per idoneos confessarios, a se vel a dicto Vicario ad hoc specialiter, et cum expressa mentione Apostolicæ Auctoritatis deputandos, absolvendi nimirum a censuris et pœnis ecclesiasticis sacerdotes, qui personæ complicis in peccato turpi confessiones excipere, eamque absolvere ausi fuerint, et cum iisdem super irregularitate a violatione dictarum censurarum quomodocumque contracta misericorditer dispensandi; sub ea tamen lege, ut sic absoluti et dispensati infra duos menses, vel aliud congruum tempus a dispensante decernendum, directe, vel per medium proprii confessarii, suppressis nominibus, ad S. C. de P. Fide recurrere, eique explicare, quot personas complices in re turpi, et quoties a peccato complicitatis absolverint, et mandatis ejusdem S. C. desuper ferendis obedire teneantur; sub reincidentia in easdem censuras et pœnas, si contravenerint; injuncta singulis pro modo culparum congrua pœnitentia salutari, quodque ab audiendis personæ complicis confessionibus omnino abstineant, aliisque injunctis de jure injungendis."—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. p. cxlvii.

Exemplar litterarum quæ ad normam prædicti Decreti essent a confessario scribendæ post impertitam absolutionem.

Eminentissime Princeps,

Ego infrascriptus sacerdos ex facultate Apostolica mihi a Reverendissimo Episcopo N. N. communicata juxta tenorem Decreti S. Congr. de Propaganda Fide dati die 24. Jan. anni 1868., absolvi Titium sacerdotem ab excommunicatione lata contra absolventes complicem in peccato turpi. Nunc vero juxta normam et præscriptum prædicti Decreti, notum facio Eminentiæ Vestræ eumdem Titium sacerdotem unum tantum (vel duos, tres, etc.) complicem, eumque semel (vel bis, ter, etc.) absolvisse. Addo etiam eumdem Titium facti omnino pœnituisse,

et paratum se ostendere mandatis omnibus exequendis, quæ Eminentia Vestra vellet ei injungere.

Eminentiæ Vestræ manus reverenter deosculans summa qua par est devotione permaneo

Eminentiæ Vestræ

Addmus obseqmus servus

N. N. . . . Ecclesiæ N. N.

Nota 1°.—*Epistola semel sigillo obserata dari potest, imo expedit ut detur Episcopo a quo accepta fuit facultas absolvendi, ut ab eo, si placuerit Romam mittatur, iis cautelis adhibitis, quas res tanti momenti necessario postulat.*

Nota 2°.—*Non omnes forte Episcopi habent prædictas facultates, quia forte non omnes eas petierunt ad normam citati Decreti.*

APPENDIX II.

DE SOLLICITATIONE IN CONFESSIONE.

786. *Dico* 1°. De jure Ecclesiæ communi omnes sacerdotes sollicitantes ad peccandum contra sextum Decalogi præceptum *cum relatione ad confessionem*, denuntiandi sunt superioribus ecclesiasticis. Constat ex Bulla Gregor. XV. *Universi gregis*, data anno 1622., quæ confirmata est per Constitutionem Benedict. XIV. *Sacramentum Pœnitentiæ.* Sic enim Gregorius XV: "Mandamus omnibus locorum Ordinariis, ut diligenter inquirant et procedant contra omnes sacerdotes, tam *sæculares* quam *regulares*, qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta inter se sive cum aliis quomodolibet in actu sacramentalis confessionis, sive ante, sive post immediate, seu occasione vel prætextu confessionis, etiam confessione non secuta, sive extra confessionis occasionem, in confessionario aut in loco quocumque ubi confessiones audiuntur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, sollicitare vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones aut tractatus habuerint; mandantes omnibus confessariis ut suos pœnitentes, quos noverint fuisse ut supra ab aliis sollicitatos, moneant de obligatione denuntiandi sollicitantes locorum Ordinariis."

Dico 2°. Pœnitentes sollicitati absolvi nequeunt, antequam obligationi denuntiandi satisfecerint, vel saltem nisi se breve satisfacturos esse obligationi suæ promittant. Constat ex Constit. *Sacramentum Pœnitentiæ* Bened. XIV. § 2. ubi dicitur: "Caveant insuper diligenter confessarii, ne pœnitentibus, quos noverint jam ab aliis sollicitatos, sacramentalem absolutionem impertiant, nisi prius denuntiationem prædictam ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competenti judici, vel saltem se cum primum poterunt, delaturos spondeant ac promittant." Constat etiam ex Instruct. S. U. I. apud *Conc. Plen. Balt.* II. *Append.* p. 300. n. 3. et 5.

Dico 3°. Denuntiatio intra mensem, a tempore quo ejus obligatio innotuit, facienda est. Pœnitens autem, qui sine sufficienti ratione, id est, ex negligentia vel culpa, denuntiationem statuto tempore non exequitur, incurrit excommunicationem latæ sententiæ nemini reservatam; a qua proinde, sublata tali negligentia vel culpa, confessarius quilibet absolvere potest. Constat ex Decreto S. Pœnit. 22. Martii, 1832., et Const. *Apostolicæ Sedis.*—Cf. S. Alphons. n. 693.—Varceno, vol. 2. p. 203.

787. ***Quæsita.***—Quaer. 1°. *Quandonam sollicitatio censetur habere relationem ad confessionem?*

Resp. Hoc patere debet ex omnibus adjunctis personarum, locorum, temporis, ex modo loquendi, etc.; sed certo habet relationem si fiat in sequentibus casibus: 1°. in *ipso actu confessionis sacramentalis*; 2°. *occasione* confessionis; 3°. *prætextu* confessionis; 4°. *immediate* ante confessionem; 5°. *immediate* post confessionem; 6°. in *confessionali* proprie dicto; 7°. in quocumque loco *destinato* a consuetudine loci, aut hic et nunc specialiter *electo* ad confessiones excipiendas.—Cf. S. Alphons. n. 678.—Baller. not. (b) p. 544.—Varceno, vol. 2. p. 205. et seqq.

Quaer. 2°. *An denuntiandus sit confessarius qui in confessione postulavit a muliere ubi habitet, si postea eam domi sollicitaverit?*

Resp. *Affirm.*, quia, licet quæstio facta in confessione videatur indifferens, postea tamen ex circumstantiis cognoscitur eam appositam fuisse ad sollicitandum, ac proinde verificatur quod confessio dederit *occasionem*, scilicet opportunitatem sollicitationi. Et eadem solutio danda est si confessarius mulierem sollicitat tanquam personam cujus indolem aut fragilitatem ex confessione cognoverit, idque verbis aut alio modo

innuat; nam tunc etiam sollicitatio fit *occasione* confessionis. Cf. S. Alphons. n. 676. et 678.—Baller. not. (b) p. 556.

QUAER. 3°. *An tantum persona sollicitata teneatur ad denuntiationem?*

RESP. *Neg.*, sed obligantur etiam alii omnes qui id certo sciunt, nisi sub secreto consilii hoc noverint, idque valet etiamsi crimen juridice probari nequeat. Constat ex Decreto S. I. Rom., apud S. Alphonsum, et ex communi consensu theologorum.—Cf. S. Alphons. n. 680. et 695 —Varceno, vol. 2. p. 212.—Baller. not. (c) p. 546.

QUAER. 4°. *An pœnitens teneatur ad denuntiationem si ipse consenserit in sollicitationem?*

RESP. *Affirm.*, ut constat ex Constit. *Sacramentum Pœnitentiæ* § 2. ubi dicitur confessarium esse denuntiandum "etiamsi . . . . sollicitatio inter confessarium et pœnitentem mutua fuerit, sive sollicitationi pœnitens consenserit."—Nec obstat quod pœnitens de jure naturali non teneatur seipsum accusare; nam ordinarie potest sollicitantem denuntiare quin fateatur se sollicitationi consensum dedisse.—Cf. Instr. S. U. I. apud *Conc. Plen. Balt.* II. p. 300. n. 6.—Baller. not. (b) p. 548.

QUAER. 5°. *An denuntiandus sit confessarius qui consentit pœnitenti sollicitanti, sed ipse non sollicitavit?*

RESP. *Affirm.*, ut aperte colligitur ex II. et IX. inter sexdecim Decreta S. Officii, quæ die 11. Feb. 1661, prodierunt, et a Benedicto XIV. Apostolica auctoritate deinde fuerunt confirmata. Porro ad quæstionem: "an confessarius consentiens sollicitationi, sed statim desistens de illa turpi materia loqui, differendo illius complementum ad aliud tempus, et non præbendo absolutionem pœnitenti, incidat in pœnas contentas in Bulla Gregorii, et sit denuntiandus?"—responsum fuit, per Decret. II. "incidere et confessarium esse denuntiandum, rejecta opinione probabili quam non esse probabilem censuerunt." Id ipsum aperte eruitur ex Decret. IX. ubi dicitur: "denuntiandum esse confessarium qui consenserit ex metu:" ergo a fortiori ubi nulla incussi metus adest qualiscumque excusatio.—Cf. Varceno, vol. 2. p. 214.—Baller. not. (a) p. 549.—Instr. S. U. I. n. 2.

QUAER. 6°. *An urgeat obligatio denuntiationis, si reus sit emendatus, vel si a multo tempore sollicitatio contigerit?*

RESP. *Affirm.*, ad 1um. quia Pontifex non intendit solam rei emen-

dationem, sed etiam ejus punitionem ad damnum Ecclesiæ resarciendum, scandalumque reparandum.—*Affirmative* etiam ad 2um. ob easdem rationes; nam si non esset denuntiandus, qui a multo tempore crimen commisit, ratio sane foret, quia censeretur jam emendatus: sed non valet hæc ratio, ut modo dictum est. Insuper difficile admodum esset determinare quodnam sit longum aut breve tempus. Constat etiam ex Const. *Sacramentum Pœnitentiæ*, § 2, ubi sancitur confessarium esse denuntiandum, "etiamsi longum tempus post ipsam sollicitationem jam effluxerit." Attamen illa circumstantia esset superiori cui fit denuntiatio manifestanda.—Cf. S. Alphons. n. 686.—Baller. not. (a) p. 554.et not. (a) p. 555.

QUAER. 7°. *An excusetur pœnitens a facienda denuntiatione, ob timorem ne incurrat indignationem et increpationem denuntiati?*

RESP. *Neg.*, quia molestia hæc minimi facienda est in re tanti momenti, et ad bonum commune spectante. Non enim comparari potest malis innumeris maximisque ex corruptione sacerdotis provenientibus. At si rationabiliter timetur magnum damnum in vita, fama, aut bonis temporalibus, pœnitens videtur excusari quamdiu duret periculum; sed tunc confessarius recurrere debet ad Ordinarium.—Cf. Baller. not. (b) p. 555.—Varceno, vol. 2. p. 217. et 218.—*Conc. Plen. Balt.* II. Instruct. S. U. I. p. 301. n. 7.

QUAER. 8°. *An confessarius sollicitans et leviter peccans propter parvitatem materiæ sit denuntiandus?*

RESP. Huic eidem quæstioni ita fuit responsum ex Decreto III. S. Inquisitionis: "Cum in rebus venereis non detur parvitas materiæ et si daretur in re præsenti non daretur, censuerunt esse denuntiandum et opinionem contrariam non esse probabilem."—Notat tamen Scavini in hunc locum, id esse intelligendum si actus sit plene deliberatus, et insuper si ex circumstantiis certe conjiciatur sacerdotem levi illo actu animum revera habere ulterius progrediendi.—Cf. Scavini, lib. 3. tract. 10. n. 580.—Varceno, vol. 2. p. 215.

QUAER. 9°. *An facile fides sit adhibenda mulieribus sacerdotem de sollicitatione accusantibus?*

RESP. *Neg.*, sed sedulo tum confessario, tum superioribus pensandæ sunt circumstantiæ rerum et personarum. Non semel enim visæ sunt mulierculæ, quæ ex invidia, odio, zelotypia, aliove fine perverso clericos

prorsus innocentes atrociter calumniatæ sunt. Omnia igitur adjuncta maturo examine sunt perpendenda, præsertim quando mulier se facilem promptamque ad parendum præcepto denuntiationis ostendit. Hic autem duo sunt advertenda:

1°. Crimen falsæ accusationis de sollicitatione ex Const. Bened. XIV. reservatum esse Sedi Apostolicæ, sed sine censura; quæ reservatio extenditur ad mandantes, consulentes, suadentes, vel quocumque modo procurantes falsam accusationem.

2°. Superiores, cognita certo criminis veritate, valde caute procedere debere, ut reum corripiant pro delicti gravitate; nec promiscue culpam jam dudum præteritam, vel casu ex fragilitate habitam, sicut recentem, vel ex consuetudine commissam, puniant; item ut simul bono Religionis, sacerdotii, et rei ipsius consulant, scandala et rumores, in quantum fieri potest, præcavendo.

QUAER. 10°. *Quænam sint pœnæ contra sollicitantes?*

RESP. Pœnæ in sollicitantes ex Bulla Greg. XV. sunt suspensio ab exercitio Ordinis, privatio beneficiorum, dignitatum et officiorum quorumcumque, et perpetua inhabilitas ad illa; et insuper quoad Regulares privatio vocis activæ et passivæ; et ex Benedicto XIV. addenda est perpetua inhabilitas ad sacrificii celebrationem. Sed adverte omnes istas pœnas esse ferendæ sententiæ.—Cf. Baller. not. (a) p. 558.

QUAER. 11°. *Quomodo practice facienda sit denuntiatio?*

RESP. Hac in re hæc sunt animadvertenda:

1°. Denuntiatio facienda est voce, in quantum fieri potest, non vero scripto tantum. Igitur mulier sollicitata sistere se debet coram Ordinario, et actum sollicitationis declarare, quin tamen proprium consensum, si quem præstiterit, ullo modo patefaciat.

2°. Denuntiatio facienda est Ordinario loci in quo versatur pœnitens, etiamsi confessarius sollicitans ad aliam diœcesim pertineat. Ad loci enim Ordinarium pertinet excipere juratam denuntiationem, eamque ad Episcopum sacerdotis rei transmittere.

3°. Si denuntiatio voce fieri non possit, facienda est per epistolam proprio nomine et cognomine subscriptam, aut saltem per internuntium. Obligatio enim denuntiandi sollicitantem non est tam adeundi personaliter superiorem, quam ei delinquentem deferendi, ut Bened. XIV.

in sua Bulla loquitur. Qui autem tenetur ad finem, ad media quoque tenetur.

4°. Confessarius tamen non tenetur onus denuntiationis ad Ordinarium transmittendæ suscipere; sed muneri suo satisfacit monendo pœnitentem, ut opportuno tempore sollicitantem rite denuntiet. Poterit tamen operam suam præstare, si censuerit id expedire; sed rei notitia extra confessionem accipienda est.

5°. Si persona sollicitata nullo modo induci possit ad denuntiationem tali forma peragendam, quia nempe timore vel insuperabili rubore afficitur, sinat ea de re moneri Episcopum, qui delegare poterit aliquem ad denuntiationem accipiendam. Sacerdos autem delegatus juramentum præstare debet de silentio servando et de munere sibi commisso fideliter adimplendo.

6°. In omni casu denuntiatio facta per litteras anonymas est omnino insufficiens et prorsus invalida, perinde ac si non facta fuisset, ut pluries declaravit S. Congr. Inquisitionis.

NOTA. *Consule omnino Instructionem S. U. Inquis. apud Conc. Plen. Balt. II. Append. X. p.* 298., *ibique multa invenies de modo practico quo faciendæ, vel recipiendæ sunt denuntiationes: quomodo vincendæ sunt difficultates pœnitentium, qui rubore afficiuntur, et præsertim sub n.* 7°. *quomodo se gerere debet confessarius cum pœnitens recusat vel statim, vel omnino obtemperare.*

CAPUT II.

DE OFFICIO MINISTRI.

Officia quibus tenetur Minister sacramenti Pœnitentiæ, alia exerceri debent in ipso actu quo confessio excipitur, et alia post auditam confessionem.

ARTICULUS I.

DE OFFICIO MINISTRI IN IPSA CONFESSIONE.

§ I. De officiis confessarii in genere.

788. Quatuor officia præstanda sunt a confessario in ipso actu confessionis, scilicet patris, medici, doctoris et judicis. Inspecta autem diversa natura pœnitentium, obligationes quæ ex quatuor hisce officiis promanant, modificari possunt ac debent; sed si ad earum

substantiam attendas profecto semper servari debent. De singulis pauca.

I.—Circa officium patris.

789. ***Dico.*** Confessarius quilibet, qua talis, est vere et proprie pater spiritualis pœnitentium. Ratio desumitur ex duplici capite; nam confessarius non solum, per absolutionem quam impertitur, vitam spiritualem, scilicet gratiam, vere subministrat aut auget, etsi instrumentaliter, sed etiam vices gerit optimi omnium parentis, nempe ipsius Christi. Accedit sensus ipse fidelium, qui omnes et ubique terrarum sacerdotem in sacro tribunali Pœnitentiæ patrem appellant. Hinc:

1°. Confessarius dum confessiones excipit magnam et habere et ostendere debet caritatem erga pœnitentes, illud enim quod in patris nomine imprimis continetur est insignis et inexhausta caritas. Quare Leo XII. in Bulla pro Jubilæo magno anni 1825, monebat unumquemque confessarium ut "indutus viscera misericordiæ Christi Jesu, qui non venit vocare justos, sed peccatores, sciat *studiose, patienter et mansuete* cum peccatoribus agere."

2°. Paternam hanc caritatem ostendere debet confessarius in *principio*, in *decursu*, et in *fine* confessionis.—In principio quidem, quatenus benigne et prompte excipiat omnes absque ulla distinctione, sive sint divites et pii, sive sint pauperes, rudes et peccatores. Præterea si quem imparatum viderit, ipsum adjuvet, et paratum reddat: si quem præ rubore timidum vel præ scrupulis intricatum esse animadverterit, animum addat, et dicat rem totam posse facili negotio componi. —In decursu confessionis caveat ne impatientem aut tædio affectum se exhibeat, nec ostendat se admiratione percelli de peccatis quæ narrantur.—In fine demum oportet ut confessarius vehementiori ardore patris munere fungatur; nam ex una parte multitudinem et gravitatem peccatorum breviter quidem at severius tunc ob oculos pœnitentis ponere debet, præsertim si pœnitens non apparet valde dispositus; et ex alia iis verbis uti oportet, eaque cum mansuetudine agere ut pœnitens nullam offensionem exinde capere possit, aut minus prompte in posterum ad eum redire.—Cf. S. Alphons. *Prax. Confess.* cap. 1. § 1.

II.—Circa officium medici.

790. ***Dico.*** Confessarius est verus animarum medicus; sicut enim peccatores sæpe in Scripturis infirmis aut mortuis ipsis comparantur, imo etiam istis nominibus proprie vocantur, ita confessarius non solum comparari potest medico, sed est etiam; nam debet pœnitentium animas a variis peccati morbis eripere, et divinæ gratiæ restituere. Hinc:

1°. Confessarius debet causam morbi cognoscere; nam sicut medicus corporalis totam suam diligentiam et vires in hoc primum conferre debet, ut ipsam morbi radicem investiget, ita etiam confessarius; secus inutilia, vel insufficientia aut etiam nociva præbebit remedia. Quare boni confessarii non tantum de numero et specie peccatorum, et de dispositionibus inquirunt, sed etiam de consuetudinibus, occasionibus, et de aliis circumstantiis, quæ connexæ sunt cum morbo, si quidem morbus adest, et non solum transiens quædam infirmitas.

2°. Debet morbum sanare; non sufficit enim morbi originem cognoscere, sed oportet insuper illi parti vulneris digitum admovere quæ majori tabe manat, et vel resecando, vel fovendo curam illius obtinere. Quare debitas animadversiones facere debet confessarius, consilia suggerere, et quid agendum sit declarare. Ad rem S. Alphonsus: "Non debet confessarius attendere ad alios pœnitentes qui ipsum circumstant. Nam, ut aiebat S. Franciscus Xaverius, melius est paucorum confessiones rite factas audire, quam multorum inordinatas, et sine fructu ... Et parum refert quod alii expectent aut inconfessi discedant; confessarius enim de hoc tantum qui sibi nunc confitetur, non vero de aliis in die judicii rationem reddere debet."—Cf. S. Alphons. *Prax. Confessarii*, n. 6. 7. et 10.

3°. Debet relapsum præcavere quod sane præstabit confessarius assignando pœnitenti remedia morbo convenientia. Remedia autem vel generalia sunt, vel particularia. Generalia reducuntur ad pias preces, ad frequentem invocationem B. M. Virginis, ad considerationem veritatum æternarum, ad examen conscientiæ vespertinum, et præsertim ad frequentiam sacramentorum. Remedia autem particularia necessario diversa esse debent pro diversitate pœnitentium, et adjunctorum in quibus inveniuntur; neque ea recte indicabit nisi magna prudentia

utatur.—Cf. S. Alphons. *Prax. Confessarii*, n. 15., et *Hom. Ap.* tract. 21. n. 5. et 6.

III.—Circa officium doctoris.

791. ***Dico.*** Confessarius duplici ratione sibi meretur munus doctoris, quatenus scilicet docere debeat pœnitentes ea omnia, quæ pertinent ad sacramentum hic et nunc rite suscipiendum, et quatenus competentem scientiam jam sibi comparaverit antequam incipiat confessiones excipere. Ratio *primi* est, quia essentialiter pertinet ad rationem Ministri divinitus instituti procurare validam et licitam susceptionem sacramenti, quod est hic et nunc ab eo ipso ministrandum. Ratio autem *secundi* desumitur imprimis ex Scripturis; dicitur enim Malach. ii. 7. "Labia sacerdotis custodient scientiam et legem requirent ex ore ejus ;" et Osee, iv. 6. "Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi."—Constat etiam ex ipso jure naturæ, nam confessarius sacramentale tribunal Pœnitentiæ ingrediens, quin sit competenti scientia munitus, sese exponit evidenti periculo graviter errandi cum gravi injuria sacramenti et in magnum detrimentum animarum. Quare ipse Christus Matth. xv. 14. ait: "Cæcus si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt." Et S. Alphonsus non dubitavit hæc verba proferre: "Affirmo in statu damnationis esse eum confessarium, qui sine sufficienti scientia ad confessiones excipiendas se exponit."—Verum ex mente ipsius S. Alphonsi nomine sufficientis scientiæ non intelligitur illa qua confessarius possit semper, statim et per seipsum omnes occurrentes dubitationes solvere, sed illa tantum qua casus communiter contingentes intelligere et resolvere queat, et in difficilioribus sciat saltem dubitare.—Cf. S. Alphons. n. 627.—Lugo, disp. 21. n. 70.

792. Ex modo dictis sequentes deduci debent conclusiones:

1°. Confessarius quilibet tenetur scire ea omnia quæ spectant ad valorem, substantiam, integritatem et effectum sacramenti Pœnitentiæ, et quæ ad licitam ejus administrationem, tum ex parte sui, tum ex parte pœnitentis, requiruntur.

2°. Scire debet etiam obligationes communes et proprias statuum, varias peccatorum species, ipsorum adjuncta speciem mutantia, principia discernendi inter mortalia et venialia, et quænam sint mortalia et venialia in singulis præceptis, saltem juxta principia generalia et communem theologorum sententiam. Item quinam sint actus validi et

liciti. Ratio patet, quia illud cognoscat oportet, de quo judicare debet; alioquin æquum judicium ferre non poterit.

3°. Cognoscere debet casus reservatos et censuras vigentes, impedimenta matrimonii, conditiones contractuum, varias causas restitutionis, radices et occasiones peccatorum, remedia ipsis afferenda, satisfactiones salutares et convenientes imponendas, etc.

4°. Peccat igitur confessarius, qui prædictam scientiam sibi deesse noverit, etiamsi ex sola caritate et obedientia confessiones excipiat. Nec eum per se excusat approbatio Episcopi; hæc enim non dat scientiam ex natura rei debitam, nec ejus defectum supplet.

5°. Peccat etiam superior qui ignaro confessario veniam dat confessiones excipiendi, quia ejus peccato consentit atque cooperatur; neque excusari potest, nisi propter necessitatem: nempe si non adsint docti sacerdotes, et interim bono animarum subveniendum sit.

6°. Peccat et ipse pœnitens, qui de industria ineptum eligit confessarium. Si quis tamen sit in bona fide, valida erit confessio; quia ex parte pœnitentis intervenit integra peccatorum declaratio et debita animi dispositio; ex parte confessarii intervenit saltem cognitio peccatorum sub ratione confusa peccati, quod ad materiam sacramenti sufficit.

7°. Experientia non potest scientiam supplere, sed solum eam juvare; ubi autem scientiæ præsidio destituatur, in errores plurimos, eosque gravissimos, temerarium confessarium impellet.

8°. Confessarius igitur quilibet sedulo theologiæ moralis studio incumbere tenetur; et, ut ait S. Alphonsus: "Nunquam studium illud intermittere debet; quia ex tot rebus tam diversis et inter se disparibus, quæ ad hanc scientiam pertinent, multa quamvis lecta, quia rarius accidunt, temporis progressu e mente decidunt; qua de re oportet semper frequenti studio ea in mentem revocare."—Unde dicendum est graviter illos errare qui scientiam theologiæ moralis facilem et vix aliqua attentione dignam reputant, dictitantes, casus fere omnes aliquo sensu communi, cum principiorum generalium notitia solvi posse.—Cf. S. Alphons. n. 628., et *Hom. Ap.* n. 100.—Baller. not. (a) p. 567.

793. ***Quæsita.***—Quaer. 1°. *An confessarius, præter ea quæ necessaria sunt ad sacramentum hic et nunc rite suscipiendum, teneatur etiam docere pœnitentes ea quæ necessaria sunt ad christiane vivendum?*

Resp. *Affirm.*, saltem generatim loquendo, ac proinde ubi advertat aliquem obligationes sui status ignorare, debet ipsum instruere. Ratio desumitur ex generali principio caritatis, et ex magna opportunitate, quam solus confessarius habet certas quasdam obligationes docendi. Attamen non eo usque extendenda est hæc obligatio, ut confessarius teneatur pœnitentes instruere de omnibus quæ ipsi scire debent, et aliunde discere possunt, tum quia hoc verteret in grave incommodum non solum confessarii sed etiam aliorum pœnitentium, tum quia non desunt alia media forte opportuniora ad talem ignorantiam depellendam.—Cf. S. Alphons. n. 607. et seqq.

Quaer. 2°. *An sit semper monendus pœnitens laborans ignorantia circa aliquam obligationem?*

Resp. *Affirm.*, si ignorantia videatur *vincibilis*, id est, si confessarius animadvertat, pœnitentem ita dubitare, ut jam desit bona fides. Ratio est, quia in admonitione facienda nullum imminet periculum; alioquin vero pœnitens cum eo dubio operans non immunis est a peccato.—Si vero ignorantia sit *invincibilis*, monendus est pœnitens, si fructus ex admonitione speretur; secus vero generatim loquendo, si non speretur. Ratio est, quia ex una parte hæc admonitio non prodesset, et ex altera ei obesset; siquidem admonitus in posterum formaliter peccaret. Monendus itaque est pœnitens, 1°. quoties ipse interrogat de malitia alicujus rei, quia, cum de rei liceitate dubitet, in ignorantia invincibili jam non versatur; 2°. quoties silentium confessarii eum obfirmaret in proposito rei malæ peragendæ; 3°. quoties ejus ignorantia versatur circa primaria principia juris naturalis, aut circa conclusiones eorum proximas; quia talis ignorantia, si possibilis est, diu invincibilis esse non potest; 4°. quoties, monitione omissa, pœnitens in occasione proxima formaliter peccandi remansurus esset; aut ejus ignorantia damnum spirituale communitati allatura sit.—Cf. Alphons. n. 610. 614. et 615.—Baller. not. (a) (b) et (c) p. 570.

IV.—Circa officium judicis.

Duplici diversa ratione tenetur confessarius fungi munere judicis, quatenus scilicet debeat causam instruere, seu pœnitentes interrogare, et quatenus debeat sententiam ferre. Hinc:

794. **Dico** 1°. Tenetur confessarius cum ordinaria diligentia pœ-

nitentes interrogare de specie, numero, et circumstantiis speciem mutantibus, de causis peccatorum, de habitu et occasionibus proximis, quoties rationabiliter præsumit, vel prudenter dubitat ista non sufficienter declarari. Ratio est, quia confessarius, ut Minister sacramenti, debet procurare ejus integritatem, et ut judex debet sibi comparare cognitionem necessariam ad æquum judicium ferendum.—Dixi 1°. *cum ordinaria diligentia*, quia pœnitens ipse non tenetur summa et exquisita diligentia se examinare, sed tantum ordinaria. Nequit autem esse gravior obligatio confessarii quam pœnitentis, cum confessarius non teneatur examinare pœnitentem nisi secundario, seu in illius defectu.—Dixi 2°. *quoties rationabiliter præsumit, etc.*, quia obligatio confessarii, ut nuper dictum est, tantum secundaria seu conditionata est ad ignorantiam vel malitiam pœnitentis qui nescit, vel non vult omnia manifestare.—Cf. S. Alphons. n. 607., *Hom. Ap.* n. 103., et *Prax. Confess.* n. 19. et 20.

795. Ut autem facilius simul et prudentius fiant interrogationes, attendendum est ad sequentes regulas practicas quas communiter tradunt Doctores.

Regula I. Interrogatio debet esse *moderata*, atque adeo confessarius cavere debet ne sit nimius aut quasi anxius in interrogando; secus enim tum sibi, tum præsertim pœnitenti valde gravis, et odiosa evaderet confessio. Hinc inutilia non quærat unquam, nec sibi narrari patiatur.—Neque dicas nullum onus esse pro aliquibus, præsertim fœminis, narrationes longas persequi, nam respondetur aliquam injuriam per illas narrationes fieri sacramento, occasionem dari dicteriis malevolorum hominum, et tempus amitti. Quare recte ait Rituale Romanum: "Caveat [confessarius] ne . . . . inutilibus interrogationibus quemquam detineat."—Cf. S. Alphons. n. 607.—Sporer, 792.—Reuter, *Neo-confessarius*, cap. 3.

Regula II. Interrogatio debet esse *discreta;* debet nempe confessarius interrogare cum magna prudentia, sedulo cavendo, 1°. ne interroget de peccatis quæ verisimiliter non fuerunt commissa, spectata pœnitentis conditione et capacitate, etc.; 2°. ne interroget de iis ex quibus pœnitens discat peccare, aut scandalum pati possit, ut admonet Rituale Romanum ubi post verba nuper relata additur "præsertim juniores utriusque sexus vel alios de eo quod ignorant imprudenter inter-

rogans ne scandalum patiantur, ideo peccare discant;" 3°. nec interroget curiosius aut levius etiam in iis de quibus est interrogandum, v. g., *inverecunde de inverecundis*, etc., etc. Uno verbo satagere debet, ut unice appareat in quibusvis interrogationibus *gravitas*, *pietas*, *modestia* et *paterna caritas*, prout requirit hujus officii natura et dignitas. Hinc confessarius,

1°. Valde cautus esse debet in interrogando de materia luxuriæ, præsertim cum mulieribus, adolescentibus et pueris, qui multo facilius scandalum pati possunt. Cum conjugatis autem absque gravi causa nunquam mentionem faciat de debito conjugali, et satis erit, ubi res postulet, mulierem interrogare, num debitam marito fidem et obedientiam in omnibus præstiterit.

2°. Servanda est sedulo regula ab omnibus admissa: *In materia luxuriæ multo melius est in pluribus deficere, quam in uno superabundare ratione integritatis confessionis.* In dubio igitur an in tali casu interrogare possis vel debeas, pro parte negativa semper standum erit, minus enim malum est deesse integritati confessionis, quam incurrere animæ perdendæ periculum.

Regula III. Interrogatio debet esse *opportuna*, id est, fieri tempore quo convenit; quædam autem interrogationes faciendæ sunt ordinarie ante confessionem, sed paucæ, ne pœnitens offendatur, v. gr., a quo tempore non sit confessus? an absolutus fuerit? an pœnitentiam impleverit? . . . an circa vitam præteritam sit quietus? Hæc ultima interrogatio fieri debet tantum quando pœnitens non est confessus a multo tempore, aut quando instituitur confessio generalis a tempore determinato.—Cæteræ quæstiones circa conditionem, statum, ætatem, etc., convenientius, data occasione, in decursu confessionis fient: sic ex una parte omnis suspicio curiositatis et levitatis vitabitur, et ex altera facilius respondebit pœnitens, cum ipsius fiducia in confessarium magis adaucta fuerit.—Cf. Berardi, vol. 1. *de Recidivis, et Occasionar.* dissert. 1.—Konings, n. 1424. et seqq.

796. QUAERES. *Quid agere debeat confessarius in dubio de sinceritate pœnitentis?*

RESP. Est regula communis, et velut axioma receptum: *Credendum est pœnitenti, tam pro se, quam contra se dicenti.* Ratio est, quia pœnitens in sacro tribunali reus simul et testis, sui accusator et advocatus

est, et aliunde in dubio verax semper præsumendus est. Quapropter post opportunas interrogationes confessarius pœnitentem negantem absolvere debet.—Si vero confessarius cognoscat certo, peccatum aliquod a pœnitente reticeri aut negari, tunc distinguendum est, et solvendum ut sequitur:

1°. Si illud peccatum novit ex confessione alterius, debet, ne confessionis sigillum violetur, tantum generatim interrogare, sicut alias fecisset aut facere debuisset; quod si pœnitens interrogatus negaverit, nihil reponat, sed, si id possit citra suspicionem, hortetur dumtaxat generaliter ad conscientiam cum omni fiducia aperiendam. Utrum vero debeat confessarius talem pœnitentem absolvere, controvertitur.—Et si quidem admittatur, ipsi tunc certum seu evidens esse, pœnitentem mentiri ac sacrilege confiteri, non poterit illum absolvere, prout docet S. Alphonsus, qui, relatis aliorum sententiis, ita concludit: "Melius, meo judicio, sentit Croix, quod eo casu nullo modo absolvat, sed tantum aliquid oret ad occultandam negationem absolutionis."—Non desunt tamen graves auctores, qui negant hypothesim, scilicet talem evidentiam aut certitudinem ex aliorum, ac præsertim ex unius complicis confessione haberi posse, atque idcirco docent pœnitentem eo casu absolute vel saltem sub conditione esse absolvendum. Nam, inquiunt, in hoc tribunali magis debet credi pœnitenti in sua causa quam aliis. Alii theologi aliam addunt rationem, nam dicunt notitiam quam confessarius habet ex confessione alterius pro nihilo habendam esse.

2°. Si vero confessarius illud peccatum novit extra confessionem, *per se* debet pœnitentem negantem absolvere, quia *pœnitenti pro se et contra se dicenti credendum est;* nec *per se* relatio alterius majorem fidem facere potest, quam declaratio ipsius pœnitentis; nec proinde magis aliis quam ipsi confessarius credere tenetur. Etenim si pœnitens peccatum illud commisit, præsumere debet confessarius, illum aut sui peccati oblitum esse, aut alteri confessum, vel justam habere causam illud reticendi, aut relatores potius deceptos fuisse.—Dixi *per se;* nam si confessarius sit omnino certus de peccato a pœnitente commisso, quia, v. gr., ipse furantem vidit, etc., vel id novit ex certa omnino aliorum relatione, v. gr., quia pœnitens publice cognoscitur ut concubinarius, non potest negantem absolvere, modo certus sit, illum sui peccati non oblitum fuisse, nec ullum habere motivum illud reticendi; nam regula

hæc: *Credendum pœnitenti*, etc., valet quidem in re minus certa, non autem in re evidenter certa.—Cf. S. Alphons. n. 631.—Lugo, disp. 22. n. 22.—Baller. not. (a) p. 575. et not. (a) p. 577.

797. ***Dico*** 2°. Pœnitenti certo indisposito semper et omnino neganda est absolutio, ei autem qui certo est dispositus per se concedi debet ex justitia et sub gravi. Ratio *primi* est, quia supposita certa indispositione pœnitentis, evitari non posset sacrilegium. Ratio autem *secundi* est, tum quia in ipso confessionis actu initus est quidam quasi-contractus, vi cujus pœnitens rite confessus et dispositus habet jus ad sacramentum suscipiendum; tum quia hoc exigit finis institutionis hujus sacramenti; tum demum quia secus pœnitens obligaretur vel ad aliud tempus recuperationem gratiæ remittere cum periculo æternæ salutis, vel alium confessarium adire quin confidere insuper certo possit se ab isto novo confessario absolutionem esse recepturum. Sacerdos igitur absolutionem pœnitenti disposito denegans, injuste ageret, finem ipsius sacramenti perverteret, et onus imponeret intolerabile.—Dixi tamen *per se;* nam absolutio potest quandoque differri ad breve tempus etiam pœnitenti rite disposito, quando nempe confessarius prudenter judicat id utile esse ad ejus emendationem. Ratio est, quia ex una parte potest pœnitens in hujusmodi circumstantiis inveniri, ut dilatio absolutionis habeat pro ipso rationem utilis remedii, et ex alia confessarius cum sit etiam medicus, debet posse hoc remedio uti ad emendationem procurandam.—Cf. S. Alphons. n. 431. 432. et 462., et *Prax. Confess.* n. 76.—Lacroix, n. 1764.

798. ***Quæsita.***—Quaer. 1°. *An expediat* sæpe *uti prædicto remedio, differendo absolutionem pœnitenti sufficienter disposito?*

Resp. Solutio quæstionis a variis circumstantiis pendet; attendendum autem præcipue est ad majus pœnitentis bonum. Hinc 1°. nunquam differenda est absolutio, quando dilatio magis obfutura prævidetur; 2°. nec differenda est, si ex dilatione pœnitens notam infamiæ subiret; 3°. raro differenda est absolutio pœnitenti disposito, nisi ipse dilationem sat facile acceptet; secus enim difficilius ipsi prodesset. Cæterum *certa regula statui nequit;* et si quando dilatio aliqua absolutionis expedire videtur, ad breve tantum tempus fieri debet, v. gr., ad tres, quinque, octo dies, etc. Interdum ubi facile fieri potest, absolutionem

etiam ad unum diem, vel ad paucas horas differre utile erit.—Cf. S. Alphons. n. 463.—Salmant. cap. 5. n. 68.—Baller. not. (a) p. 581. et not. (a) et (b) p. 582.

QUAER. 2°. *An requiratur certitudo de dispositione pœnitentis, ut absolvi possit?*

RESP. Non requiritur certitudo *absoluta*, nec etiam certitudo moralis *stricta*, qualis requiritur in aliis sacramentis, v. gr., circa vinum ad consecrationem Eucharistiæ. Ratio est, quia sacramentum Pœnitentiæ fere certius ejusmodi judicium non admittit.—Requiritur autem et sufficit judicium prudens, seu certitudo moralis *lata*, quæ, ut ait S. Alphonsus, prudenti probabilitati æquivalet. Pœnitentes enim communiter nonnisi probabilitatem dispositionis præ se ferunt. Quare Catechismus Conc. Trid. n. 60. ita docet: "Si, audita confessione, [sacerdos] judicaverit, neque in enumerandis peccatis diligentiam, nec in detestandis dolorem pœnitenti omnino defuisse, absolvi poterit."—Cf. S. Alphons. n. 461.—Suarez, disp. 32. sect. 2. n. 1.

QUAER. 3°. *Quodnam sit signum ordinarium sufficientis dispositionis in pœnitente ita ut confessarius tuto absolvere possit?*

RESP. Per se loquendo, et nisi aliquid peculiare occurrat ex parte pœnitentis, quod ingerat confessario prudentem suspicionem de ejus indispositione, confessio modo debito facta per se sola est signum commune et ordinarium sufficientis dispositionis. Etenim, ut bene ait S. Alphonsus, "pœnitens ex una parte non est præsumendus malus, ita ut velit indispositus ad sacramentum accedere; ex alia parte bene præsumitur dispositus dum peccata sua confitetur, cum ipsa spontanea confessio sit signum contritionis, *nisi obstet aliqua positiva præsumptio in contrarium;* omnes enim conveniunt, quod dolor per confessionem manifestatur."—Cf. S. Alphons. n. 459.—Baller. not. (b) p. 589.

QUAER. 4°. *Quibusnam proprie neganda sit absolutio?*

RESP. Plures a diversis enumerantur pœnitentium classes quibus neganda est absolutio, sed brevius et generalius dici potest: iis omnibus et solis deneganda est, qui gravi cuidam et certæ obligationi se satisfacturos, eo quo debent modo, saltem non promittunt.—Cf. Baller. not. (a) et (b) p. 590.

§ II. De officiis confessarii in particulari.

799. Quatuor prædicta officia patris, medici, doctoris, et judicis exerceri debent a confessario erga omnes pœnitentes, etsi non eodem gradu, neque eadem ratione; at pro diversitate pœnitentium adesse possunt speciales difficultates ab ipso resolvendæ, quæque proinde speciales inducunt obligationes. Agemus hic præsertim de ratione agendi confessarii 1°. erga eos qui versantur in occasione peccati; 2°. erga consuetudinarios et recidivos; 3°. erga pœnitentes pios et timoratos.

I.—Circa occasionarios.

800. Occasio peccati generatim definitur circumstantia externa, quæ sive ex natura sua, sive ex fragilitate hominis qui in illa reperitur, ad peccandum allicit, seu inducit. Hinc differt a periculo peccandi, qua appellatione venit quidquid impellit ad peccatum sive intrinsecum illud sit, sive extrinsecum.—Occasio multiplex distinguitur, scilicet proxima, vel remota; voluntaria, vel necessaria; præsens, vel non præsens. Igitur:

1°. Occasio *proxima* illa est, in qua homines communiter ut plurimum peccant; occasio vero *remota* ea est, in qua homines communiter ut plurimum non peccant. Utraque autem dicitur vel *absoluta*, seu *per se*, quando ita ex seipsa multum aut parum ad peccandum inducit, ut talis sit respectu ad homines communiter sumptos; vel *relativa*, seu *per accidens*, quando talis est respectu alicujus tantum, spectata ejus fragilitate, si *proxima;* spectata ejus animi firmitate, pietate, aut prudentia, si *remota* sit.

2°. Occasio *voluntaria* ea est, quæ facile dimitti potest; *necessaria* vero ea est, quæ physice vel moraliter non potest removeri; aut saltem quæ cum magna difficultate tantum, id est, subeundo notabile detrimentum temporale in vita, fama aut fortuna, potest dimitti.

3°. Occasio *præsens*, seu *in esse*, ea est, quam quis secum habet, quin eam actu quærat, v. gr., si domi teneat concubinam, vel cum ancilla peccare soleat; *occasio non præsens*, seu *non in esse*, ea est, quam quis non habet quidem in actu, sed facile reperit, ut est caupona relative ad ebriosum, amasia respectu amasii.—Cf. S. Alphons. n. 452.

801. ***Dico.*** Nunquam deneganda est absolutio pœnitenti in occasione *remota* constituto, etiamsi eam deserere nolit; si vero constitutus sit in occasione proxima, deneganda ipsi est si occasio sit simul voluntaria, sed si sit necessaria, nequit denegari, saltem vi istius occasionis. Ratio *primi* est, tum quia occasio remota non inducit proximum periculum peccati, tum quia secus deberemus de hoc mundo exire. Ratio autem *secundi* est, quia tunc pœnitens non est sufficienter dispositus. Præterea constat ex prop. 61. damnata ab Innocent XI. quæ sic se habet: "Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione versatur, quam potest et non vult omittere, quin imo directe et ex proposito quærit, aut ei se ingerit."—Ratio autem *tertii* est, quia ex una parte ad impossibile nemo tenetur, sive illud sit physice, sive moraliter tantum impossibile, et ex alia occasio peccati *per se* non est peccatum formale. — Dixi *saltem vi istius occasionis*, quia adesse debent cæteræ dispositiones, et præsertim firma promissio adhibendi remedia, quibus periculum peccandi formaliter removeatur.—Cf. S. Alphons. n. 455.

802. ***Resolves.***—1°. Absolvi potest qui non vult notabile detrimentum temporale subire ad fugiendam occasionem proximam, si aliunde dispositus deprehendatur, quia tunc adesset moralis impossibilitas evitandi occasionem. Notabile autem detrimentum non idem est pro omnibus, sed diversum est pro diversitate personarum, et mensurandum est a communi hominum timoratorum æstimatione.

2°. Necessarium non est semper ut pœnitens de facto relinquat occasionem proximam et voluntariam, antequam detur absolutio, sed sæpe sufficit sincera promissio. Hoc dicendum est præsertim de casu quo pœnitens dat signa extraordinaria doloris, vel adsit causa quædam extrinseca impellens ad dandam absolutionem, v. gr., periculum incurrendi notam in omittenda communione, desiderium lucrandi indulgentiam, etc., etc.

3°. Attamen si pœnitens in iis inveniatur circumstantiis quæ conatum aliquem requirunt, v. gr., in fugiendo aliquo socio, aut non adeunda in certis quibusdam adjunctis temporis, personarum, etc., aliqua domo, vel si agatur de occasione *in esse* quæ *facile* et *statim* dimitti possit, tunc ad confessarii prudentiam pertinebit perpendere an expediat ut prius

pœnitens difficultatem vincat, et occasionem de facto deserat, et postea recipiat absolutionem. Id enim communiter expedit.

803. QUAERES. *An possit absolvi qui, existens in occasione necessaria, remediis adhibitis, eodem semper modo relabitur?*

RESP. Si occasio ita sit necessaria, ut nullo modo deseri queat, v. gr., propter impossibilitatem physicam, aut magnum quod consequeretur scandalum, talis pœnitens non tam ut occasionarius quam ut recidivus tractandus est, cum in ejus electione non sit, ut occasionem vitet; ideoque absolvendus aut non absolvendus erit, juxta id quod præscribitur in regulis inferius assignandis.—Idem omnino dicendum est, quando pœnitens præsentem occasionem fugere non potest, quin incidat in difficiliorem et majori periculo obnoxiam.—Si vero occasio possit quidem, sed non sine notabili incommodo temporali, dimitti, duo casus diversi occurrunt. Vel enim, qui in prædicta occasione versatur, quamvis sæpius et eodem fere modo relapsus fuerit, adhuc spem aliquam præbet emendationis, v. gr., quia affert signa specialia doloris, et tunc potest absolvi, nam spes adest ut, novo conatu adhibito, proximum peccandi periculum remotum faciat; vel e contra nullam prorsus dat ejusmodi spem, eo quod, v. gr., nimiæ, quamdiu tentatio urget, subjiciatur fragilitati, aut vehementiori passione abripiatur, et tunc in ipsum cadit præceptum Domini, Matth. v. 29: "Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum et projice abs te." Cogendus igitur esset ad relinquendam occasionem, antequam absolvatur, etiam posthabito quocumque incommodo; nam, nisi id faciat, censendus non est dispositus ad absolutionem recipiendam, si quidem velit in hujusmodi periculo remanere cum tanto discrimine salutis.—Ita S. Alphonsus, n. 457.—Suarez, disp. 32. sect. 2. n. 4., et alii multi qui hunc casum examinant.

Verum Card. de Lugo cum quibusdam aliis, nulla facta distinctione inter eum qui dat, eumque qui non dat emendationis spem, docet defectum correctionis in præterito posse stare, *per se loquendo*, cum vero dolore et proposito requisito, absque voluntate auferendi cum tanto detrimento proximam occasionem, ideoque *per se* non obstare absolutioni. Deberet tamen pœnitens saltem promittere se nova et efficaciora remedia adhibiturum ad occasionem imminuendam et ita jam appareret spes aliqua emendationis.—Cf. Lugo, disp. 14. n. 156.—Baller. not. (a) p. 596. et not. (a) p. 597.

II.—Circa consuetudinarios et recidivos.

804. *Consuetudinarius*, prout distinguitur a *recidivo*, juxta recentiores dicitur ille, qui contraxit habitum alicujus peccati, in quod tamen nondum post confessionem sit relapsus.—*Recidivus* vero vocatur ille, qui habitum contraxit, et post confessionem in idem peccatum relabitur.—Cf. S. Alphons. n. 459.

805. ***Dico*** 1°. Consuetudinarius quilibet absolvi semper potest, etsi nulla emendatio præcesserit, modo hanc serio proponat, et signa contritionis sufficientia ostendat. Ratio est, quia consuetudo prava non est proprie peccatum, sed inclinatio quædam et facilitas ad illud committendum, ac proinde *per se* impedire non debet quominus detur absolutio; secus illi qui vehementiores habent passiones et majorem proclivitatem ad malum non deberent absolvi, quod sane absurdum est.

Dico 2°. Recidivus, qui nullam omnino dat spem emendationis, non potest absolvi: neque *simplex* et *nudum* factum accedendi ad confessionem spem illam ordinarie fundat; ac proinde falsum est asserere recidivum posse absolvi toties quoties ad sacramentum accedit. Ratio *primi* est, quia ille tantum nullam dat spem emendationis qui efficaci proposito et vera contritione hic et nunc caret. Ratio autem *secundi* est, quia præsumptio stat contra recidivum qui *simpliciter* et *nude* confessionem peragit eodem ipsissimo modo, quo hactenus solitus fuerat eam peragere, et confessarius, si prudens esse velit, nequit ab hac præsumptione præscindere.—Constat præterea ex prop. 60. ab Innocent. XI. damnata, quæ sic se habet: "Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, Naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio; dummodo ore proferat se dolere et proponere emendationem."—Dixi *ordinarie*, quia possunt dari casus, et revera dantur, in quibus, *simplex* et *nuda* petitio absolutionis post confessionem, consueta humilitate peractam, inducere potest confessarium ad prudenter existimandum pœnitentem recidivum non carere sufficienti dispositione, et ad beneficium absolutionis ipsi conferendum, præsertim si accedat ratio quædam extrinseca suscipiendi communionem. Quandonam autem hoc judicium ferri possit, prudens confessarius ex adjunctis colligere debet.

Dico 3°. Recidivus qui signum aliquod doloris *speciale*, aut *extraordinarium*, seu *novum* præbet, *toties quoties* absolvi potest. Ratio est, quia

in eo casu tollitur prudens quævis suspicio quam præcedentes lapsus, et confessiones absque ulla emendatione peractæ inducere potuerunt, ac proinde confessarius prudenter judicare potest pœnitentem satis esse dispositum.—Dixi absolvi *potest*, non autem necessario *debet;* confessarius enim potest absolutionem in hoc casu differre, si dilationem pœnitenti utilem futuram esse judicaverit, licet ordinarie magis expediat ut non differatur.—Cf. Baller. not. (a) p. 602. et seqq.

806. QUAERES. *Quænam sint signa illa* specialia *seu* extraordinaria *aut* nova?

RESP. Sequentia communiter recensentur: 1°. si pœnitens majorem conatum, quam antea, adhibuerit ad sese emendandum; vel si fuerit notabiliter emendatus: *a fortiori* si vitam jam integre in melius mutaverit; 2°. si peccatum diu celatum cum magno rubore confiteatur; 3°. si remediis a confessario præscriptis diligentius usus sit; 4°. si longum iter fuerit aggressus ad confessionem rite peragendam; 5°. si impense requirat, ut confessionem generalem instituat, aut majorem vitæ anteactæ peccatorum partem repetere velit; 6°. si fuerit inductus extraordinario motivo ad confitendum, nempe, concionis auditæ, morte alicujus amici, etc.; 7°. si confiteatur cum magna humilitate et verbis compunctionem cordis redolentibus (saltem ordinarie); 8°. si sponte asserat se velle omnino peccatum vitare cum omni incommodo, et *a fortiori* si dicat se malle mori quam peccare; 9°. si suspiria aut gemitus edat, vel lacrymas fundat (saltem ordinarie); 10°. non raro etiam spontanea confessio haberi potest ut signum extraordinarium doloris, præsertim in illis juvenibus et viris, qui seipsos et timorem humanum vincere debent, ut ad confitendum accedant.—Verum hæc in exemplum adducuntur, sed regula generalis esse potest: id omne tanquam signum extraordinarium habendum esse, quod aliquid addit signo communi et ordinario, nempe confessioni debito seu convenienti modo factæ, ideoque præbet motivum sufficiens removendi prudentem suspicionem, quæ in casu supponitur haberi de indispositione pœnitentis.

Concludendum igitur est confessarium qui Spiritu Dei agitur, et veram habet caritatem, vix unquam obligari ad absolutionem denegandam, quia etiam ab obduratissimis recidivis potest non unum sed plura ex prædictis signis suis persuasionibus et exhortationibus obtinere.—Cf. S. Alphons. n. 460. et seqq.—Baller. not. (a) p. 613. et seqq.

III.—Circa pœnitentes pios.

807. ***Dico.*** Confessarius etsi primario constitutus sit in bonum eorum qui magnis peccatorum nexibus vinciuntur, debet tamen operam suam in eos etiam conferre qui pii sunt, et in via perfectionis dirigi volunt. Nam ad confessarios omnes applicanda sunt verba quæ olim Jeremiæ dicta fuere: "Ecce constitui te super gentes, ut evellas et dissipes, ædifices et plantes." Ut autem directio in via perfectionis prudenti ratione fiat, attendendum est ad sequentes regulas practicas.

Regula I. Ante omnia studeat confessarius pœnitentium intimos animi motus et conditionem perspicere, ut instructionem possit illorum capacitati et naturæ accommodare; neque enim omnes sunt eodem spiritu ducendi, nec uno modo omnes regendi.

Regula II. Ducat pœnitentes ad perfectionem per gradus et ordinate, ita ut prius conentur assequi primum virtutis gradum quam ad supremum contendant, v. gr., prius discant operari recta intentione, et actiones ordinarias recte peragere, quam altiora excogitent; prius discant levia patienter ferre quam gravia appetant; prius discant pati æquo animo, quam de adversis velint gaudere.

Regula III. Doceat omnes, perfectionem cujusque in eo sitam esse, ut opera ordinaria bene peragant, v. gr., ut bene orent, Missæ intersint, laboribus sese exerceant, refectionem corporis modo, quo par est, sumant, inoffense cum proximo conversentur, omnia denique, ad quæ ex officio et statu incumbunt, recte obeant.

Regula IV. Probet opportune pœnitentes devotionem profitentes, ut advertat quo spiritu ducantur, an Dei vel mundi, amoris vel timoris; et quis affectus sit in eis prædominans, qui primo mortificandus sit. Attamen non omnes eodem modo probandi et tractandi sunt, sed cautela et discretione opus est: sic benignius excipiendi, qui ad tristitiam proni sunt, ne in animi dejectionem labantur; animæ etiamnum teneræ, quas Deus primo sibi conciliat, mollius sunt tractandæ; si autem animæ sint nobiliores aut fortiores, vel habeant beneficia Dei extraordinaria, suavitati jungenda est quædam severitas. Sed caveat confessarius, ne probatio sit aperta; secus enim nihil prodest.

Regula V. Non imponat, quinimo, ubi opus sit, temperet extraordinarias pœnalitates; sed sic instituat animas, ut ipsæmet eas sponte

deposcant; neque credendum illarum spiritui, quæ studiose extraordinaria sectari deprehenduntur, nisi adsint signa certa eas impulsu divino duci. Si quis advertatur esse in rebus agendis proprii judicii tenax, fortiter simul et suaviter est corrigendus.—Cf. S. Alphons. *Prax. Confess.* n. 90. et seqq.

ARTICULUS II.

DE OFFICIO MINISTRI POST CONFESSIONEM.

§ I. De obligatione corrigendi defectus in confessione commissos.

808. ***Dico.*** 1°. Error circa valorem sacramenti cum gravi culpa vel gravi negligentia commissus, supposito gravi damno pœnitentis, ex eo quod, v. gr., hic vel moriturus est vel periculosum iter susccepturus, reparandus est etiam cum gravi incommodo confessarii. Ratio est, quia confessarius ex officio et ex quasi-contractu cum pœnitente inito tenetur rite ipsi administrare sacramentum; si ergo ex sua culpa non rite administret, est injustus damnificator, et ad reparationem, etiam cum gravi suo incommodo, tenetur. Si autem error sit inculpabilis vel leviter culpabilis, confessarius non obligatur ratione damni illati, vel confessionis auditæ, sed ratione solius necessitatis proximi, cui subvenire quidem quisque debet ex caritate, non tamen cum gravi suo incommodo.—Cf. S. Alphons. n. 619.—Baller. not. (a) p. 624.

Dico 2°. Error circa accidentia sacramenti, v. gr., circa integritatem confessionis, non est reparandus extra confessionem, si confessarius in hoc negative tantum, etsi culpabiliter, se habuerit. Ratio est, quia confessarius non tenetur procurare integritatem sacramenti et utilitatem pœnitentis, nisi in confessione, ut medicus spiritualis et minister sacramenti.—Reparandus est autem etiam extra confessionem, *si positive et cum culpa gravi* commissus fuerit, modo id fieri possit sine scandalo et gravi ipsius confessarii incommodo; quia ex jure naturali quisque debet tollere causam violandi, etiam materialiter, præcepti, quam positive et voluntarie alteri posuit, nisi adsit incommodum, quod per se sufficeret ad excusandum ab ipsa præcepti observatione.—Cf. S. Alphons. n. 620.

809. ***Resolves.***—1°. Si confessarius ex malitia vel ignorantia vincibili aut gravi negligentia pœnitentem indebite solverit a restitutione facienda, tenetur errorem corrigere; quod si non corrigat, vel

pœnitens, qui secus restituisset, interea factus sit impotens ad restitutionem, confessarius ipse ejus loco restituere tenetur, quia jus creditoris violavit, impediendo scilicet restitutionem ei debitam.—Item si ex malitia aut ignorantia vel negligentia gravi obligavit pœnitentem ad restitutionem indebitam, tenetur ex justitia errorem retractare; et si pœnitens jam restituit, tenetur ipse damnum pœnitentis resarcire.

2°. Si vero inculpabiliter aut ex levi solum negligentia pœnitentem indebite obligavit, vel ab obligatione solvit, tenetur quidem ex justitia errorem corrigere, non tamen cum gravi incommodo. Ratio est, quia ex una parte quisque tenetur ex justitia impedire, ne sua actione etiam inculpabili pariat alteri damnum quod facile præcavere potest, et aliunde ex culpa levi aut tantum materiali ordinarie non oritur obligatio cum gravi incommodo.—Cf. S. Alphons. n. 621.

3°. Quod si in prædicto casu confessarius negligat errorem corrigere, pœnitentem commonendo, cum facile possit, tenetur ipse ad restitutionem faciendam. Ratio est, quia licet sine culpa, saltem gravi, egerit, cum primam dedit decisionem, graviter tamen peccaret contra justitiam, si quidem materia gravis est primam illam decisionem non corrigere, cum facile id præstare posset.—Cf. S. Alphons. n. 622.

4°. Confessarius qui non proprie positive solvit, sed omisit dumtaxat pœnitentem monere de restitutione facienda, tenetur suum errorem corrigere intra confessionem cum aliquo incommodo, si nulla aut levis tantum culpa intervenerit, majori autem cum incommodo, si in omissione graviter peccaverit.—Verum ad restitutionem non tenetur, saltem juxta probabiliorem sententiam, etiamsi monitionem omittendo graviter peccaverit. Ratio est, quia confessarius ne negativus quidem cooperator dici posset relate ad eum cui debetur restitutio; nam ut aliquis sit cooperator negativus requiritur ut ex justitia teneatur impedire damnum, ad quod certe confessarius non tenetur, quia cum solis pœnitentibus init quasi-contractum.—Cf. S. Alphons. n. 621.

810. Quaeres. *An confessarius sine pœnitentis licentia possit extra confessionem cum eo loqui de defectu commisso in confessione?*

Resp. *Neg.*, juxta S. Alphonsum et Card. de Lugo, qui ait contrarium repugnare communi sensui theologorum. Ratio est, quia monitio illa facta post judicium jam completum, jam non potest cum eo conjungi; erit igitur necessario quædam extra-judicialis peccati exprobratio

valde onerosa, et natura sua tenderet ad reddendam confessionem odiosam. Attamen si confessarius non absolverit, vel quia oblitus fuerit absolutionem dare, vel quia eam male protulerit, poterit sane, etiam non petita licentia, errorem suum aperire, dicendo, v. gr., se non absolvisse, tum quia hac ratione nulla potest adesse rationabilis offensio pœnitentis, tum quia præcedens judicium, deficiente absolutione, non poterat esse completum.—Cf. S. Alphons. n. 622.—Lacroix, n. 1776.

§ II. De sigillo servando post auditam confessionem.

I.—De ipsa obligatione sigilli.

811. ***Dico.*** Datur strictissima obligatio inviolabiliter servandi secretum de iis omnibus, quæ in omni et sola confessione sacramentali audita sunt, quæque ad ipsam confessionem peccatorum referuntur. Constat 1°. ex jure naturali et quidem tum titulo justitiæ quæ exigit secretum implicito pacto commissum arcte servari, et nihil fieri ad lædendam famam proximi, tum titulo religionis quæ absolute præscribit nihil unquam fieri posse quod sacramentum reddat odiosum. Constat 2°. ex jure divino positivo, saltem implicito, nam ex institutione Christi confessio secreta esse debet. Constat 3°. ex jure ecclesiastico, ut patet ex pluribus locis juris canonici, præsertim ex Conc. Lateran. IV. c. 21. ubi ita statuitur: "Caveat autem omnino [confessarius] ne verbo aut signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem; sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personæ caute requirat."—Cf. S. Alphons. n. 634. et seqq.—De Augustinis, part. 2. Thes. 21. p. 266.

812. ***Resolves.***—1°. Nulla unquam fingi potest exceptio qua liceat quidquam revelare quod sit de ratione confessionis sacramentalis, et ideo secretum istud tanquam nomine proprio vocatur *sigillum*. Ratio est, quia si aliqua dari posset exceptio, homines semper timerent ne tale peccatum illam exceptionem pateretur, et proinde odiosum evaderet sacramentum.

2°. In violatione sigilli, saltem directa, non admittitur parvitas materiæ, quia materia etiam levissima in odium cederet sacramenti, ac proinde includit totam rationem præcepti.—Dixi *saltem directa*, quia si

periculum indirectæ revelationis sit valde remotum, seu parum probabile, dari potest parvitas materiæ, tunc enim imprudentiæ quis accusari posset, sed non violationis sigilli.—Cf. S. Alphons. n. 635.

3°. In materia sigilli non licet uti opinionibus probabilibus, quia hoc etiam necessario redderet sacramentum odiosum quæ est tota ratio sigilli.—Cf. S. Alphons. n. 633.—Baller. not. (a) p. 629.

4°. Confessio quæ scienter fit laico vel sacerdoti jurisdictione carenti non inducit obligationem sigilli, sed tantum secreti naturalis. Secus autem esset dicendum si sacerdos credatur approbatus, quia tunc confessio est vere sacramentalis ex parte pœnitentis, quod sufficit ad rationem sigilli.

5°. Si quis ad confessarium accedat animo eum decipiendi, irridendi, in peccatum pertrahendi, aliquid ab eo extorquendi, ac proinde non se accusat in ordine ad sacramentum recipiendum, nulla est obligatio sigilli sacramentalis. Requiritur tamen ut talis animus notus omnino sit confessario, et insuper quod non mutetur dum fit accusatio peccatorum.

II.—De subjecto sigilli.

813. ***Dico.*** Primario et per se tenetur ad sigillum confessarius quilibet sive verus, sive fictus et per errorem legitimus existimatus, ut nuper dictum est et per se patet. At secundario et per accidens eadem obligatione adstringuntur omnes qui confessionis fiunt participes, seu ii omnes ad quos notitia confessionis quomodocumque pervenit, sive ex ipsa confessione, sive ex mediis ad illam ita actu ordinatis ut moraliter unum sit cum illa. Nam si *ex ipsa confessione* res accusata ad eorum notitiam pervenit, jam eadem est causa seu occasio hujus notitiæ ac illa propter quam directe imponitur obligatio sigilli; ac proinde eadem urget ratio secretum servandi; si vero *ex mediis*, tunc odium mediorum necessario in finem ipsum redundaret.—Hinc ad sigillum tenentur 1°. interpretes sponte adhibiti in confessione peragenda; 2°. superiores, a quibus extra sacramentum petitur facultas absolvendi vel recipiendi absolutionem a casu reservato; 3°. qui peccatum, dum quis confitetur, sive de industria, sive etiam inculpabiliter audiunt, et pariter si qui ab istis illud forte audirent; 4°. ii omnes quibus confes-

sarius sacrilege vel imprudenter peccata in confessione audita manifestasset.—Cf. S. Alphons. n. 647. et 648.

814. ***Resolves.***—1°. Confessarius ita tenetur ad sigillum ut extra sacrum tribunal, ne cum ipso quidem pœnitente possit de ejus peccatis colloqui absque ipsius licentia.—Dixi *extra sacrum tribunal*, nam secus esset dicendum si pœnitens non adhuc discesserit, etiamsi data jam fuerit absolutio; imo etiamsi discesserit, et statim redierit, quia idem judicium moraliter perseverat. Potest etiam confessarius in ipsa confessione loqui de præteritis confessionibus; modo tamen adsit gravis ratio, et discrete fiat, ita ut non appareat vividam servari memoriam peccatorum jam remissorum.—Cf. S. Alphons. n. 651.—Baller. not. (a) p. 631.

2°. Qui legit chartam in qua pœnitens confessionem scripsit, non tenetur *per se* ad sigillum; quia charta ex se sola non est actualis confessio, sed præparatio dumtaxat ad ipsam.—Notitia igitur ex ejus lectione accepta, cum sine ulla participatione ad actum sacramentalem habeatur, non infert *per se* obligationem *sigilli sacramentalis*, sed tantum *secreti naturalis*, quod sub gravi per se urget, nisi de levissimis culpis agatur.—Dixi *per se;* nam *per accidens* potest adesse obligatio sigilli, nempe si charta actu inserviret ad confessionem aut ad ea quæ sunt confessionis peragenda, v. gr., si directa esset ad superiorem alicujus reservationis causa; item si a muto, qui ea uteretur, jam oblata vel tradita esset sacerdoti; maxime vero si tu eam legas dum est in manu confessarii, aut adhibetur in actu confessionis, imo etiam, juxta Card. de Lugo, si eam legas post absolutionem in confessionali relictam, quia in his casibus ad confessionem pertinet.—Cf. S. Alphons. n. 650.—Lugo, disp. 23. n. 48.

3°. Non tenetur ad sigillum doctor consultus ab ipso pœnitente, si consulatur circa confessionem alteri faciendam, quia obligatio sigilli oritur tantum ex confessione sacramentali.—Neque dicas ex hujusmodi revelatione confessionem evadere odiosam; nam respondet S. Alphonsus odium tunc cadere in solam consultationem, sed non in confessionem.—Dixi tamen, *si consulatur circa confessionem alteri faciendam*, nam si pœnitens eum consulat circa confessionem ipsimet faciendam, urget obligatio sigilli, cum hæc consultatio habenda sit velut inchoata confessio.—Cf. S. Alphons. n. 649.—Suarez, disp. 33. sect. 4.

4°. Pœnitens non tenetur sigillo respectu confessarii, quia obligatio

sigilli est tantum in favorem pœnitentis. Tenetur autem ad secretum naturale circa ea quæ revelare nequit sine injusto confessarii damno, aut contra rationabilem ejus voluntatem, vel sine injuria et contemptu sacramenti.—Cf. S. Alphons. n. 647.

III.—De objecto sigilli.

815. **Dico.** Objectum sigilli sunt non solum omnia peccata confessa, ut per se patet, sed etiam tum quidquid ad individuam peccatorum explicationem pertinet, tum quidquid in confessione manifestatum est et cujus revelatio cederet in gravamen pœnitentis et in odium sacramenti. Ratio *primi* est, non solum quia explicatio peccatorum unum quid constituit cum ipsis peccatis, sed etiam quia, explicatione accepta, facile devenitur ad notitiam ipsorum peccatorum. Ratio autem *secundi* est, quia sigillum inductum est, ne fideles ex gravamine quod ex revelatione proveniret, a sacramento Pœnitentiæ retraherentur.

816. **Resolves.**—1°. Sub sigillo confessionis cadunt, 1°. omnes peccatorum circumstantiæ, etiam post absolutionem declaratæ; 2°. peccata complicis, etsi absque necessitate cum peccato essent revelata, quia ex intrinseca confessionis occasione dicta sunt; 3°. pœnitentiæ impositæ, nisi forte sint valde leves, seu ex iis quæ pro levissimis culpis imponi solent; 4°. defectus manifestati per confessionem ad explicandam peccati rationem, v. gr., si pœnitens dicat se sacros Ordines cum irregularitate suscepisse, *eo quod sit illegitimus, etc.*—Cf. S. Alphons. n. 640.

2°. Virtutes pœnitentis ac cætera dona Dei extraordinaria non cadunt sub sigillo, si in confessione manifestantur ut status animæ confessario innotescat; at secus esset dicendum si manifestarentur ad explicandum aliquod peccatum, v. gr., propriam ingratitudinem erga Deum.—Cf. S. Alphons. n. 641.—Lugo, disp. 23. n. 58.

3°. Scrupulositas pœnitentis est certo objectum sigilli 1°. cum accusatur ut defectus moralis, quatenus pœnitens pronus ad scrupulos non sategerit sese corrigere; 2°. cum innotescit confessario ex eo quod pœnitens falso aut scrupuloso judicio deceptus multa confitetur uti peccata, quæ talia non sunt. E contra scrupulositas certo non est *per se* materia sigilli, si per hanc vocem intelligas pœnitentem habere delicatam conscientiam, quia hoc cederet potius in ipsius laudem, præsertim si est laicus et negotiis sæcularibus addictus. Controvertitur autem an cadat

sub sigillo scrupulositas quatenus est defectus physicus cognitus in confessione; nempe si dicas pœnitentem esse prolixum, tædium parere suo modo loquendi, et similia.—Cf. S. Alphons. n. 641.

4°. Defectus naturales pœnitentis, v. gr., quod sit surdus, balbutiens, pauper, ignarus, claudus . . . . cadunt sub sigillo, si confessarius noverit tales defectus ex declaratione pœnitentis, seu quatenus fuerunt manifestati ad declaranda peccata, et eorum revelatio aliqua ratione futura sit pœnitenti gravis, aut molesta; quia tunc et connexionem cum confessione habent, et eorum declaratio sacramentum redderet odiosum. Secus vero esset dicendum, si confessarius incidenter tantum illos defectus noverit.—Cf. S. Alphons. n. 642.

5°. Peccata commissa in ipsa confessione, v. gr., impatientiæ, aut contumeliæ in confessarium, non cadunt sub sigillo, quia non accusantur, ut supponitur; at *per accidens* plerumque sunt materia sigilli, quia judicium probabile præbent quod confessarius vel pœnitentem noluerit absolvere, vel propter culpam graviorem eum severius reprehenderit, etc. Non caderet autem sub sigillo furtum a pœnitente in damnum ipsius confessarii tempore confessionis commissum. Imo si constaret, furem ad confitendum venisse ut furandi occasionem haberet, peccata ab ipso accusata non forent materia confessionis; siquidem talis confessio non vera, sed simulata tantum esset.

6°. Ipsa accessio ad confitendum non est materia sigilli, tum quia est factum aliquod de se publicum et externe agnoscitur extra confessionem, tum quia *per se* non est odiosum, sed potius laudem affert; ac proinde qui dicit se audivisse talem personam in confessione, *per se* nullo modo violat sigillum. Adverte tamen confessarium certo teneri ad secretum naturale si cognoscat aliquem clam accessisse ad confitendum, imo aliquando posse *per accidens* sigillum graviter violare, ingerendo scilicet in aliis suspicionem gravis peccati.—Cf. S. Alphons. n. 638.

7°. Idem fere dicendum de collatione absolutionis, ac proinde *per se* sigillum non frangit qui dicit se talem personam absolvisse, nam per se talis locutio onerosa esse nequit. Attamen quia dicere istud posset in quibusdam adjunctis onerosum evadere aliis, de quibus idem dici non potest, omnino abstinendum est a tali manifestatione. Quare parentes, magistri, heri, interrogantes de absolutione data filiis vel

subditis, remittendi sunt ad ipsos pœnitentes. Similes quæstiones facere solent Moniales curæ infirmorum in nosocomiis addictæ, ut sciant an necessaria ad viaticum ministrandum parare debeant: hæ pariter ad infirmos sunt remittendæ, vel melius est petenda ab infirmo licentia Moniales vel alios monendi. Sufficiet autem infirmo dicere: *Monebo*, etc.

IV.—De variis modis sigillum violandi.

817. Duplici modo violari potest sigillum: 1°. *directe*, revelando expresse aliquid ad secreta confessionis spectans; v gr., si dicatur: Titius hoc fecit, etc.; 2°. *indirecte* aliquid dicendo aut faciendo, ex quo quis cognoscere aut suspicari possit peccatum vel defectum pœnitentis in sola confessione cognitum, aut ex quo pœnitenti vel aliis, v. gr., complicibus possit oriri pudor, molestia, dedecus, damnum vel quodlibet gravamen. Revelatio directa, Dei providentia ita disponente, vix unquam, aut forte nunquam locum habet; at quod lugendum sane est, revelatio indirecta non est omnino rara. Hinc:

818. **Dico.** Secretum confessionis indirecte violat:

1°. Qui unum præ aliis, quos audivit, laudans, dicit eum sola venialia commisisse; quia alii inde facile in suspicionem culpæ mortalis adducuntur.

2°. Qui de peccato pœnitentis per solam confessionem cognito loquitur cum aliis, qui hoc aliunde norunt, etiamsi audientes non advertant illud ex confessione acceptum esse.

3°. Qui dicit, se non absolvisse talem, eum remisisse ad tale tempus, vel nondum absolvisse, vel nondum expletam esse confessionem.

4°. Qui de Titio, cognito ut fure, dicit, eum sua furta cum contritione magna sibi confessum esse.

5°. Qui alta voce, aut alio modo a circumstantibus intelligibili, arguit pœnitentem; hoc enim et grave est pœnitenti, et aliis suspicionem ingerit, illum gravia peccata confessum esse; *a fortiori* autem si nimis vocem extollendo repeteret peccata pœnitentis, aut de eorum circumstantiis interrogaret.

6°. Qui loquitur cum alio confessario de peccatis alicujus pœnitentis, etiamsi is utrique eadem peccata confessus fuerit.

7°. Qui, auditis paucorum confessionibus, dicit se tale peccatum au-

divisse, licet celet personam; singuli enim ex illa revelatione aliquid suspicionis contra se patiuntur.

8°. Qui, narrans alicujus personæ peccata quæ extra confessionem cognovit, addit aliquam circumstantiam cognitam ex sola confessione, vel qui utitur notitia confessionis ad rem magis determinandam aut confirmandam.

9°. Qui diceret, se in tali Monasterio audivisse peccatum grave, etiamsi non nominaret personam; quia singuli Religiosi illius Conventus detrimentum patiuntur. *A fortiori* violaret sigillum qui diceret, in Conventu illo talia peccata committi.—Secus autem si diceret, se audivisse peccatum grave alicujus Religiosi *in genere*, quin nominaret ipsius Ordinem, quia neque est revelatio sigilli, neque redundat in gravamen pœnitentis, nec alicujus Ordinis, cum inter varios Ordines non desint aliqui minus boni Religiosi.

10°. Qui pœnitentem post confessionem oculo torvo aspicit, non eum alloquitur, sicut prius facere solebat, et ostendit verbis durioribus, gestibus, aut tota agendi ratione, se recordari de ejus peccatis, de iis actu cogitare, et eum minoris, quam antea, facere.

Advertendum tamen hic est sæpe confessarios excusari posse a gravi saltem, imo quandoque a quacumque violatione sigilli, at a scandalo excusari non posse. Quare, seclusa utilitate instructionis vel consilii petendi, abstinendum est ab illis narrationibus, quæ utut impune haberi possint, si ad principia theologica circa violationem sigilli revocentur, scandalum tamen pariunt apud audientes laicos præsertim simplices.—Cf. *Synod. diœces. Novarcens.* III. n. 67.

819. ***Quæsita.***—Quaer. 1°. *An frangat sigillum, qui dicit tale vitium regnare in civitate vel pago, aut ibi gravia crimina committi?*

Resp. *Affirm.*, si locus sit satis angustus, v. gr., si non constat tribus hominum millibus circiter. Secus vero esset respondendum, si oppidum sit amplum, et crimina publica sæpius ibi patrentur.—Cf. S. Alphons. n. 654.

Quaer. 2°. *An prædicatores uti possint notitia confessionis ad loquendum de iis, de quibus non cogitassent, nisi confessiones audivissent?*

Resp. *Affirm.*, secluso revelationis periculo, et pœnitentium gravamine. Ratio est, quia secus confessarius nunquam fere posset concionari, semper enim timeret, ne concionando confessionis notitia uteretur.

Caveat tamen confessarius, ne loquatur publice de peccatis omnino particularibus unius vel alterius pœnitentis, præsertim si sermonem habeat coram aliqua parva communitate, v. gr., in Monasterio Monialium, etc.; quia tunc facile gravamen induci posset.—Cf. S. Alphons. n. 654., et *Hom. Ap.* tract. 16. n. 158.

QUAER. 3°. *An sacerdos, qui ex confessione novit sibi parari insidias, possit fugere, aut alio modo damnum præcavere?*

RESP. *Affirm.*, si ex tali cautione minime manifestetur aliis peccatum accusatum, nec ullum gravamen pœnitenti afferatur.—*Negative* vero est respondendum si fugere nequeat, quin aliquo modo manifestet peccatum aliquod accusatum fuisse a pœnitente. Ratio est, quia fuga illa esset indirecta revelatio peccati confessi; et licet confessarius fugam simularet ex aliquo prætextu, semper tamen rationabilem suspicionem peccati declarati præberet.—Monet tamen hic Card. de Lugo experientiam ostendere, nunquam revelationem etiam indirectam necessariam esse ad ea pericula effugienda, cum vel ex licentia pœnitentis vel aliis modis obviari iis possit absque sigilli fractione.—Cf. S. Alphons. n. 659.—Lugo, disp. 23. n. 108. et seqq.

QUAER. 4°. *An superiores uti possint notitia confessionis ad gubernationem externam, si nullo modo appareat quod ex illa notitia se dirigant?*

RESP. *Neg.*, cum S. Alphonso et aliis communiter contra aliquos veteres theologos, qui sententiam affirmativam defendebant.—Ratio est, quia evidenter hoc cederet in gravamen pœnitentium; et qui nossent talem doctrinam passim doceri, a confessione retrahi possent. Constat etiam ex variis Decretis SS. Pontificum, præsertim Clement. VIII. Decreto lato 26. Maii, an. 1594. pro Regularibus, in quo dicitur: "Tam superiores pro tempore existentes, quam confessarii qui postea ad superioritatis gradum fuerint promoti, caveant *diligentissime* ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur."—Quamvis autem hoc Decretum latum fuerit pro Regularibus, ad omnes superiores extendi debet, cum eadem ratio, quæ urget pro Regularibus, etiam pro sæcularibus valeat. Constat etiam ex Decreto S. Congr. Inquisitionis edito, auctoritate Innocentii XI. anni 1682. quo proscripta fuit sequens propositio: "Scientia ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa aut indirecta revelatione et gravamine pœnitentis, nisi aliud multo gravius ex non usu

sequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur." Addit Pontifex, confessarios nullo modo posse uti tali doctrina, etiam seclusa quacumque revelatione.—Cf. S. Alphons. n. 656.

QUAER. 5°. *An saltem quandoque, vel quandonam confessarius uti possit notitia confessionis?*

RESP. Juxta omnes theologos id potest in sequentibus casibus: 1°. ad orandum pro pœnitente, vel benignius erga ipsum agendum; 2°. ad consulendos libros, vel sapientes, prudenter tamen, secluso revelationis periculo; 3°. ad se dirigendum per experientiam ex confessionibus acquisitam, v. gr., ad rigorem temperandum, et ad se dirigendum ex confessione unius ad alios prudenter interrogandos, vel instruendos, nullam dando prioris confessionis suspicionem; 4°. ad reformandos proprios mores, ad corrigendos proprios defectus, aut ad melius fungendum suo officio, v. gr., ad socordiam exuendam, vigilantius in subditos invigilandum, seclusa revelationis suspicione, etc., quia quisque tenetur defectus suos corrigere statim ac ad eos advertit; nec potest ullus pœnitens rationabiliter offendi, quod confessarius, ob audita in confessione, vitam in melius mutet.—Cf. S. Alphons. n. 657.

TRACTATUS

DE EXTREMA UNCTIONE

CAPUT I.

DE NATURA ET EFFECTIBUS EXTREMÆ UNCTIONIS.

820. I. Extrema Unctio est sacramentum novæ legis a Christo Domino institutum ad conferendam salutem animæ, vel etiam corporis, ubi saluti animæ expedierit, ægroto vita periclitanti, per unctionem olei benedicti et orationem sacerdotis.

II. Extrema Unctio est verum novæ legis sacramentum ut constat ex definitione Conc. Trid., sess. 14. can. 1. *de Extr. Unct.*, ubi sic dicitur: "Si quis dixerit Extremam Unctionem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino nostro institutum, et a beato Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit."—Cf. De Augustinis, Thes. 1. p. 354.

III. Effectus sacramenti Extremæ Unctionis sunt: 1°. gratia sanctificans cum gratiis actualibus sacramenti propriis, quæ mirifice juvant ad recreandum infirmum, eumque confirmandum contra diaboli tentationes; 2°. remissio omnium peccatorum nondum remissorum, etiam mortalium, non quidem *primario* et *per se*, neque semper, sed solum cum vel ex una parte non habetur eorum memoria, sed tamen ex alia habetur vera attritio, vel si habetur memoria peccatorum mortalium, habetur etiam contritio existimata; nam hoc sacramentum est vivorum, et non mortuorum; 3°. abstersio reliquiarum peccati, quæ sunt non solum pœnæ peccatis debitæ, sed etiam animi anxietates, infirmitates, languor ad bonum, torpor, timor, et alia similia, quæ ex peccatis contrahuntur; 4°. restitutio sanitatis corporis interdum, si animæ saluti expediat; ac proinde turpiter errant, qui hoc sacramentum non recipiunt, nisi cum morbus ita invaluit, ut jam sine miraculo sanari nequeant.—Cf. De Augustinis, Thes. 5. p. 394.

CAPUT II.

DE MATERIA EXTREMÆ UNCTIONIS.

821. ***Dico*** 1°. Materia remota Extremæ Unctionis est oleum ab Episcopo benedictum: benedici autem debet, etsi non ad validitatem, ab Episcopo diœcesano, vel, sede vacante, ab alio Episcopo vicino, in Cœna Domini, sicut Chrisma, et singulis annis est renovandum. *Primum* constat ex Conc. Trid. sess. 14. de *Extrem. Unctione*, cap. 1., ubi sic dicitur: "Intellexit Ecclesia materiam [hujus sacramenti] esse oleum ab Episcopo benedictum; nam unctio aptissime Spiritus Sancti gratiam, qua invisibiliter anima ægrotantis inungitur, repræsentat." *Alterum* autem constat tum ex positivo præcepto Clement. VII., tum ex perpetua praxi Ecclesiæ et ex Rituali Romano, ubi dicitur: "Oleum sanctum singulis annis in Cœna Domini, veteri combusto, renovandum est."

Dico 2°. Materia proxima est unctio quarumdam partium corporis, quæ sunt, saltem ex præcepto Ecclesiæ, et practice loquendo, quinque sensus. Ratio desumitur ex verbis Concilii Tridentini nuper citatis, ubi particula illa causalis "*nam*" ostendit unctionem ex mente Concilii esse partem efficacem signi sacramentalis.—Dixi *saltem ex præcepto Ecclesiæ, et practice loquendo*, quia disputatur apud theologos dogmaticos num unctio quinque sensuum sit de necessitate sacramenti, ut statim dicetur.—Cf. De Augustinis, Thes. 2. p. 369.

822. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *An unctio quinque sensuum sit de necessitate sacramenti?*

RESP. *Affirm.*, probabilius cum sententia communiori theologorum cui consonat praxis Ecclesiæ: quæ praxis, secluso casu necessitatis, semper servanda est. Sententia tamen negativa, speculative, probabilis dicitur a S. Alphonso, ac proinde in casu necessitatis adhiberi potest, sub conditione, unica unctio in aliquo sensu; quinimo, inquit Benedictus XIV., tunc consultius est ut caput, e quo omnium sensuum nervi descendunt, sub forma universali, quæ inferius dabitur, inungatur.—Cf. S. Alphons. n. 710.—Benedict. XIV. *de Synod. diœces.* lib. 8. cap. 3. n. 5.—O'Kane, n. 884. et seqq.

Quaer. 2°. ***An unctio in pedibus et renibus sit etiam, practice loquendo, necessario facienda?***

Resp. Quoniam, testante S. Alphonso, communiter docetur a theologis unctionem pedum et renum non esse de necessitate sacramenti, nam non indicatur per eas specialis quidam sensus, non urget pro duabus istis unctionibus ratio desumpta ex periculo invaliditatis; urget tamen ratio deducta ex præcepto Ecclesiæ, quia in Rituali Romano dicitur: "Pedes etiam et renes ungendi sunt."—Excipe vero casum legitimæ consuetudinis in contrarium; vi enim consuetudinis apud nos existentis, quæque legitima prorsus videtur quamdiu Episcopi tacent, semper omittitur unctio renum, non solum in fœminis, sed etiam in viris.—Ad consuetudinem etiam et ad particularia locorum statuta attendendum est, ut videatur in quanam parte facienda sit unctio pedum, quæ sane apud nos non omittitur, neque absque gravi ratione omitti debet.—Cf. S. Alphons. n. 710.—Kenrick, tract. 19. n. 5.—Gardellini, in Decret. 4780., die 27. Aug. 1836.—O'Kane, n. 893. et 937.

Quaer. 3°. *Ubinam et quomodo faciendæ sint aliæ unctiones?*

Resp. Faciendæ sunt 1°. in oculis seu in palpebris, oculis clausis; 2°. in auribus, nempe in parte inferiori et non interius; 3°. in naribus; 4°. in ore, labiis compressis, vel, si hoc non posset fieri propter necessitatem respirationis, in labio inferiori; 5°. in manibus, *supra* pro sacerdotibus, *infra* pro laicis.—Unctiones autem hæ fieri debent per modum crucis pollice dextro sacerdotis, qui formam simul proferre debet.—Adverte tamen, 1°. non requiri de necessitate sacramenti geminatam unctionem in geminis organis, quia in unica parte habetur totus sensus; 2°. prædictum ordinem inter diversos sensus non esse essentialem sed tantum rubricalem; a fortiori autem essentiale non est incipere ab organo dextro potius quam a sinistro; 3°. in casu necessitatis, v. gr., tempore pestis, posse diversas unctiones fieri, mediante penicillo, quia in hoc sacramento nulla requiritur impositio manuum sicut in Confirmatione; quamvis tamen, testantibus medicis, nullum incurritur periculum si digito fiant; 4°. unam solam guttam olei *per se* sufficere ad omnes unctiones faciendas, quia oleum facile diffunditur; at in praxi intingendam esse extremam partem pollicis ante singulas unctiones; 5°. eos qui aliquo sensu privantur inungendos esse vel in ipso organo si adsit, vel in parte viciniori, quia ita fert praxis Ecclesiæ, et a Rituali

Romano statuitur.—Cf. S. Alphons. n. 710.—O'Kane, n. 894. et 928. et seqq.—Capellmann, *Pastoral medic.* p. 165.

QUAER. 4°. *An præceptum renovandi oleum obliget sub gravi?*

RESP. *Affirm.*, ut videtur, quia materia sat gravis apparet; sed si novum oleum benedictum haberi nequit, antiquo uti licitum est. Adverte insuper quod si intra annum oleum benedictum sit defecturum, neque aliud haberi queat, oleo superstiti aliud non benedictum, in minori tamen quantitate, potest infundi. Idque sæpius fieri potest, si ita requirat necessitas propter copiam infirmorum, quamvis paulatim longe etiam major quantitas addatur, quam ab Episcopo consecrata fuit initio, modo tamen ea in unaquaque commixtione minor sit altera parte cui infunditur.—Cf. S. Alphons. n. 708.

QUAER. 5°. *An de necessitate sacramenti requiratur oleum ex olivis?*

RESP. *Affirm.*, tum quia própriе nomine olei, usu et sensu ecclesiastico, intelligitur solum oleum olivarum, tum quia ita expresse habetur in Decreto Eugenii IV. pro Armenis ubi legitur: "Cujus [Extremæ Unctionis] materia est oleum olivæ." Patet etiam ex tota traditione et unanimi Doctorum consensu.—Cf. S. Alphons. n. 708.

QUAER. 6°. *An hoc oleum debeat necessario esse benedictum ab Episcopo?*

RESP. *Affirm.*, ut constat ex variis Declarationibus Pauli V. et Gregorii XVI. Potest autem ex delegatione Papæ benedici a simplici sacerdote.—Verum si quæras num benedici debeat in ordine ad Extremam Unctionem, respondetur non unam esse sententiam theologorum, atque probabilem videri illam quæ negat; quia in citatis Declarationibus aliisque documentis dicitur tantum requiri benedictionem episcopalem. At in praxi tutius omnino tenendum est, excepto necessitatis casu, in quo administrandum est hoc sacramentum sub conditione cum alio oleo benedicto, et postea si oleum infirmorum haberi potest, iterandum est.—Cf. S. Alphons. n. 709.—De Augustinis, Thes. 2. p. 369.—O'Kane, n. 852. et seqq.

Dixi cum *alio oleo benedicto;* nam triplex distinguitur oleum sanctum quod in eadem cæremonia Feria V. in Cœna Domini ab Episcopo benedicitur, scilicet *oleum infirmorum, oleum catechumenorum, et sanctum Chrisma.* Oleum infirmorum non inservit nisi ad inungendos

infirmos in periculo mortis et ad consecrationem campanarum pro unctione externa; nam pro interna Chrisma adhibetur. Oleum catechumenorum deputatur ad catechumenos ante Baptismum in pectore et inter scapulas inungendos, ad manus neo-sacerdotum consecrandas, necnon ad nonnullas alias consecrationes, v. gr., ad consecrationem regum, etc. Chrisma vero seu oleum cum balsamo immixtum, et ab Episcopo benedictum adhibetur in sacramento Confirmationis, in cæremoniis Baptismi, jam collato sacramento, et ad varias consecrationes, v. gr., calicis, patenæ, ciborii, altaris, campanæ (interius), etc.—Cf. *Pontificale Romanum*, ubi de cæremoniis Feriæ V. *in Cœna Domini*.

CAPUT III.

DE FORMA EXTREMÆ UNCTIONIS.

823. ***Dico.*** Forma Extremæ Unctionis his verbis continetur: "Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum [dum unguntur oculi, et sic de aliis] deliquisti." Constat ex Conc. Trid. sess. 14. cap. 1. *de Extrema Unctione*, et ex Rituali Romano.—Adverte tamen hanc formam integre esse repetendam ad singulas unctiones; sed cum organa sunt geminata, semel tantum dici debere.

824. ***Quæsita.***—Quaer. 1°. *An ad validitatem sacramenti requiratur expressio cujuslibet sensus, per visum, per auditum, etc.?*

Resp. Controvertitur; nam alii negant, quia non reperitur in forma Græcorum, quæ tamen ab Ecclesia admittitur ut valida, et alii affirmant, quia per unam unctionem et formam illi respondentem non remittuntur quorumcumque peccatorum reliquiæ, sed eorum tantum, quæ per illum sensum commissa sunt. Cum igitur res dubia sit, sub gravi expressio sensus adhibenda est.

Quaer. 2°. *Quænam verba sint formæ essentialia?*

Resp. Sunt sequentia: *Per istam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti* cum verbo sensum exprimente, id est *per visum*, etc.

Quaer. 3°. *An ad validitatem sufficiat unica forma ad omnes sensus, si singuli distincti exprimantur et ungantur?*

Resp. Controvertitur. Alii affirmant, quia hæc forma est virtua-

liter multiplex, et æquivalet pluribus particularibus, sicque specialiter effectum cujuslibet formæ specialis significat. Alii vero negant, quia cum materiæ partiales, scilicet unctiones, sint distinctæ, singulis etiam formæ speciales respondere debent.—Urgente tamen necessitate, suadenda est hæc forma generalis: "Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per sensus, visum, auditum, odoratum, gustum et tactum."—Ungendi autem sunt omnes sensus dum exprimuntur, si non valde urget necessitas; nam secus sufficit inungere solum caput. Verum si tempus supersit, sub conditione repetendæ sunt unctiones cum forma singulis propria, et addendæ sunt aliæ orationes omissæ, ut in Rituali præscribuntur.—Cf. S. Alphons. n. 710.—O'Kane, n. 870. et seqq.

CAPUT IV.

DE MINISTRO EXTREMÆ UNCTIONIS.

825. ***Dico*** 1°. Solus sacerdos est minister hujus sacramenti. Constat ex Conc. Trid. sess. 14. *de Extrema Unctione*, can. 4: "Si quis dixerit presbyteros Ecclesiæ, quos B. Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate, ob idque proprium Extremæ Unctionis ministrum non esse solum sacerdotem, anathema sit."

Dico 2°. Omnis sacerdos potest quidem hoc sacramentum valide ministrare, quia potestas valide illud conferendi competit sacerdoti ratione ipsius Ordinis. Non tamen illud ministrare licite potest, nisi solus Pastor animarum; quia ad Pastorem pertinet oves suas pascere. Religiosi autem qui hoc sacramentum sine licentia Parochi ministrant, excommunicationem Papæ simpliciter reservatam *ipso facto* incurrunt. —Cf. S. Alphons. n. 722.—Const. *Apostolicæ Sedis*, 2^am^. tabel. excommun. 14.

826. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *An quivis sacerdos possit hoc sacramentum ministrare ex consensu Parochi probabiliter præsumpto?*

RESP. *Affirm.*, probabilius, quia non videtur cum tanto rigore procedendum esse, ubi agitur de delegatione ad meram liceitatem, nec ullatenus sermo est de valore ipsius sacramenti, quamvis non facile

præsumenda sit talis delegatio. Verumtamen, si sacerdos, cui administratio hujus sacramenti competit, abest, vel excommunicatione aut suspensione ligatur, quilibet sacerdos in casu necessitatis hoc sacramentum administrare potest, imo ex caritate debet.—Cf. S. Alphons. n. 722.

QUAER. 2°. *An vel qualis sit obligatio Extremam Unctionem ministrandi?*

RESP. Sacerdos quilibet tenetur tantum ex caritate; sed illi qui habent curam animarum tenentur sub mortali, ratione officii, eam ministrare subditis periculose ægrotantibus, eamdemque petentibus.—Dixi *periculose ægrotantibus*, quia non est expectandus ultimus mortis articulus. Imo communiter docent theologi graviter peccare Parochos, qui illud differunt usquedum infirmus destituatur usu sensuum et rationis, quia sic caret infirmus uberiori fructu quem percepisset, si compos rationis sacramentum recepisset; insuper quia privatur spiritualibus viribus ad resistendum dæmoni, et ad perferenda morbi incommoda; et etiam quia infirmus, si esset in mortali, et sacramentum suscepisset adhuc rationis compos, auxilio attritionis gratiam fuisset adeptus, qua alioquin privatur; demum quia virtute hujus sacramenti consequi potuisset sanitatem corporis, si tempore congruo ipsi collatum fuisset.—Cf. S. Alphons. n. 729.

QUAER. 3°. *An et quale peccatum sit: 1°. omittere orationes in Rituali præscriptas; 2°. ministrare sine vestibus sacris; 3°. sine lumine; 4°. omittere signum crucis in unctionibus faciendis; 5°. nullum adhibere ministrum inservientem?*

RESP. Ad 1um. et 2um. esse mortale dummodo non agatur de casu necessitatis, et ratio est, quia materia gravis est:—Ad 3um. et 4um. esse tantum veniale, et, interveniente aliqua causa, nullum esse peccatum:—Ad 5um. probabiliter nullum esse peccatum etiam extra casum necessitatis. Certo tamen mulier nunquam est adhibenda ad officium ministrantis, et si clericus aut laicus facile inveniri nequit, sacerdos solus omnes cæremonias peragat, et ipse orationibus respondeat.—Cf. S. Alphons. n. 824. et seqq.

CAPUT V.

DE SUBJECTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

827. ***Dico.*** Subjectum hujus sacramenti sunt omnes, et soli peccatores infirmi vita periclitantes. Constat 1°. ex verbis S. Jacobi: "Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ," etc: verbum autem *infirmatur* græce significat morbum periculosum; 2°. ex definitione Ecclesiæ, sic enim in *Decreto Unionis:* "Hoc sacramentum nisi infirmo de cujus morte timetur, dari non debet"; 3°. ex Conc. Trid. sess. 14. cap. 3.—Hinc hujus sacramenti capaces non sunt *infantes*, nec perpetuo amentes, quia nulla peccata actualia commiserunt.—Verum *pueri* si sint rationis compotes et judicentur doli et culpæ capaces possunt et debent inungi etiamsi primam communionem non adhuc susceperint, et ad confessionem peragendam ne semel quidem accesserint. Quare Bened. XIV. acriter improbat nonnullas synodales Constitutiones, quibus certa ætas determinata fuit ante quam pueri non possint inungi.—Cf. Bened. XIV. *de Synod. diœces.* lib. 8. cap. 6.—O'Kane, n. 860.

828. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *An hoc sacramentum conferri possit ægroto in periculo mortis dubio seu probabili?*

RESP. *Affirm.*, cum sententia communi et vera, quia ad ministrandum hoc sacramentum *valide* et *licite* sufficit ut infirmus laboret morbo ita gravi ut prudenter existimetur versari in periculo mortis; nam in Rituali Romano sic statuitur: "Debet hoc sacramentum præberi infirmis qui tam graviter laborant ut periculum mortis imminere videatur." Adverte insuper verbum *imminere* non significare quod mors jamjam secutura sit, sed solum quod infirmus laboret morbo lethali. Quare potest valide et licite inungi infirmus qui jaceat hectica febri (*consumption*) correptus, quamvis pluribus adhuc mensibus aut etiam anno integro victurus prævideatur.—Cf. S. Alphons. n. 714.—Konings, n. 1508. quær. 2. cum not. (29).

QUAER. 2°. *An possit hoc sacramentum conferri iis qui prælium vel periculosam navigationem inituri sunt, aut reis ultimo supplicio statim afficiendis?*

RESP. *Neg.*, quia isti non sunt proprie infirmi. Excipiendus tamen

esset casus militis jam graviter vulnerati, et adhuc volentis pugnare, vel rei qui audita sententia mortis, febri corriperetur.—Mulieres etiam quæ extraordinarios et periculosos labores paterentur in partu possunt inungi. Item qui senio omnino deficiunt, etiamsi nullo alio morbo tenerentur.—Cf. O'Kane, n. 868. et 859.

QUAER. 3°. *An vel quando hoc sacramentum iterari possit?*

RESP. Certo iterari potest, quoties infirmus in periculoso morbo inunctus convaluit, et rursus in morbum periculosum incidit. Constat ex Conc. Trid., sess. 14. *de Extrema Unctione*, cap. 3. ubi dicitur: "Quod si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum hujus sacramenti subsidio juvari poterunt, cum in aliud simile vitæ discrimen inciderint." Potest etiam iterari in eadem infirmitate, si diuturna fuerit, et infirmus notabiliter convaluerit, ita ut a periculo mortis eripi visus fuerit, et iterum in idem inciderit. Ratio est, quia tunc est vere novum mortis periculum. Constat ex Rituali Romano, ubi dicitur: "In eadem infirmitate hoc sacramentum iterari non debet, nisi diuturna sit, ut cum infirmus convaluerit, iterum in periculum mortis inciderit." Imo in eodem morbo diuturno si *dubitetur* an revera status morbi mutatus fuerit, si adsit scilicet ratio probabilis existimandi infirmum exiisse e periculo mortis, potest probabilius iterari hoc sacramentum.—Cf. S. Alphons. n. 715.—O'Kane, n. 878. et seqq.

QUAER. 4°. *An sit obligatio gravis recipiendi hoc sacramentum?*

RESP. *Neg.*, probabiliter; nam neque ex traditione neque ex Conciliorum Decretis constat de præcepto hoc sacramentum suscipiendi. Quod vero S. Jacobus ait *inducat Presbyteros* . . . . , ut consilium potest accipi et explicari.—Cf. S. Alphons. n. 733.—S. Thom. 3. q. 65. art. 4.

NOTA 1°.—*De visitatione infirmorum habendum est præ oculis sequens statutum Patrum Baltimorensium: "Juxta præscripta et mentem Ritualis Romani sedulus sit Pastor animarum in visitandis infirmis et agonizantibus etiam postquam ultima receperunt sacramenta; et illos exhortetur, consoletur, adjuvet, et elicito ab iis si possint novo confessionis et contritionis actu, nova identidem donet absolutione."—Cf. Conc. Plen. Balt.* II. *n.* 116.

NOTA 2°.—*Semper quidem tenentur sacerdotes præseferre prudentiam, at nunquam tam graviter sicut in visitandis infirmis.—Cf. Konings, n.* 1509. *et seqq.*

TRACTATUS

DE ORDINE

CAPUT I.

DE NATURA ET DIVISIONE SACRAMENTI ORDINIS.

829. I. Ordo definiri potest: Sacramentum novæ legis quo traditur spiritualis potestas, et confertur gratia ad munia ecclesiastica debite obeunda: vel cum S. Alphonso post S. Thomam: "Signaculum quoddam Ecclesiæ, quo spiritualis potestas tribuitur ordinato."—Cf. S. Alphons. n. 735.

II. Ordo est vere et proprie dictum novæ legis sacramentum. Constat ex Conc. Trid. sess. 23. can. 3. ubi sic legitur: "Si quis dixerit Ordinem . . . . non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum . . . . anathema sit."—Cf. De Augustinis, Thes. 1. p. 7.

III. Septem numerantur Ordines, scilicet Presbyteratus, Diaconatus, Subdiaconatus, Acolythatus, Exorcistatus, Lectoratus et Ostiariatus. Deducitur ex pluribus Conciliis, præsertim ex Trid. sess. 23. cap. 2.; nam hoc postquam dixerat aperte de sacerdotibus et diaconis sermonem in Sacris Litteris fieri, subdit: "Ab ipso Ecclesiæ initio, sequentium Ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, Subdiaconi, scilicet, Acolythi, Exorcistæ, Lectoris et Ostiarii in usu fuisse cognoscuntur."—Item, can. 2. ait: "Si quis dixerit, præter sacerdotium non esse in Ecclesia catholica alios Ordines, et majores et minores, per quos velut per gradus quosdam in sacerdotium tendatur, anathema sit."—Porro ex his septem Ordinibus tres ultimi dicuntur *majores* et *sacri*, cæteri autem *minores*.—Cf. De Augustinis, Thes. 2. p. 22.

IV. Quænam sit potestas spiritualis quæ unicuique Ordini adnexa est, sequentibus indicatur. Igitur:

1°. Ostiariatus est Ordo, quo specialis confertur potestas aperiendi vel claudendi januam ecclesiæ, dignos admittendi, excludendi indignos.

2°. Lectoratus est Ordo, quo specialis traditur potestas legendi psal-

mos et lectiones ex pulpito in ecclesia, ac populum catechizandi, seu instruendi in rebus fidei.

3°. Exorcistatus est Ordo, quo confertur specialis potestas ejiciendi dæmonia per exorcismos ab Ecclesia institutos.—Attamen hodie ad abusus præcavendos facultas exorcizandi solis reservatur presbyteris, qui ea, tantum de licentia Ordinarii, uti possunt.

4°. Acolythatus est Ordo, quo confetur specialis potestas inter Missæ solemnia subdiacono inserviendi, accendendi cereos, præparandi porrigendique ampullas vini et aquæ.

5°. Subdiaconatus est Ordo, quo confertur specialis potestas in Missa solemni inserviendi diacono, solemnique ritu Epistolam cantandi.

6°. Diaconatus est Ordo, quo confertur specialis potestas in solemni Missa presbytero immediate assistendi, inter solemnia decantandi Evangelium, prædicandi, et solemniter baptizandi, si justa tamen interveniat causa. Utrum vero diaconus, ut aliquando prædicet, speciali licentia Episcopi indigeat, vel licentia Parochi aut Rectoris ecclesiæ sufficiat, ex statutis particularibus vel consuetudine definiendum videtur.

7°. Presbyteratus est Ordo, quo confertur specialis potestas Corpus et Sanguinem Christi in Missæ celebratione consecrandi, a peccatis absolvendi, subditosque opere ac doctrina pascendi.

His adde Episcopatum et primam tonsuram, quorum alter est ipsius sacerdotii complementum, altera vero Ordo non est, sed dispositio ad Ordines, qua quis clericus renuntiatur.

CAPUT II.

DE MATERIA ET FORMA ORDINIS.

830. ***Dico.*** Materia et forma sacramenti Ordinis variæ sunt pro variis Ordinibus. Quid autem hac in re certum sit apud theologos, vel etiam probabilius sequentibus continetur:

I. *Quoad Ordines minores,* materia pro *Ostiariatu* est traditio clavium ecclesiæ, imo juxta Resp. S. C. de Prop. Fide ad Vic. Apost. Cocinc. 22. Mart. 1844. non requiritur ut sint claves ecclesiæ, et juxta aliud Resp. S. R. C. datum die 11. Mart. 1820. sufficeret *ad validitatem* una

clavis: pro *Lectoratu* traditio libri lectionum; pro *Exorcistatu* traditio libri exorcismorum; et pro *Acolythatu* traditio ampullarum vacuarum, vel saltem unius, et candelabri cum cereo extincto. Forma autem his Ordinibus propria continetur verbis quibus utitur Episcopus dum ipsa instrumenta tradit.—Cf. S. Alphons. n. 745.

II. *Quoad Subdiaconatum*, tamquam materia apud Græcos censetur impositio manuum: apud Latinos autem controvertitur. Juxta aliquos traditio vacui calicis cum patena vacua est sola ejus materia proxima. Alii vero contendunt traditionem libri Epistolarum esse pariter materiam hujus Ordinis essentialem. Consequenter forma, juxta primos, continetur tantum his verbis: "Videte cujus ministerium vobis traditur, et vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis:"—juxta postremos requirerentur etiam verba quibus Episcopus tradit librum Epistolarum.—Cf. S. Alphons. n. 746.

III. *Quoad Diaconatum*, materia duplex statuitur, impositio scilicet dexteræ manus Episcopi, et traditio Evangeliorum libri. Num harum utraque, an vero una tantum necessaria sit, in controversia est. Theologorum alii solam manuum impositionem, alii solam libri traditionem, alii tandem utramque necessariam censent. Ad praxim autem quod spectat, postrema hæc sententia, utpote tutior, tenenda est. Forma consequenter etiam duplex habetur. Quæ priori materiæ adjicitur, hæc est: "Accipe Spiritum Sanctum ad robur, et ad resistendum diabolo et tentationibus ejus, in nomine Domini."—Quæ posteriorem materiam comitatur, ejusmodi est: "Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei tam pro vivis quam pro defunctis in nomine Domini."—Cf. S. Alphons. n. 748.

IV. *Quoad Presbyteratum*, ipsius materia apud Græcos sita est in sola manuum impositione; apud Latinos valde controvertitur, et tres dantur sententiæ. Prima tenet materiam esse solam traditionem instrumentorum, formam vero verba quæ profert Episcopus in instrumentis tradendis, nempe: "Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo Missasque celebrandi tam pro vivis quam pro defunctis, in nomine Domini."—Altera sententia, præter traditionem instrumentorum, qua reciperetur tantum potestas sacrificandi, requirit etiam illam impositionem manuum qua traditur potestas super corpus mysticum per verba: "Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata remittuntur eis."—Tertia de-

mum sententia quæ est probabilior, tenet utramque potestatem sacrificandi et absolvendi tradi per *secundam* impositionem manuum, quæ fit ab Episcopo simul cum presbyteris assistentibus, ac proinde illam solam esse materiam essentialem; formam autem esse orationem quam tunc dicit Episcopus.—Cf. S. Alphons. n. 749.—De Augustinis, Thes. 7. p. 91.

831. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *An requiratur tactus physicus instrumentorum?*

RESP. Juxta S. Alphonsum probabilis est sententia affirmativa, et consequenter practice tenenda utpote tutior.—Quibusdam tuta visa fuerat sententia negativa propter responsum datum a S. R. C. cuidam Religioso Gallo, nomine Ephrem Chasteau, sed illud responsum nihil probat; nam in proposito Dubio dicebatur quidem Religiosum Ephrem Chasteau non tetigisse calicem, at nulla fiebat mentio de tactu physico patenæ.—Præterea dici posset S. Congr. voluisse in casu aliquo particulari dubium *facti* resolvere ad scrupulum removendum, at non quæstionem juris dirimere. Addi etiam debet quod C. S. O. die 19. Aug. 1851. dixerit supplendam esse impositionem manuum in ordinatione presbyteri si facta fuerit sine tactu *corporali*.—Cf. S. Alphons. n. 743. —Baller. not. (a) p. 666.—Konings, n. 1517.

Igitur, practice loquendo, debet ordinandus instrumenta physice tangere, et caute procedere, sed non scrupulis atque anxietatibus sese implicare cum harum nullum plerumque adsit rationabile fundamentum. Nam in praxi Episcopi solent ita procedere, ut in re tanti momenti tutiorem viam semper teneant. Præterea tot Ministris et Officialibus incumbit munus invigilandi de ritu in Ordinatione servando, ut moralis certitudo habeatur, omnia recte et valide gesta fuisse.

QUAER. 2°. *An necessario traditio utriusque speciei requiratur?*

RESP. *Affirm.*, probabilius, quia per traditionem unius speciei non traditur potestas in totum Sacrificium.—Cf. S. Alphons. n. 750.

QUAER. 3°. *An valide ordinetur, qui tangit hostiam, non autem patenam; et qui tangit calicem et patenam, non autem hostiam?*

RESP. *Affirm.*, ad 1um. cum sententia communi, quæ probabilissima videtur, et ratio est, quia hostia et vinum sunt materia substantialis Ordinis, quibus principaliter significatur potestas in corpus Christi, et propter solam decentiam ex præcepto Ecclesiæ usurpatur calix et

patena. *Affirmative* etiam respondendum ad 2um. cum sententia communi et veriori, ut ait S. Alphonsus. Ratio est, tum quia tunc tangitur hostia mediante patena: non autem præscribitur ab Ecclesia tactus immediatus hostiæ, sed tantum patenæ, ut patet ex Pontificali; tum quia vinum in calice nunquam tangitur immediate: ergo nec requiritur, ut hostia immediate tangatur. Cæterum in praxi pars tutior tenenda est, et curandum est ut ordinandus tangat calicem, patenam et simul hostiam, et sic ab omni scrupulo se eximet.—Cf. S. Alphons. n. 752.

CAPUT III.

DE MINISTRO SACRAMENTI ORDINIS.

832. ***Dico*** 1°. Solus Episcopus est ordinarius sacramenti Ordinis Minister. Constat ex multis Conciliis, præsertim ex Florentino et Tridentino. Florentinum enim in Decreto Unionis ait: "Ordinarius Minister hujus sacramenti [Ordinis] est Episcopus:" et Tridentinum sess. 23. can. 7. ita statuit: "Si quis dixerit Episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem. . . . anathema sit."—Dicitur *ordinarius*, quia simplex sacerdos, S. Pontifice committente, potest esse Minister extraordinarius tonsuræ et quatuor minorum Ordinum. Constat ex Conc. Trid. sess. 23. cap. 10. *de Reform.*, ubi dicitur: "Abbatibus et aliis quibuscumque quantumvis exemptis, et privilegiatis, non licet in posterum . . . . cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram vel minores Ordines conferre." Ergo supponit Tridentinum illos suis Religiosis Ordines conferre posse.—Cf. S. Alphons. n. 762.

Dico 2°. Solus Episcopus *proprius*, vel alienus sed ex expressa Episcopi proprii accepta facultate, licite ordinare potest. Constat ex Conc. Trid. sess. 23. cap. 8. *de Reform.*, ubi dicitur: "Unusquisque autem a proprio Episcopo ordinetur: quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei . . . . permittatur, nisi ejus probitas ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur. Si secus fiat, ordinans a collatione Ordinum per annum, et ordinatus a susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus."

—Hæc pœna denuo confirmata fuit a Pio IX. in Const. *Apostolicæ Sedis*, et extensa ad Episcopum ordinantem "subditum proprium qui alibi tanto tempore moratus sit ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit absque Ordinarii ejus loci litteris testimonialibus."—Cf. Const. *Apostolicæ Sedis*, suspens. 3. R. P. reserv.

833. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *Quisnam censeatur proprius ordinandi Episcopus?*

RESP. Triplici titulo Episcopus dici potest proprius, scilicet 1°. titulo *nativitatis* ordinandi, seu cum ordinandus in ejus diœcesi natus est, non tamen fortuito casu; 2°. titulo *domicilii* seu cum ordinandus in illius diœcesi verum et proprium *domicilium* habet, non vero *quasi-domicilium* tantum; 3°. titulo *beneficii*, seu cum ordinandus *beneficium* in Episcopi diœcesi possidet.—Ita Bonifacius VIII. cap. *Cum nullus ordinandorum.*

Triplici, quem memoravimus, titulo quartus accedit, nempe titulus *familiaritatis*, vi cujus Episcopus potest familiarem suum non subditum ordinare, si per triennium eum secum habuerit, et beneficium, omni remota fraude, statim ipsi conferat.—Ita Conc. Trid. sess. 23. cap. 9. *de Reform.*—Cf. S. Alphons. n. 780.

Verum quoniam apud nos non existunt beneficia proprie dicta, duo tantum de facto admittuntur tituli, nempe *nativitatis* et *domicilii*.—De utroque hæc habent Patres Baltimorenses:

1°. *Quoad titulum nativitatis:* "Locus *originis* dicitur urbs, oppidum, aut pagus, ubi quis *naturaliter* ortus est, scilicet ubi pater verum domicilium habet. Si autem alibi per accidens nascatur, v. gr., occasione itineris, legationis, mercaturæ, vel cujusvis alterius temporalis moræ, tum nullatenus hujusmodi fortuita nativitas, sed vera tantum et naturalis patris origo erit attendenda. Quod si pater in alieno loco ubi filius nascitur, tamdiu eoque animo permanserit, ut inibi *domicilium* de jure contraxerit, tunc non origo patris, sed domicilium pro filii ordinatione attendi debet. In neo-baptizatis, ex hæresi aut infidelitate conversis, locus *originis* censetur ille, in quo Baptismum accipiunt. Ita enim a Paulo III. constitutum fuit, et ita se habet praxis Curiæ Romanæ."

2°. *Quoad titulum domicilii:* "Subditus autem ratione *domicilii*, ad effectum suscipiendi Ordines, is dumtaxat censeatur, qui, licet alibi na-

tus fuerit, illud tamen stabiliter constituit in aliquo loco, vel decennali habitatione, vel illuc majorem bonorum partem cum ædibus instructis transferendo, ibique per notabile tempus commorando, atque insuper animum permanendi habere jurejurando affirmat. Plura hinc ad domicilium vere dictum pro ordinandis constituendum lege positiva requiri patet, quam pro cætera sacramenta suscepturis. Si quis duo habeat domicilia, poterit ab utriuslibet loci Episcopo Ordines petere, quia uterque *proprii* Episcopi loco habetur."—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. n. 317. et 318.

QUAER. 2°. *Quandonam Ordinatio licite fieri potest ab alieno Episcopo?*

RESP. Quoties habetur facultas proprii Episcopi quæ constare debet per "*litteras dimissoriales,* et has quidem non generalibus verbis conceptas, sed quæ clare et determinate exprimant Ordinem vel Ordines pro quibus conferendis facultas datur." Has autem litteras dare possunt Episcopi etiam per suos Vicarios; sed, Sede vacante, neque Capitulum, aut Vicarius Capitularis, neque apud nos Administrator, dare eas possunt infra annum a die vacationis, nisi urgeat necessitas ratione *beneficii,* aut *curæ animarum.*—Cf. S. Alphons. n. 787. et 788.—Kenrick, tract. 20. n. 21.—*Conc. Plen. Balt.* II. n. 319.

QUAER. 3°. *An præter dimissoriales requirantur etiam litteræ testimoniales?*

RESP. *Affirm.*, prout statuitur a Conc. Plen. Balt. II. tribus sequentibus Decretis:

1°. "Si quis ab Episcopo proprio ad clericalem tonsuram seu etiam ad minores Ordines promotus fuerit, non potest ab alio Episcopo, ratione aut titulo beneficii cujuscumque, ad ulteriores Ordines promoveri nisi antea litteras testimoniales proprii Episcopi, tam originis quam domicilii, super suis natalibus, ætate, moribus et vita Episcopo ordinanti in actis illius curiæ conservandas exhibuerit. Quod ad *quemcumque titulum* extenditur a Sacr. Congreg. Concilii Tridentini interprete."

2°. "Si quis a propriæ originis loco discesserit, tenetur litteras testimoniales Ordinarii suæ originis Episcopo ordinanti offerre; et de iis mentio expressa facienda est in litteris susceptorum Ordinum. Neque refert, utrum ordinandus a loco originis in ea ætate discesserit, qua potuerit canonico impedimento irretiri, an antea, cum hujusmodi impe-

dimento ob annorum defectum subjacere non posset. Prædictæ litteræ testimoniales requiruntur, etiam cum Episcopus ordinaturus est ratione domicilii proprius, aut est alioquin certus de moribus ordinandi. Præterea, si quis tanto temporis spatio in eo loco, in quo non *naturaliter*, sed *ex accidenti*, natus est, moram traxerit, ut potuerit ibidem canonicum aliquod impedimentum contrahere, tunc etiam testimoniales ab Ordinario ejus loci litteras Episcopo ordinanti exhibere teneatur, earumque in susceptorum Ordinum testimonio mentio fiat."

3°. "Quum igitur Ecclesia tot legibus ac decretis plane ostendat, providere se voluisse, ut tota, quam longa est, candidatorum anteacta vita Episcopo ordinanti patescat, quo ipse tutiori conscientia et sine ullo legum canonicarum aut rei christianæ detrimento, ad Ordines conferendos procedat; quumque experientia constet apud nos, nonnullos eorum qui sacros Ordines ambiunt, huc illuc vagari, et ex uno Collegio aut Seminario in alterum sæpius migrare solitos esse; statuimus ut Episcopi eorumque examinatores in posterum ab omnibus hujusmodi, præter cætera requisita, exigant insuper litteras testimoniales a Rectoribus aut Superioribus Collegiorum et Seminariorum subscribendas, in quibus patefiat qualemcumque studiis operam dederint; necnon a Parochis vel probatæ vitæ sacerdotibus aliorum locorum, in quibus per aliquod notabile tempus commorati fuerint."—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. n. 320. 321. et 322.

QUAER. 4°. *A quonam Episcopo Regulares ordinandi sunt?*

RESP. Regulares ordinandi sunt ab Episcopo, in cujus diœcesi est Monasterium, ubi tunc commorantur. Si tamen Episcopus vel absens fuerit vel ordinationem habere non possit, Superior, dimissoriis traditis, poterit subditos ad quemlibet Episcopum ordinandos mittere, modo huic Episcopo ostendant testimonium Vicarii generalis, vel cancellarii, seu secretarii proprii Episcopi. Semper tamen servanda est dispositio Pontificalis Romani quoad formulam: *Promittis Ordinario tuo obedientiam*, etc.—Sic Sacra Congr. Rit., die 22 Julii 1848, in Gandaven.—Cf. S. Alphons. n. 788.

CAPUT IV.

DE SUBJECTO SACRAMENTI ORDINIS.

834. ***Dico*** 1°. Ut quis Ordines valide suscipiat, requiritur ut sit mas baptizatus. Nam fœminæ ex divina institutione sunt Ordinis cujuslibet prorsus incapaces, ut constat tum ex Sacris Litteris præsertim I. Tim. ii. 11. et 12., et I. Cor. xiv. 34; tum ex perpetua Ecclesiæ praxi et unanimi Patrum omniumque Doctorum consensu. Requiritur insuper ut ordinandus sit baptizatus, quia cum Baptismus sit janua Ecclesiæ, nullum sacramentum valide suscipi potest, eo non suscepto.—Cf. S. Alphons. n. 781. et seqq.

Dico 2°. Ut quis Ordines licite suscipiat, sequentes requiruntur conditiones; 1°. ut nulla irregularitate, suspensione, aut excommunicatione deviuciatur; 2°. ut ætatem per sacros canones requisitam attigerit; 3°. ut congruam scientiam specimine comprobatam præ se ferat; 4°. ut litteras tum dimissoriales tum testimoniales ostendat, prout superius dictum est; 5°. ut debito tempore, debitisque interstitiis interpositis ordinetur; 6°. ut vitæ probitas divinam quoque vocationem comitem habeat; 7°. ut ordinatio non fiat per saltus; 8°. ut ipsius nomen tribus diebus dominicis vel festis proclametur in ecclesia; quod tamen apud nos videtur ex consuetudine non vigere.—Consule de his omnibus aliisque minoris momenti conditionibus S. Alphons. n. 783. et seqq.—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. n. 316. 320. et 322.—Kenrick, tract. 20. n. 33.—Konings, n. 1521.

Dico 3°. Ad subdiaconatum licite recipiendum requiritur insuper titulus *honestæ sustentationis.* Quod si post susceptum subdiaconatum titulus pereat, nequit ascendi ad superiorem Ordinem absque novo titulo. Constat ex Conc. Trid. sess. 21. cap. 2. *de Reform.*—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. n. 323.

835. ***Quæsita.***—Quaer. 1°. *Quotuplex distinguitur titulus honestæ sustentationis?*

Resp. Duplex scilicet *patrimonialis* et *ecclesiasticus.* Primus obtinet cum ordinandus talibus bonis certis stabilibus, ac frugiferis, aliunde quam ab Ecclesia provenientibus, est instructus quæ ad congruam ejus sustentationem sufficere, judicio Episcopi, censeantur. Alter vero

subdividitur in titulum *beneficii, paupertatis, mensæ communis, servitii Ecclesiæ, Missionis, sufficientiæ,* et *Collegii.* Porro, apud nos, præter titulum patrimonialem qui posset locum habere, regulariter loquendo ordinatio fit titulo paupertatis, vel Missionis. Titulus autem Missionis duas potissimum requirit conditiones; 1°. est ut Episcopus gaudeat Indulto apostolico, et 2°. ut ordinandus præstet juramentum de perseverantia in Missione, etc.—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. p. cxlvii.—Instructionem S. Congr. de Prop. Fide, apud Cretoni, vol. 2. p. 671.—Smith, *Elements of Canon Law,* edit. 3. p. 448.

QUAER. 2°. *Quænam requiratur scientia in candidatis ad Ordines promovendis?*

RESP. Ab initiandis ad Ordines minores exigitur, ut saltem latinum sermonem intelligant; ab initiandis autem ad subdiaconatum et diaconatum requiritur, ut in litteris eruditi sint, et in iis quæ ad Ordinem exercendum pertinent; ab initiandis demum ad sacerdotium exigitur, ut ad populum docendum ea quæ ad salutem omnibus necessaria sunt, et ad ministranda sacramenta idonei reperiantur.—Cf. Conc. Trid. sess. 23. cap. 4. et seqq. *de Reform.*

QUAER. 3°. *Quænam ætas requiratur ad suscipiendos Ordines?*

RESP. Ad primam tonsuram suscipiendam requiritur, ut initiandus polleat rationis usu, scilicet ut saltem septennis sit. Quoad minores Ordines nulla in jure canonico assignatur ætas. Verum quoad Ordines majores, ad subdiaconatum exigitur vigesimus secundus ætatis annus; ad diaconatum vigesimus tertius; ad sacerdotium vigesimus quintus, et ad Episcopatum annus trigesimus. Sufficit autem ut annus indicatus sit inchoatus, excepto Episcopatu.—Cf. S. Alphons. n. 799.

Dispensatio quoad ætatem summo Pontifici reservatur. Episcopi autem nostri dispensare possunt 1°. "Super defectu ætatis unius anni ob operariorum penuriam, ut promoveri possint ad sacerdotium si alias idonei fuerint;" 2°. "Cum diaconis utriusque cleri super defectu ætatis quatuordecim mensium."

QUAER. 4°. *Quonam tempore Ordines conferri possint?*

RESP. Ita est distinguendum:

1°. *Prima tonsura* conferri potest quovis die, hora et loco.

2°. *Ordines minores* ubivis etiam conferri possunt singulis Dominicis, vel festis duplicibus ex præcepto, dummodo mane conferantur, ut con-

stat ex Pontificali Romano. Sed hoc est intelligendum de ordinatione quæ non sit generalis; siquidem generalis fieri debet iis diebus, quibus Ordines majores conferri possunt, nisi consuetudo id Feria IV. aut VI. ante ordinationem generalem permittat. Nomine autem festorum de præcepto, festa intelliguntur, quæ a fidelibus omissione operum servilium observanda sunt; aut saltem, quæ ita observabantur ante reductionem factam auctoritate apostolica, uti sunt, v. gr., festa Apostolorum. Id constat ex pluribus decisionibus S. R. C. scilicet, *in Quebecensi*, 23. Maii 1836., *in una Marsorum*, 12. Nov. 1731., *in Claramont.*, 16 Mart. 1833.

3°. *Ordines majores* demum ex jure inter Missæ celebrationem conferuntur 1°. Sabbato singulorum quatuor Temporum; 2°. Sabbato ante Dominicam Passionis; 3°. Sabbato Sancto. Ex dispensatione vero a Papa obtenta, conferri possunt etiam extra tempora, aliis scilicet vel Dominicis vel festis de præcepto, ut diximus de minoribus Ordinibus. —Cf. Baller. not. (a) p. 671.

Verum in hac regione, juxta Kenrick, videtur licere Ordines conferre "*qualibet die, pro æquo Episcopi arbitrio.*" Quamvis ratio quam clarissimus hic Auctor affert, quia nempe Episcopis nostris indulgetur ut "Ordines conferant extra tempora," rem non conficiat, longa tamen consuetudo quæ indubitanter apud nos hactenus viguit, certe favet ipsius solutioni.—Neque dicas obstare recentissimam declarationem datam a S. C. R. Episcopo Marianopolitano; nam respondetur declarationem illam respicere legem generalem, sed nec velle nec posse destruere particularem consuetudinem legitimam et diuturnam.—Prædicta declaratio ita se habet; cum Episcopus Marianopolitanus quæsivisset: "Utrum facultas conferendi sacros Ordines *extra tempora* Episcopis Missionariis generatim concessa, limitetur, nisi specialissimum adsit Indultum, ad solos dies, quibus de jure communi conferre licet Ordines minores, scilicet dies festivos de præcepto, etiam in favorem fidelium abrogatos? an vero extendatur ad singulos anni dies aut saltem ad omnes dies in quibus recitatur officium ritus duplicis?', S. R. C. respondit die 18 Maii 1883. "*Affirmative ad 1am. partem: negative ad 2am.*"—Cf. Kenrick, tract. 20. n. 34.—*Nouvelle Revue theolog.* vol 15. p. 494. et seqq.—*The Pastor*, Feb. 1884. p. 112.

QUAER. 5°. *Quænam sint interstitia inter singulos Ordines servanda?*

Resp. Inter Ordines minores quædam, etsi tempus non determinetur, servanda sunt interstitia, nisi aliud Episcopo magis expedire videatur. —Ita Trid., sess. 23. cap. 11. *de Reformat.* In multis locis ex consuetudine quatuor Ordines eadem die conferuntur.—Verum quoad Ordines majores sic statutum est a Conc. Trid. sess. 23. cap. 11. et 12: Inter postremum e minoribus susceptum et subdiaconatum, unus annus intercedere debet. Idem dicas subdiaconatum inter et diaconatum. Idem etiam dicendum inter diaconatum et presbyteratum, nisi Episcopus secus decernat. Episcopus enim potestatem habet ab interstitiis dispensandi, si ob Ecclesiæ necessitatem vel utilitatem id expedire ipsi videatur, modo debitis temporibus Ordines conferat.—Nostris autem Episcopis simpliciter conceditur facultas ordinandi "interstitiis non servatis."

Graviter autem peccaret, qui eodem die præter quatuor Ordines minores etiam subdiaconatum susciperet, nisi excuset contraria consuetudo, quæ per Episcopum probanda est.—Cf. Ferraris, V. *Ordo.*—S. Alphons. n. 797.

Quaer. 6°. *An peccet clericus qui, initiatus in minoribus uxorem ducit?*

Resp. Per se loquendo certum est, non peccare graviter, imo nec etiam leviter, si ob justam causam hoc facit, v. gr., ad sedandas inimicitias, aut tentationes carnis, ad subveniendum fœminæ pauperi, etc.; alias a veniali non excusabitur.—Dixi *per se loquendo;* nam valde timendum est, ait S. Alphonsus, ne in malo statu existat ille, qui certus de sua vocatione ad statum ecclesiasticum, ab eo recedit, ut sæculo fruatur.—Cf. S. Alphons. n. 785.

Quaer. 7°. *An requiratur, ut ordinandus sit confirmatus?*

Resp. Concilium Trid. sess. 23. cap. 4. hæc habet: "Prima tonsura non initientur, qui sacramentum Confirmationis non susceperint." Sed disputatur, num hæc verba sint de præcepto an de consilio tantum. "Communiter," ait S. Alphonsus, "dicunt, Confirmationem non requiri in ordinando sub obligatione gravi, sed requiri quidem sub levi; quia licet verba Tridentini potius indicent decentiam quam præceptum, tamen in hoc contraire non excusatur a levi saltem deordinatione."—Cf. S. Alphons. n. 786.

Quaer. 8°. *An peccet qui suscipit aliquem Ordinem sine animo ascendendi ad superiores?*

RESP. Non peccat graviter, etiamsi suscipiat Ordines majores, et non intendat suscipere sacerdotium.—Ita S. Alphonsus qui dicit, hoc esse certum et commune.—Imo probabiliter per se nec venialiter peccat, quia nullo jure præscribitur alicui, ut ad superiores Ordines ascendat, nisi quis acceptet beneficium requirens sacerdotium, vel Ordinem sacrum.—Peccaret tamen ratione juramenti qui ordinatus est subdiaconus titulo Missionis, nisi habeat gravem rationem excusantem.—Cf. S. Alphons. n. 785.

QUAER. 9°. *An vel quomodo peccet ordinatus, qui omittat recitationem precum, quæ post ordinationem per modum pænitentiæ ab Episcopo imponitur?*

RESP. Non consentiunt de hoc theologi; nam alii dicunt, eum peccare graviter, quia materia præcepti est gravis; alii tenent, illum minime peccare, quia Episcopus præceptum non imponit; et alii tandem censent, hujusmodi omissionem non vacare quidem culpa, sed venialem non excedere. Hæc ultima sententia probabilior videtur.—Cf. S. Alphons. n. 829.

Quoad istas preces hæc habet S. C. Rituum in *Granatensi*, 11. Aug. 1860: "Verba Pontificalis Romani, *Nocturnum talis diei*, intellige de unico Nocturno in feriali, vel de primo Dominicæ, ut in Psalterio, id est, duodecim Psalmorum cum suis antiphonis de tempore, quem Episcopus ordinans designare potest, vel ipsius diei quo habet ordinationem, vel alterius pro suo arbitrio.—Quando vero Episcopus nihil aliud exprimit, quam id quod verba Pontificalis referunt, dicendum est Nocturnum feriæ, quæ respondeat illi diei in quo facta est ordinatio."

QUAER. 10°. *An vel quomodo neo-sacerdotes tres Missas ab Episcopo præscriptas legere teneantur?*

RESP. Non tenentur eas applicare ad Episcopi intentionem, et proinde stipendium pro illis accipere possunt. Nec apparet obligatio gravis eas Missas celebrandi: neque prius dicendæ sunt, quam adveniant dies non impediti, cum Missæ votivæ esse debeant.—Cf. S. Alphons n. 829.

QUAER. 11°. *Ad quid teneantur sacerdotes vi obedientiæ, quam Episcopo in ordinatione promittunt?*

RESP. Hanc obligationem sic explicat Benedictus XIV: "Agnos-

cimus, presbyterum hujusmodi promissionis vigore ea lege inter alias adstrictum teneri, ut a servitio ecclesiæ cui addictus fuerit, discedere nequeat sine licentia Episcopi."—Hoc tamen impedire non potest, nec debet quin sacerdotes etiamsi habeant curam animarum, statum religiosum, utpote quid perfectius, amplecti possint, renuente etiam Episcopo, ut constat ex Declarationibus ejusdem Benedicti XIV.—Consonant Patres Baltimorenses, qui postquam statuerint ac declaraverint quemlibet sacerdotem, qui apud nos ordinatus fuerit, vel rite co-optatus, adstringi ad permanendum in diœcesi pro qua fuit ordinatus vel co-optatus, addunt: "His porro statutis obstare nolumus quin ea servari debeant quæ Benedictus XIV. luculenter docet circa sacerdotes qui ad religiosum aliquem Ordinem transire volunt."—Excipe tamen illos sacerdotes qui ad titulum Missionis Americanæ ordinantur, et juramento promittunt se nullam Religionem, Societatem aut regularem Congregationem ingressuros, absque speciali licentia Sedis Apostolicæ.

Formula hujus juramenti hæc est: "Ego N. filius N. Diœcesis vel Vicariatus N. spondeo et juro, quod, postquam ad sacros Ordines promotus fuero, nullam Religionem, Societatem aut Congregationem regularem, sine speciali Sedis Apostolicæ licentia, aut S. Congregationis de Prop. Fide, ingrediar, neque in earum aliqua professionem emittam.

"Voveo pariter et juro quod in hac Diœcesi aut Vicariatu vel (pro iis qui nondum alicui Missioni fuerint addicti) in Missione cui S. Sedi vel S. Congregationi de Prop. Fide me destinare placuerit, perpetuo in divinis administrandis laborem meum ac operam sub omnimoda directione et jurisdictione R. P. D. pro tempore Ordinarii, pro salute animarum impendam: quod etiam præstabo, si cum prædictæ Sedis Apost. licentia Religionem, Societatem, aut Congregationem regularem ingressus fuero et in earum aliqua professionem emisero."

"Item voveo et juro, me prædictum juramentum et ejus obligationem intelligere et observaturum."

"Sic me Deus adjuvet et hæc Sancta Dei Evangelia."—Cf. Bened. XIV. Epist. *Ex quo dilectus*, vol. 2. Bullar.—S. Alphons. n. 828.—*Conc. Plen. Balt.* II. n. 109. et II. Decret. p. cxlvii.—Kenrick, tract. 8. n. 24.—Smith, *Elements of Canon Law*, 3. edit. n. 435.—Konings, n. 1523. quær. 11.

TRACTATUS

DE MATRIMONIO

CAPUT I.

DE CONTRACTU SPONSALITIO SEU DE SPONSALIBUS.

ARTICULUS I.

DE NATURA SPONSALIUM.

836. Sponsalia sunt promissio plene deliberata, mutua, et signo sensibili expressa, futuri Matrimonii inter personas habiles.—Dicitur 1°. *plene deliberata*, quia requiritur voluntarium perfectum, et directum, proportionatum nempe gravi obligationi quæ suscipitur; 2°. *mutua*, quia non sufficit simplex acceptatio promissionis, sed necessaria est repromissio; 3°. *expressa signo sensibili*, quia ex una parte nullus contractus fieri potest absque manifestatione consensus, et ex alia non requiritur ut hic manifestetur per verba, cum neque in ipso contractu matrimoniali hoc sit necessarium; 4°. *futuri matrimonii*, quia hæc est res quæ promittitur, non autem perpetuus amor aut aliud hujusmodi; 5°. inter *personas habiles*, nempe nullo impedimento dirimente aut impediente irretitas.—Cf. Baller. not. (a) et (b) p. 677. et not. (a) p. 678.

Sponsalia sunt 1°. *ecclesiastica* seu *solemnia*, vel *privata*, prout vel in facie Ecclesiæ, id est, coram Parocho et testibus celebrantur, vel privatim solo contrahentium consensu, aut coram parentibus in media familia perficiuntur; 2°. *absoluta*, vel *conditionata*, prout absque ulla conditione, vel cum aliqua conditione adjecta fiunt.

837. ***Dico*** 1°. Quamvis sponsalia eodem modo valeant sive sint *solemnia* sive sint *privata*, semper tamen requiruntur conditiones omnes in definitione contentæ, ita ut si una earum deficiat, contractus sponsalitius ceu nullus sit habendus. Ratio *primi* est, quia sponsalia privata nullo jure irritantur: imo hodie sponsalia solemnia in plerisque locis in desuetudinem abierunt, et certe apud nos locum non habent. Ratio autem *secundi* est, quia inspecta tum natura contractus in ge-

nere, tum natura istius contractus in particulari quinque prædictæ conditiones omnino requiruntur.—Cf. S. Alphons. n. 831. et seqq.—Kenrick, tract. 21. n. 27.

Dico 2°. Sponsalia inita sub conditione *de præsenti* hic et nunc valent, si conditio sit verificata; si autem sub conditione *de futuro* contrahantur, valebunt statim ac conditio adimplebitur, absque novo consensu contrahentium, modo neuter consensum antea datum revocaverit. Interea vero contrahentes tenentur ad exspectandum rationabili temporis spatio conditionis impletionem, si honesta sit.

838. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *An valeant sponsalia ex metu contracta?*

RESP. *Neg.*, probabilius, si metus sit gravis, et ratio est, quia matrimonium ex tali metu contractum nullum est, ut ex jure canonico constat, et infra explicabitur. Ergo eo ipso nulla esse debent etiam sponsalia, secus hæc obligarent ad actum de se invalidum, quod est absurdum. Si vero metus sit levis, sponsalia erunt probabilius valida; nam ille qui metum levem incutit non censetur alteri gravem injuriam inferre, siquidem hic talem metum facile contemnere potest, ac proinde etsi injuriam aliquam patitur, sponte eam pati voluisse censetur. Negant tamen alii et, ut videtur, probabiliter, quia etiam in casu metus levis verificaretur absurdum illud consectarium, scilicet jus oriri ex injuria.—Neque dicas hanc controversiam esse inutilem, practice loquendo, ex eo quod omnes theologi teneant hujusmodi sponsalia esse rescindibilia; nam respondetur impedimentum dirimens oriri ex istis sponsalibus si admittatur ea esse tantum rescindibilia, non autem si dicatur ea esse ab initio nulla.—Cf. S. Alphons. n. 844.—Baller. not. (c) p. 682. et seqq.

QUAER. 2°. *An inter habentes aliquod impedimentum valida sit sponsalia sub conditione, si Papa dispensaverit?*

RESP. *Affirm.*, si verificata fuerit conditio, neque tunc necessarium erit consensum renovare. Ratio est, quia tunc nihil deest ex iis quæ vi hujus contractus requiruntur. Decisiones autem S. Rotæ Rom, quæ ab aliquibus in contrarium adducuntur, ad rem non faciunt; nam ex iis id unice statuitur; non subsistere sponsalia ejusmodi ante impletam conditionem, quod nemo negabit.—Cf. S. Alphons. n. 843.—Kenrick, n. 5.—Baller. not. (a) p. 687.

QUAER. 3°. *An promissiones, quae fieri solent de ineundo Matrimonio semper habendae sint ut vera sponsalia?*

RESP. *Neg.*, nam saepe promissiones illae potius propositi quam verae promissionis speciem prae se ferunt. Hoc quod generatim verum est, potiori jure applicandum est nostris adolescentibus, inspecta eorum ratione agendi. Attamen exinde non sequitur nunquam apud nos, ut aliqui dictitant, fieri vera sponsalia. In praxi igitur ad intentionem particularem promittentium attendendum est.—Cf. Kenrick, n. 27.—Smith, *Notes on Plen. Conc. Balt.* p. 286.

QUAER. 4°. *An sponsalia fieri possint per litteras, internuncium aut procuratorem?*

RESP. Certe fieri possunt per litteras aut internuncium, quia ex nullo jure requiritur corporalis praesentia: aliunde consensus alicujus exprimi potest scripto et voce aliena, non secus ac loquela et voce propria. Certe etiam fieri possunt per procuratorem, positis sequentibus conditionibus: 1°. ut ipse per se agat; 2°. ut non sit procurator ad universalitatem causarum; 3°. ut contrahat cum persona determinata; 4°. ut dum agit mandatum non sit revocatum.—Cf. S. Alphons. n. 838.—Baller. not. (a) p. 678.

ARTICULUS II.

DE OBLIGATIONE ET EFFECTIBUS SPONSALIUM.

839. ***Dico*** 1°. Sponsalia inducunt gravem obligationem ex justitia ad Matrimonium ineundum tempore determinato, si quod determinatum sit; si vero nullum tempus fuerit praefixum, quamprimum una pars rationabiliter exigit. Ratio est, quia sponsalia sunt verus contractus bilateralis circa materiam certe gravem.—Cf. S. Alphons. n. 845.

Dico 2°. Sponsalia inducunt etiam duplex impedimentum: unum simpliciter *impediens*, et alterum *dirimens*. Primum, quod est a jure naturae, prohibet ne Matrimonium licite contrahatur cum alia persona, nisi priora sponsalia fuerint legitime dissoluta, quia nequit absque injustitia alteri promitti quod jam uni debetur. Secundum, quod est ex jure ecclesiastico, et dicitur *publicae honestatis*, reddit Matrimonium nullum, si unus sponsorum illud contraheret cum consanguineis

alterius in primo gradu, etiamsi priora sponsalia jam fuerint legitime dissoluta.

840. ***Quaesita.***—QUAER. 1°. *Si quis cum duabus foeminis sponsalia contraxerit, et cum secunda peccaverit, quamnam ducere debeat?*

RESP. Certo ducere debet primam, si secunda, dum contrahebat, priorum sponsalium erat conscia, quia tunc hæc non potuit dare verum consensum; sed si conscia non fuerit, tunc aliqui tantum theologi probabiliter dicunt Matrimonium contrahendum esse cum secunda, propter damnum quod secus huic proveniret. Sed hæc ratio non nisi aliquam probabilitatem facit; ac proinde sicut prior sponsa inducenda est, at non obliganda, ut cedat de jure suo, si altera ex defloratione grave damnum passura sit; ita sponsus qui omnino vellet secundam ducere, quando hæc non fuerit prioris promissionis conscia, non posset certo obligari ad primam ducendam.—Cf. S. Alphons. n. 848.

QUAER. 2°. *An sponsa reddere debeat munera a sponso accepta, si Matrimonium non subsequatur?*

RESP. *Neg.*, si munera data fuerint absolute, v. gr. ad conciliandam benevolentiam, vel aliud hujusmodi; quia tunc eorum dominium fuit irrevocabiliter transmissum a sponso. Si vero munera fuerunt accepta *conditionate* tantum, hoc est, intuitu Matrimonii, tunc *negative* iterum respondendum si sponsalia dissolvantur ex culpa sponsi; *affirmative* autem, per se loquendo, si dissolvantur absque ejus culpa. Ratio *negationis* est, quia sponsus culpabiliter resiliendo a promissione, jacturam horum munerum merito facere censetur. Ratio autem *affirmationis* est, quia non verificata conditione deficit titulus quo possint ea munera retineri.—Dixi *per se loquendo*, quia si spectata sponsi conditione, munera sint parvi momenti, et hic non reclamet, ea remittere censetur. Differunt autem munera data intuitu matrimonii ab arrhis, quatenus hæ sunt *pignus* implendi rem promissam, illa autem largitiones conditionatæ; ac proinde, sequuto Matrimonio, arrhæ quidem debent restitui, non autem munera.—Cf. Baller. not. (a) p. 689.

QUAER. 3°. *An licita et valida sit appositio pœnæ alicujus per modum mulctæ contra resilientem a sponsalibus?*

RESP. *Neg.*, si hujusmodi pœna apponatur contra resilientem quocumque modo, etiam juste; quia tunc esset per se imminutiva libertatis futuri Matrimonii, ac proinde contra jus naturæ. Si vero hæc pœna

apponatur contra resilientem injuste, controvertitur apud theologos. Controvertitur etiam num, si pœna adjecta jam fuerit soluta, ille qui pecuniæ solutionem receperit teneatur ad restitutionem.—Cf. S. Alphons. n. 853.

QUAER. 4°. *An Matrimonium mere civile prout fit in multis partibus Europæ haberi possit instar sponsalium ita ut pariat impedimentum* publicæ honestatis?

RESP. Dubitari olim potuit de hac quæstione, at nuper omne dubium sublatum est per Decretum a S. P. Leone XIII. approbatum, quo declaratum est Matrimonium, quod aiunt civile, impedimentum justitiæ publicæ honestatis non producere.—Cf. *Acta S. Sedis*, vol. 13. p. 126.

ARTICULUS III.

DE DISSOLUTIONE SPONSALIUM.

841. ***Dico.*** Sponsalia ex omnium sententia, ob justas causas dissolvi possunt. Causæ autem præcipuæ sunt sequentes: 1°. mutuus consensus libere datus; 2°. impedimentum dirimens superveniens de quo non possit dari, aut de facto nunquam datur dispensatio, nam secus etsi pars innocens liberatur ab obligatione sponsalium, pars tamen quæ impedimentum induxit, tenetur ad dispensationem petendam; 3°. electio status perfectioris, v. gr., professio religiosa, susceptio Ordinis sacri, votum ingrediendi Religionem, etc.; 4°. crimen grave alterius, v. gr., furtum, homicidium, fornicatio, præsertim si hæc fiat a fœmina; 5°. nimia dilatio Matrimonii, præsertim si tempus ad contrahendum fuerit determinatum; huic causæ accedit discessus sponsi in terram longinquam, sponsa inconsulta; 6°. mutatio notabilis status, circumstantia scilicet, quæ si cognita fuisset, vel prævisa, prudentum judicio a sponsalibus deterruisset.—Cf. S. Alphons. n. 846. et seqq.—Kenrick, n. 17. et seqq.—Baller. not. (a) p. 691. et not. (a) p. 708.—Konings, n. 1531.

842. ***Resolves.***—1°. Juxta communem sententiam potest sponsus resilire, si sponsa fuerit per vim violata post sponsalia. Ratio est, quia sponsa per talem oppressionem, licet sine sua culpa, notabiliter vilior redditur, ac proinde rerum conditio notabiliter mutatur. Idem dicendum est, etiamsi fuerit vi deflorata ante sponsalia, et postea tantum

vitium illud fuerit detectum.—Adverte tamen sponsam non teneri ad hujusmodi vitium manifestandum ante sponsalia, nec iis contractis, ante Matrimonium, quia substantiale non est: esset autem vitium substantiale ac proinde necessario aperiendum, si ex defloratione gravida evasisset.—Cf. S. Alphons. n. 861. et 864.

2°. Dissensus parentum est etiam certe causa sufficiens resiliendi a sponsalibus, si sit justus, v. gr., quia altera pars non convenit familiæ ratione conditionis, honoris, etc. Si autem sit injustus, tunc per se non sufficit, quia secus læderetur jus filiorum.—Dixi *per se*, nam quoniam sæpe, etiam cum parentes injuste dissentiunt, magna orirentur incommoda, si fieret Matrimonium, posset etiam injustus dissensus esse *per accidens* causa sufficiens resiliendi.—Cf. S. Alphons. n. 877.—Kenrick, n. 6. et 11.

3°. Probabiliter sponsalia dissolvuntur per subsequens Matrimonium, ita ut hoc dissoluto, aut mortua comparte, sponsus non teneatur ducere illam cum qua primum contraxerat. Ratio est, quia cum Matrimonium sit per se aliquid stabile et totam vitam afficiens, hoc ipso annullat præcedentem obligationem factam incompossibilem. Cæterum in praxi pars injuste derelicta raro sponsum infidelem requiret, nec felix exitus hujusmodi Matrimonii sperandus foret.—Cf. Baller. not. (b) p. 705.

CAPUT II.

DE PROCLAMATIONE FUTURI MATRIMONII, SEU DE BANNIS.

ARTICULUS I.

DE NECESSITATE BANNORUM.

843. ***Dico.*** Existit de necessitate præcepti ecclesiastici tantum obligatio gravis banna proclamandi.—Constat de præcepto ex Conciliis Later. et Trid. sess. 24. cap. 1. *de Reform. Matr.;* gravitas autem obligationis deducitur ex eo quod disciplina generalis a duobus Conciliis generalibus præscripta, gravibusque motivis innixa gravem parit obligationem.—Dicitur 1°. *de necessitate præcepti*, quia certum est banna non requiri de necessitate sacramenti, nam prædicta Concilia nullam apponunt clausulam irritantem,—Dicitur 2°. *ecclesiastici tantum*, quia quamvis de jure naturæ existat obligatio inquirendi utrum adsit aliquod

impedimentum pro futuro Matrimonio, non habetur tamen obligatio adhibendi tale medium.

844. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *Utrum prædicta obligatio stricte urgeat in hac regione?*

RESP. *Affirm.*, prorsus, ut patet ex repetitis statutis et declarationibus Patrum Baltimorensium, tam in I. quam in II. Concilio Plenario.—Neque dicas legem proclamandi banna inveniri in cap. *Tametsi*, sess. 24., quod, juxta ipsum Conc. Tridentinum, exigit specialem promulgationem; nam respondetur hanc specialem promulgationem requiri tantum relate ad impedimentum clandestinitatis, de quo sermo est in eodem capite.—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. n. 331. 332. et 333.

QUAER. 2°. *An omnes contracturi proclamationis legi subjiciantur?*

RESP. *Affirm.*, quia lex est omnino generalis. Ex usu tamen excipiuntur Principes, quia eorum genus satis notum est, et ordinarie satis publica sunt connubia. Excipe etiam casum necessitatis, v. gr., si quis morti proximus concubinam ducere vellet ad prolem legitimandam, et periculum esset in mora.—Cf. Ferraris, V. *Denuntiationes Matrimonii.*

QUAER. 3°. *An peccet graviter Parochus omittens banna, si sciat nullum adesse impedimentum?*

RESP. *Affirm.*, et ratio est, 1°. quia difficile Parochus omnino certus esse potest, nullum adesse Matrimonii impedimentum; 2°. quia, etiamsi nullum appareat impedimentum ante bannorum proclamationem, fieri potest, ut iis proclamatis aliquod superveniat; 3°. quia non cessat lex, causa ejus finali cessante in casu particulari tantum.—Probabile autem est non esse peccatum mortale, si una et forte etiam si duæ omittantur denuntiationes.—Cf. S. Alphons. n. 990. et 991.

QUAER. 4°. *Quænam formula adhibenda sit in proclamationibus faciendis?*

RESP. Hac de re ita statuit Rituale Romanum: "Denuntiationes .... fiant hoc modo. Inter Missarum solemnia Parochus populum admoneat in hanc sententiam vulgari sermone."

"Notum sit omnibus hic præsentibus, quod N. vir, et N. mulier, ex tali, vel tali familia, et Parochia, Deo adjuvante, intendunt inter se contrahere Matrimonium. Proinde admonemus omnes et singulos, ut si quis noverit aliquod consanguinitatis, vel affinitatis, aut cognationis

spiritualis, vel quodvis aliud impedimentum inter eos esse, quod Matrimonium contrahendum invicem impediat, illud quamprimum nobis denuntiare debeat; et hoc admonemus *primo*, si fuerit prima; vel *secundo*, si fuerit secunda; vel *tertio*, si fuerit tertia denuntiatio."

ARTICULUS II.

DE CIRCUMSTANTIIS BANNORUM.

I.—Circumstantia temporis.

845. Proclamationes fieri debent *diebus festivis de præcepto, continuis, inter Missarum solemnia.*—Ita Conc. Trid. sess. 24. cap. 1. *de Reform.*—Dicitur 1°. *diebus festivis*, id est, diebus *de præcepto* saltem in loco proclamationum, et probabiliter etiam diebus ferialibus, quibus ex aliqua causa fieret in ecclesia magnus populi concursus.—Dicitur 2°. *continuis*, id est, nullo die festo omisso a prima proclamatione ad ultimam. An vero possint fieri proclamationes diebus festis immediate sibi succedentibus, si occurrant, controvertitur; et duplex est sententia probabilis: probabile est etiam non esse mortale si unus vel alter dies festus interponatur.—Dicitur 3°. *inter Missarum solemnia*, id est, in Missa parochiali vel conventuali, ex Decr. S. C. Conc.—Non possunt fieri proclamationes in Missis privatis, neque in Vesperis. Si tamen Parochus oblitus fuerit proclamationem ultimam facere in Missa, et nuptiæ urgeant, eam supplere posset in Vesperis. Id permittitur ex Decisione S. Congr. C., 25 Oct. 1856.—Si, factis proclamationibus, Matrimonium intra duos menses non celebretur, repetendæ sunt proclamationes, nisi aliter Episcopo videatur.—Cf. S. Alphons. n. 891. et 892.

II.—Circumstantia loci.

846. Ex Conc. Trid. proclamationes bannorum fieri debent *in ecclesia*, id est, in ecclesia parochiali contrahentium; non vero in sacellis sive publicis sive privatis, nisi locum parochiæ teneant, et Missa parochialis ibi celebretur. Per parochiam autem non est intelligenda parochia in qua quis natus est, seu parochia *originis*, sed parochia *domicilii* actualis, si *proclamandus* a notabili tempore ibi commoretur. Hinc:

1°. Si sponsi in diversa parochia habitent, in utraque facienda est proclamatio.

2°. Si unus aut uterque domicilium circiter æquale in duobus locis habeat, in utroque etiam banna proclamanda sunt. Si autem unum e duobus domiciliis sit præcipuum, aut proprie dictum, non ideo duplex proclamatio exigenda est. Si quis tamen, præter domicilium, alibi quasi-domicilium habeat, etiam in quasi-domicilio proclamationes fieri debent.

3°. Si contrahentes recens domicilium fixerint in actuali parochia, banna probabilius publicari debent in parochia ubi antea habitaverunt. Tempus autem recentis domicilii non eodem modo ubique computatur. —Cf. S. Alphons. n. 991.—Feije, n. 251.

III.—Circumstantia personarum, scilicet minorum, militum, et vagorum.

847. 1°. *Minores.* Nihil de minoribus statuit Jus canonicum. Aliquibus tamen in locis ad normam legum civilium, mos est ut eorum banna non proclamentur, nisi de expresso consensu parentum, vel tutorum.

2°. *Milites.* De jure communi milites habentur quasi essent vagi aut alienigenæ. Eorum banna sunt proclamanda 1°. in loco ubi sunt in præsidiis; 2°. in loco ubi residebant ante militiam susceptam; quia aliud non acquisierunt domicilium juris.

3°. *Vagi.* Horum banna, juxta communem sententiam, publicanda sunt in domicilio *facti* et *in loco originis*, si alibi verum domicilium non obtinuerint, vel saltem in loco in quo diutius commorati sunt. Insuper testimonium authenticum de eorum *statu libero* habendum est, nec Matrimonio jungendi sunt sine licentia Ordinarii, ut habet Trident. sess. 24. *cap.* 7. *de Reform. Matr.*

ARTICULUS III.

DE DISPENSATIONE BANNORUM.

848. ***Dico.*** Ex justa causa potest dispensari a lege bannorum. —Constat ex Conc. Trid. sess. 24. cap. 1. *de Reform. Matrim.* Facilius autem ab una vel altera proclamatione, quam ab omnibus, dispensatur; nam ut pro omnibus dispensetur, Benedict. XIV. requirit *urgentem, legitimam, gravissimam et ineluctabilem causam.*—Hæc autem dispensatio de jure pertinet ad Ordinarium, ut patet ex Concilio Tridentino,

loc. citato. Causæ legitimæ dispensationis sunt juxta theologos 1°. ne Matrimonium malitiose impediatur; 2°. damnum grave, infamia aut scandalum imminens ex Matrimonii dilatione; 3°. metus, ne vir puellam stupratam derelinquat; 4°. si, Matrimonio jam civiliter contracto, sponsus in tres proclamationes consentire nolit. In his et similibus casibus, cum agatur de gravi damno vitando aut de notabili bono procurando, non solum potest, sed et debet Episcopus dispensare; potest autem, quamvis non debeat, quoties id opportunum esse judicat, modo certo moraliter constet nullum adesse impedimentum.—Cf. S. Alphons. n. 1005. et 1006.—Baller. not. (c) p. 712.—Benedict. XIV. Const. *Nimiam licentiam*, 18. Maii. 1743.

849. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *An, cum sponsi sunt ex diversis diœcesibus, dispensatio ab utroque Episcopo obtinenda sit?*

RESP. *Affirm.*, et ratio est, quia nulla est connexio inter dispensationem unius et dispensationem alterius. Aliunde solus Ordinarius loci cognoscere potest de causa dispensationis: possunt enim esse rationes dispensandi pro una parte, quin adsint pro altera; et si ex una parte non detegantur impedimenta, non sequitur non posse detegi ex altera. —Cf. S. Alphons. n. 1006.

QUAER. 2°. *An Vicarius generalis possit dispensare a proclamationibus bannorum?*

RESP. *Affirm.*, probabilius, modo Episcopus sibi hoc non reservaverit, aut non contradicat. Ratio est, quia Synod. Trid. hanc facultatem concedit *Ordinario;* nomine autem *Ordinarii*, si materia officio illius convenit, et ipse non est expresse exclusus, venit etiam Vicarius generalis, quippe qui unum tribunal cum Episcopo constituit. Poterit igitur et hanc potestatem exercere, et eam aliis subdelegare.—Cf. S. Alphons. n. 1007., et *de Privil.* n. 58.—Baller. not. (a) p. 713.

ARTICULUS IV.

DE REVELATIONE IMPEDIMENTORUM.

850. ***Dico.*** Datur *per se* gravis obligatio impedimenta Matrimonii, quantumvis occulta, quamprimum revelandi. Hæc autem obligatio generatim spectat ad omnes fideles cujuscumque sexus, ætatis, parochiæ aut diœcesis, etc., et ad consanguineos quoque et amicos. Ratio *primi* eruitur ex motivo Religionis et caritatis, necnon ex ipso bannorum præ-

cepto.—Ratio autem *secundi* est, quia lex illa fertur nomine Ecclesiæ cui subjacent omnes Christiani; imo licet, celebrato Matrimonio, lex positiva denuntiandi cesset, caritas tamen et Religio possunt pro circumstantiis dictam revelationem exigere.—Dixi *per se*, quia interveniente gravi tuo incommodo vel detrimento, aut si revelatio esset prorsus inutilis, non teneris ad revelationem.—Cf. S. Alphons. n. 995. —Baller. not. (a) p. 715.

851. ***Quæsita.***—Quaer. 1°. ***An revelari debeant impedimenta sub secreto etiam commisso cognita?***

Resp. *Affirm.*, probabiliter, etiamsi juramentum de iis non revelandis additum fuerit. Ratio est, quia secretum naturale, etiam commissum et juratum, non obligat, quando damnum grave communitati vel tertiæ personæ imminet. Excipe probabilius secretum *consilii*, seu secretum petendi consilii causa commissum homini officium publicum exercenti, v. gr., medico, advocato, Parocho, etc., modo id fiat ratione eorum professionis. Ita enim bonum commune postulare videtur. Sed illi, qui sub hujusmodi secreto impedimentum norunt, saltem monere debent sponsos, ut a Matrimonio desistant, nisi hoc prævideatur inutile.—Cf. S. Alphons. n. 994.—Carriere, 409.

Quaer. 2°. ***An tenearis impedimentum revelare, si tu solus illud noveris nec probare possis?***

Resp. *Affirm.*, et ratio est, quia in hujusmodi materia sufficere potest unius testimonium.—Ita communissima et verior sententia, ait S. Alphonsus, n. 995.

CAPUT III.

DE NATURA ET PROPRIETATIBUS MATRIMONII.

ARTICULUS I.

DE NATURA MATRIMONII.

852. Matrimonium bifariam spectari potest, scilicet ut contractus, et ut sacramentum. Spectatum ut contractus est conventio, qua vir et mulier sibi invicem legitime tradunt dominium in corpora in ordine ad actus ex se aptos ad generationem prolis, et se obligant ad individuam vitæ societatem. Spectatum autem ut sacramentum definitur: sacramentum novæ legis gratiam conferens ad legitimam viri et muli-

eris conjunctionem sanctificandam, et ad prolem pie suscipiendam, sancteque educandam.

853. Matrimonium multipliciter dividitur, est enim :

1°. *In fieri, vel in facto esse.*—Matrimonium *in fieri* dicitur ipse actualis contractus, qui mutuo consensu viri et mulieris perficitur. Vocatur autem *in facto esse* connubium perseverans in vinculo, quod ex matrimoniali contractu provenit.

2°. *Legitimum, ratum*, et *consummatum.*—Matrimonium *legitimum* dicitur, quod contrahitur juxta normam legis naturalis et civilis, non tamen Ecclesiæ ratificationem aut rationem sacramenti habet, quale olim in lege naturæ ac Mosaica, et etiam nunc inter judæos ac gentiles initur.—Matrimonium *ratum* est illud quod contrahitur inter Christianos nullo impedimento irretitos, inter quos tamen post contractum nondum intercessit commercium conjugale. Dicitur *ratum*, quia non solum natura et jus civile, sed etiam Ecclesia illud approbat et ratum habet.—Matrimonium *consummatum* dicitur, quod copula conjugum completum est ; quod intelligi non modo de *rato*, sed etiam de mere *legitimo* debet. Hæc autem copula debet esse *perfecta*, hoc est, apta ad generandum, et perfici postquam consensus fuerit expressus.

3°. *Verum, præsumptum, putatitium.*—*Verum* dicitur quod valide contractum est, et ut tale probari potest argumentis quibus cætera negotia probari solent.—*Præsumptum* est quod a *jure* præsumitur, et præcipuus ejus casus est quando in locis ubi non viget impedimentum clandestinitatis, post sponsalia valida secuta est copula carnalis, quæ cum præsumatur admissa affectu maritali, facit ut consensus de futuro præsumptive transeat in consensum de præsenti.—*Putatitium* denique est illud quod legitime contractum existimatur, cum tamen a parte rei ob latens aliquod impedimentum sit nullum.

4°. *Canonicum, politicum*, et *morganaticum.*—*Canonicum* illud est in quo omnia concurrunt quæ a sacris canonibus præscripta sunt.—*Politicum* seu *civile* dicitur quando ea quoque concurrunt quæ jure civili exiguntur, quædam scilicet solemnitates, pacta dotalia, etc ; sine quibus matrimonium *canonice* quidem validum est, sed *civiliter* illegitimum reputatur, atque adeo civilibus caret effectibus.—*Morganaticum* dicitur legitima conjunctio viri cum fœmina inferioris conditionis eo pacto inita, ut uxor et liberi inde nati dono nuptiali vel alia certa portione, tempore

sponsalium destinata, contenti sint, et a cæteris bonis avitis ac paternis una cum titulis, dignitatibus, et insignibus abstineant.—Cf. Baller. not. (a) p. 716.—Heiss, § 74. II.

854. *Dico* 1°. Matrimonium Christianorum ritu legitimo celebratum, est verum et proprie dictum novæ legis sacramentum. Constat ex Trid. sess. 24. can. 1. ubi dicitur. "Si quis dixerit Matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicæ sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, anathema sit."

Dico 2°. Requiritur ad Matrimonii validitatem verus consensus qui debet esse *mutuus*, *perfecte deliberatus*, et *signis externis manifestatus*. Ratio est, quia Matrimonium est contractus, seu conventio inter virum et mulierem, gravissimam inducens obligationem.

855. *Quæsita.*—Quaer. 1°. *An consensus verbis exprimi debeat?*

Resp. *Neg.*, quoad *validitatem*, quia de jure naturali in contractu sufficit, ut consensus certo aliquo signo exprimatur. Secus autem dicendum quoad *liceitatem*, quia alias ageretur contra rubricam Rit. Rom. et Ecclesiæ consuetudinem. Attamen non videtur excedere veniale, si verba non adhibeantur; imo ab omni culpa verecundia aut alia rationabilis causa excusaret.—Cf. S. Alphons n. 887. et 888.

Quaer. 2°. *An sufficiat consensus per procuratorem?*

Resp. *Affirm.*, quoad *validitatem*, modo adsint conditiones requisitæ, quia Matrimonium habet totam rationem contractus naturalis. Contractus autem quilibet per procuratorem fieri potest. Conditiones vero sunt eædem ac pro sponsalibus et præterea, ubi viget decretum clandestinitatis, requiritur ut procurator cum comparte appareat coram Parocho et duobus testibus. Verum *quoad liceitatem*, omnino negandum est nisi causa valde gravis urgeat. Ratio est, quia iste modus contrahendi est contrarius praxi ordinariæ Ecclesiæ, et vix inter alios quam inter Principes et Magnates sic Matrimonia fiunt. Hinc Parochus non debet propria auctoritate Matrimoniis hujusmodi benedicere.—Cf. S. Alphons. n. 885.

Quaer. 3°. *An sit validum Matrimonium* sub conditione *initum?*

Resp. Certum est, esse validum, si conditio sit *de præterito* vel *de præsenti*, et verificatur. Ratio est, quia consensus ille *conditionatus* statim transit in absolutum, et proinde nihil deest valori sacramenti.

Si vero adjiciatur conditio *honesta* et *possibilis* de futuro, tunc certe non perficitur Matrimonium, donec conditio impleatur; quia contractus transferre debet jus mutuum in corpora *de præsenti.* Impleta autem conditione, valet Matrimonium; siquidem contractus conditionatus, adimpleta conditione, transit in absolutum, et eo ipso valet ratione sacramenti, quia inter Christianos contractus Matrimonii a sacramento disjungi nequit.—Quamvis autem firmum sit Matrimonium etiamsi contrahentibus ignorantibus conditio impleatur; ipsi tamen uti matrimonio non possunt ante acceptam hujus adimpletionis notitiam; secus voluntate saltem et intentione fornicationem committerent.—Cf. S. Alphons. n. 890.—Baller. not. (a) et (b) p. 719.

Quaer. 4°. *An sit licitum contrahere cum consensu conditionato?*

Resp. *Neg.*, præsertim si conditio sit *de futuro*, nisi forte, ut habet S. Alphonsus, adsit urgentissima causa. Ratio est, quia multa ac gravia incommoda ex tali modo contrahendi subsequi facile possunt, nempe, scandalum, jurgia, ambages, difficultates, etc.—Cf. S. Alphons. n. 892.

Quaer. 5°. *An sit validum Matrimonium initum sub conditione turpi?*

Resp. 1°. *Neg.*, si conditio hæc repugnet substantiæ seu essentiæ Matrimonii, triplici nempe ejusdem bono, id est, 1°. bono *sacramenti;* 2°. bono *fidei;* 3°. bono *prolis;* quod fieret, si sponsi, contrahendo Matrimonium, excluderent aut perpetuitatem, aut fidelitatem, aut generationem prolis, non quidem abstinendo ab usu matrimonii, sed eo male utendo. Ratio est, quia, tali conditione sive interius sive exterius tantum apposita, non habetur, aut saltem exterius non exprimitur consensus in verum Matrimonium, cujus ipsa substantia, vi conditionis, tollitur. Hinc:

1°. Si talis conditio expresse apponatur et in pactum deducatur, invalidum est Matrimonium in utroque foro; nam, præter defectum consensus interioris, imo etiamsi consensus interior fingeretur adesse, adhuc exterior sufficiens deesset.

2°. Si conditio exterius non exprimatur, sed tota contineatur in intentione unius, aut utriusque contrahentis: vel afficit ipsum contractum, ita ut sub ea dumtaxat contrahere velint, et tunc Matrimonium nullum est in foro conscientiæ, ex dictis; vel afficit tantum executionem contractus, quia Matrimonio quidem volunt ligari, sed

officia Matrimonii adimplere nolunt, et tunc graviter peccant, valide tamen contrahunt.

3°. In locis, ut in multis nostris Statibus, ubi divortium per leges permittitur, si legum illarum notitia se habeat *antecedenter* quoad consensum contrahentium, hoc est, si ideo contrahunt, quia norunt id sibi licere, et aliter non contraherent, invalidum est Matrimonium; si *concomitanter* tantum se habeat, quia voluntatem habent generalem contrahendi, et sine tali notitia æque contraherent, pro validitate Matrimonii standum est. In foro externo generalis ejusmodi voluntas semper præsumitur, nisi contrarium probetur, ut docet Bened. XIV., et declaravit P. Pius VI. in litteris ad Arch. Pragensem, 11. Jul. 1789.—Cf. Lugo, *de Sacram.* disp. 8. n. 125. et seqq.—Benedict. XIV. *de Synod. diœces.* lib. 13. cap. 22. n. 7.—Baller not. (a) p. 722.—Kenrick, n. 40.

Resp. 2°. Si vero conditio turpis non repugnet substantiæ Matrimonii, tunc distinguendum est: censetur validum *in foro externo*, quia in eo conditio pro non adjecta habetur; controvertitur autem quoad forum *internum*, sicut in cæteris contractibus. Ordinarie tamen non censetur conditio *sine qua non*, sed merum propositum aut promissio a contractu matrimoniali *independens*, ac proinde consensus non judicatur tali conditione suspensus, nisi de hoc omnino constet. In dubio enim pro Matrimonio semper judicandum est.—Cf. S. Alphons. n. 891.

Quaer. 6°. *Quid agendum, si quis dicat se ficte consensisse?*

Resp. Quoad *forum externum* fides ei non adhibetur, nisi ex circumstantiis pateat illum aut dolo fuisse deceptum, aut gravi metu inductum ad contrahendum: supponi enim nequit eum, qui libere Matrimonium iniit, ficte consensisse. Quoad *forum internum*, qui asserit se *ficte* consensisse, obligandus est tum ad abstinendum a debito petendo et reddendo, donec vere consenserit; tum, ordinarie saltem, ad consensum verum ponendum, ut sic injuriam comparti illatam reparet. Dico *ordinarie*, quia si compars separationi consentiat, vel ipse ad contrahendum coactus fuerit, consensum supplere non tenetur.—Cf. Baller. not. (b) p. 725.

Cæterum conjux, qui verum assensum posuit, non obligatur credere alteri asserenti se ficte consensisse, etsi juramento firmaret; ideoque licite debitum peteret, donec defectus consensus evidenter probaretur.

QUAER. 7°. *An requiratur consensus parentum ad validitatem, vel liceitatem contractus matrimonialis?*

RESP. *Neg.*, prorsus, *quoad validitatem*, nam Conc. Tridentinum damnat eos qui, "falso affirmant Matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse." Quod si alicubi lex civilis consensum parentum requirit ad valorem Matrimonii, ejus vis non extenditur nisi ad effectus mere civiles.—*Quoad liceitatem* autem, *affirmative* respondendum est, generatim loquendo, quia filii debent parentibus honorem, reverentiam et obsequium, præsertim in iis quæ ad totam familiam spectant, cujusmodi est Matrimonium, ex quo sæpissime pendent honor et pax familiarum. Practice autem loquendo magna prudentia hac in re opus est; nam ex una parte confessarius vel Parochus jura parentum debet pro virili tueri, quia ipsis præsumptio favet, et ex alia non potest hæc jura strictius urgere quin in graviora incidat mala. Ad leges civiles etiam, si quæ adsint, attendendum est.—Cf. S. Alphons. n. 849.—Kenrick, n. 41. et 42.—Kent, vol. 2. part. 4. lect. 25. n. 85.

ARTICULUS II.

DE PROPRIETATIBUS MATRIMONII.

§ I. De unitate Matrimonii.

856. Unitas Matrimonii in eo sita est, quod Matrimonium sit conjunctio unius viri cum una fœmina. Porro,

1°. Certum est, *polyandriam* pugnare cum lege naturali, quia præcipuis Matrimonii finibus adversatur, nempe generationi prolis et bonæ ejus educationi.

2°. Certum est, *polygamiam simultaneam* esse in omni casu prohibitam, saltem de jure positivo divino novæ legis, ut constat ex Luc. xvi. 18: "Omnis, qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, mœchatur." Constat pariter ex Conc. Trid. sess. 24. can. 2.

3°. Certum est, secundas et ulteriores nuptias esse licitas tam viro quam mulieri, etiam sub lege Evangelica. Constat ex auctoritate et praxi Ecclesiæ, necnon ex Scriptura sacra, I. Cor. vii. 39: "Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit; quod si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult nubat, tantum in Domino."—Cf. De Augustinis, Thes. 7. p. 254.

§ II. De firmitate Matrimonii.

Punctum I.

De firmitate Matrimonii, quatenus spectat vinculum.

857. ***Dico.*** Matrimonium est indissolubile, id est, Matrimonio semel contracto, divortium quoad vinculum fieri nequit. Constat 1°. ex verbis Christi, Matth. xix. 6: "Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet." Constat 2°. ex Conc. Trid. sess. 24. can. 5.—Constat 3°. ex prop. 67. Syllabi quæ sic se habet; "Jure naturæ Matrimonii vinculum non est indissolubile, in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest."

858. Triplex tamen casus est excipiendus: nam,

1°. Dissolvi potest Matrimonium *ratum* et *non consummatum* Christianorum, gravi de causa, *per dispensationem* Papæ, ex potestate divinitus ipsi concessa. Patet ex eo quod SS. Pontifices jam multoties hac potestate usi sint, uti S. Gregorius VII., Paulus III., etc. Imo hæc facultas extendenda est etiam ad Matrimonia consummata in infidelitate, si conjuges post Baptismum, quo proprie Matrimonium fit *ratum*, iterum illud non consumaverint.—Cf. Perrone, *de Matrim. Christ.* vol. 3. sect. 2. cap. 6. art. 4.—S. Alphons. n. 956. et 959.—Baller. not. (b) p. 728.

2°. Dissolvi potest Matrimonium *ratum* et *non consummatum*, per solemnem *professionem religiosam* unius conjugum, atque hoc ex privilegio speciali a Christo côncesso et ab Ecclesia declarato. Sic enim habet Conc. Trid. sess. 24. can. 6: "Si quis dixerit Matrimonium ratum non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit."—Ut autem sponsi de hujus privilegii usu deliberent, ab ipso jure duos menses post nuptias sibi concessos habent, quo tempore non tenentur reddere debitum. Imo post illud quoque bimestre si Matrimonium etiam per illicitam debiti negationem consummatum non fuerit, hoc privilegium manet; neque illud impedit fornicatio habita inter sponsos ante Matrimonii celebrationem.—Excipe nisi in Matrimonio manere necessarium sit ad legitimandam prolem,

vel scandalum reparandum.—Cf. S. Alphons. n. 870. et 958.—Sanchez, lib. 2. disp. 24. n. 9.

3°. Dissolvi potest Matrimonium etiam *consummatum infidelium* ex concessione divina, quando alteruter conjugum per Baptismum convertitur *ad fidem christianam*, et alter recusat cum eo pacifice cohabitare, vel non cohabitat nisi cum *injuria Creatoris*, et religionis christianæ contemptu, aut conatum adhibet, ut partem fidelem ad peccatum mortale pertrahat. Concessio hæc divina eruitur ex verbis Apostoli, I. Cor. vii. 12. ubi dicitur: "Si quis frater uxorem habet infidelem et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam ....; quod si infidelis discedit, discedat; non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi: in pace autem vocavit nos Deus." Eamdem fusius explicat Innocentius III. in cap. *Quanto*, 7. *de divortiis.* —Cf. S. Alphons. n. 956.

859. ***Quæsita.***—Quaer. 1°. *An statim post Baptismum unius et discessionem alterius partis, dissolvatur Matrimonium?*

Resp. *Neg.*, sed tunc tantum dissolvitur cum conjux ad fidem conversus transit ad novas nuptias; nam, ut habet Juris effatum, cap. *Si quis*, 28. q. 2; et cap. *Gaudemus*, 8. *de divortiis:* "Crimina in Baptismo solvuntur, non conjugia."—Quare conjux infidelis eo tantum momento incipiet esse liber ad novum Matrimonium contrahendum, quo conjux fidelis novas init nuptias, et si, eo moram faciente, interea pars infidelis Baptismum suscipiat, Matrimonium non poterit amplius dissolvi vi privilegii Paulini.—Cf. S. Alphons. n. 957.—Baller. not. (c) p. 734.

Quaer. 2°. *An conjux infidelis possit valide novum inire Matrimonium, si post suam discessionem pars ad fidem conversa emiserit professionem religiosam aut sacros Ordines susceperit, aut simplex votum castitatis fecerit?*

Resp. Potest quidem in casu professionis religiosæ, si Matrimonium non fuerit consummatum post susceptionem Baptismi, quia tunc dissolvitur vi alterius privilegii a Conc. Trid. sess. 24. can. 6. declarati.—Non item in casu susceptionis sacrorum Ordinum, aut emissionis voti simplicis castitatis, quia tunc integrum manet primum vinculum matrimoniale. Si vero conjux infidelis convertitur, cohabitatio *certo* ei non permittitur, si compars sacros Ordines susceperit, et juxta aliquos etiam in casu

simplicis voti castitatis, quia status assumptus est incompossibilis cum vita conjugali.—Cf. Baller. not. (c) p. 734.

QUAER. 3°. *An locum habeat privilegium Paulinum, cum conjux fidelis lege ecclesiastica aut consuetudine prohibetur cohabitare cum conjuge infideli, qui interpellatus recusat quidem converti, at non recusat pacifice cohabitare?*

RESP. *Affirm.*, valde probabiliter, et ratio est, quia conjux infidelis obstinate recusando Baptismum, implicite seu æquivalenter discedit. Præterea pars ad fidem conversa magnum onus reportaret ex sua conversione, cum neque novum conjugem eligere sibi posset, nec antiquo uti, et consequenter servituti subjiceretur.—At non ita dicendum ubi, ut apud nos fit, cum infidelibus cujuscumque generis simul vivimus et habitamus.—Cf. Baller. not. (a) p. 735.

QUAER. 4°. *Utrum pars conversa possit novum Matrimonium contrahere, quin antea interpellaverit compartem, an velit et ipsa converti, an pacifice cohabitare, etc?*

RESP. *Neg.*, ut colligitur ex præscripto juris in cap. *Quanto*, 7. *de divortiis*, ut per se patet, quia obstinatio illa non debet præsumi. Verum si infidelis non potest interpellari propterea quod longe absit, aut fugerit, vel latitet, plures theologi censent omitti posse interpellationem. Alii putant recurrendum esse ad Pontificiam potestatem, quamvis disputent inter se utrum iste recursus sit necessarius ut dispensetur ab obligatione interpellationis faciendæ, an potius ut dissolvatur ipsum vinculum Matrimonii, quod cum sit tantum ratum, etsi consummatum in infidelitate, subjacet Romani Pontificis potestati.—Cf. Bened. XIV. *de Synod. diœc.* lib. 6. cap. 4.—Sanchez, lib. 7. disp. 74. n. 12.—Baller. not. (a) p. 736.

QUAER. 5°. *An contracto valide Matrimonio ex dispensatione inter infidelem et catholicum, possit hic uti privilegio Paulino, si pars infidelis postea discedit, vel nolit cohabitare absque injuria Creatoris?*

RESP. Affirmat quidem noster Kenrick, n. 110., quia tunc etiam verificantur verba Apostoli: "Si infidelis discedit, discedat."—Verum negandum omnino est, ut constat ex multis Declarationibus S. Officii apud Perrone, *de Matrim.* vol. 2. p. 309.

QUAER. 6°. *An valeat privilegium Paulinum etiam in casu quo conversio fiat per susceptionem Baptismi in aliqua secta acatholica?*

Resp. Multi opinantur tunc etiam valere, si tamen cæteræ non desint conditiones, quia semper verificatur substantia conversionis, nempe susceptio Baptismi validi, ut supponitur.—Cf. Baller. not. (a) p. 736. in fine.

Quaer. 7°. *Quænam sint facultates nostrorum Episcoporum in hac quæstione?*

Resp. Episcopi nostri dispensare valent "cum gentilibus et infidelibus plures uxores habentibus, ut post conversionem et Baptismum, quam ex illis maluerint, si etiam ipsa fidelis fiat, retinere possint nisi prima voluerit converti."—Porro ex clausula *si etiam ipsa fidelis fiat* et ex praxi concludendum est nunquam concedi dispensationem ut pars ad fidem conversa, post discessionem infidelis, novum ineat conjugium vel cum infideli vel cum acatholica, ut declaravit S. Cong. de. Prop. Fide, 16. Jan. 1683.

Punctum II.

De firmitate Matrimonii quatenus spectat torum.

860. ***Dico.*** Conjuges ratione vinculi matrimonialis tenentur simul cohabitare, et vitam socialem ducere. Attamen justis de causis fieri potest divortium a toro vel habitatione, manente nihilominus conjugali vinculo, ita ut neutra pars possit ante mortem alterius inire aliud Matrimonium. *Primum* eruitur ex ipsamet definitione Matrimonii. *Alterum* statuitur a Conc. Trid. sess 24. can. 8: "Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges, quoad torum seu quoad habitationem, ad certum incertumve tempus fieri posse decernit, anathema sit." Causæ vero ejusmodi divortium cohonestantes sunt: mutuus consensus, grave animæ vel corporis periculum, et alterutrius adulterium; quas causas ita pro praxi intelliges:

1°. *Mutuus consensus:* scilicet uterque conjux simul possunt juri proprio renuntiare quoad torum, sive ad tempus sive in perpetuum, dummodo absit incontinentiæ periculum. Item separari possunt etiam quoad habitationem, sive ad tempus, negotiorum causa, sive in perpetuum ob vitæ perfectioris desiderium; v. gr., ad Religionem ingrediendam, vel sacros Ordines suscipiendos.—Cf. Baller. not. (b) p. 741.

2°. *Periculum grave animæ,* si adsit perversionis periculum in uno ex causa alterius; et *periculum grave corporis,* si immineat periculum

vitæ aut mutilationis, vel si cohabitatio ex parte unius erga alium adeo evadat molesta, ut moraliter impossibilis reddatur; id eveniret, si conjux enormes aut frequentes sævitias pati cogeretur.—Cf. S. Alphons. n. 970. et 974.—*Acta S. Sedis*, vol. 2. p. 129.

3°. *Adulterium alterutrius*, scilicet tale, ut sit 1°. moraliter certum, seu de quo præsumptiones adsint ita fundatæ, ut prudenter omnino credatur fuisse admissum; 2°. voluntarium, non vero ex illata violentia patratum; 3°. non condonatum, postquam moraliter certo innotuit, sive expresse, sive implicite, v. gr., per actum conjugalem; 4°. non mutuum, quia tunc existeret compensatio. Patet ex verbis Christi, Matth. v. 32: "Qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari, etc." Quod si licet viro, eadem ratione etiam uxori licitum esse debet.

Juvat animadvertere ex communi doctorum sententia hic nomine adulterii intelligi quamlibet *carnis divisionem*, etiam quæ habetur per sodomiam et bestialitatem.—Cf. S. Alphons. n. 962.

861. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *An vir, cognito uxoris adulterio, illam dimittere teneatur?*

RESP. Certum est non teneri ratione adulterii, quia divortium fuit concessum in favorem innocentis, non in ejus pœnam. Potest tamen vir aliquando teneri ad dimittendam uxorem adulteram ratione correctionis fraternæ aut scandali vitandi; sed rarus est iste casus, tum quia alia media adhiberi possunt ad uxorem corrigendam, aut scandalum vitandum, tum quia grave scandalum ex separatione timendum excusare potest. Aliunde ejecta uxor majori periculo, saltem plerumque, exponeretur.—Cf. S. Alphons. n. 963.

QUAER. 2°. *An, facto divortio, possit innocens alterum cogere ut ad se redeat?*

RESP. *Affirm.*, si agatur de separatione *non juridica*, quia hæc per sententiam judicis non firmatur. Imo *affirmative* etiam respondendum in ipso casu *juridicæ separationis.* Ratio est, quia sententia separationis juridicæ fertur in favorem innocentis, et proinde non aufert jus revocandi alterum; nec ad hoc opus est nova judicis sententia. Non est tamen cogenda mulier adultera ad redeundum, quoties potest rationabiliter timere, ne dure, acerbe, aut etiam crudeliter tractetur.—Cf. S. Alphons. loc. cit.

QUAER. 3°. *An facta juridica separatione ob adulterium, conjux innocens teneatur redire ad compartem revocantem, si ipse postea lapsus fuerit?*

RESP. *Neg.*, probabilius, quia primus adulter per judicis sententiam jam omnino spoliatus fuit omni jure erga innocentem. Advertit tamen S. Thomas, quod quamvis primus adulter non possit reconciliationem petere, *judicem secundum æquitatem juris ex officio suo debere eum cogere, ut caveat periculo animæ suæ et scandalo aliorum.*—Cf. S. Thom. in 4. dist. 35. q. 1. art. 6. ad 4.—S. Alphons. n. 967.

Adverte quod caute omnino hac in re confessarius procedere debet. Raro permittat divortium a toro privata auctoritate factum, et rarius adhuc si crimen est occultum, etiamsi sit certum: caveat insuper ne facilius credat uxorum adversus viros querelis, satagatque ut eas compescat, et a divortio, in quantum fieri potest, avertat.—Cf. S. Alphons. n. 969.

CAPUT IV.

DE MATERIA ET FORMA MATRIMONII.

862. De materia et forma Matrimonii hæc sunt tenenda:

I. Materia *remota* sacramenti Matrimonii sunt corpora sponsorum in contractu Matrimonii invicem tradenda.

II. Materia *proxima* est traditio ipsa corporum, quæ per verba aut signa consensum exprimentia perficitur.

III. Forma consistit in mutua contrahentium acceptatione verbis aut signis expressa.

De his omnibus constat tum ex communi doctrina theologorum, tum quia hodie citra controversiam esse debet sacramentum Matrimonii nihil aliud esse nisi contractum ipsum matrimonialem.—Cf. De Augustinis, Thes. 4. p. 222.

CAPUT V.

DE MINISTRO ET SUBJECTO MATRIMONII.

ARTICULUS I.

DE MINISTRO SACRAMENTI MATRIMONII.

863. ***Dico.*** Certa et catholica doctrina est Ministros sacramenti Matrimonii esse ipsos contrahentes, et non sacerdotem. Ratio est, quia Eugenius IV. in Decreto *ad Armenos* sanam circa sacramenta tradere volens doctrinam, sic statuit: "Causa efficiens Matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus." Neque dubitandum est, quin illa verba *causa efficiens Matrimonii* respiciant Matrimonium ut sacramentum, siquidem septem sacramenta in eo Decreto ex professo explicantur.—Parochus tamen est Minister solemnitatis Matrimonii, ejusque præsentia requiritur ad *validitatem* in locis ubi existit impedimentum clandestinitatis, et ubi non existit, requiritur ad *liceitatem* sub gravi. Imo non tantum præsentia requiritur, sed etiam benedictio juxta ritum in Rituali Romano descriptum.—Cf. Conc. Trid. sess. 24. *de Reform. Matr.*—Ritual. Rom. *de Matr.*—De Augustinis, Thes. 3. p. 197.

864. ***Quæsita.***—Quaer. 1°. *An Parochus assistere possit Matrimonio eorum, qui sunt publici peccatores?*

Resp. Multi negant cum S. Alphonso et Benedicto XIV.; quia publice indigni ad sacramenta non sunt admittendi. Verum alii non pauci affirmant, licet Parochus conari debeat, ut digne contrahant. Ratio est, quia Parochus non est Minister sacramenti, nec illud confert, sed assistit tantum tanquam testis seu notarius publicus, ad quem non spectat examinare contrahentium merita, sed fidem facere, et testari ea quæ videt.—Imo, etiam juxta primæ sententiæ patronos, aliquando tali Matrimonio assistere potest, nempe ubi urget ratio valde gravis et aliquo modo proportionata malo, quod permittitur in sacramenti profanatione, etc., v. gr., si Parochus cogeretur metu mortis aut mali fere æqualis, vel si imminerent gravia mala communitati aut, ut apud nos facile accideret, prævideretur quod sponsi hæreticum ministrum adirent. Minor esset difficultas, si unus e sponsis esset innocens, aut in meliorem vitam mutatus; quia tunc liceret Parocho Matrimonio assis-

tere in favorem innocentis. Imo nulla superesset difficultas, si sponsi in concubinatu versarentur. Tunc enim per Matrimonium tolleretur tum scandalum, tum peccati occasio.—Cf. S. Alphons. *de Sacram.* n. 54.—Lugo, *de Sacram.* disp. 8. n. 204. et seqq.—*Conc. Plen. Balt.* II. n. 329. et 330.

QUAER. 2°. *An benedictio nuptialis proprie dicta possit separari a celebratione Missæ?*

RESP. Ritus celebrandi sacramentum Matrimonii, quo sacerdos sponsos conjungit, annulumque benedicit, et expressus habetur in Rituali Romano, sedulo distinguendus est a benedictione nuptiali, quæ legitur in Missali (*Missa pro sponso et sponsa*), et pertinet ad earumdem nuptiarum solemnitatem. De illo, omnino affirmandum est ipsum posse, imo et debere, tempore vetito, seu quando solemnitates nuptiarum prohibentur, separari a celebratione Missæ; nam Matrimonium omni tempore contrahi potest.—Verum negandum est quoad benedictionem nuptialem proprie dictam. Etenim S. Congr. Rit. interrogata: "An vigentem pluribus in locis consuetudinem Matrimonium celebrandi hora pomeridiana, simulque benedictionem nuptialem sic extra Missam, etiam tempore vetito, ex Ordinarii licentia dandi, liceat retinere, cum vix spes sit fideles adigendi, vel ad mutandum celebrationis Matrimonii tempus, vel ad benedictionem supplendam?" Responsum fuit die 7. Septembris 1850. *in Ruppellen., ad* 6.: "*Servetur Rituale Romanum.*" Porro ex Rituali Romano benedictio conjugalis non potest nisi inter Missæ celebrationem fieri. Confirmatur alia Decisione S. Congr. Rit., die 23. Junii 1853. *in Limburg.*, qua expresse declaratum est: benedictionem nuptiarum *juxta rubricas* non esse impertiendam nisi in Missa.

Porro de hac benedictione nuptiali, quæ magni profecto facienda est, quæque a multis ideo non petitur quia ignoratur, plura hic sunt animadvertenda:

1°. Juxta recens decretum S. R. U. Inq. datum die 31. Aug. 1881. benedictio nuptialis danda est, juxta rubricas tamen, scilicet infra Missæ celebrationem, et extra tempus feriatum, "omnibus illis conjugibus qui eam in contrahendo Matrimonio, quacumque ex causa non obtinuerint: etiamsi petant postquam diu jam in Matrimonio vixerint, dummodo mulier, si vidua, benedictionem ipsam in aliis nuptiis non

acceperit.—Insuper hortandos esse eosdem conjuges catholicos, qui benedictionem sui Matrimonii non obtinuerunt, ut eam primo quoque tempore petant. Significandum vero illis, maxime si neophyti sint, vel ante conversionem ab hæresi valide contraxerint, benedictionem ipsam ad ritum et solemnitatem, non vero ad substantiam et validitatem pertinere conjugii."—Cf. *Acta S. Sedis*, vol. 14. p. 513.

2°. Sacerdos non tenetur Missam applicare pro sponsis, nisi ab iisdem eleemosynam accipiat. Ita *S. C. Inq.*, die 1. Septembris, 1841.—Attamen cum benedictio danda est, Missa pro sponsis assignata dicenda est, licet ipsis non applicetur, dummodo Rubrica id permittat, ut statim dicetur.

3°. Missa nuptiarum dicenda est singulis diebus, præter Dominicos, festa de præcepto, Duplicia 1ᵐ. vel 2ᵐ. classis, et Vigiliam Pentecostes, sed sine *Gloria et Credo.*—Quibus vero diebus dici non potest Missa *pro sponso et sponsa*, addatur ex illa Missa commemoratio. — Ita *S. C. Rit.* 28. Feb. 1818. et 20. Apr. 1822.

4°. Quando nuptiæ celebrantur tempore Adventus vel Quadragesimæ, non debet in Missa fieri commemoratio pro sponsis per Collectam, Secretam et Postcommunionem, nec licet recitare Orationes in Missali positas post Orationem Dominicam, et *Ite, Missa est;* nec debent eædem Orationes recitari extra Missam, elapso tempore prohibito.—Ita *S. C. Rit.*, 31. Aug. 1839.

5°. Si mulier sit vidua, non solum omitti debet benedictio nuptiarum, sed etiam Missa propria pro sponso et sponsa. Vide rationes hujus omissionis apud Baruffaldi *de Matr.* tit. xli. n. 161. Attamen si in primo Matrimonio non recepit benedictionem, potest eam nunc habere.—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. n. 333., et Append. XIII. p. 310.

QUAER. 3°. *Quid Parocho sit agendum, si sponsi jam sint in ecclesia ad Matrimonium contrahendum, et ex eorum confessione impedimentum adesse deprehendat?*

RESP. Si nuptiæ differri nequeant sine periculo infamiæ, aut aliis gravissimis incommodis, et pœnitens versetur in impedimenti ignorantia invincibili, et simul agatur de impedimento in quo Ecclesia dispensare potest et solet, omittenda est monitio, et permittenda est Matrimonii celebratio, antequam dispensatio obtineatur. Si vero pœnitens sit in

ignorantia vincibili, aut si aperte cognoscat impedimentum, nec sine infamia aut scandalo differri possit Matrimonium, ne ad dispensationem quidem ab Episcopo obtinendam, tunc maxima exurgit difficultas, et proprie habetur qui a theologis communiter vocatur *casus perplexus.* Tres potissimum indicantur viæ solutionis. *Prima* est, si confessarius, seu Parochus declaret legem Ecclesiæ de impedimentis non obligare in tantis angustiis et ad Matrimonii celebrationem procedat. In favorem hujus declarationis et celebrationis Matrimonii valide et licite factæ citantur aliqui magni nominis theologi, quos inter etiam S. Alphonsus; at non omnes æquo jure.—*Altera* via solutionis consistit in simulata Matrimonii celebratione, ita tamen ut exigatur promissio abstinendi ab iis omnibus quæ illicita sunt non conjugatis, et illico recurratur ad dispensationem obtinendam. Neque objicias nunquam licitum esse simulare sacramentum, nam respondetur in hujusmodi casu locum habere potius *dissimulationem* quam simulationem sacramenti, quia dificiente interno consensu saltem ex ex una parte, deficit materia et forma sacramenti. In favorem hujus solutionis multi citantur auctores.—*Tertia* via demum est Matrimonii celebratio sub conditione dispensationis obtinendæ, ita tamen ut, sicut in præcedenti solutione, exigatur abstinentia ab usu conjugii. Quamquam enim, dicunt patroni hujus solutionis, regulariter loquendo, illicitum sit contrahere sub conditione, illicitum non est in tanta necessitate. Obtenta autem dispensatione, aliquibus necessaria videtur renovatio consensus, et certe utile hoc est et in praxi omnino observandum. Igitur tertia hæc via in eo tantum differt a secunda quod vitetur illa dissimulatio sacramenti.—Cf. Feije, n. 640. et seqq.

ARTICULUS II.

DE SUBJECTO MATRIMONII.

865. *Dico* 1°. Subjectum *sacramenti* Matrimonii est omnis homo baptizatus, nullo impedimento, sive naturali, sive divino, sive canonico laborans.—Dixi 1°. *omnis homo baptizatus;* homines enim non baptizati non sunt capaces sacramentorum Ecclesiæ, uti patet.—Dixi 2°. *nullo impedimento laborans;* licet enim *per se* omnis homo baptizatus sit subjectum capax sacramenti Matrimonii, *per accidens* tamen plures a Matrimonio valide contrahendo arceantur propter diversa impedimenta,

tum juris naturalis, tum juris divini, aut ecclesiastici, ut infra suo loco dicetur. Hinc:

1°. Matrimonium infidelium, licet validum esse possit in ratione contractus, non tamen est sacramentum. Imo fidelis ipse contrahens Matrimonium cum infideli, etiam ex Papæ dispensatione, juxta multos Doctores sacramentum non recipiet. Etenim signum unionis Christi cum Ecclesia, gratiam sacramentalem conferens, neque in unione viri, neque in unione mulieris, sed in unione utriusque consistit.—Dissentiunt tamen alii, et dicunt Matrimonium esse tunc ratum ac proinde habere rationem sacramenti ex parte fidelis.—Cf. Baller. not. (a) p. 749.

2°. Hæretici et schismatici, qui ineundo Matrimonium leges Ecclesiæ ad substantiam sacramenti pertinentes accurate et integre servant, valide contrahunt et sacramento muniuntur, cum nihil sit, quod valori hujus sacramenti obstare possit. Hoc ipsum confirmat praxis Ecclesiæ, quæ nullo modo eos adigit sive ad renovandum consensum, sive ad benedictionem nuptialem recipiendam, si resipiscentes ad catholicæ Ecclesiæ unitatem redeant.

Dico 2°. Sponsi Matrimonium contrahentes, in statu gratiæ versari debent, quia Matrimonium est sacramentum vivorum. Qui contrahunt peccato mortali coinquinati, rei sacrilegii evadunt, nec gratias sacramentales sponsis necessarias percipiunt. Probabiliter tamen illæ gratiæ sunt tantum suspensæ, et remoto obice seu peccato mortali, animæ applicantur. Pro praxi, si nullus fructus ex monitione speretur, fere melius erit indignum non monere de sacrilegio indigne accedentis, ut saltem sic minus peccet; et potius inducendus erit, ut saltem quamprimum ad confitendum accedat.

866. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *An Parochus exigere debeat, ut præmittatur confessio Matrimonio, vel ut libellus confessionis a sponsis exhibeatur?*

RESP. Non potest absolute et per se id exigere, nisi lex seu præceptum Episcopi illud statuat. Ratio est, quia quamvis requiratur status gratiæ ad hoc sacramentum suscipiendum, non tamen requiritur necessario confessio, cum contritio absolute sufficere possit etiam iis qui in statu peccati mortalis versantur. Aliunde Parocho plerumque non

innotescit, sponsos in statu gratiæ non versari.—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. n. 329.

QUAER. 2°. *An liceat Matrimonium inire cum publico peccatore?*

RESP. *Affirm.*, si nequeat sine gravi incommodo a Matrimonio recedi. Quamvis enim contrahentes conficiant sacramentum, non sunt tamen ministri ad hoc deputati.—Eadem ratione puella catholica, quæ habet graves rationes (v. gr., ob circumstantias familiarum, aliave motiva magni ponderis) Matrimonium cum hæretico ineundi, non peccat illud contrahendo, quamvis alteri peccati materiam quodammodo subministret; sed prius petenda est dispensatio, ut infra dicetur. De aliis multis quæ ad subjectum Matrimonii spectant, sermo erit in cap. sequenti, ubi de impedimentis.

CAPUT VI.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

ARTICULUS I.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII IMPEDIENTIBUS.

867. Aliquo vero sensu omne peccatum mortale est impedimentum ad Matrimonium licite contrahendum; attamen, strictius loquendo, quatuor numerantur hodie impedimenta Matrimonium impedientia, nempe 1°. prohibitio Ecclesiæ variis de causis facta; 2°. item Ecclesiæ prohibitio, ne determinato quodam tempore Matrimonii solemnitates celebrentur; 3°. contractus sponsalitius cum alia persona jam initus, nec legitime solutus; 4°. votum quod ex natura sua in contractu aut societate conjugali servari nequeat.—Dixi *hodie*, quia obsoleta sunt duo alia quæ antea vigebant, scilicet *catechismus* et *crimen*. Quatuor hæc impedimenta seu potius capita vel classes impedimentorum versiculo sequenti solent a theologis exprimi:

Ecclesiæ vetitum, tempus, sponsalia, votum.

De singulis pauca hic subjiciuntur pro confessariorum utilitate et primum de eorum existentia et natura, et dein de potestate ab iis dispensandi.

§ I. De existentia impedimentorum impedientium.

I.—Ecclesiæ vetitum.

868. Est prohibitio sive particularis, sive generalis, ab Ecclesia facta aut ab aliquo superiore ecclesiastico, ne aliquod Matrimonium celebretur.

1°. Prohibitio particularis habetur, quando justa et speciali de causa Matrimonium alicui interdicitur, sive a Parocho, sive ab Episcopo: interdici autem potest triplici potissimum de causa: 1°. quia fit reclamatio de sponsalibus antea cum alia persona factis; 2°. quia habetur fundata suspicio latentis impedimenti dirimentis; 3°. quia multa incommoda, v. gr., rixæ, inimicitiæ, etc., non inaniter prævidentur.—Cf. Baller. not. (a) p. 760.

2°. Prohibitio generalis in triplici præsertim casu habetur, scilicet; 1°. ne contrahatur sine consensu parentum, prout superius declaratum est; 2°. ne contrahatur sine bannorum proclamatione; 3°. ne fiat Matrimonium inter hæreticum et catholicam, et vice versa, prout inferius etiam fusius dicetur.

II.—Tempus.

869. Est determinatum aliquod per decursum anni tempus, quod *feriatum* dicitur, et quo Ecclesia solemnitates nuptiarum vetat. Constat ex Trid. sess. 24. *de Reform. Matrimonii.* cap. 10. Tale autem *nunc* est tempus quod fluit a prima Dominica Adventus usque ad Epiphaniam *inclusive* et a die cinerum usque ad oct. Paschatis item *inclusive.*

Cæterum Conc. Trid. solas nuptiarum solemnitates præfato tempore prohibet, nimirum sponsos benedicere, sponsum cum strepitu domum deducere, convivia nuptialia solemniora instruere. Non autem vetat Parocho sponsos privatim conjungere, licet variis in locis propter consuetudinem id etiam prohibeatur.

III.—Sponsalia.

870. Sponsalia quælibet, sive *ecclesiastica,* sive *privata,* serio contracta, nisi aut mutuo contrahentium consensu, aut alia justa de causa legitime dissoluta fuerint, sunt impedimentum Matrimonium impediens. Patet ex jure naturali; existit enim gravis obligatio justitiæ pactum ex oneroso contractu servandi. Si quis autem, non obstante illo impe-

dimento, nuptias contrahat, cum impedimentum hoc sit tantum impediens, validum quidem erit matrimonium, non tamen licitum.

IV.—Votum.

871. Quatuor sunt vota Matrimonium impedientia, nempe; 1°. votum castitatis; 2°. votum non nubendi; 3°. votum ingrediendi Religionem; 4°. votum Ordines sacros suscipiendi. Breviter de singulis.

I.—Votum castitatis.

1°. Qui tale votum emisit, peccat graviter Matrimonium iniens cum intentione illud consummandi, quia votum infringit.

2°. Peccat etiam graviter, seclusa hac intentione, quia exponit se periculo vel votum vel jus alterius conjugis violandi.

3°. Contracto Matrimonio, nec petere nec reddere potest debitum labente primo bimestri, quia ex privilegio divino conjuges hoc tempore ab obligatione conjugalis debiti eximuntur. Elapso autem hoc tempore, potest quidem debitum reddere, et alterius juri satisfacere, non tamen petere sine dispensatione a voto.

4°. Debet omnino abstinere, si alter consentiat, vel jus petendi amiserit, v. gr., ob adulterium vel incestum. Quod si ægre abstinere potest, dispensationem quamprimum postulare debet.

5°. Si alter conjux moriatur, ad novas nuptias convolare nequit, nisi dispensationem a voto suo etiam ad hunc effectum impetraverit.—Cf. Lacroix, lib. 3. part. 1. n. 564.

II.—Votum non nubendi.

1°. Qui, voto isto emisso, Matrimonium contrahit, graviter peccat, ut manifestum est.

2°. Contracto Matrimonio, reddere atque etiam petere potest debitum, quia jam impossibilis facta est voti observatio.

3°. Ob eamdem rationem, mortuo conjuge, novum Matrimonium saltem probabiliter contrahere potest.

Adverte sæpe votum *non nubendi* accipi pro voto *virginitatis*, quamvis detur discrimen, quia virginitas *proprie* respicit carnis integritatem, quæ etiam post Matrimonium est possibilis. Quare si constat aliquam puellam fecisse votum virginitatis proprie dictæ, non licet

ei, contracto Matrimonio, petere pro prima vice, nec durante primo bimestri reddere item pro prima vice.

In praxi dubium sæpe est quid quis voverit, an virginitatem, cœlibatum, aut castitatem: quare interrogandus erit pœnitens de fine quem in vovendo sibi proposuit et, dubio perseverante, quod minimum est tenendum.—Cf. Lacroix, lib. 3. part. 1. n. 357.

III.—Votum ingrediendi Religionem.

1°. Qui tale votum emisit, peccat graviter Matrimonium ineundo, tum quia alterum decipit, tum quia se exponit periculo votum violandi.

2°. Ante Matrimonii consummationem tenetur Religionem ingredi; ideoque mortaliter peccat, quando prima vice, sive petendo sive reddendo debitum, Matrimonium consummat; quia votum adimplere debet, quando potest. Illud autem adimplere potest non consummando Matrimonium in primo bimestri, cum tunc ex privilegio divino possit quilibet Religionem ingredi, et altera pars, conjuge solemniter profitente, a vinculó Matrimonii liberetur.

3°. Post consummatum Matrimonium potest petere et reddere debitum, quia executio voti facta est impossibilis, et petitio actus conjugalis non est contra illius votum, cum non voverit *castitatem*, sed *Religionem*.

4°. Etiam, consummato Matrimonio, per se tenetur Religionem ingredi, quoties illæso compartis jure id potest, v. gr., si alter consentiat, vel jus petendi debitum amittat in perpetuum, aut si Matrimonium per mortem solvatur: quia obligatio voti semper subsistit. In praxi autem in hisce casibus magis expedit, ut ad dispensationem recurratur.

IV.—Votum suscipiendi Ordines.

1°. Qui votum illud emisit, peccat graviter Matrimonium ineundo, ut in comperto est.

2°. Tenetur Ordines suscipere, si possit, v. gr., si obtineat consensum alterius. Juxta plures tenetur Religionem ingredi ante Matrimonii consummationem, etiam invito altero, ut votum adimplere possit. Sed alii probabilius hoc negant.

3°. Inito Matrimonio, potest illud consummare, si votum amplius adimplere nequeat.—Cf. Heiss, § 18.

§ II. De dispensatione ab impedimentis impedientibus.

872. ***Dico*** 1°. Nemo dispensare proprie potest, ne summus quidem Pontifex, ab impedimento ex validis sponsalibus orto, cum hac in re de stricto justitiæ debito agatur. Idem dicendum de necessitate consensus parentum, quatenus a jure naturali repetitur; hæc tamen naturaliter cessat si parentes injuste dissentiant.

Dico 2°. Episcopi seu ordinarii animarum Pastores, jurisdictione plena in foro externo gaudentes, dispensare possunt 1°. in obligatione bannorum; 2°. quoad contractum per tempus feriatum, ubi consuetudo hunc quoque interdicat; 3°. in voto castitatis temporaneæ, et virginitatis, seu non nubendi.—Nequeunt autem dispensare 1°. quoad votum perpetuæ castitatis; 2°. quoad votum ingrediendi Religionem; 3°. quoad impedimentum disparitatis cultus inter catholicos et hæreticos. Hoc enim triplex impedimentum Papæ reservatum est.—Verum istis restrictionibus non afficiuntur Episcopi nostri, excepto quod nequeant ab impedimento disparitatis cultus dispensare, cum aliud subest impedimentum dirimens, et hoc quidem si agatur de Matrimoniis contrahendis.

Dico 3°. Regulares mendicantes ex suis privilegiis dispensare valent mere pro foro interno in voto castitatis temporaneæ et virginitatis, seu non nubendi; nam eamdem habent potestatem dispensandi a votis in foro interno, juxta communem theologorum sententiam, quæ *jure ordinario* competit Episcopis.

ARTICULUS II.

DE IMPEDIMENTIS DIRIMENTIBUS.

§ I. De impedimentis dirimentibus in genere.

873. ***Dico*** 1°. Ecclesia potestatem habet constituendi impedimenta Matrimonium dirimentia. Constat ex definitione Conc. Trid. sess. 24. can. 4: "Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit." Constat etiam ex ratione theologica; nam Ecclesia habet potestatem decernendi quid requiritur ad rectam et decentem administrationem sacramentorum.

Dico **2°.** Ecclesia sola impedimenta Matrimonii dirimentia constituere potest, et consequenter Principes *sæculares* quoad subditos christianos non possunt constituere impedimenta, nisi ad meros effectus civiles. Patet ex ipso Conc. Trid. sess. 24. can. 12. ubi definivit causas matrimoniales ad judices ecclesiasticos pertinere. Sane cum Matrimonium a Christo elevatum sit ad dignitatem sacramenti, necessario soli potestati spirituali subjicitur. Et quamvis in eo distinguantur ratio contractus et ratio sacramenti, re tamen unum idemque sunt, ac proinde integrum Matrimonium ad solam Ecclesiam pertinet.

874. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *An impedimentum invincibiliter ignoratum irritet Matrimonium cum illo contractum?*

RESP. *Affirm.*, et ratio est, quia lex tale impedimentum constituens habet pro objecto ipsummet contractum et non personas ipsas contrahentes, ac proinde contractum semper irritat independenter a cognitione et voluntate contrahentis. Insuper leges irritantes effectum suum in omni casu sortiri debent, nisi bonum generale absolute obstet, ut dicetur de impedimento clandestinitatis, quod tunc tantummodo cessat, quando, sæviente persecútione, sacerdotes idonei ad assistendum Matrimoniis haberi non possunt.—Hinc si, contracto Matrimonio, mulier certo detegat impedimentum dirimens, vi cujus nullum fuerit Matrimonium, debitum petere non potest, nec reddere, etiamsi ad id comminatione mortis cogeretur, quia conjunctio fornicarià esset, quæ in nullo casu licita est.—Excipiunt quidam, nisi mulier mere passive se haberet, ita ut omnino materialiter tali actui cooperaretur ; sed neque hoc concedi debet, cum de re intrinsece mala agatur, nisi juxta sententiam probabilem mulier metu mortis ad id cogatur, secluso tamen consensus periculo.

QUAER. 2°. *An incurrantur, licet ignorata, ea quoque impedimenta, quæ videntur habere rationem pœnæ, ut impedimentum criminis?*

RESP. *Affirm.*, juxta sententiam communiorem, et ratio est, quia illa impedimenta habent primario et principaliter rationem *vinculi* et secundario tantum rationem *pœnæ;* et consequenter semper incurruntur, quamvis ignorantia excuset a pœna ubi agitur de lege mere prohibente. Præterea ita fert praxis communis, ut in tali casu semper petatur et exigatur dispensatio.—Quod si admittatur aliqua probabilitas sententiæ oppositæ, ea pro praxi utilis non est, cum non sit hujusmodi ut

Ecclesia censeatur supplere.—Cf. Lacroix, lib. 6. part. 3. n. 642.—Baller. not. (b) p. 766.—Konings, n. 1574.

QUAER. 3°. *An liceat contrahere Matrimonium cum impedimento dubio, seu probabili?*

RESP. *Affirm.*, in dubio, seu probabilitate *juris ecclesiastici*, quia si forte impedimentum reipsa adesset, Ecclesia supplere censetur defectum contractus de jure canonico irriti, sicut et jurisdictionis defectum supplet, ubi communiter Doctores tenent eam supplere jurisdictionem in sacramento Pœnitentiæ, communi errore intercedente. Porro opinio docens Ecclesiam supplere etiam in præsenti casu de dubio impedimento, generaliter ut probabilis recepta est ab innumeris Doctoribus, qui ei suffragantur.—*Negative* autem respondendum, si agatur de probabilitate *juris divini* aut *naturalis*, v. gr., in impedimento ligaminis, vel impotentiæ; quia tunc Ecclesia defectui probabili supplere nequit, cum impedimentum illud ab Ecclesia non pendeat. *Negative* etiam, si agatur de probabilitate *facti* in impedimentis ecclesiasticis. Ratio est, quia Ecclesia in hujusmodi probabilitate non præsumitur dispensare. Opinio autem contraria communiter non est recepta ut probabilis; et aliunde nimia sequerentur incommoda, si, contracto Matrimonio, error detegeretur.—Cf. S. Alphons. n. 901. et 902.

QUAER. 4°. *An liceat conjugibus uti matrimonio, si post nuptias initas dubium de aliquo impedimento oriatur?*

RESP. *Neg.*, donec facta fuerit inquisitio sufficiens de veritate. Si tamen unus tantum dubitet, quamvis non possit debitum petere, debet tamen illud reddere alteri in bona fide petenti. Secus vero dicendum si adhibita seria diligentia ad veritatem detegendam, dubium adhuc remaneat, quia in dubio standum est pro valore actus.—Cf. S. Alphons. n. 903. et 904.

QUAER. 5°. *An valeat Matrimonium contractum cum impedimento putato, sed non existente?*

RESP. Si contrahens non sit omnino certus de impedimento, sed aliquo modo dubitet de illo, validum est Matrimonium. Ratio est, quia contrahit saltem conditionate, nempe *in quantum possum*, quamvis ad conditionem illam non reflectat; ergo, non existente impedimento, consensus jam adest absolutus.—Si vero contrahit cum certitudine impedimenti, sed dolens de impedimento et non audens illud aperire, ne

impediatur Matrimonium, vel ne infametur, aut ex inadvertentia aliqua, controvertitur; sed probabilius valet Matrimonium ob voluntatem prædominantem illud contrahendi.—Attamen *ad cautelam* in praxi inducendus foret ad consensum renovandum.—Cf. Lacroix, n. 525.—Heiss, § 12. et § 26. v.

§ II. De impedimentis in specie.

Impedimenta dirimentia quindecim sunt, et his versibus exprimuntur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Ætas, affinis, si clandestinus, et impos,
Raptave sit mulier, nec parti reddita tutæ:
Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.

Punctum I.

De impedimento erroris et conditionis.

875. Duplex circa Matrimonium error distinguitur, scilicet 1°. error *substantialis*, qui versatur circa personam; 2°. error *accidentalis*, qui personæ qualitates afficit.' Conditio autem intelligitur *servilis* ab altera parte ignorata, ac proinde impedimentum quod dicitur *conditio*, nihil aliud est quam error quo compars putatur libera, cum sit serva.

876. ***Dico.*** Omnis error circa personam efficit Matrimonium nullum de jure naturali, etiamsi sit invincibilis, non autem error circa qualitates. Ratio *utriusque* est, quia objectum hujus contractus est ipsa persona, et non ejus qualitas, qualiscumque ea sit.—Excipe tamen casum quo qualitas *explicite* velut conditio *sine qua non* intendatur; aut nisi sit *determinativa* personæ, seu id quod unice de persona ducenda cognoscitur, quodque proinde in ipsa unice intenditur.—Cf. S. Thom. *Suppl.* q. 51. art. 1.—S. Alphons. n. 1012.—Baller. not. (a) p. 775. Heiss, § 26.

877. ***Resolves.***—1°. Si quis putet contrahere nuptias cum Anna, et ducat Agatham, invalidum est Matrimonium. Secus, si putans se duxisse puellam nobilem, divitem, virginem, pacificam; e contrario eam inveniet esse plebeiam, pauperem, corruptam, rixosam.

2°. Validum est Matrimonium, si qui ducat viduam putans se ducere cælibem, etiamsi per fraudem in hunc errorem inductus fuerit;

nam fraus inducit quidem obligationem reparandi injuriam, non autem efficit ut consensus non versetur circa substantiam rei, de qua agitur. Imo hoc valet, licet certo contrahere noluisset, si prius eam viduam esse novisset; non enim ad id, quod forte vel etiam certo quis facturus fuisset, sed ad id, quod reapse fecit, attendendum est.

3°. Valide contrahit puella nobilis cum viro vago, qui falso se jactat nobilem et bonorum multorum possessorem, idque falsis testimoniis probat. Sed mulier illa non tenetur cum ipso cohabitare, et divortium perpetuum quoad torum et habitationem statim facere potest.—Cf. *Acta S. Sedis*, vol. 1. p. 257. et 371.

NOTA. — *Abolita apud nos servitute, impedimentum quod dicitur conditio, non amplius practicam habet pro nobis applicationem. Dicendum tamen est illud de jure ubique existere, atque esse de positivo statuto ecclesiastico.*

PUNCTUM II.

De impedimento voti et Ordinis.

878. Votum dirimens Matrimonium est solum votum solemne castitatis, per professionem in Religione approbata emissum. Votum enim simplex castitatis, etiam perfectæ et perpetuæ, Matrimonium non dirimit, sed tantum impedit, juxta superius dicta. Ordo autem Matrimonium dirimens est *Ordo sacer*, nempe presbyteratus, diaconatus et subdiaconatus.

879. ***Dico.*** Votum solemne castitatis, et Ordo sacer dirimunt Matrimonium de jure ecclesiastico. Constat ex Concil. Later. I. et II. atque etiam ex Trid. sess. 24. can. 9. ubi dicitur: "Si quis dixerit Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque esse validum, non obstante lege ecclesiastica vel voto, anathema sit."—Dixi *de jure ecclesiastico*, nam nihil ex Scripturis aut traditione, vel etiam ex jure naturæ habetur quo indicetur Ordinem sacrum repugnare cum statu conjugali; et aliunde communis sententia theologorum fert Ordinem dirimere Matrimonium vi voti, quod ei adnexum est ex sola voluntate Ecclesiæ.—Votum autem castitatis ideo dirimit Matrimonium quia solemne est; atqui solemnitas est juris ecclesiastici, ergo, etc. — Cf. Sanchez, lib. 8. disp. 8. n. 7.—S. Alphons. n. 1059.—Heiss, § 34. et § 35.

PUNCTUM III.

De impedimento cognationis.

Cognatio triplicis generis distinguitur, scilicet 1°. *naturalis;* 2°. *spiritualis;* 3°. *legalis.* De unaquaque pauca dicentur pro praxi.

I.—De cognatione naturali.

880. Cognatio *naturalis*, seu consanguinitas, est vinculum personarum ab eodem stipite *proximo* per carnalem generationem descendentium, vel vinculum quod exsurgit ex participatione ejusdem sanguinis intra quosdam limites.

In consanguinitate tria sunt distinguenda, scilicet 1°. *stipes* seu persona, ex qua aliæ ducunt originem; 2°. *gradus*, seu mensura distantiæ unius personæ ab altera; 3°. *linea*, seu series personarum ab eodem stipite descendentium. Linea autem duplex est: alia *recta*, et alia *collateralis* seu *transversalis.* Prior est series personarum quarum aliæ ab aliis descendunt, vel *immediate*, ut filii a parentibus, vel *mediate*, ut nepotes ab avis, aut a proavis, etc. Posterior vero est series personarum quæ licet stipitem communem habeant, aliæ tamen ab aliis non descendunt, ut sunt fratres, consobrini, etc. Insuper hæc est *æqualis* vel *inæqualis*, prout consanguinei æqualiter vel non æqualiter a communi stipite distant.

881. ***Dico.*** 1°. Consanguinitas in *linea recta* Matrimonium dirimit *indefinite* in quocumque gradu, saltem de jure positivo. — Dixi *saltem de jure positivo*, quia etsi certum sit Matrimonium in primo gradu lineæ rectæ esse nullum ex ipso jure naturæ, disputatur tamen apud theologos num ex eodem jure dirimatur in aliis gradibus.—Cf. S. Alphons. *de Sacram Pœnit.* n. 470.—Schmalzgr. lib. 4. tit 14. n. 30.

Dico 2°. Consanguinitas in *linea collaterali* Matrimonium dirimit usque ad quartum gradum *inclusive*, et non ultra. Constat ex Conc. Later. IV., et ex pluribus locis juris canonici. De jure autem hujus impedimenti dicendum est ipsum esse ex positivo statuto ecclesiastico, ut deducitur ex praxi Ecclesiæ quæ ab eo dispensat, excepto primo gradu, de quo disputatur num dirimat de jure ecclesiastico aut naturali, vel saltem divino positivo, cum Ecclesia nunquam dispenset ut fratres

et sorores conjungi valeant, atque ipsi infideles hujusmodi nuptias detestentur.—Cf. Schmalgr. loc. cit. n. 45. et 46.—Baller. not. (a) et (b) p. 786.

882. Ut autem computetur diversitas gradus consanguinitatis attendendum est ad sequentes regulas:

Regula I. In linea recta *tot numerantur gradus quot personæ, stipite dempto*, seu tot sunt gradus, quot sunt generationes. Hinc inter patrem et filium unicus est gradus, quia unica est generatio, seu unica filii persona, secluso patre utpote stipite. Inter nepotem et avum duo gradus numerantur, quia duæ sunt generationes, licet tres interveniant personæ, nempe avus, pater, et ejus filius, seu nepos respectu avi. Ponas pariter proavum vel abavum, et tres vel quatuor gradus habebis.

Regula II. In linea collaterali *æquali* tot sunt gradus quot sunt personæ, in una parte, stipite dempto. Hinc frater et soror sunt in primo gradu: quia si stipes communis seu pater seponatur, remanet unica persona ex utraque parte: et cum singuli distent uno gradu a stipite, etiam unico gradu inter se distant. Pariter patrueles, seu duorum fratrum filii, distant singuli duobus gradibus a stipite communi, seu ab avo, et proinde consanguinei sunt inter se in secundo gradu. Sic etiam de aliis dicendum est.

Regula III. In linea collaterali *inæquali* tot sunt gradus quot personæ in parte remotiore, semper stipite dempto. Hinc si unus distet a communi stipite duobus gradibus, et ejus consanguineus tribus, erunt inter se consanguinei in tertio gradu, juxta effatum: *Gradus remotior trahit ad se propinquiorem.* Igitur Berta consanguinea erit in secundo gradu cum patruo, seu fratre patris sui, quia distat duobus gradibus a stipite communi, nempe ab avo suo, licet patruus ipse unico gradu ab eodem stipite separetur, cum sit stipitis filius, seu frater patris Bertæ. Sic etiam de aliis quibuscumque statuendum.

Adverte has regulas respicere computationem juxta legem ecclesiasticam. Quod si leges civiles alicujus Status diversimode computant, ad eas attendendum est, sed tantum pro effectibus civilibus.—Cf. Kenrick, n. 153.

883. ***Quæsita.***—Quaer. 1°. *Quomodo inveniri facile possint gradus consanguinitatis?*

Resp. Si cognitus sit stipes communis, scribas illius nomen in charta, et infra generationes et nomina personarum hinc et inde descendentium notes, usquedum pervenias ad eas personas quæ connubio jungendæ sunt; facile inde gradus computabis.—Si vero stipes sit incognitus, sic procedas: scribas in inferiori parte chartæ vel tabulæ nomen sponsi ad unum latus, et nomen sponsæ ad alterum; dein supra nomen sponsi adnotes nomina eorum consanguineorum, qui forte causa esse possunt, cur aliqua intersit cognatio cum sponsa; idem facito quoad sponsam. Qua facta adnotatione, ascendas ex una parte, et videas utrum conveniant in communi principio seu stipite, ex quo sponsus et sponsa sint mediate generati. Hinc postquam inveneris, simulque animadverteris, utrum sponsi sint in linea æquali vel inæquali, applices tandem regulas infra proponendas, et resolutio dubii patebit. Pro quibus sit sequens exemplum:

ABAVUS

Patritius Murphy.

	Proavia		Proavus
I.	*Anna Murphy.* *uxor Josephi Smith.*	I.	*Petrus Murphy.*
	Avus		Avus
II.	*Michael Smith.*	II.	*Joannes Murphy.*
	Pater		Pater
III.	*Robertus Smith.*	III.	*Jacobus Murphy.*
	Sponsus		Sponsa
IV.	*Samuel Smith.*	IV.	*Maria Murphy.*

In hoc exemplo *Samuel Smith* et *Maria Murphy* sunt consanguinei in quarto gradu æquali. Si vero *Maria Murphy* immediate descenderet a *Joanne Murphy*, tunc *Petrus Murphy* esset ejus avus, et *Patritius Murphy* ejus proavus, et proinde consanguinei forent in *quarto gradu* quidem, sed *attingente tertium.*

884. Alia etiam methodus existit ad gradus cognationis dignoscendos, scilicet usus *arboris consanguinitatis*, seu *tabellæ genealogiæ* quæ habetur in sequenti pagina. Igitur, ut practice res tota fiat, inspice tabellam, et vide in qua linea, et in quibus cellulis reperias personas de quarum cognatione quæritur, et attende quot gradibus distent a stipite communi. *Exemplum:* Quæres, v. gr., quonam gradu Titius sponsus sit consanguineus respectu Bertæ sponsæ, cum jam scias avum prioris fuisse fratrem proavi posterioris. Pone Titium in cella media N.; ascende ad ejus avum; frater ejus ad dexterum latus, in cella ubi notatur patruus, erit proavus Bertæ; descende per lineam rectam illius numerando avum, patrem et sponsam ipsam, hinc stipes communis erit ille, qui reperitur in cella tertia superiore lineæ mediæ. Sic numerabis tres gradus ex parte sponsi, et quatuor ex parte sponsæ; hinc concludes esse consanguineos in quarto gradu attingente tertium.


Finge alia quævis exempla similia, alterutrum e sponsis in qualibet cella sive media, sive ad unum latus supponens, et ad stipitem communem ascendens, ut inde ad alterum sponsum descendas; sed minime attendas ad nomina quæ in variis cellis occurrentibus reperies, quia pro cella electa omnia variabunt, ut patet.

Consanguinitas inter easdem personas ex duplici vel etiam multiplici capite oriri potest, et tunc est duplex vel multiplex propinquitas, seu impedimentum in petitione dispensationis aperiendum. Hoc autem evenire potest:

1°. Inter eos qui ex uno communi stipite descendunt, si nempe alteruter e duobus per duplicem diversam progenitorum seriem cum illo stipite conjungitur. Ita, v. gr., si supponas *Patritium* habere tres filios *Petrum, Jacobum,* et *Joannem,* et si insuper supponas *Annam* filiam *Joannis,* obtenta dispensatione, nupsisse *Jacobo,* et ex hoc matrimonio natam esse *Mariam,* hæc ex duplici capite erit consanguinea cum *Stephano* filio *Petri.*

2°. Quando concurrunt *duo vel plures stipites communes.* Sic, v. gr., si a duobus fratribus vel consobrinis ductæ fuerunt uxores quæ sint et ipsæ inter se sorores vel consobrinæ, filii ex utroque conjugio suscepti duplici consanguinitatis vinculo inter se jungentur.—Cf. Scavini, lib. 3. tract. 12. n. 1012.

TABELLA GENEALOGIAE.



NOTAE.

I.—Tabella ista repræsentat personas consanguineas usque ad quartum gradum in linea recta et collaterali.

II.—Personæ quæ tractu conjunguntur sunt inter se consanguineæ in linea recta, cum cæteris in linea collaterali.

III.—Ubi lineæ conjunguntur, ibi stipes habetur.

QUAER. 2°. *Quinam sint consanguinei collaterales?*

1°. *Ex parte patris.*

Propatruus, seu frater proavi (*great grandfather's brother*).
Proamita, seu soror proavi (*great grandfather's sister*).
Patruus magnus, seu frater avi (*grandfather's brother*).
Amita magna, seu soror avi (*grandfather's sister*).
Patruus, seu frater patris (*father's sister, paternal uncle*).
Amita, seu soror patris (*father's sister, paternal aunt*).
Patrueles, seu filii fratrum ex parte patris (*first cousins*).

2°. *Ex patre matris.*

Proavunculus, seu frater proaviæ (*great grandmother's brother*).
Promatertera, seu soror proaviæ (*great grandmother's sister*).
Avunculus magnus, seu frater aviæ (*grandmother's brother*).
Matertera magna, seu soror aviæ (*grandmother's sister*).
Avunculus, seu frater matris (*mother's brother, maternal uncle*).
Matertera, seu soror matris (*mother's sister, maternal aunt*).
Consobrini, seu filii fratrum ex parte matris (*first cousins*).

3°. *Ex utraque parte.*

Amitini, seu filii fratrum (*first cousins*).
Sobrini, seu horum filii (*second cousins*).
Nepotes, seu filii fratrum (*nephews—brother's or sister's children*).
Pronepotes, seu horum filii (*second nephews—grand nephews*).

II.—De cognatione spirituali.

Cognatio *spiritualis* est propinquitas quædam, quæ ex statuto Ecclesiæ oritur ex administratione et susceptione Baptismi et Confirmationis inter certas personas in jure canonico determinatas.

885. **Dico.** Cognatio *spiritualis* dirimit Matrimonium de jure ecclesiastico: 1°. inter Ministrum sacramenti et subjectum, hujusque genitores; 2°. inter patrinum vel matrinam et filiolam vel filiolum, eorumque genitores. Constat ex Conc. Trid. sess. 24. cap. 2. *de Reform. Matrim.* Conditiones autem requisitæ ut patrini cognationem spiritualem contrahant, hæ sunt; 1°. ut sint baptizati, secus enim Ecclesiæ non subjiciuntur; idemque dicendum est de baptizante et parentibus

baptizati; 2°. ut sint rationis compotes, et præterea intentionem habeant hoc munus suscipiendi, quamvis non requiratur intentio spiritualem cognationem contrahendi; 3°. ut designati fuerint a parentibus, vel etiam a Parocho in illorum loco vel defectu; aut si designati non fuerint, saltem admittantur si sese ingerant; 4°. ut Baptismus fuerit validus.—Positis autem prædictis conditionibus patrini, qui, contra legem Tridentinam, supra duorum numerum a Parocho admitterentur, contraherent cognationem spiritualem. Decretum enim Tridentinum est prohibens tantum, et non irritans, ut constat ex declaratione S. Congr. Conc. in causa Aquensi, 10. Mart. 1631, apud Barbosa, *Apost. Dec. Collect.* 177. n. 10.

886. ***Resolves.***—1°. Patrinus et matrina Matrimonium inter se inire possunt, non vero cum patre vel matre baptizati.

2°. Non contrahunt cognationem spiritualem, qui officium patrini et matrinæ exercent in supplendis Baptismi solemnitatibus, ut declaravit S. C. de Prop. Fide in Instr. 11. Sept. 1779 ad Episc. Scodren.; nec qui tantum nomine alterius baptizatum de sacro fonte suscipiunt, prout etiam diversis decretis confirmavit S. C. Conc. apud Benedictum XIV. *Quæst. can.* 227.

3°. Vir, qui puellam in casu necessitatis et privatim baptizavit, nec ipsam, nec ejus matrem ducere potest.—Cf. S. Alphons. *de Bapt.*, n. 149.

4°. Probabilius autem non videntur hanc cognationem contrahere patrini in Baptismo privato adhibiti. Ratio est, quia in Conc. Trid. de iis tantum patrinis, qui in Baptismo solemni adhibentur, sermo est, cum pro Baptismo privato nulli requirantur.—Cf. S. Alphons. ibid.

5°. Patrini, sive mas, sive fœmina, cognationem spiritualem contrahere non videntur, nisi ipsi per se, et immediate, baptizatum physice tangant, vel eum tenendo aut tangendo dum baptizatur, vel eum immediate suscipiendo de manu sacerdotis post Baptismum; quia secus proprie eum de sacro fonte suscipere non censentur: omnes enim textus juris can., quibus spiritualis cognatio statuitur, hisce verbis exprimuntur: *qui suscipit, tenet, levat, tangit,* etc.—Cf. S. Alphons. *de Bapt.* n. 148.

6°. Parentes baptizantes filios in necessitate vel bona fide nullam contrahunt spiritualem cognationem, qua ab usu conjugii prohibeantur; hæc enim prohibitio rationem habet pœnæ, quæ sine culpa

non incurritur.—Imo probabilius nec videntur cognationem contrahere, etiamsi ex industria, seclusa necessitate, prolem baptizarent.—Cf. S. Alphons. n. 159.—Heiss, § 38.—Baller. not. (a) (b) et (c) p. 784. et 785.

III.—De cognatione legali.

887. Cognatio *legalis* est propinquitas personarum, quæ oritur ex adoptione legali, et duplex distinguitur: 1°. *perfecta*, qua persona sui juris, forma legali, transit in potestatem et familiam adoptantis, et omnia filii legitimi jura acquirit; 2°. *imperfecta*, qua persona extranea, quæ sui juris non est, assumitur in filium vel nepotem, non tamen transit in adoptantis familiam et potestatem, et propterea non fit hujus hæres necessarius ex testamento, licet ei succedat ab intestato.

888. ***Dico.*** Cognatio *legalis* seu adoptio constituit impedimentum dirimens de jure ecclesiastico, quamvis antea tantum in jure Romano stabilitum fuerit. Eruitur ex *Resp.* Nicolai I. *ad Bulgaros*, etc.—Ad similitudinem autem cognationis naturalis, ex jure Romano, Matrimonium dirimit inter sequentes personas; 1°. quasi in linea recta inter adoptatum, ac hujus filios qui tempore adoptionis sunt sub paterna potestate constituti; 2°. inter adoptatum et filios adoptantis, quasi in linea collaterali, dum hujus filii sub paterna potestate versantur; 3°. inter adoptantem et uxorem adoptati, ac vicissim inter adoptatum et uxorem adoptantis, quasi in linea recta per modum affinitatis, ut constat ex declaratione S. Congreg. in Hortana, 26. Sept. 1734.—Harum cognationum prima et postrema sunt perpetuæ, semperque durant, etiam adoptione soluta per mortem, emancipationem, etc.; secunda durat dumtaxat quamdiu durat adoptio ipsa.—Cf. Baller. not. (a) p. 787.

889. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *An cognatio legalis Matrimonium dirimat usque ad quartum gradum inter adoptantem et descendentes adoptati, aut vice versa?*

RESP. Certo restringitur ad primum gradum quoad adoptatum et descendentes adoptantis. Verum quoad adoptantem et descendentes adoptati controvertitur. *Probabiliter* non extenditur ultra primum gradum, seu ultra adoptatum, nisi habeat descendentes sub potestate sua constitutos, qui proinde simul cum ipso transeant in potestatem

adoptantis; nihil enim in jure huic decisioni oppositum reperitur.—Cf. S. Alphons. n. 1027.

QUAER. 2°. *An adoptio imperfecta dirimat Matrimonium?*

RESP. *Neg.*, probabilius cum S. Alphonso. Ratio est, quia jura de sola adoptione proprie dicta, hoc est perfecta, videntur loqui, ac proinde impedimentum non est ulterius extendendum.—Cf. Schmalzgr. lib. 4. tit. 12. n. 18. et seqq.

Hæc sententia valde confirmatur ex sequentibus quæ leguntur apud Ferraris V. *Matrimonium*, art. 2. addition. "In Bulgariæ provincia mos est, ut patresfamilias aliquando sibi in filios adoptent, absque tamen ulla juris solemnitate, aliquos pueros et puellas. Hujusmodi adoptati communiter inter catholicos ibi commorantes, veluti filii legitimi reputantur, adeo ut in hæreditate etiam succedant. Rev. DD. Joseph Roveranus missionarius . . . Sacram Congr. de Propaganda Fide humiliter supplicavit, ut declarare dignaretur, an talis adoptio impedimentum pareret cognationis legalis. Eadem S. Congr. instantiam remisit ad S. Congr. S. Officii. Deinde in Congregatione generali habita coram SS. DD. Nostro, feria V. die 16. Aprilis 1761., Sanctissimus . . . . declaravit, præfato in casu nullum existere impedimentum."

Consonat noster Kenrick, qui præterea quæstionem ad hanc regionem applicat his verbis: "Quum ex theologorum communi sententia impedimentum ex adoptione perfecta tantum oriatur, quæ apud nos non habetur, nihil hic obstare videtur quin vir ducat puellam quam filiæ loco hactenus habuit. . . . . . . Quæ fieri dicitur apud nos adoptio, tota pendet ex arbitrio adoptantis."—Cf. Kenrick, tract. 21. n. 145.

PUNCTUM IV.

De impedimento affinitatis.

890. Affinitas est propinquitas quam quis contrahit cum consanguineis personæ quacum copulam carnalem habet, sive hæc licita sit sive illicita. Quare contrahi potest etiam inter ipsos conjuges, si alteruter rem cum aliquo ex consanguineis alterius habeat.

891. ***Dico.*** Affinitas ex copula *licita* dirimit Matrimonium futurum usque ad quartum gradum *inclusive;* ex copula autem *illicita*

solum usque ad secundum gradum pariter *inclusive*. Constat ex Conc. Later. IV., et ex Conc. Trid. sess. 24. cap. 4.—In utroque autem casu requiritur ut copula sit *perfecta* et *consummata*, seu talis ex qua per se generatio sequi possit; quia secus vir et mulier non fiunt stricte una caro. Copula autem certo habita, in utroque foro præsumitur perfecta, nisi de opposito constet.—Dixi *Matrimonium futurum;* quia affinitas inter conjuges contracta Matrimonium ipsorum dirimere nequit, cum huic indissolubiliter jam contracto superveniat; ejusdem tamen usum impedit in pœnam conjugis adulteri vel incestuosi. Constat ex pluribus locis juris canonici, præsertim ex cap. *Si quis, de eo qui cognovit*, etc. Hæc autem, utpote ex copula illicita, non contrahitur, nisi ex copula cum consanguineis alterius in primo et secundo gradu. Confirmatur ex Declaratione expressa Gregor. XIII.—Cf. S. Alphons. n. 1070. et seqq.

892. ***Resolves.***—1°. Personæ, quæ carnaliter conjunguntur, non sunt proprie inter se affines, sed sunt principium affinitatis, et quasi stipitis locum tenent.

2°. Affinitas esse non potest inter duas personas, quarum neutra copulam habuerit cum consanguinea alterius; idcirco consanguinei unius conjugis nullam habent affinitatem cum consanguineis alterius.

3°. Duo fratres ducere possunt duas sorores; pater et filius ducere possunt matrem et filiam. Hinc axioma: *Affinitas non parit affinitatem.*

4°. Gradus affinitatis eodem modo computantur, ac gradus consanguinitatis; imo affinitas gradus non habet *per se*, sed tantum ratione consanguinitatis; qualis igitur est gradus consanguinitatis cum una persona, talis est gradus affinitatis cum altera.

5°. Qui peccavit cum duabus sororibus, aut consobrinis germanis, aut cum matre et filia, nullam harum ducere potest.

6°. Vir, qui peccavit cum sorore, vel consobrina, vel amita uxoris suæ, debitum ei petenti reddere tenetur, quamvis petere ipse nequeat. Ratio est, quia, cum agatur de lege mere prohibente, innocens ex culpa nocentis pati non debet.

7°. Non privatur jure petendi debitum, qui cum propriis consanguineis peccat, quia nullam affinitatem inde cum uxore contrahit.

8°. Si uterque conjux per incestum affinitatem cum altero contraxerit,

neuter potest debitum petere, quia uterque jus suum amisit; et proinde neuter tenetur, nec potest debitum alteri reddere.

893. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *Quo jure dirimat affinitas?*

RESP. Ex certa omnium sententia dirimit solo Ecclesiæ jure in linea *collaterali*, et probabilius etiam in linea *recta*, si forte primum gradum excipias, in quo *probabilius* impedimentum est ex jure naturæ. Nam Ecclesia, licet pluries enixe rogata fuerit, nunquam voluit dispensare si affinitas oriatur ex legitimo Matrimonio, licet non raro dispensaverit in hujusmodi affinitate orta ex commercio illicito, v. gr., si quis ducat uxorem fœminam aliquam, cujus filiam aut matrem turpiter antea cognoverit. Ratio autem diversæ hujus praxis est quia affinitas ex copula illicita multo minus arcta censetur; nam, ut ait S. Thomas, in. 4. d. 41. a. 1. quær. 3: "Matrimonium affinitatem causat, non solum ratione carnalis copulæ, sed etiam ratione societatis conjugalis, secundum quam etiam Matrimonium naturale est."—At vero, quando dispensatur, ut quis filiam ducat, postquam cum matre fornicatus fuerit, apponi solet conditio, *dummodo copula cum matre non antecesserit nativitatem filiæ*, ne dispensatus periculo exponatur propriam filiam ducendi.

Hæc autem conditio paulo aliter ita exprimitur in facultatibus quibus Episcopi nostri muniuntur, "dummodo nullum subsit dubium quod conjux sit proles ab altero contrahentium genita."

QUAER. 2°. *Quinam sint varii affines?*

RESP.—Sunt sequentes, scilicet:

Socer, seu pater ratione affinitatis, sive conjugati, sive conjugatæ (*father-in-law*).

Socrus, seu mater affinis (*mother-in-law*).

Prosocer, seu avus affinis (*wife's grandfather*).

Prosocrus, seu avia affinis (*wife's grandmother*).

Gener, seu maritus filiæ (*son-in-law*).

Nurus, seu uxor filii (*daughter-in-law*).

Progener, seu maritus neptis (*granddaughter's husband*).

Pronurus, seu uxor nepotis (*grandson's wife*).

Levir, seu frater mariti, aut uxoris (*brother-in-law*).

Glos, seu soror mariti (*sister-in-law*).

Fratria, seu uxor fratris (*sister-in-law, a brother's wife*).

Sororius, seu maritus sororis (*brother-in-law, a sister's husband*).

Vitricus, seu maritus matris (*stepfather*).

Privignus, seu filius ex primo Matrimonio patris, aut matris (*stepson, stepdaughter*).

Noverca, seu uxor patris (*stepmother*).

QUAER. 3°. *An affinitas ex Matrimonio consummato, sed invalido, dirimat Matrimonium ad quartum gradum, vel ad secundum tantum?*

RESP. Ratione *affinitatis* dirimit ad secundum gradum tantum, quia non habetur affinitas ex legitimo Matrimonio: at ratione *honestatis publicæ* dirimit usque ad quartum gradum, ut patebit ex inferius dicendis.

PUNCTUM V.

De impedimento honestatis publicæ.

894. *Publica honestas* est propinquitas seu quædam quasi affinitas, quæ per conjunctionem, non corporum, sed animorum, oritur tum ex *sponsalibus* inter unum sponsum et consanguineos alterius, tum ex Matrimonio rato inter alterum conjugem et compartis consanguineos.

895. **Dico** 1°. Honestas publica ex *sponsalibus validis*, olim quidem usque ad quartum gradum dirimebat Matrimonium, at hodie ex novo jure Tridentini dirimit tantum usque ad primum gradum. Constat ex Conc. Trid. sess. 24. cap. 3. *de Reform. Matrim.*

Dico 2°. Honestas publica orta ex *Matrimonio rato* dirimit Matrimonium ad quartum gradum inclusive. Constat tum ex praxi Ecclesiæ, tum quia si ex sponsalibus oritur aliqua propinquitas, seu quasi affinitas, *a fortiori* oriri debet ex Matrimonio rato; quæ cum carnalis non sit, jure merito appellatur honestas publica. Dirimit vero ad quartum gradum inclusive, quia ita ferebat jus antiquum, quod Conc. Trid. coarctavit ad primum gradum pro sola honestate publica ex sponsalibus validis orta.—Cf. Baller. not. (a) et (b) p. 794.

896. **Quæsita.**—QUAER. 1°. *An* honestas publica *oriatur ex sponsalibus mutuo consensu vel quavis justa de causa dissolutis?*

RESP. *Affirm.*, et ratio est, quia impedimentum contrahitur statim post inita valide sponsalia, et impedimentum semel inductum non potest auferri ex voluntate sponsorum, vel alia causa superveniente. Ita ex Declaratione S. Congregat. apud S. Alphonsum, n. 1063.

QUAER. 2°. *An oriatur* honestas publica *ex Matrimonio invalido?*

RESP. *Affirm.*, quia ante Conc Trid. honestas oriebatur ex hujusmodi Matrimonio. Concilium vero nihil circa hoc immutavit, quamvis jus antiquum pro sponsalibus de futuro coarctaverit. Sic præterea declaravit S. Pius V. Const. *Ad Romanum*, 1. Jul. 1568.

Excipe 1°. si oriatur invaliditas ex defectu consensus. Hinc non adest impedimentum *publicæ honestatis*, si Matrimonium vel ex errore, vel ex metu, aut cum ficto consensu contractum fuerit.—Cf. S. Alphons. n. 1062.

Excipe 2°. si invaliditas veniat ex priori impedimento publicæ honestatis, orto ex sponsalibus valide contractis; in hoc enim casu non inducitur impedimentum in præjudicium priorum sponsalium.—Cf. S. Alphons n. 1064.

PUNCTUM VI.

De impedimento criminis.

Crimen, quatenus est impedimentum dirimens Matrimonium, triplex est, scilicet 1°. adulterium; 2°. homicidium conjugis; 3°. utrumque simul, modo certæ concurrant conditiones, quas subjicimus.

I.—Adulterium solum.

897. Ad impedimentum ex hoc capite incurrendum requiritur.

1°. Ut adulterium sit *verum, formale, consummatum.* Et primo quidem *verum,* id est, ut saltem alteruter fornicator Matrimonio non mere *putatitio,* sed legitimo ac valido, etiamsi forte non consummato, sit conjunctus. Deinde *formale* et quidem ex utraque parte, id est, ut uterque cognoscat alterutrum esse conjugatum. Tandem *consummatum,* intercedente nempe copula carnali perfecta.

2°. Ut adsit *promissio* Matrimonii futuri, contrahendi scilicet post mortem conjugis. Hæc autem promissio, quamvis non restringatur ad tempus aliquod, sed potest præcedere, comitari, vel sequi adulterium, modo si præcedit non fuerit retractata ante adulterium, debet tamen esse *vera, absoluta,* saltem *acceptata signo aliquo sensibili,* et non per taciturnitatem. Dicitur saltem acceptata, quia controvertitur utrum necessaria sit repromissio.—Quod si non adsit promissio Matrimonii de futuro, sed complices illud de præsenti quocumque modo

etiam clandestine attentaverint, hoc sufficit ad inducendum impedimentum.

3°. Ut tum *promissio* Matrimonii tum *adulterium* fiant *vivente priore conjuge*, seu constante eodem Matrimonio.—Ita ex pluribus locis juris can., v. gr., ex cap. *Si quis vivente*, 5. caus. 31. q. 1. Item ex cap. *Propositum* 1. *de eo qui duxit*, etc.— Cf. S. Alphons. n. 1036. et seqq.—Baller. not (a) (b) (c) etc., p. 796. et 797.

II.—Homicidium solum.

898. Tres conditiones requiruntur, ut ex hoc adsit impedimentum.

1°. *Mutua conspiratio;* unde non sufficit, ut conjux conjugem suum occidat, si persona quacum Matrimonium initurus est, hanc actionem ignorat, aut contradicat, aut ei tandem, quamvis illam noscat, proprie non participet. Ita communiter theologi, ex cap. *Laudabilem* 1. *de Conv. infidel.*—Cf. S. Alphons. n. 1033.

2°. *Intentio Matrimonii.* Ita communiter, quamvis in jure non sit expressum. Ratio est, quia finis legis est, ne quis spe Matrimonii propriam vel alterius conjugem occidat. Satis est autem ut Matrimonium ab uno tantum e complicibus intendatur. Quidam requirunt, ut intentio illa aliquo modo fuerit alteri manifestata ; sed S. Alphonsus ait sufficere ut indicia quædam hujus intentionis præcesserint, v. gr., familiaritates, epistolæ amatoriæ, etc. Ceterum, in foro externo, supposita machinatione seu communi opera ad occidendum, semper præsumitur intentio Matrimonii.—Cf. Baller. not. (b) p. 798.

3°. *Mors realiter secuta* ex actione physica vel morali alterutrius complicis. Patet ex jure canonico.—Cf. S. Alphons. n. 1033. et seqq.

III.—Utrumque simul.

899. Quando crimina adulterii et conjugicidii reperiuntur conjuncta, non requiritur mutua conspiratio ad conjugicidium, nec promissio Matrimonii, sed hæc tria sufficiunt:

1°. Adulterium, quale supra expositum est, quod conjugicidium præcedat; non tamen necesse est, ut præcedat mortis machinationem.

2°. Machinatio mortis ab uno adulterorum ex intentione Matrimonii; sufficit autem, ut hæc intentio ab uno habeatur, etc., etsi S. Alphonsus

insuper requirat *probabilius*, ut hæc intentio alteri manifestetur eodem modo ac superius dictum est.

3°. Mors ex machinatione unius adulterorum secuta, eodem modo ac supra dictum est de solo homicidio. Sic ex eodem jure.—Cf. S. Alphons. n. 1036.—Gousset, n. 824.—Carriere, n. 739.

Hoc impedimentum, quod propter duplex crimen unitum vocatur *utrumque simul*, unicum constituit impedimentum. Contra vero si et adulterium et homicidium suas proprias conditiones separatim habeant, uti superius expositæ sunt, duplex inferunt impedimentum.

900. Hæc omnia sic paucioribus verbis memoria teneto:

1°. *Adulterium* cum promissione Matrimonii ab altero acceptata.

2°. *Homicidium* ex communi conspiratione et cum intentione contrahendi, saltem ab uno habita, et manifestata.

3°. *Utrumque simul* intuitu Matrimonii, sed sine conspiratione et Matrimonii promissione.

Cum hoc criminis impedimentum sit juris ecclesiastici, locum non habet inter infideles, uti ex communi doctrina innuit S. Alphonsus n. 1037., etiamsi dein ad fidem veniant. Contra vero fidelis, qui complicem habeat infidelem, illud contrahit, atque infideli communicat, ideoque cum ipso ad fidem converso Matrimonium inire non potest. Constat ex cap. *Laudabilem* 1. *de Convers. infidel.*—Accedit resolutio data a S. Cong. de Prop. Fide, 23. Aug. 1852. apud Cretoni, vol. 2. p. 459.

PUNCTUM VII.

De impedimento disparitatis cultus.

901. Disparitas cultus hic intelligitur proprie disparitas, quæ inter baptizatum et non baptizatum intercedit: attamen etiam de disparitate cultus inter baptizatos Matrimonium contrahentes, seu de *matrimoniis mixtis* dicemus. Prima vocatur simpliciter impedimentum *disparitatis cultus;* altera *mixtæ religionis.*

902. **Dico** 1°. *Cultus disparitas*, quæ est inter baptizatum et infidelem seu non baptizatum, Matrimonium efficit invalidum. Ita ex jure non scripto, id est consuetudine vim legis habente: "Omnes sentiunt," inquit Benedictus XIV. in Const. *Salutari nobis* ad Card. Eboracensem, § 10. "ob cultus disparitatem irrita Matrimonia esse

non quidem jure sacrorum Canonum, sed generali Ecclesiæ more, qui pluribus abhinc annis viget, ac vim legis obtinet."—Cf. S. Alphons. n. 1044.

Dico 2. Diversitas autem religionis inter baptizatos non constituit impedimentum dirimens. Nam nulla lege aut consuetudine irrita declarantur Matrimonia inter catholicos et hæreticos: at constituit certe impedimentum impediens. Eruitur tum ex praxi Ecclesiæ, quæ fideles ab istis Matrimoniis semper maxima sollicitudine avertit, tum ex Declaratione expressa Benedicti XIV. qui Const. quæ incipit *Matrimonia*, 4. Nov. 1741. hæc connubia vocat *detestabilia, quæ sancta Mater Ecclesia perpetuo damnavit atque interdixit.*

Quare Patres Baltimorenses hortantur "animarum pastores ut semel saltem in anno . . . gravi sermone greges sibi commissos mala quæ ex iis pullulant edoceant."—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. n. 334. et 336.— S. Alphons. n. 1044.

903. **Quæsita.**—Quaer. 1°. *Ex quonam jure provenit duplex hoc impedimentum, dirimens nempe, et impediens?*

Resp. Certum est impedimentum *disparitatis cultus*, qua dirimens est, a solo jure ecclesiastico pendere. Etenim prioribus Ecclesiæ sæculis hoc impedimentum non existebat, et plura Matrimonia hujusmodi approbata leguntur in historia ecclesiastica, ut Matrimonium S. Monicæ cum Patricio, S. Cæciliæ cum Valeriano, S. Chlotildis cum Chlodeveo adhuc ethnico, etc. . . . Verum impedimentum *mixtæ religionis*, et etiam *disparitatis cultus*, qua impediens est, provenit tum ex jure naturali, et divino, tum ex jure ecclesiastico; ac proinde sine gravi causa, et promissione adhibendi cautiones, quibus periculum pro parte catholica et prole removeatur, Ecclesia nunquam dispensat, nec dispensare potest. Constat ex Instr. S. Pont. Pii IX. ad omnes Archiepiscopos, Episcopos, etc. super impedimento mixtæ religionis, data die 15. Nov. 1858. ubi dicitur: "Quæ quidem cautiones remitti seu dispensari nunquam possunt, cum in ipsa naturali ac divina lege fundentur, quam Ecclesia, et hæc Sancta Sedes sartam tectamque teneri omni studio contendit, et contra quam sine ullo dubio gravissime peccant, qui promiscuis hisce nuptiis temere contrahendis, se ac prolem exinde suscipiendam perversionis periculo committunt."—Cf. *Conc.*

Plen. Balt. II. Append. p. 311.—*Acta S. Sedis*, vol. 6. p. 456.—Sanchez, lib. 7. disp. 71. n. 7.

QUAER. 2°. ***Quibusnam competit facultas ab utroque hoc impedimento dispensandi?***

RESP. Soli Romano Pontifici, ut expresse declaratur in Instructione nuper citata, exclusis omnino Episcopis, nisi hanc a Summo Pontifice facultatem obtinuerint, quæ tamen Episcopis Galliæ, licet instantissime postulantibus, a S. Sede nunquam fuit pro universitate casuum concessa, prout testatur Pius VII. in Litteris *Vix nova*, die 17. Feb. 1809.

Episcopis autem nostris, utpote degentibus in locis Missionum, utraque hæc facultas conceditur intra quosdam limites, sequenti tenore:—"Dispensandi cum subditis, exceptis Italis de quibus non constat Italicum domicilium omnino deseruisse, atque excepto insuper casu Matrimonii cum viro vel muliere judæis, super impedimento disparitatis cultus quatenus sine contumelia Creatoris fieri possit, et dummodo cautum omnino sit conditionibus ab Ecclesia præscriptis ac præsertim de amovendo a Catholico conjuge perversionis periculo, deque conversione conjugis infidelis pro viribus curanda, ac de universa prole utriusque sexus in Catholicæ Religionis sanctitate omnino educanda: servata in reliquis adjecta instructione typis impressa.

"Dispensandi cum suis subditis, exceptis Italis, de quibus non constat Italicum domicilium omnino deseruisse, super impedimento impediente mixtæ Religionis, dummodo cautum omnino sit conditionibus ab Ecclesia præscriptis, prout supra dictum est.

"Dispensandi in Matrimoniis mixtis jam contractis, non item in contrahendis, super gradibus consanguinitatis et affinitatis, super quibus Apostolicam facultatem pro Catholicis jam obtinuit, quatenus pars Catholica, prævia absolutione ab incestus reatu et censuris, cum parte acatholica rite et legitime Matrimonium contrahere de novo possit, prolesque suscepta ac suscipienda legitima declarari, dummodo cautum omnino sit conditionibus ab Ecclesia præscriptis prout supra dictum est."

QUAER. 3°. *Utrum et qua ratione possit sacerdos assistere Matrimoniis mixtis, si obtenta fuerit dispensatio?*

RESP. Obtenta dispensatione, certum est licere Parocho assistere

talibus conjugiis, ut patet ex resp. S. Congreg. Inquis. die 20. Dec. 1838. Ratio autem assistendi, *per se* et *generatim loquendo*, hujusmodi esse debet, ut ea omnia omittantur quibus Matrimonia Catholicorum decorantur. Quare celebrari debent absque proclamationibus, extra ecclesiam, sub qua sacristia comprehenditur, sine Parochi benedictione, sine superpelliceo et stola, etc.—Cf. Rit. Rom. de modo assistendi Matrimoniis mixtis.—*Conc. Plen. Balt.* II. n. 334.—Instr. Pii IX. pluries citatam.—Dicitur *per se*, et *generatim loquendo*, nam in hac ipsa Instructione conceditur Episcopis ut aliquando ad majora damna et mala vitanda valeant dispensare in his *rubricalibus* conditionibus, *exclusa semper Missæ celebratione.*—Quare tunc proclamationes etiam fieri possunt, tum quia sola celebratio Missæ excipitur, tum quia ita fuit rescriptum a Card. Franchi, Præf. Congr. de Prop. Fide ad Archiep. Balt. die 30. Jan. 1875. Sed tunc religionis conjugum mentio nulla est facienda.—Cf. Konings, n. 1598. Quær. 5.

QUAER. 4°. *An sacerdos, salva conscientia, Matrimonio assistere possit, si sponsi ante, vel post, Matrimonium contrahant etiam in ecclesia protestantica, ritu protestantico?*

RESP. *Neg.*, Ita S. Congr. Inquis. die 21. April. 1847.—Ita etiam Patres Baltimorenses, qui sequentia statuerunt: "Nolumus sacerdotes suam operam præstare iis quos noverint ministellum adituros, fœderis Matrimonialis iterandi causa, vel qui fœdere sic inito, absque pœnitentiæ indiciis, benedictionem sacerdotalem petunt."—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. n. 337. et 338.

QUAER. 5°. *An calvinistæ et lutherani degentes in locis, ubi Baptisma dubium et suspectum est, tanquam infideles habendi sint, ita ut inter Catholicos et eos disparitatis cultus impedimentum dirimens adesse censeatur?*

RESP. Ad hanc quæstionem ipsa Congregatio S. O. ita respondit die 17. Nov. 1830:

1°. "Quoad hæreticos, quorum sectæ Ritualia præscribunt collationem Baptismi absque necessario usu materiæ et formæ essentialis, debet examinari casus particularis.

2°. "Quoad alios qui juxta eorum Ritualia baptizant valide, validum censendum est Baptisma. Quod si dubium persistat etiam in primo

casu, censendum est validum Baptisma in ordine ad validitatem Matrimonii.

3°. "Si autem certo cognoscatur nullum Baptisma ex consuetudine actuali illius sectæ, nullum est Matrimonium."

Eadem die SS. D. N. Gregorius divina Providentia PP. XVI. in solita audientia R. P. Assessori S. Officii impertita, resolutionem prædictam ab Eminentissimis latam approbavit.—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. n. 339., et Append. p. 317.

Punctum VIII.

De impedimento vis seu metus.

904. ***Dico*** 1°. Metus *gravis* dirimit certo Matrimonium.—Constat ex pluribus locis juris canonici, et communi consensu Doctorum.—Cf. S. Alphons. n. 1045.

Dico. 2°. Metus *levis*, etiam injustus, Matrimonium non dirimit. Ratio est, 1°. quia metus levis non censetur graviter et efficaciter in consensum influere; 2°. quia ex jure positivo solus metus gravis irritum facit Matrimonium; 3°. quia secus innumera Matrimonia fierent irrita cum maximo societatis detrimento.

905. ***Quæsita.***—Quaer. 1°. *An quicumque metus gravis dirimat Matrimonium?*

Resp. *Neg.*, sed requiruntur sequentes conditiones, scilicet ut incutiatur 1°. a causa externa et libera; 2°. injuste; 3°. ad finem contrahendi Matrimonii.—Cf. S. Alphons. n. 1047.

Quaer. 2°. *Quo jure metus gravis dirimit Matrimonium?*

Resp. Certo de jure ecclesiastico: num autem etiam de jure naturæ disputatur apud theologos, et rationes hinc inde refert S. Alphonsus n. 1054. Ceterum nulla practica utilitas derivari potest a solutione hujus controversiæ. Nam vel est sermo de Matrimonio contrahendo, vel de contracto: si primum, nunquam Ecclesia dispensabit, nisi antea auferatur causa metus; si alterum, nunquam declarabitur invalidum illud Matrimonium, nisi probatum antea fuerit, in foro externo, verificatas fuisse omnes conditiones quas Ecclesia requirit pro metu gravi.—Cf. Baller. not. (c) p. 806.

Punctum ix.

De impedimento ligaminis.

906. ***Dico.*** Ligamen, scilicet vinculum Matrimonii quo conjuges quamdiu vivunt inter se constricti sunt, dirimit certo de jure divino quodcumque aliud Matrimonium, quod unus ex conjugibus attentaret. Ratio est, quia Matrimonium est, saltem de jure divino positivo, *unum* et *indissolubile.*

907. ***Resolves.***—1°. Qui bona fide credit, conjugem esse mortuum, dum reipsa vivit, et ad alias nuptias convolat, non peccat quidem, sed invalide contrahit, et ad priorem conjugem comparentem redire tenetur.

2°. Ad novum Matrimonium ineundum non sufficit sola conjugis absentia, quantacumque sit; sed requiruntur certa et authentica mortis argumenta.—Ita ex jure canonico, cap. *In Præsentia*, 19. *de Sponsal.*

3°. Certitudo moralis a jure requisita non habetur per rumorem etiam publicum, nisi aliquo argumento positivo fulciatur, nec per unicum testem, nisi aliæ adsint conjecturæ, de quibus solius Episcopi est judicare.—Hinc in dubio semper recurrendum est ad Episcopum: hic autem, remanente dubio, Matrimonii celebrationem permittere non potest, sed totam causam, quantum opus est, ad S. Sedem transmittere debet.

4°. Ex speciali jure et ratione, apud nos præsertim, recurrendum est ad Ordinarium cum agitur de Matrimonio ineundo a vagis, et alienigenis.—Cf. Conc. Trid. sess. 24. cap. 7.—Kenrick, n. 193.

Nota.—*Quid agendum sit quando mulier novas nuptias inire cupit ex eo quod maritus militiæ nomen dederit et non sit reversus, videas apud Conc. Plen. Balt. II.* n. 328.—*Consule etiam Acta S. Sedis,* vol. 6. p. 436.

Punctum x.

De impedimento ætatis.

908. Impedimentum *ætatis* consistit in defectu ætatis sufficientis ad Matrimonii officia adimplenda. Dirimit Matrimonium impuberum

de jure ecclesiastico, ut eruitur ex cap. 7. 10. et 14. *de Despons. impub.*, etc.

Pubertas autem habetur ex jure can. pro fœminis anno duodecimo expleto, et pro maribus expleto anno decimo quarto.—Excipitur tamen in jure, *modo malitia non suppleat ætatem;* quod intelligitur de impuberibus ætate, qui jam sunt puberes corporis viribus, seu potentes ad generationem, et aliunde onus vinculi conjugalis satis intelligere possunt.

Punctum XI.

De impedimento clandestinitatis.

909. Matrimonium *clandestinum* dicitur illud, quod contrahitur sine solemnitate ab Ecclesia requisita, nempe sine assistentia Parochi, et duorum saltem testium. Impedimentum istud est de solo jure ecclesiastico, cum fuerit a Concilio Tridentino primitus constitutum.

Multæ hac in re habentur controversiæ apud Canonistas, sed omnes ad duo capita reducuntur: earum autem solutiones, quantum ad nos spectat, in duplici sequenti § innuuntur.

§ I. De vi decreti Concilii Tridentini.

910. Conc. Tridentinum in Decreto *Tametsi* sess. 24. cap. 1. *de Reform.* ita statuit: "Qui aliter quam præsente Parocho, vel alio sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia et duobus vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos præsenti Decreto irritos facit et annullat. Decernit insuper ut hujusmodi Decretum in unaquaque parochia suum robur post 30. dies habere incipiat, a die primæ publicationis in eadem parochia factæ numerandos."

911. ***Quæsita.***—Quaer. 1°. *A quonam et qua ratione fieri debeat promulgatio dicti Decreti?*

Resp. Certe non a Parocho solo, secluso mandato Ordinarii, et ratio est, quia ad hujusmodi promulgationem faciendam requiritur suprema jurisdictio in foro externo qua certe destituitur Parochus. Sufficit autem sola auctoritas Ordinarii ad plenum robur promulgationis cum hæc

fit in parochiis proprie dictis; at controvertitur utrum sufficiat cum agitur de quasi-parochiis, tunc enim aliqui non improbabiliter requirunt speciale Indultum Romani Pontificis.—Certum tamen est factum promulgationis debere esse indubium, et ipsam fieri in singulis parochiis, et quidem vulgari et intelligibili idiomate.

Verum hæc dicta sint de promulgatione quam vocant *formalem*. At adest alia promulgatio quæ dicitur *virtualis*, quæque innititur in ipso facto observationis legis, v. gr., si plures familiæ simul cum proprio Parocho e loco ubi Decretum *Tametsi* antea fuerit solemniter promulgatum et observatum, in novam quandam regionem immigrarent, ibique repetitis vicibus illud observarent. — Porro ita contigisse putandum est de multis locis apud nos, ubi lex clandestinitatis viget, quæque antea fuerant a Gallis aut Hispanis occupata.—Cf. Bened. XIV. *de Synod. diœces.* lib. 12. cap. 5. n. 6.—Kenrick, tract. 21. n. 183. et seqq. —Opuscula, *Points in Canon Law*, et *Counterpoints on Canon Law.*— Konings, n. 1607.

Quaer. 2°. *Quænam sint diœceses et loca, apud nos, ubi Decretum* Tametsi *de facto viget, quæcumque demum sit origo et modus ipsius promulgationis?*

Resp. Hæc quæstio magna adhuc obvolvitur obscuritate, et diversa circumferuntur responsa, et opinandi placita. Certum tamen est 1°. de iis tantum locis moveri posse controversiam, quæ olim fuerant sub Gallorum aut Hispanorum dominatione, et 2°. in dubio utrum lex Tridentina vigeat in aliquo loco, rem dirimendam esse judicio Ordinarii, prout Patres Baltimorenses statuerunt.—Verum ad majorem claritatem,

Dico 1°. Certo decretum *Tametsi* non viget in sequentibus Provinciis ecclesiasticis scilicet 1. *Baltimorensi;* 2. *Neo-Eboracensi;* 3. *Bostoniensi;* 4. *Philadelphiana;* 5. *Oregonii;* 6. *Milwaukiana;* 7. *Cincinnatensi,* excepta Civitate *Detroitensi;* 8. *S. Ludovici,* exceptis Diœcesibus *Vincennes,* et *Kansas City,* necnon ipsa Civitate *S. Ludovici* et quibusdam aliis locis ejusdem Archidiœcesis; 9. *Chicagensi,* exceptis aliquibus partibus Diœcesis *Altonensis.*

Dico 2°. Certo viget 1. in tribus Diœcesibus Provinciæ *S. Francisci;* 2. in tota Provincia *Neo-Aurelianensi,* excepta Diœcesi *Petriculana;* 3. in Diœcesi *Vincennes;* 4. in Civitate *S. Ludovici,* necnon in locis dictis

S. Genovefæ, *S. Ferdinandi*, et *S. Caroli*, Archidiœcesis *S. Ludovici;* 5. in locis dictis *Kaskaskia*, *Cahokia*, et *Prairie du Rocher* Diœcesis *Altonensis*.

Dico 3°. Dubie viget 1. in Provincia *S. Fidei;* 2. in Diœcesi *Petriculana;* 3. in Diœcesi *Kansas City;* 3. in Civitate *Detroitensi*.—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. n. 340.—Kenrick, tract. 21. n. 184.—*Points in Canon Law*, art. 9.—*Counterpoints*, art. 7.

QUAER. 3°. *Utrum et quomodo cessare possit vigor Decreti* Tametsi, *et an expediat ut ubique apud nos cesset?*

RESP. Certo cessare potest ut quæcumque alia lex ecclesiastica, et quidem vel per explicitam et formalem revocationem, ut videtur factum fuisse pro Provincia Oregonii, ubi promulgatio a Missionariis olim facta, annullata fuit a S. Sede anno 1850; vel per simplicem desuetudinem, uti accidit pro Diœcesi S. Augustini.—Utrum autem expediat ut ubique cesset, nostrum non est asserere; sed certum est S. Sedem non annuisse Patribus Baltimorensibus, qui ad uniformitatem inducendam petierant ut eadem disciplina ubique apud nos, hac in re, vigeret, excepta Provincia Neo-Aurelianensi.—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. n. 340.

QUAER. 4°. *An sint valida Matrimonia clandestina hæreticorum inter se, vel mixta, ubi viget lex Tridentina?*

RESP. *Affirm.*, et quidem certo, si sermo sit de iis locis ad quæ extensa fuit Declaratio Bened. XIV. qua an. 1741. summus Pontifex statuit Matrimonia clandestina inita vel ineunda in Hollandia et in fœderatis Belgii Provinciis inter hæreticos, vel inter unam partem hæreticam et alteram catholicam, esse valida.—Porro Declaratio Benedictina extensa fuit postmodum ad plures Europæ regiones, et ad nos quod spectat, constat etiam fuisse extensam ad Provinciam S. Francisci, et ad totam antiquam Louisianam inferiorem et superiorem. Si vero agatur de locis aliis in quibus viget utique Decretum *Tametsi*, sed ad ea non fuerit authentice extensa Declaratio prædicta, *probabiliter* etiam affirmandum esse videtur, præsertim si hæretici socialiter vivant, et in iisdem versentur conditionibus, ac in Hollandia.—Cf. Feije, *de imped. Matrim.* n. 306. et seqq.—Baller. not. (a) p. 811. et not. (a) p. 820.—Kenrick, n. 186.—*Points, et Counterpoints.*

Quaer. 5°. *Quinam sint illi qui veniunt nomine hæreticorum, cum agitur de locis ubi viget Declaratio Benedictina?*

Resp. Solutio patet ex sequenti rescripto S. Officii, 6. Apr. 1859. quod aliis etiam regionibus præter Hollandiam applicari potest et debet. —Proposito dubio: "an pro intelligentia celebris Declarationis Bened. XIV. pro Hollandia comprehendi possint sub nomine hæretici quinque sequentes classes: 1°. illi qui catholice baptizati a pueritia nondum septennali in hæresi educantur ac hæresim profitentur; 2°. qui non tam in hæresi quam ab hæreticis educantur, nulla scilicet vel vix ulla hæreticæ doctrinæ instructione accepta, et cultu non frequentato licet aliquoties participato; 3°. qui adhuc pueri in manus hæreticorum incidentes hæreticæ sectæ adjunguntur; 4°. apostatæ ab Ecclesia catholica ad hæreticam sectam transeuntes; 5°. qui nati et baptizati ab hæreticis adoleverunt quin ullam solemnem hæreseos professionem emiserint, ac velutì nullius religionis, etc.? . . ." S. C. respondit: "Ad effectum Matrimonii supranumeratos comprehendi in laudata Bened. XIV. Declaratione."—Cf. Feije, n. 319.

Quaer. 6°. *An vis legis clandestinitatis sese extendat etiam ad præsentiam testium, ita ut Matrimonium coram Parocho tantum celebratum reputandum sit invalidum?*

Resp. Certe ad validitatem Matrimonii requiruntur duo saltem testes, ut patet tum ex ipso Decreto *Tametsi*, tum ex Epistola Pii VI. ad Episc. Lucionensem. Testes autem isti, quamvis ad liceitatem debeant esse *catholici*, et *libere* assistere, ad validitatem tamen Matrimonii quilibet sufficiunt, sive mares sint, sive fœminæ, sive ætate majores sive minores, sive fideles, sive infideles, sive libere, sive invite ac coacti assistant, modo rationis usum habeant et de contracto Matrimonio testari valeant.—Cf. S. Alphons. n. 1085.—Feije, n. 303.—Kenrick, n. 191.

Quaer. 7°. *An Matrimonia clandestina dicenda sint illicita ubi valide contrahuntur?*

Resp. *Affirm.*, nam fuerunt ubique sub gravi prohibita, et Ecclesia semper ea *detestata est*, ut Patres Tridentini declarant, et Benedictus XIV. evidenter ostendit, *de Synod. diœces.* lib. 8. cap. 12. n. 4.—Possent tamen ubi solum prohibentur, aliquando excusari ob grave periculum vel damnum vitandum etiamsi sit tantum particulare. Quare extra

hunc casum, graviter peccant sponsi si contrahant inter se solos, vel coram magistratu civili, et a *fortiori* si coram ministro acatholico, quia tunc præter clandestinitatem habetur participatio in cultu hæretico.—"Testes etiam adhibendi sunt," ait Kenrick, "sed eorum omissio, si opus sit celare nuptias, nulla videtur culpa."—Cf. Benedict. XIV. loc. cit.—Kenrick, n. 192.

§ II De assistentia Parochi.

912. ***Dico*** 1°. Ille solus Parochus Matrimonio valide assistere potest, qui est proprius Parochus utriusque, vel alterutrius tantum contrahentium, et idcirco qui in utrumque vel saltem in alterutrum jurisdictionem habet. — Jurisdictio autem Parochi constituitur per domicilium vel quasi-domicilium contrahentium vel eorum alterutrius in sua parochia.—Ita ex multis Declarationibus apud Benedict XIV.

Dico 2°. Requiritur et sufficit ad Matrimonii validitatem ut Parochus sit moraliter præsens, sicut testis qui de re peracta testimonium perhibere debet, ac proinde requiritur ut interpelletur et moneatur de eo quod agere volunt contrahentes. Non est tamen necessarium ut fuerit ad hoc expresse vocatus, aut de intentione contrahentium antea certioratus.—Cf. Benedict. XIV. *de Synod. diœces.* lib. 13. cap, 23. n. 1. et seqq.—Carriere, n. 309.

913. ***Quæsita.***—Quaer. 1°. *Quænam sint conditiones necessariæ ad acquirendum quasi-domicilium ad effectum contrahendi validum Matrimonium?*

Resp. Sicut domicilium constituitur facto habitationis, et animo manendi alicubi perpetuo, ita pariter duæ requiruntur conditiones ad constituendum quasi-domicilium, nempe animus permanendi alicubi per majorem, vel ut aliqui volunt, per notabilem anni partem, et factum habitationis, scilicet accessio ad locum quo quis ita manere intendit. Quapropter supposita habitatione in aliquo loco, si præterea legitime constet vel ambos vel alterutrum ex sponsis animum habere permanendi per majorem anni partem, ex ea prima die qua duo hæc simul concurrunt, nimirum et hujusmodi animus et actualis habitatio, judicandum est quasi-domicilium acquisitum fuisse, et Matrimonium quod proinde contrahatur esse validum.—Verum si de prædicto animo non constat, ad indicia recurrendum est quæ præsto sint, quæque moralem

certitudinem pariant. Et quia in re occulta et interna difficile est hujusmodi indicia habere quæ judicem securum faciant; inde est quod adhiberi maxime debet regula a S. Pontifice Benedicto XIV. confirmata, ut scilicet inspiciatur utrum ante Matrimonium spatio saltem unius mensis vel ambo vel alteruter in Matrimonii loco habitaverint. Quare habitatio hæc menstrua sicut aliquando non sufficit, si sola inspiciatur, ad constituendum quasi-domicilium, ita sæpe non requiritur, quia non est conditio ad illud constituendum, sed tantum indicium aliquod intentionis permanendi par majorem anni partem, aut potius præsumptio juris in favorem hujusmodi intentionis. At si præsumptio hæc juris contrariis elidatur probationibus, quibus certo ac liquido constet prædictum animum nullo modo extitisse, tunc profecto contrarium proferri debet judicium, quia præsumptio cedere debet veritati.—Ita fere totidem verbis ex instructione data Episcopis Angliæ, et horum Fœderatorum Statuum, die 7. Junii 1867., et nuper ad Episcopos Hiberniæ transmissa.—Cf. *Revue des sciences eccles.* Fevrier, 1881. p. 187.—O'Kane, n. 1021. et seqq.—*Irish eccles. Record.* Nov. et Dec. 1883. et Feb. 1884.—Baller. not. (a) p. 824. et (b) p. 811.

QUAER. 2°. *An valeat Matrimonium eorum qui discedentes ex loco ubi receptum est Decretum Conc. Trident., contrahunt in loco ubi non est receptum, quin ullam obtinuerint veniam a proprio Parocho?*

RESP. Invalide contrahunt si discedant in fraudem legis, hoc est intentione contrahendi clandestine, nisi tamen in loco in quem pergunt habeant vel acquirant quasi-domicilium, quia vi hujus domicilii omnibus privilegiis incolarum gaudent. Et hoc valet etiamsi e patria domicilium illuc transtulerint eo fine ut ibi clandestine contrahant; quia ibi fraus non est, cum nemini prohibitum sit domicilium mutare, vel primum retinendo novum acquirere.—Constat ex Decreto Urbani VIII. ann. 1627.—Cf. S. Alphons. n. 1080.—Feije, n. 338.

QUAER. 3°. *An valeat Matrimonium eorum qui discedentes e loco ubi non viget Decretum* Tametsi, *contrahunt clandestine in loco ubi viget?*

RESP. *Neg.*, etiamsi contrahant transeundo tantum, quia hic agitur de lege generali Ecclesiæ: ex generali autem principio exemptio a jure communi est localis non vero personalis; qui ergo in loco ubi lex Tridentina non viget domicilium habent, exemptione uti tantummodo

possunt, quamdiu eo in loco sunt, ac proinde si alio commigrant ubi jus commune viget, juri communi subjiciuntur.—Neque dicas Parochum loci in quo contrahitur Matrimonium non esse Parochum proprium contrahentium, cum hi non supponantur acquisivisse ibi quasi-domicilium, nam respondetur semper valere axioma: *locus regit actum.*—Cf. S. Alphons. n. 1080.—O'Kane, n. 1011. et seqq.

QUAER. 4°. *An valide contrahant clandestine sponsi, quorum unus habet domicilium in loco ubi receptum est Decretum Conc. Trid. et alius ubi non est receptum?*

RESP. *Neg.*, si contrahant in loco ubi viget Decretum, et deducitur *a fortiori* ex ratione allata in quæsito præcedenti.—At secus omnino dicendum, si contrahant in loco ubi non est receptum Decretum Tridentinum. Ratio est, quia sponsus hujus loci lege Concilii non tenetur, et privilegium suum alteri communicat propter individuitatem contractus.—Ita Benedict. XIV. *de Synod. diœces.* lib. 6. cap. 6. n. 12.—Ita etiam Clement. XIII. ann. 1767. in respons. *ad Archiep. Mechlin.*

QUAER. 5°. *Quid dicendum de Matrimonio vagorum et peregrinorum, an scilicet contrahere possint coram quolibet Parocho?*

RESP. *Quoad vagos,* certum est valide contrahere posse coram quolibet Parocho, quia nullum habent qui sit proprius; et hoc intelligendum sive ambo contrahentes sint vagi, sive unus tantum, quia tunc vagus privilegium communicat alteri contrahenti.—Vagus autem dicitur qui suum domicilium totaliter et absolute reliquerit, quin novum acquisierit, sive velit illud acquirere, et de eo inquirat, sive non; et si inquirat, sive destinaverit ubi sedem suam sit collocaturus, sive non destinaverit.—Cf. Sanchez, *de Matrim.* lib. 3. disp. 25. n. 1. et. 4.—Baller. not. (b) p. 825.

Quoad peregrinos autem major est difficultas, et non parum controvertitur. Supponitur nempe sponsos ambos unicum habere domicilium illudque in loco ubi receptum est Decretum *Tametsi,* et exinde vel simul vel separatim discedere iter faciendi causa, absque animo acquirendi quasi-domicilium, et insuper absque intentione contrahendi alibi Matrimonium, scilicet absque fraude. Cum pervenerint ad locum ubi non viget lex clandes tinitatis, subito amore capti, Matrimonium contrahunt clandestine.—Porro multi dicunt hoc Matrimonium esse invalidum, quia non est contractum coram proprio Parocho ab iis qui eo gaudent,

et ipsius jurisdictioni adhuc subjiciuntur. At plures alii stant pro validitate, quia peregrini non tenentur legibus proprii territorii, nec aliunde fraus ulla intercessit.—Cf. Baller. not. (a) p. 812.—*Acta S. Sedis*, vol. 7. p. 557. et seqq.—O'Kane, n. 1004.

QUAER. 6°. *An excuset ab impedimento clandestinitatis impotentia ad proprium Parochum recurrendi?*

RESP. *Affirm.*, modo verificentur sequentes conditiones: 1°. quod adsit impossibilitas recurrendi *tum* ad Parochum, *tum* ad Episcopum; 2°. quod neque *personaliter*, neque *per litteras* possit haberi hujusmodi recursus; 3°. quod impotentia hæc, sive physica sive moralis, sit *communis* in aliqua provincia, v. gr., durante perturbatione aliqua politica vel religiosa.—Ratio 1ae. et 2ae. conditionis est, quia secus non habetur proprie vera impotentia observandi legem. Ratio autem 3ae. est, quia si lex obligaret in tali casu, esset bono communi nociva, et in detrimentum societatis vergeret, nam Matrimonia evaderent simpliciter impossibilia.—Quod si impotentia hæc casus particulares tantum respiceret, aliquibus videtur probabilis sententia eorum qui tenent tunc etiam legem cessare. At juxta *communem doctrinam* contraria sententia omnino tenenda videtur, quia hic agitur de lege irritante, quæ certe non cessat propter incommodum aliquod particulare.—Neque dicas hoc principium non esse solidum, ex eo quod potest quandoque confessarius vel Parochus, interveniente periculo infractionis sigilli aut scandali, declarare impedimentum aliquod dirimens non amplius locum habere; nam respondetur hunc casum esse unicam exceptionem quam theologi referunt, et quam Ecclesia implicite approbat, cum cognoscat ita communiter doceri.—Cf. Benedict. XIV. *de Synod. diœces.* lib. 12. cap. 5. n. 5.—Feije, *de imped. Matrim.* n. 303.—Baller. not. (a) p. 815.

QUAER. 7°. *An statim a prima die qua hujusmodi communis impotentia incipit, possint valide contrahi Matrimonia absque præsentia Parochi?*

RESP. Nuper a Congr. Supr. Inquisitionis decretum prodiit quo declaratur, facultatem celebrandi valide ac licite Matrimonium, cum duobus testibus sine præsentia Parochi, tunc adesse quando *per spatium mensis* tutus non sit ad eumdem accessus. Unde fit ut quando prudenter censeri queat *intra mensem* non affore facultatem tuti accessus

ad Parochum jam ex tunc et alia mora non interposita, ea forma Matrimonium valide et licite contrahi possit.—Cf. Baller. loc. cit., et Feije, ibid.

QUAER. 8°. *An valide assistat Parochus vi et metu coactus?*

RESP. *Affirm.*, quia sufficit de jure ut sit præsens, et sciat quid fiat sive volens sive nolens; imo etiamsi affectet non intelligere, v. gr., claudendo oculos, obturando aures, conando aufugere, etc. Ratio est, quia in tali etiam casu verificatur Parochum fuisse a sponsis adhibitum, et ipsum posse de contrahentium consensu testificari.—Cf. Benedict. XIV. *de Synod. diœces.* lib. 13. cap. 23. n. 1.—S. Alphons. n. 1092.—Baller. not. (b) p. 828.

PUNCTUM XII.

De impedimento impotentiæ.

914. Impedimentum impotentiæ consistit in incapacitate exercendi copulam carnalem per se aptam ad generationem. Hæc autem incapacitas multiplex est, scilicet: 1°. *certa* vel *dubia;* 2°. *antecedens*, vel *consequens*, prout Matrimonium præcedit, vel illud subsequitur; 3°. *temporalis* vel *perpetua*, prout lapsu temporis aut arte tolli potest, vel non potest; 4°. *naturalis*, vel *accidentalis*, prout oritur ex vitio intrinseco, vel a causa iutrinseca, v. gr., maleficio; 5°. *absoluta*, vel *respectiva*, prout existit inter virum et omnes mulieres, vel inter virum et aliquam mulierem determinatam, aut vice versa.

915. ***Dico.*** Impotentia dirimit Matrimonium, et quidem ex ipso jure naturæ, si est *antecedens et perpetua* sive absolute, sive relative; at si est *consequens*, vel *antecedens temporalis* Matrimonium non dirimit. Ratio *primi* est, quia stante impotentia antecedenti et perpetua, deficit ipsum objectum contractus matrimonialis. Ratio autem *secundi* est, quia actualis usus matrimonii non pertinet ad ejus essentiam, et sufficit ut consummatio vel fuerit possibilis tempore contractus vel futura sit possibilis. Constat etiam ex jure canon. lib. 4. Decret, per totum tit. 15. *de frigidis.*—Cf. S. Alphons. n. 1095.

916. ***Resolves.***—1°. Non est confundenda impotentia cum sterilitate, steriles enim non sunt ad actum conjugalem impotentes; hinc valide contrahunt senes qui matrimonium consummare valent: item

mulieres quæ possunt semen excipere, etsi illud non retineant.—Cf. S. Alphons. n. 1015.

2°. Impotentes reputantur eunuchi seu spadones utroque testiculo destituti, vel qui eos contusos habent, ut patet ex Declarat. Sixti V. ann. 1587. quæ incipit "*Frequenter in istis regionibus.*" Secus vero si uno tantum careant, quia tunc possunt verum semen emittere.—Cf. Sanchez, lib. 7. disp. 104. n. 17.

3°. In dubio de impotentia antecedenti standum est pro valore Matrimonii, et conjugibus copulam experiri permittendum est. Imo ad hoc triennium ipsis a jure canonico conceditur, non obstante majore probabilitate pro impotentia perpetua. Verum ad impotentiam demonstrandam opus non est triennali hoc experimento, quando suppetant tutiora media ad judicium ferendum. Ejusmodi tutiora media sunt depositiones conjugis impotentiam alterius affirmantes, testimoniis opportunis confirmatæ, et peritorum et obstetricum judicium post physicum examen rite peractum.—Cf. *Acta S. Sedis*, vol. 7. p. 118.

4°. In dubio de impotentia consequenti, licet pariter conjugibus copulam experiri, usquedum certi omnino sint eam perfici nullo modo posse. Quæ quidem certitudo raro admodum haberi potest, nam juxta principia in medicorum scholis communiter nunc recepta, quamvis necessarium sit ut vir seminalem humorem effundat, non tamen requiritur ut illum injiciat in interiores usque fœminei organi partes : sed satis est quod ejusmodi humor ad externam vaginæ superficiem, ingressumque applicetur.—Cf. Baller. not (a) p. 830.—Varceno, vol. 2. p. 342.

MONITUM. — Summopere caveat confessarius, ne in re adeo gravis momenti, ac tot difficultatibus obnoxia temere procedat, aut quidquam propria auctoritate decernat; sed casum rite examinatum cum omnibus suis circumstantiis ad Ordinarium deferat, cujus tunc erit statuere ac determinare quid in simili negotio fieri oporteat. Imo confessarius prudens ac discretus de impotentia conjuges non interrogabit, neque etiam eos, quos credit impotentes, præmonebit; neque ipsis ea de re consulentibus ultimo respondebit, nisi ipse prius consuluerit Episcopum. —Ita Card. Gousset, n. 791.

Punctum XIII.

De impedimento raptus.

917. ***Dico.*** *Raptus*, scilicet violenta abductio mulieris de loco tuto in alium, ubi sub potestate raptoris detineatur Matrimonii ineundi causa, dirimit de jure ecclesiastico Matrimonium inter raptam et raptorem, sive hic per se fœminam abducat, sive per alios. Constat ex Conc. Trid. sess. 24. cap. 6.— Plures tamen requiruntur conditiones ad raptum proprie dictum incurrendum, scilicet: 1°. ut mulier rapta abducatur de loco in locum, nempe, de domo in domum, et non tantum de cubiculo in cubiculum, quia secus non proprie constitueretur sub potestate raptoris; 2° ut *fœmina* et non *vir* abducatur, et quidem Matrimonii ineundi causa, non autem ad libidinem explendam, etc., quia Ecclesia hoc impedimento nihil aliud intendit nisi favere libertati fœminarum in Matrimoniis ineundis; 3°. ut raptus fiat muliere repugnante seu omnino invita, sive per vim cæteroquin sive metum vel dolum abducatur, quia secus non haberetur proprie violentia. —Cf. Baller. not. (b) et (c) p. 832.

918. ***Quæsita.***—Quaer. 1°. *An impedimentum inducat raptus* seductionis, *seu cum mulier inducitur muneribus, blanditiis, etc. ad raptorem sequendum?*

Resp. *Neg.*, quia Ecclesia per impedimentum raptus intendit tantum consulere libertati Matrimonii, quæ non læditur cum mulier consentiens abducitur, etiam invitis parentibus. Excipe tamen nisi in muneribus largiendis et promittendis interveniat dolus et fraus, prout forte supponunt aliquæ Declarationes S. Congr. Conc. quibus innituntur patroni sententiæ affirmantis.—Cf. S. Alphons. n. 1107.—*Analecta Jur. Pont.* vol. 4. p. 1848. et seqq.

Quaer. 2°. *An incurratur impedimentum, si Matrimonium fiat postquam mulier a potestate raptoris fuerit liberata?*

Resp. *Neg.*, et ratio est, quia fœmina facta sui juris, et cessante violentia, non amplius habetur *actualis raptus* prout requiritur a Conc. Tridentino. Notandum tamen impedimentum istum existere si mulier Matrimonium contraheret dum remanet sub potestate raptoris, etiamsi libere omnino consentiat.—Quare in facultatibus Episcopis nostris con-

cessis apponitur clausula: "Dummodo mulier rapta non fuerit, vel si rapta fuerit in potestate raptoris non existat."—Cf. S. Alphons. n. 1032.—*Acta S. Sedis*, vol. 1. p. 15. et seqq.

QUAER. 3°. *An exequentes raptum pro alio, incurrant hoc impedimentum?*

RESP. *Neg.*, quia non sunt proprie raptores, quamquam hi pœnas latas contra raptores incurrere possint.—Cf. Varceno, vol. 2. p. 343.—Baller. not. (a) p. 832.—*Acta S. Sedis*, vol. 9. p. 519.

§ III. De dispensatione ab impedimentis Matrimonii dirimentibus.

PUNCTUM I.

De potestate dispensandi.

919. ***Dico*** 1°. Papa dispensare potest ab omnibus impedimentis juris ecclesiastici, *valide* quidem in omni casu, quia tota vis impedimenti provenit ab ipsius voluntate; *licite* autem si justa de causa id faciat, prouti recta gubernatio requirit.

Dico 2°. Episcopi nec licite, nec valide possunt a dictis impedimentis dirimentibus dispensare. Ratio est, quia Episcopi nihil possunt contra jus commune ecclesiasticum, nisi ex expressa concessione R. Pontificis, aut ex legitima consuetudine. Porro ex neutro capite jus dispensandi in talibus impedimentis sibi vindicare possunt Episcopi, ut patet tum ex praxi Ecclesiæ tum ex variis Declarationibus S. Congr. et præsertim Pii VII. ann. 1809. in Rescripto ad Episcopos Galliæ.

Verum ista dicta sint de *potestate ordinaria*, et de *jure proprio;* nam *per accidens* seu potestate extraordinaria possunt Episcopi dispensare non solum in impedimentis dubiis sive *facti*, sive *juris* (etsi cum agitur de dubio *juris* nulla proprie requiratur dispensatio), sed etiam in impedimentis certis occultis si adsit periculum in mora, et sermo sit de impedimentis in quibus Papa solet dispensare. Præterea Episcopi nostri ex *jure delegato* amplissimis gaudent facultatibus, quas videas ad calcem.—Cf. S. Alphons. n. 1122., et Append. 2. *de privileg. Episcop.* n. 55. et 56.

920. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *Quænam sunt impedimenta in quibus Papa ipse nullam proprie dare potest dispensationem?*

RESP. Sunt quatuor sequentia, *error, consanguinitas in primo gradu lineæ rectæ, ligamen*, et *impotentia*, quia hæc sunt *certo* de jure naturali et divino. Potest tamen propter urgentissimas causas *declarare* in casu aliquo particulari validum esse Matrimonium, non obstante aliquo impedimento de quo dubitatur utrum sit de jure naturali seu divino, prout de facto declaravit Clemens XI. et Urbanus VII.—Cf. S. Alphons. n. 902 et 1119.—Varceno, vol. 2. p. 346.

QUAER. 2°. *An si sponsi sint diversæ diœcesis, dispensatio obtinenda sit ab utroque Episcopo, si uterque ex Indulto speciali facultate dispensandi gaudeat?*

RESP. *Neg.*, probabiliter, nam cum Episcopus aufert a suo subdito impedimentum, eum habilem reddit ad contrahendum cum alio impedito; unus enim fieri nequit habilis ad contrahendum cum altero, nisi etiam iste fiat habilis ad contrahendum cum illo. Hæc sententia cum sit solide probabilis, et ut talis habeatur a S. Alphonso, licet eam deducere in usum ex generali principio quod si quid desit, Ecclesia supplet.—Cf. S. Alphons. n. 1142.—Varceno, vol. 2. p. 347.—*Acta S. Sedis*, vol. 2. p. 670.

PUNCTUM II.

De causis dispensationis.

921. ***Dico*** 1°. Ad *liceitatem* dispensationis semper requiritur causa sive ex parte concedentis, quicumque ille sit, sive ex parte petentis. Ratio desumitur ex eo quod secus potestas non adhiberetur ad recte gubernandum. Constat præterea ex Conc. Trid. sess. 24. cap. 5. *de Reform. Matrim.* ubi dicitur: "In Matrimoniis contrahendis vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro, idque ex causa et gratis concedatur."

Dico. 2°. Ad *validitatem* dispensationis requiritur ut nulla habeatur subreptio vel obreptio cadens in causam motivam seu finalem aut etiam nulla simpliciter essentialis, scilicet suppressio veri aut expressio falsi circa ea quæ jure, consuetudine aut stylo Curiæ Romanæ necessario aperienda sunt.— Ratio est, quia superior non censetur dispensare nisi sub tacita conditione *si preces veritate nitantur.*— Cf. Feije, n. 649.

922. ***Quæsita.*** — QUAER 1°. *Quænam sint causæ justæ, scilicet canonicæ, ut dispensetur in impedimentis dirimentibus?*

Resp. Ad tollendum omne dubium hac super re, S. Congr. de Prop. Fide recenter *Instructionem* edidit, ubi causas istas ita enumerat:

"1. *Angustia loci* sive absoluta sive relativa (ratione tantum Oratricis), cum scilicet in loco originis, vel etiam domicilii cognatio fœminæ ita sit propagata, ut alium paris conditionis, cui nubat, invenire nequeat, nisi consanguineum vel affinem, patriam vero deserere sit ei durum.

"2. *Ætas fœminæ superadulta*, si 24^{m}. scilicet ætatis annum jam egressa hactenus virum paris conditionis, cui nubere possit, non invenit. Hæc vero causa haud suffragatur viduæ, quæ ad alias nuptias convolare cupiat.

"3. *Deficientia aut incompetentia dotis*, si nempe fœmina non habeat actu tantam dotem, ut extraneo æqualis conditionis, qui neque consanguineus neque affinis sit, nubere possit in proprio loco, in quo commoratur. Quæ causa magis urget, si mulier penitus indotata existat, et consanguineus vel affinis eam in uxorem ducere, aut etiam convenienter ex integro dotare paratus sit.

"4. *Lites super successione bonorum jam exortæ*, vel *earumdem grave* aut *imminens periculum*. Si mulier gravem litem super successione bonorum magni momenti substineat neque adest alius, qui litem hujusmodi in se suscipiat, propriisque expensis prosequatur, præter illum qui ipsam in uxorem ducere cupit, dispensatio concedi solet; interest enim Reipublicæ, ut lites extinguantur. Hinc proxime accedit alia causa, scilicet, *Dos litibus involuta*, cum nimirum mulier alio est destituta viro, cujus ope bona sua recuperare valeat. Verum hujusmodi causa nonnisi pro remotioribus gradibus sufficit.

"5. *Paupertas viduæ*, quæ numerosa prole sit onerata, et vir eam alere polliceatur. Sed quandoque remedio dispensationis succurritur viduæ ea tantum de causa, quod junior sit, atque in periculo incontinentiæ versetur.

"6. *Bonum pacis*, quo nomine veniunt nedum fœdera inter regna, et Principes, sed etiam extinctio gravium inimicitiarum, rixarum, et odiorum civilium. Hæc causa adducitur vel ad extinguendas graves inimicitias, quæ inter contrahentium consanguineos vel affines ortæ sint, quæque Matrimonii celebratione omnino componerentur; vel quando inter contrahentium consanguineos et affines inimicitiæ graves vigue-

rint, et, licet pax inter ipsos inita jam sit, celebratio tamen Matrimonii ad ipsius pacis confirmationem maxime conduceret.

"7. *Nimia, suspecta, periculosa familiaritas*, nec non *cohabitatio* sub eodem tecto, quæ facile impediri non possit.

"8. *Copula* cum consanguinea vel affine vel alia persona impedimento laborante præhabita, et *prægnantia, ideoque legitimatio prolis*, ut nempe consulatur bono prolis ipsius, et honori mulieris, quæ secus innupta maneret. Hæc profecto una est ex urgentioribus causis, ob quam etiam plebeis dari solet dispensatio, dummodo copula patrata non fuerit sub spe facilioris dispensationis: quæ circumstantia in supplicatione foret exprimenda.

"9. *Infamia mulieris*, ex suspicione orta, quod illa suo consanguineo aut affini nimis familiaris, cognita sit ab eodem, licet suspicio sit falsa, cum nempe nisi Matrimonium contrahatur, mulier graviter diffamata, vel innupta remaneret, vel disparis conditionis viro nubere deberet, aut gravia damna orirentur.

"10. *Revalidatio Matrimonii*, quod bona fide et publice, servata Tridentini forma, contractum est: quia ejus dissolutio vix fieri potest sine publico scandalo, et gravi damno, præsertim fœminæ, cap. 7. *de consanguin.* At si mala fide sponsi nuptias inierunt, gratiam dispensationis minime merentur, sic disponente Conc. Trid. sess. 24. cap. 5. *de Reform. Matrim.*

"11. *Periculum Matrimonii mixti*, vel *coram acatholico ministro celebrandi.* Quando periculum adest, quod volentes Matrimonium in aliquo etiam ex majoribus gradibus contrahere, ex denegatione dispensationis ad ministrum acatholicum accedant pro nuptiis celebrandis, spreta Ecclesiæ auctoritate, justa invenitur dispensandi causa; quia adest non modo gravissimum fidelium scandalum, sed etiam timor perversionis, et defectionis a fide taliter agentium, et Matrimonii impedimenta contemnentium, maxime in regionibus ubi hæreses impune grassantur. Id docuit hæc S. Congregatio in instructione die 17. Apr. 1820. ad Archiepiscopum Quebecensem data. Pariter cum Vicarius Apostolicus Bosniæ postulasset, utrum dispensationem elargiri posset iis Catholicis, qui nullum aliud prætexunt motivum, quam vesanum amorem, et simul prævidetur, dispensatione denegata, eos coram judice infideli conjugium fore inituros, S. Congregatio S. Officii in Fer. IV. 14. Aug. 1822, decre-

vit: 'respondendum Oratori, quod in exposito casu utatur facultatibus sibi in Form. II. commissis, prout in Domino expedire judicaverit.' Tantumdem dicendum de periculo, quod pars catholica cum acatholico Matrimonium celebrare audeat.

"12. *Periculum incestuosi concubinatus.* Ex superius memorata instructione an. 1822. elucet, dispensationis remedium, ne quis in concubinatu insordescat cum publico scandalo, atque evidenti æternæ salutis discrimine, adhibendum esse.

"13. *Periculum Matrimonii civilis.* Ex dictis consequitur, probabile periculum quod illi, qui dispensationem petunt, ea non obtenta, Matrimonium dumtaxat *civile,* ut aiunt, celebraturi sint, esse legitimam dispensandi causam.

"14. *Remotio gravium scandalorum.*

"15. *Cessatio publici concubinatus.*

"16. *Excellentia meritorum,* cum aliquis aut contra fidei catholicæ hostes dimicatione aut liberalitate erga Ecclesiam, aut doctrina, virtute, aliove modo de Religione sit optime meritus."

Quaer. 2°. *Quænam sint necessario exprimenda de jure sub pœna invaliditatis in petitione dispensationis?*

Resp. Hæc etiam ita enumerantur in secunda parte citatæ Instructionis datæ a Congr. de Prop. Fide:

"1. *Nomen et Cognomen* Oratorum, utrumque distincte, ac nitide ac sine ulla litterarum abbreviatione scribendum.

"2. *Diœcesis originis* vel *actualis domicilii.* Quando Oratores habent domicilium extra diœcesim originis, possunt si velint, petere, ut dispensatio mittatur ad Ordinarium diœcesis, in qua nunc habitant.

"3. *Species* etiam *infima* impedimenti, an sit consanguinitas, vel affinitas, orta ex copula licita vel illicita; publica honestas originem ducens ex sponsalibus, vel Matrimonio rato; in impedimento *criminis,* utrum provenerit ex conjugicidio cum promissione Matrimonii, aut ex conjugicidio cum adulterio, vel ex solo adulterio cum promissione Matrimonii: in cognatione spirituali, utrum sit inter levantem et levatum, vel inter levantem et levati parentem.

"4. *Gradus consanguinitatis,* vel *affinitatis,* aut *honestatis* ex Matrimonio rato, et an sit simplex, vel mixtus, non tantum remotior, sed etiam propinquior, uti et linea, an sit recta aut transversa; item an Oratores

sint conjuncti ex duplici vinculo consanguinitatis, tam ex parte patris, quam ex parte matris,

"5. *Numerus impedimentorum*, v. gr., si adsit duplex aut multiplex consanguinitas vel affinitas, vel si præter cognationem adsit etiam affinitas, aut aliud quodcumque impedimentum sive dirimens, sive impediens.

"6. *Variæ circumstantiæ*, scilicet an Matrimonium sit contrahendum, vel contractum; si jam contractum, aperiri debet, an bona fide, saltem ex parte unius, vel cum scientia impedimenti; idem an præmissis denuntiationibus, et juxta formam Tridentini; vel an spe facilius dispensationem obtinendi; demum an sit consummatum, si mala fide, saltem unius partis, seu cum scientia impedimenti.

"7. *Copula incestuosa* habita inter sponsos ante dispensationis executionem, sive ante, sive post ejus impetrationem, sive intentione facilius dispensationem obtinendi, sive etiam seclusa tali intentione, et sive copula publice nota sit, sive etiam occulta. Si hæc reticeantur, subreptitias esse et nullibi ac nullo modo valere dispensationes super quibuscumque gradibus prohibitis consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis, et legalis, nec non et publicæ honestatis declaravit S. Congregatio S. Officii fer. IV. 1. Augusti 1866. In petenda vero dispensatione super impedimento affinitatis primi vel secundi gradus lineæ collateralis, si impedimentum nedum ex Matrimonio consummato cum defuncto conjuge Oratoris vel Oratricis, sed etiam ex copula antematrimoniali seu fornicaria cum eodem defuncto ante initum cum ipso Matrimonium patrata oriatur, necesse non est, ut mentio fiat hujusmodi illicitæ copulæ, quemadmodum patet ex responso S. Pœnitentiariæ diei 20. Martii 1842, probante Greg. XIV. ad Episcopum Namurcensem, quod generale esse, idem Tribunal litteris diei 10. Decembris 1874. edixit."

Facta hujusmodi enumeratione ita prosequitur citata Instructio quæ data fuit die 9. Maii, 1877., et videri potest apud *Acta S. Sedis*, vol. 10. p. 292. "Hæc præ oculis habere debent non modo qui ad S. Sedem pro obtinenda aliqua matrimoniali dispensatione recurrunt, sed etiam qui ex pontificia delegatione dispensare per se ipsi valent, ut facultatibus, quibus pollent, rite, ut par est, utantur."

Quaer. 3°. *An totaliter cessante causa finali dispensationis, cesset dispensatio, v. gr., si mortua fuerit proles per Matrimonium legitimanda?*

Resp. *Neg.*, si causa cesset, dispensatione jam expedita et a delegato supplicantibus communicata, etiamsi cesset ante Matrimonii celebrationem, scilicet ante inchoatum usum dispensationis. Ratio est, quia statim ac dispensatio communicata fuit vel ipsis sponsis, vel alteri personæ, v. gr., Parocho agenti ipsorum nomine, jam impedimentum sublatum fuit. Secus vero dicendum si causa cesset quocumque alio momento ante sublationem impedimenti per receptionem dispensationis, sicut superius dictum est in tract. *de Legibus* n. 104.—Cf. S. Alphons. n. 1132.

Quaer. 4°. *An qui obtenta dispensatione ab impedimento affinitatis ex copula illicita, v. gr., cum consanguinea sponsæ, iterum cum eadem ante Matrimonium peccat, nova indigeat dispensatione?*

Resp. *Neg.*, quodcumque tandem sit tempus quo hujusmodi iteratio copulæ locum habeat, modo sit ante Matrimonium. Ratio est, quia impedimentum affinitatis jam sublatum est per dispensationem quoad effectum contrahendi matrimonium.—Dixi *modo sit ante Matrimonium;* nam, si, contracto Matrimonio rursus peccaverit cum eadem consanguinea uxoris, privatur jure petendi debitum, quia dispensatio juxta stylum Curiæ concessa fuit *ad effectum contrahendi Matrimonium*, non vero ad liberius peccandum.—Indigeret vero nova dispensatione, si peccaret cum alia sponsæ consanguinea ante Matrimonium, etiam post expeditam dispensationem, quia tunc nova affinitas contraheretur.

Quaer. 5°. *An nova requiratur dispensatio, si, obtenta dispensatione ab impedimento* consanguinitatis, *copula* incestuosa *inter sponsos intercesserit?*

Resp. *Affirm.*, si copula habita fuerit ante dispensationis concessionem. Sic ex interpretatione communi, atque ex stylo Curiæ Romanæ hujusmodi incestus declarationem exigente; hoc enim manifestato, Pontifex majorem supplicanti pœnitentiam imponit. Confirmatur ex Declar. S. Congr. mense Maii, 1634. *Negative* tamen respondendum est si copula habita fuerit post communicationem dispensationis, quia concessa dispensatione atque adeo ablata prohibitione Matrimonii, cessat etiam malitia incestus.—Cf. S. Alphons. n. 1141.—Feije, n. 729.

PUNCTUM III.

De modo dispensationem petendi.

923. Ad concedendas dispensationes S. Sedis duo pro varia impedimentorum qualitate tribunalia, scilicet, *Dataria* et *Pœnitentiaria*, Romæ constituta sunt.

I. *Dataria.* Ad Datariam recurrendum est pro omnibus impedimentis notoriis, aut quæ in notitiam aliorum ventura prævidentur, aut quæ sine infamia, scandalo, aliisque incommodis manifestari possunt.

II. *Pœnitentiaria.* Ad S. Pœnitentiariam recurrendum est pro dispensationibus et facultatibus quæ forum internum solum spectant, scilicet, pro impedimentis occultis. In præsens tamen conceditur, ut adeatur Pœnitentiaria etiam pro impedimentis notoriis, quando dispensatio *in forma pauperum* postulatur. In postulato autem, tacitis propriis sponsorum nominibus, ficta nomina apponuntur.

924. *Quæsita.*—QUAER. 1°. *Quomodo petenda sit dispensatio, si adsint duo impedimenta, quorum unum publicum sit, alterum occultum?*

RESP. Si sint omnino *disparata*, recurrendum est ad Datariam pro publico, et ad Pœnitentiariam pro occulto; nec necessarium est, ut mentio fiat apud unum tribunal de dispensatione ab altero tribunali postulata vel obtenta. Censentur autem disparata impedimenta, quando unum non augetur ex altero, ut, v. gr., *consanguinitas* et *votum*, aut *consanguinitas* et *machinatio.*—Si vero non sint *disparata*, petenda est dispensatio impedimenti publici a *Dataria*, tacito altero, quod secretum remanere debet, et utrumque est exprimendum in supplicatione ad Pœnitentiariam; ratio est, quia ex dictis dispensationem difficiliorem reddunt. Habenda vero sunt ut *non disparata*, quando sunt talis rationis, ut conjuncta afferant majorem repugnantiam ad Matrimonium contrahendum, puta, si quis velit ducere consanguineam, cujus sororem turpiter cognovit: tunc enim difficilior redditur dispensatio. Hinc in præfato casu orator petere debet a *Dataria* dispensationem ab impedimento consanguinitatis, et a *Pœnitentiaria* dispensationem ab impedimento affinitatis ex causa illicita, simul exponendo aliam dispensationem a *Dataria* obtentam.—Cf. S. Alphons. n. 1139.

Quaer. 2°. *An recurrendum sit ad Sacram* Pœnitentiariam *ut circumstantia copulæ occulte habitæ inter consanguineos manifestetur?*

Resp. *Affirm.*, et ratio est, quia generatim præscribitur, ut exponatur copula habita inter consanguineos qui Matrimonium inire volunt. Jam vero, cum certum sit non dari obligationem exponendi copulam occultam in petitione ad *Datariam*, quia nemo tenetur sese diffamare, sequitur, copulam occultam saltem secreta manifestatione apud Pœnitentiariam aperiendam esse, ne lex inutilis omnino evadat, et a certa lege absque ulla causa exemptio concedatur. Plures olim oppositum tenebant; sed hodie non est amplius de hoc dubitandum, ait S. Alphonsus post Bullam Benedict. XIV. *Pastor bonus.*—Cf. S. Alphons. n. 1135.

Quaer. 3°. *Quomodo sit exequenda dispensatio?*

Resp. Nulla formula sub pœna invaliditatis aut sub præcepto præscribitur, nulla enim in *Rituali Romano* habetur; attamen

a) Quoad dispensationem S. Pœnitentiariæ, fit post absolutionem his verbis aut similibus: *Auctoritate apostolica dispenso tecum super impedimentum N., quod incurristi, ut Matrimonium inire* (vel initum perficere) *valeas, et legitimam reddo prolem susceptam* (vel suscipiendam). *In nomine Patris,* etc.—Si vero dispensatio sit a voto castitatis, dicitur: *Insuper tibi votum castitatis, quod emisisti, ut valeas Matrimonium contrahere, et illo uti, in opera, quæ tibi præscripsi, dispensando commuto. In nomine,* etc.

b) Quoad dispensationem Datariæ: 1°. Delegatus ad dispensandum debet inquirere de veritate causarum, ut in Rescripto habetur; probabilius tamen hæc informatio ad validitatem non requiritur; 2°. debet declarare coram partibus et testibus, tolli impedimentum Matrimonii, et jubere ut attestatio hujus dispensationis scribatur in registris diœcesis; 3°. debet transmittere Rescriptum Datariæ ad Parochum alterutrius partis cum licentia ut Matrimonio assistere possit.

925. Quæ hactenus dicta sunt spectant modum petendi et exequendi dispensationes juxta stylum et normam Curiæ Romanæ. Verum, ait noster Heiss § 60: "Quia Episcopi in hisce provinciis amplas habent facultates ex delegatione speciali, rarissime eveniet ut applicatio facienda sit immediate ad Datariam vel Pœnitentiariam, sed potius ad Episcopum Diœceseos qui tam de publicis quam de occultis impedimentis

fere cunctis in quibus Dataria et Pœnitentiaria dispensare potest et solet, dispensandi habet facultatem. Sed. . . . Episcopi qui dispensant ex facultate delegata, ne excedant limites delegatæ potestatis, quoad fieri potest, stylum et formas Curiæ Romanæ observare debent et solent."

Quapropter sint sequentia.

926. ***Quæsita.***—Quaer. 1°. *Utrum Episcopi nostri in dispensationibus concedendis teneantur, sub pœna nullitatis, exprimere se dispensare tanquam Sedis Apostolicæ delegatos, et vi Indulti tali die et anno concessi?*

Resp. *Neg.*, et ratio est, quia in facultatibus ipsis concessis non invenitur clausula irritans "*alias nullæ sint*," prout erant ea indulta de quibus agit Benedictus XIV. in Const. *Ad tuas manus*, 2. Aug. 1748.—Constat insuper ex sequenti responso dato a S. R. U. Inq. die 15. Jun. 1875.—Etenim Vic. Gen. S. Ludovici quærenti: "An dispensatio super impedimentis matrimonialibus ab Ordinario hujus regionis juxta consuetas facultates apostolicas concessa, quamvis graviter illicita, tamen valida sit, quando data sit informis, propterea quod tenor facultatis a S. Sede delegatæ, vel tempus ad quod expressa non sint, vel quia telegraphice paucis verbis, vel oretenus tantum concessa sit?"—Responsum est: "affirmative . . . Clausulas vero servandas adamussim esse; quantum tamen, rerum, temporum, locorumque adjuncta ferre possunt."—Cf. *Stat. Synod. diœces. Balt.* an 1876. p. 95.

Quaer. 2°. *An possit apud nos in dispensationibus matrimonialibus concedendis imponi taxa seu componenda?*

Resp. *Neg.*, prorsus, ut constat ex Instr. speciali S. C. de Prop. Fide data 24. Jan. 1868. ubi sub N. 3°. legitur: "Cum vero EE. PP. animadverterint, non obstantibus expressis Ap. Sedis prohibitionibus in formulis facultatum contentis, disputatum fuisse inter Concilii (Baltimorens.) Patres an in concedendis dispensationibus matrimonialibus aliquæ taxæ exigi valeant, et præsertim cum putent easdem alicubi de facto exigi solere, mandarunt ut omnibus Episcopis istarum regionum inculcetur memoratæ præscriptionis observantia qua pro dispensationibus ab impedimentis Matrimonii pecuniam nullo omnino titulo accipiendam esse jubetur; iis tantum exceptis casibus, in quibus Apostolica Sedes eleemosynam oratoribus injugendam monet in pium aliquod opus impendendam."—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. p. cxlii.

Quaer. 3°. *Quomodo practice agendum est Parocho, cum sponsi unum vel plura habentes impedimenta, ad ipsum accedunt et intentionem manifestant Matrimonii proxime ineundi?*

Resp. Plura præstanda sunt, hoc ordine; 1°. Si Parochus nullo modo cognoscit, aut etiam dubitat utrum, quot, et quænam adsint impedimenta, ad interrogationes statim procedere debet, et quidem, si non solum Parochus ipse est sed etiam confessarius sponsorum, aut hic et nunc ab illis ad tale munus sponte eligitur, inquirat in utroque foro de impedimentis tum publicis tum occultis et de iis omnibus quæ necessario aperienda sunt ante Matrimonium. Quod si eorum confessionem hic et nunc aut brevi audire nequeat aut rationabili de causa nolit, eos suaviter inducat ad proprium, si quem habeant, aut ad alium confessarium accedendum, ei manifestaturos circumstantiam proximi Matrimonii: quo peracto munus perfectam inquisitionem faciendi in foro interno ad confessarium spectabit.—Interim vero Parochus, præsertim si animadvertat sponsos ad confessionem non facile accessuros, non omittat aliquas saltem quæstiones ponere quæ forum internum attingant et præsertim de copula incestuosa.—Qua quidem in re prudenter omnino procedat, et sponsum potius quam sponsam separatim interroget. Si sponsus rudis est et procax, clarius loqui poterit, sed si spectatæ conditionis sit et bene moratus, eum proprie non interrogabit, sed potius necessitatem aperiet talia manifestandi.

2°. Detectis impedimentis, Parochus procedere debet ad inquirendum de causis dispensationis, utrum et quænam illæ sint.—Quod si nullæ eæ sint vel futiles, id prudenter declaret sponsis et a Matrimonio contrahendo eos suaviter dissuadeat: si autem non desistant, et animadvertat eos ad ministellum aut civilem magistratum potius adituros, suavius tunc agat, et promittat operam suam præstiturum apud Ordinarium. In isto enim casu periculum contrahendi Matrimonium clandestine, et scandalum inde oriturum sufficiens ratio reputari poterit ad dispensationem impetrandam.

3°. Impedimentis et causis dispensationis cognitis, procedat Parochus ad petitionem dispensationis scribendam juxta diversas formulas pro diversitate casuum inferius ponendas. Quod si impedimenta vel circumstantiæ hujusmodi sint ut secretum requirant, duos scribat supplices libellos seu petitiones, quarum in una vera ponat nomina, in

alia fictitia; atque si in Curia episcopali duo habeantur officiales unus quidem pro occultis, alter pro publicis, prout ubique fieri deberet, ad eos separatim mittat prædictas petitiones; secus aliquo alio medio utatur prout prudentia suggeret, ad secretum servandum.—In hoc autem supplici libello exarando omnia nitide et sincere exponat, juxta ea quæ superius dicta sunt, caveatque ne quid falsi aut ficti ex proprio ingenio inventum ad gratiam facilius obtinendam obtrudat cum animæ suæ detrimento.—Cf. Feije, n. 686. et seqq.—Scavini, lib. 3. n. 923.—Heiss, § 60.—*Statuta Synod. diœces. Balt.* an. 1876. p. 96. et seqq.

FORMULÆ

AD DISPENSATIONES MATRIMONIALES POSTULANDAS.

I.—Ad Datariam.

Ad petendam dispensationem ab impedimento publico super quo Episcopus non possit dispensare.

BEATISSIME PATER,

Joannes *N.* et Anna *N.* e Parochia vulgo dicta *N.* Diœcesis *N.* Matrimonium secum inire cupiunt, at quia obstat impedimentum (hic ponitur impedimentum quodcumque illud sit), ideo dispensationem sibi necessariam a Beatitudine Vestra suppliciter efflagitant. Rationes sunt 1°. *ætas puellæ,* quæ jam viginti quinque annos nata, alium probabiliter non inveniret virum, cui convenienter nubere possit; 2°. *virtutes christianæ* in utroque oratore existentes (ponantur aliæ causæ si adsint).

Sanctitatis Vestræ pedes humillime deosculans, summa, qua par est, reverentia ac devotione permaneo,

Sanctitati Vestræ,

Submississimus, N. N.

Datum *N.* die *N.* anno *N.*

NOTA—1°. *Si oratores sint pauperes, post expositas rationes addatur: Oratores pauperes existunt et miserabiles, et ex proprio labore et industria tantum vivunt.*

2°. *Supplicatio a Parocho oratorum confecta ad Episcopum mitti debet. Episcopus vero vel ejus loco Vicarius generalis, eam testimonio, sigillo, et chirographo episcopali munitam, mittit Romam ad mandatarium suum, qui dispensationem sollicitat, eamque ad Episcopum transmittit.*

II.—Ad S. Pœnitentiariam.

Ad petendam dispensationem in Matrimonio contrahendo.

EMINENTISSIME PRINCEPS,

Exponitur humillime Eminentiæ Vestræ, pro parte oratorum Titii et Caiæ, quod Matrimonium contrahere intendant, sed quod Titius conjugatus, Caiam, vivente adhuc propria uxore Sempronia, carnaliter cognoverit copula perfecta, sibique invicem fidem dederint de Matrimonio inter se contrahendo, si Sempronia uxor Titii præmoreretur, quæ etiam per venenum a Titio propinatum præmortua est. Cum autem ex præmissis impedimentum criminis sit exortum, et exinde Matrimonium nec licite nec valide contrahere possint, supplicant oratores pro gratia dispensationis super isto impedimento criminis, ut publice Matrimonium inter se contrahere, et in eo postmodum licite et libere remanere valeant, prolesque legitima decernatur. Impedimentum omnino occultum est, et urget periculum perseverantiæ in peccato, quin etiam scandali gravis, si Matrimonio legitimo copulari nequeant. Quare pro quiete conscientiæ suæ, de præmissis summe dolentes, Eminentiam Vestram humiliter supplicant ut super his de opportuno remedio ex auctoritate Apostolica providere dignetur.

Eminentiæ Vestræ manus reverenter deosculans, summa qua par est devotione permaneo,

Eminentiæ Vestræ,
Obseqmus et addmus,
N. *N.* Parochus *N.* *N.*

Datum Baltimoræ, *N.* *N.* *N.*

III.—Ad S. Pœnitentiariam.

Ad petendam dispensationem in Matrimonio jam contracto.

EMINENTISSIME PRINCEPS,

Titius conjugatus Caiam, vivente adhuc propria uxore Sempronia, carnaliter cognovit copula perfecta, sibique invicem fidem dederunt de Matrimonio inter se contrahendo, si Sempronia uxor Titii præmoreretur, ac, postquam Sempronia per venenum a Titio propinatum præmortua esset, conscii (vel ignari, vel Titio *conscio*, aut ignaro, aut Caia conscia vel ignara) impedimenti in facie Ecclesiæ præmissis (vel

dispensatis) proclamationibus (aut, nullis præmissis proclamationibus, coram Magistratu civili, aut præcone hæretico) Matrimonium contraxerunt et carnali copula consumarunt (si utraque vel alterutra pars, in bona fide adhuc perseveret, id exprimatur; item num utraque vel alterutra pars impedimenti conscia, nunc a copula abstinet, vel nihilominus in eadem perstiterit). Quare cum impedimentum omnino occultum sit, et separatio sine scandalo fieri nequeat, Eminentiam Vestram humillime oro, ut dispensationem eis benigne indulgeat quatenus valide contrahere possint.

Eminentiæ Vestræ, etc.

NOTA.—*Exterius, signata epistola, inscriptio sic ponatur: Eminentissimo et Reverendissimo D. D. S. R. E. Cardinali Majori Pœnitentiario, Romæ.—Apud nos autem ponatur: Eminentissimo et Reverendissimo D. D. Præfecto S. C. de Propaganda Fide, Romæ.—In utroque tamen casu utile erit epistolam proprio Episcopo dare qui de transmissione curabit.*

Quæ sequuntur formulæ utiles erunt ad petendas dispensationes ab Ordinariis nostris juxta facultates ipsis concessas.

IV.—Ad Episcopum.

Ad petendam dispensationem in impedimento publico.

ILLUSTRISSIME ET REVERENDISSIME DOMINE,

Joannes *N.* et Anna *N.* de hac mea Parochia (vel de Parochia aut Missione *N.*), hujus Diœcesis (vel Diœcesis *N.*) consanguinei in quarto gradu æquali in linea transversali, Matrimonium secum inire cupiunt, et ideo dispensationem sibi necessariam ab Illustrissima Dominatione Vestra suppliciter efflagitant.—Rationes sunt (hic exponantur rationes et circumstantiæ necessario exprimendæ, si quæ adsint).

Dominationis Vestræ manus reverenter deosculans, summa qua par est devotione permaneo,

Illustrissimæ Dominationis Vestræ,
Addmus servus,
N. N. Parochus *N. N.*

Datum *N. N.*

NOTA.—1°. *Si sponsi ad diversas pertineant Diœceses id rectius exprimitur et quidem immediate post nomen gentilitium utriusque. Cæterum convenientius dispensatio postulatur per Parochum sponsæ, si impedi-*

mentum utrique contrahentium sit commune ut est impedimentum consanguinitatis.

2°. *Si gradus consanguinitatis est diversus, aut mixtus, vel plura simul dantur impedimenta publica, omnia, ut patet, sunt clare exprimenda.*

3°. *Si circumstantiæ necessario exprimendæ occultæ sunt, ut copula incestuosa, nequeunt, ut patet, in hoc eodem supplici libello exprimi.*

V.—Ad Episcopum.

Ad petendam dispensationem in impedimento occulto absque ullo periculo lædendi sigillum.

ILLUSTRISSIME, ETC.,

Titius et Caia, vivente adhuc prima Titii uxore, carnaliter se cognoverunt, et sibi fidem invicem dederunt de Matrimonio inter se contrahendo, si uxor Titii præmoreretur; qua modo mortua, neutro tamen oratorum in ejus mortem machinante, Matrimonium inter se contrahere desiderant. Cum autem impedimentum criminis ex adulterio et promissione proveniens sit occultum, et, nisi Matrimonium inter eos contrahatur, periculum immineat scandalorum aut perseverantiæ in peccato, ideo ad hæc vitanda, et pro conscientiæ suæ quiete, supplicant humillime ut Illustrissima Dominatio Vestra gratiam dispensationis sibi clementissime impertiri dignetur.

Dominationis Vestræ etc.

VI.—Ad Episcopum.

Ad petendam dispensationem pro Matrimonio in bona fide cum impedimento de se publico jam contracto.

ILLUSTRISSIME, ETC.,

Exponitur humiliter Illustrissimæ Dominationi Vestræ pro parte devotorum oratorum Joannis *N.* et Annæ *N.* de parochia . . . Diœcesi . . . (vide supra) quod ipsi alias ignorantes aliquod impedimentum inter se existere, quominus possent invicem matrimonialiter copulari, nulloque detecto neque denuntiato impedimento, contraxerunt, illudque in facie Ecclesiæ solemnizarunt, et carnali copula consummarunt. Postmodum vero ad eorum notitiam pervenit eos quarto gradu consanguinitatis attingente tertium esse invicem conjunctos, propter quod a carnali copula abstinuerunt (vel—et nihilominus eadem carnali copula perstiterunt). Cum autem oratores prædicti in hujusmodi Matrimonio

remanere non possint absque dispensatione, et si separatio inter eos fieret, gravia exinde scandala possent oriri, supplicant ut legis ecclesiasticæ venia eis clementissime data, Matrimonium in facie Ecclesiæ inire, et postmodum in eo licite et libere vivere valeant.

Dominationis Vestræ, etc.

VII.—Ad Episcopum.

Ad petendam dispensationem pro Matrimonio in mala fide cum impedimento publico jam contracto.

ILLUSTRISSIME, ETC.,

Exponitur humiliter Illustrissimæ Dominationi Vestræ, nomine Oratorum Joannis *N.* et Annæ *N.* de parochia *N.* Diœcesis *N.* quod ipsi alias scientes se secundo (vel tertio, etc.) consanguinitatis gradu æquali (vel inequali) esse conjunctos, dispensationem ab Illustrissima Dominatione Vestra ad valide inter se Matrimonium contrahendum, dicto impedimento non obstante, postulaverunt; sed repulsam passi, vesana obcæcati libidine coram magistratu civili (vel præcone hæretico) Matrimonium incestuosum contraxerunt ac consummarunt, ex quo jam (ponatur numerus) filios susceperunt. Nunc vero ex Dei gratia, periculum salutis æternæ valde timentes, anteactam vitam deflent et reparare cupiunt. Cum autem si separatio inter eos fieret, gravia exinde orirentur scandala, et magnum damnum pro liberis suis; in Matrimonio autem remanere non possint absque dispensatione, supplicant ut Illustrissima Dominatio Vestra cum ipsis dispensare dignetur quatenus in facie Ecclesiæ, omissis tamen publicis denuntiationibus, Matrimonium invicem, consensu renovato, contrahere, atque in eo licite permanere valeant.

Dominationis Vestræ, etc.

VIII.—Ad Episcopum.

An petendam dispensationem in impedimento occulto, et quidem cum sanatione Matrimonii in radice.

ILLUSTRISSIME, ETC.,

Caia Diœcesis *N.* ignara impedimenti, in facie Ecclesiæ, et præmissis denuntiationibus, bona fide contraxit Matrimonium cum viro a cujus fratre (vel filio) prius carnaliter fuerat cognita. Quare cum

absque scandalo separari non possint, et periculum incontinentiæ subeit, marito putativo impedimenti plane inscio, ac proinde consensus matrimonialis nequeat renovari absque gravi dissidiorum periculo; hinc supplicat humiliter pro remedio dispensationis super hujusmodi impedimento penitus occulto in radice Matrimonii, ita ut absque consensus renovatione Matrimonium sanari valeat.

Dominationis Vestræ, etc.

IX.—Ad Episcopum.

Ad petendam dispensationem super bannis.

ILLUSTRISSIME, ETC.,

Joannes *N.* et Anna *N.* Matrimonium inter se inire cupientes enixe rogant ut sibi concedatur dispensatio super tribus proclamationibus. Rationes sunt (exponantur sincere).

Dominationis Vestræ, etc.

NOTA.—*Si causæ ad petendam dispensationem honestæ non sint, aut saltem non publicæ, non ponantur nomina nisi fictitia.—Titius et Bertha.*

X.—Ad Episcopum.

Ad petendam dispensationem super impedimento mixtæ religionis.

ILLUSTRISSIME, ETC.,

Anna *N.*, catholica, Parochiæ *N.* Matrimonium inire cupit cum Roberto *N.* ex loco *N.* sectæ *N.* addicto (vel acatholico baptizato).—Pars acatholica coram me sub fide juramenti promisit omnes utriusque sexus infantes ex illo Matrimonio nascituros in fide catholica baptizandos et educandos esse, iisque æque ac comparti prorsus liberum fore religionis catholicæ exercitium. Præterea pars catholica spopondit se pro viribus curaturam, ut quantum in ipsa erit, altera pars ad veram Fidem convertatur. Quare humiliter supplicat Illustrisimæ Dominationi Vestræ, ut sibi super eo impedimento dispensationem Apostolica auctoritate concedere dignetur. Causæ sunt (exponantur causæ, v. gr., varii conatus ut oratrix tali Matrimonio renunciet: spes fundata conversionis partis acatholicæ etc.).

Dominationis Vestræ, etc.

CAPUT VII.

DE REVALIDATIONE MATRIMONII.

Matrimonium invalidum esse potest 1°. ob defectum consensus; 2°. ob defectum formæ præscriptæ, scilicet ob clandestinitatem; 3°. ob inhabilitatem partium, inductam vi alicujus impedimenti ecclesiastici. —Hinc:

927. ***Dico*** 1°. Si Matrimonium invalidum est ob solum defectum consensus, certe revalidari potest per simplicem consensus renovationem, ut per se patet. Certum etiam est requiri renovationem consensus utriusque partis, si utraque vere non consensit, et saltem illius quæ non consensit, si una tantum pars ficte egit. Ratio est, quia id tantum nunc necessario poni debet, quod antea deficiebat. Verum quia pauci quidam theologi requirunt renovationem consensus ab utraque parte etiam quando una tantum ficte egit, in praxi præstat tutius consilium eligere, et quoad fieri potest curandum ut consensus ab utroque conjuge semper eliciatur.—Cf. S. Alphons. n. 1114.—Heiss, § 61.

Dico 2°. Matrimonium quod invalidum est ratione clandestinitatis, certo revalidandum est coram Parocho et testibus, nisi obtineatur a Summo Pontifice dispensatio quæ alioquin raro conceditur. Ratio est, quia semper urget lex Tridentina quamdiu illius observantia possibilis est quoad majorem partem communitatis. *Publice* autem aut *occulte* debent conjuges coram Parocho se sistere prout nullitas Matrimonii publica fuerit aut occulta; nam in primo casu scandalum est removendum, in altero vero præcavendum illud est, et fama sponsorum servanda. Quod si una tantum pars velit Parochum adire, et altera recuset, tunc vel inducenda est ut saltem per procuratorem suum consensum renovet coram Parocho, vel si hoc etiam obstinate recuset, recurrendum ad dispensationem in radice. Ita ex Instructione Card. Caprara legati a latere in Galliis.—Cf. Heiss, § 62.

Dico 3°. Ad revalidandum Matrimonium irritum ob inhabilitatem partium inductam ex aliquo impedimento ecclesiastico, ante omnia debet obtineri ejusdem impedimenti dispensatio. Hæc autem dispensatio duplicis est generis: alia dicitur ***simplex***, et alia ***in ra-***

dice. De utraque separatim dicemus, et simul de practica ratione eam applicandi.

ARTICULUS I.

DE REVALIDATIONE MATRIMONII PER DISPENSATIONEM SIMPLICEM.

928. ***Dico.*** Obtenta simplici dispensatione ad Matrimonium revalidandum, conjux qui conscius fuerit impedimenti, sive unus tantum ille fuerit, sive uterque, certo tenetur ad consensum renovandum. Ratio est, quia scientia nullitatis Matrimonii ob notum impedimentum dirimens necessario verum consensum in præcedenti Matrimonii contractu excluserat.

929. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *An pars ignorans impedimentum debeat etiam consensum renovare ad validam Matrimonii redintegrationem?*

RESP. Distinguendum est: certa omnino videtur sententia negans si agatur de impedimento, quod unam tantum partem respiceret; v. g., si fidelis duxisset non baptizatam quæ nullitatem Matrimonii ignorabat. Ratio est, quia consensus infidelis neque jure naturæ fuit vitiatus, ut supponitur, neque jure ecclesiastico, cum Ecclesia non possit imprimere inhabilitatem personalem iis qui ejus subditi non sunt. Verum, extra hunc casum, non parum hinc inde disputatur; et quoniam sententia affirmans valde probabilis est, quia consensus ab initio vitiatus, vitiatus perseverat, nisi corrigatur, in praxi recedendum non est ab hac sententia, nisi obtineatur dispensatio in radice. Excipe tamen si urgeat casus necessitatis, nec facile dispensatio *in radice* obtineri possit; nam in hujusmodi angustiis non est prohibitum uti opinione probabili etiam cum periculo frustrationis sacramenti. Necessitas vero urgens adest, quando ex manifestatione nullitatis Matrimonii alteri parti facta, vel ex separatione conjugum, periculum mortis aut gravis infamiæ vel scandali timeri prudenter potest.—Cf. S. Alphons. n. 1114. et 1115.

QUAER. 2°. *An renovatio consensus prærequirat cognitionem nullitatis Matrimonii?*

RESP. Videtur affirmandum cum sententia communiori. Ratio est, quia renovatio consensus necessario procedere debet ex intentione efficiendi Matrimonium: ille autem qui credit prius Matrimonium validum

fuisse, non vult Matrimonium efficere, sed tantum renovat et ratum habet Matrimonium prius initum; et cum irritum Matrimonium istud exstiterit, Matrimonium per ejusmodi consensum convalidari nequit. Illud præsertim affirmandum est, si agatur de conjuge qui præsumitur Matrimonium dissoluturus, si nullitatem agnosceret. Tunc enim censeretur dicere, se velle Matrimonium, sed quod fuit ab initio, et non aliud.—Cf. S. Alphons. ibid.

QUAER. 3°. *An consensus renovari debeat coram Parocho et testibus?*

RESP. *Affirm.*, si impedimentum sit publicum. Ratio est, tum quia urget tunc ratio scandali tollendi aut præcavendi; tum quia secus validitas Matrimonii probari non posset coram Ecclesia, cum constet publice Parochum et testes non adfuisse nisi celebrationi Matrimonii invalidi, et sic finis intentus a Conc. Trid. non obtineretur; possent enim conjuges, post Matrimonium clandestine revalidatum, separari, et cum aliis impune novas inire nuptias. Secus vero respondendum, si impedimentum sit occultum. Ratio est, quia Concilium Trid., præscribendo præsentiam Parochi et testium, merito præsumitur noluisse hunc casum comprehendere. Concilium enim voluit tantum occurrere incommodis quæ exsurgebant ex nuptiis clam celebratis; sed in nostro casu Matrimonium jam publice est contractum, et idcirco illud abest periculum; sufficit igitur novum consensum clam ponere. Insuper non modo inutilis foret legis extensio ad hunc casum, sed etiam nociva; quippe locum præberet pluribus scandalis, partes exponeret diffamationi, multaque alia incommoda induceret.—Cf. S. Alphons. n. 1110.

QUAER. 4°. *Quotuplici modo possit renovari seu exigi consensus a parte ignara impedimenti post obtentam dispensationem?*

RESP. Hi sunt præcipui modi a variis auctoribus assignati:

I. Si conjux simpliciter dicat: *Nullum est Matrimonium nostrum propter aliquod impedimentum*, vel: *Dixit mihi confessarius nullum esse . . . , ideoque renovemus consensum.*

II. Si dicat conjux: *Non habui verum consensum, quando Matrimonium contraxi; novum nunc præstare volo, vis et tu præstare?*—Hic modus communiter admittitur ab auctoribus, et recte adhiberi potest sine mendacio, cum consensus nullus non sit *verus consensus:* et

aliunde conjux ignarus impedimenti satis sic cognoscit Matrimonii nullitatem.

III. Si dicat: *Angor scrupulis de valore nostri Matrimonii ideoque renovemus consensum.* Admitti potest hic modus juxta communiorem sententiam cum S. Alphonso; sufficit enim, ut altera pars ponat consensum a priori independentem; ad hoc autem satis est, si dubitet prudenter de valore primi Matrimonii.

Exhibentur etiam varii alii modi a pluribus theologis; v. gr., si, conjux comparti dicat: *Dic, quæso, si nullum esset nostrum Matrimonium, nonne iterum contrahere velles?* Vel: *Si non mihi nupsisses, nonne nunc nubere velles? etc.* Sed merito isti modi rejiciuntur; quia sic incertum est, num altera pars intendat consensum iterare in præcedens Matrimonium, an vero in novum consentire.—Cf S. Alphons. n. 1117.

ARTICULUS II.

DE REVALIDATIONE MATRIMONII PER DISPENSATIONEM IN RADICE.

930. Dispensatio *in radice* est abrogatio legis ecclesiasticæ, quæ impedimentum induxit, in casu particulari, conjuncta cum irritatione omnium effectuum qui etiam antea ex lege subsecuti sunt. — Hæc igitur dispensatio effectum producit tollendo de medio legis effectus, qui ob Matrimonii nullitatem ante inductam dispensationem, ac etiam in ipso contrahendi actu, producti fuerunt. Hinc dispensatio simplex a dispensatione in radice in eo differt, quod prior effectum suum non habet nisi *a tempore quo conceditur*, seu *ex nunc*, nec proinde eximere potest a consensus renovatione. Posterior vero convalidat Matrimonium *a tempore Matrimonii*, seu *ex tunc*, id est, per *fictionem juris*, ascendendo ad radicem seu originem Matrimonii, et in eodem statu rem ponit, ac si impedimentum nunquam extitisset. Hinc dicitur dispensatio *in radice*, propterea quod destruat effectum impedimenti *a radice* seu a principio Matrimonii, scilicet 1°. sanando vitium consensus; 2°. tribuendo validitatem Matrimonio pro toto anteacto tempore; 3°. legitimitatem proinde filiis conferendo, quam habuissent, si nullum extitisset impedimentum. — Cf. Bened. XIV. *Instit.* 87. n. 80. et *de Synod. diœces.* lib. 13. cap. 21. n. 7.—Heiss, § 64.

931. *Dico* 1°. Potest Summus pontifex, dispensare *in radice*

Matrimonii quoad omnia impedimenta juris ecclesiastici. Ratio est, quia dispensare in radice nihil aliud est, quam auferre non tantum *in futurum*, sed etiam in præteritum, omnes effectus quos produxerat lex ecclesiastica impedimentum constituens. Ecclesia enim, prout ait Benedictus XIV. Matrimonia sanat, "non agendo ut Matrimonium nulliter contractum non ita contractum fuerit; sed effectus illos de medio tollendo, qui ob hujusmodi Matrimonii nullitatem ante indultam dispensationem ac etiam in ipso contrahendi Matrimonii actu producti fuerunt." In his autem nihil est quod potestatem Ecclesiæ excedat; ergo, etc. Præterea id constat, confirmaturque ex praxi Ecclesiæ, quæ a pluribus sæculis tales dispensationes concedere consuevit. Primus sic dispensasse legitur Bonifacius VIII. ann. 1301; recentioribus autem temporibus frequentius eodem modo dispensarunt Pius VI., Pius VII., Leo XII. etc.—Cf. Benedict. XIV. *de Synod. diœces.* lib. 13. cap. 21. n. 7.

Dico 2°. Tres conditiones requiruntur ut Matrimonium ope dispensationis in radice convalidari possit, scilicet:

1°. Ut conjunctio conjugum *habuerit speciem extrinsecam justi Matrimonii:* hæc conditio vel ad ipsam rei essentiam pertinet, si nempe conjunctio matrimonialis fuerit aperte fornicaria et ut talis a sponsis apprehensa, tunc enim necessario deesse debuit ipse consensus, scilicet ipsa radix Matrimonii, ut loquitur Benedictus XIV., vel si adfuit verus consensus, quia sponsi non cognoscebant nullitatem Matrimonii, dicendum est hanc conditionem requiri ex positiva Pontificia voluntate ad scandalum vitandum.—Cf. Feije, n. 768.—*Acta S. Sedis*, vol. 1. Append. 7. p. 182.

2°. Ut consensus *utriusque perseveraverit;* nam ad factum quod spectat R. Pontifex in Rescripto sæpe exigit ut constet de permanenti consensu utriusque partis, quod si quandoque non exigit, hoc fit quia supponitur adesse.—Dixi *ad factum quod spectat*, quia nonnulli putant posse R. Pontificem sanare in radice Matrimonium, etiamsi unus conjugum consensum postea retractaverit.—Cf. *Acta S. Sedis*, loc. cit. p. 188. § *Movent.* cum not. (1).

3°. Ut adsit *urgens et gravissima* causa. In triplici autem casu præcipue hæc haberi potest; nempe 1°. quando una pars ad renova-

tionem consensus adduci nequit, et nihilominus consensum de præsenti exhibet remanendi in Matrimonio; 2°. quando uni tantum parti notum est impedimentum, quod sine gravibus incommodis alteri manifestari non posset; 3°. quando urgens adest ratio non monendi conjuges de nullitate Matrimonii.—Cf. Benedict. XIV. *de Synod. diœces.* lib. 13. cap. 22. n. 7.

Adverte hanc tertiam conditionem non requiri ad validitatem dispensationis, si dispensatio concedatur a summo Pontifice; secus si concedatur ab Episcopo ex Indulto particulari.—Cf. Carriere, n. 1444.

932. ***Quæsita.***—Quaer 1°. *Utrum dispensatio* in radice *dari possit* tantum *ad sanandum Matrimonium quod irritum est vi alicujus impedimenti juris ecclesiastici?*

Resp. *Affirm.*, et ratio est, quia R. Pontifex nihil potest circa impedimenta juris divini vel naturalis, ac proinde nequit sanare consensum qui tali jure fuerit vitiatus. Verum si impedimentum juris naturæ, v. gr., impotentiæ, *supervenerit*, ex eo quod vir accepto vulnere evaserit absolute incapax ad actum conjugalem, poterit Ecclesia sanare Matrimonium invalidum præcedens, ac proinde legitimare filios qui a tempore celebrationis Matrimonii usque ad acceptionem vulneris nati fuerint, cæterosque effectus nullitatis Matrimonii auferre. Ratio desumitur ex ipsa indole sanationis in radice.—Cf. Feije, n. 769.

Quaer. 2°. *An dispensatio* in radice *possit obtineri et applicari, utraque parte illius ignara?*

Resp. *Affirm.*, et ratio est, quia nullo modo cognitio dispensationis requiritur, ut Ecclesia possit tollere effectum legis, seu obstaculum, quod oberat efficaciæ consensus; potestas enim Ecclesiæ a tali cognitione est omnino independens. Confirmatur ex praxi Ecclesiæ. Etenim Clemens XIII. concessit cuidam Procopo (qui videtur fuisse Episcopus) facultatem, ut sanaret *in radice*, non monitis partibus, multa Matrimonia invalide inita ob nimiam facultatum acceptarum extensionem. Alia quoque exempla ab aliis de simili Matrimoniorum revalidatione referuntur.—Cf. Heiss, p. 246.

Quaer. 3°. *An possit concedi dispensatio* in radice, *si ambæ partes, dum contraherent, impedimentum cognoverint?*

Resp. *Neg.*, juxta communiorem sententiam, si conjuges contrahendo clare cognoverint Matrimonii nullitatem. Ratio est, quia, cog-

nita Matrimonii invaliditate, nequit dari in illud verus ac proprie dictus consensus, sed habetur tantum intentio vivendi in *concubinatu;* et proinde consensus sanari nequit, cum a principio fictus fuerit.—Secus vero respondendum, si conjuges contrahendo, etsi impedimentum cognoverint, non tamen Matrimonium esse nullum cogitaverint, seu ad ejus invaliditatem non attenderint. Sic videtur intelligendus Card. Caprara, qui supponit posse obtineri dispensationem *in radice* ad convalidandum Matrimonium *clandestinum*, quando una pars recusat consensum renovare coram Ecclesia.

QUAER. 4°. *An Episcopus dispensare possit* in radice, *quando potest ab impedimentis dirimentibus, ex Indulto particulari, dispensare?*

RESP. *Neg.*, et ratio est, quia dispensatio *in radice* requirit majorem potestatem; et ideo non censetur contineri in aliis facultatibus. Comprobatur etiam ex praxi Ecclesiæ, quæ semper dat specialem facultatem quando potestatem dispensandi *in radice* concedere intendit. Hæc facultas Episcopis nostris sub hac formula conceditur: "Sanandi in radice Matrimonia contracta, quando comperitur adfuisse impedimentum dirimens super quo ex Apostolicæ Sedis indulto dispensare ipse possit, magnumque fore incommodum requirendi a parte innoxia renovationem consensus, monita tamen parte conscia impedimenti de effectu hujus sanationis."

QUAER. 5°. *Quomodo sit exequenda dispensatio* in radice?

RESP. Eodem modo ac dispensatio simplex, addendo in formula verba *in radice;* quare ita dici potest: "Ego, auctoritate Apostolica mihi concessa, Matrimonium a te contractum cum *N.* in radice ejus sano et consolido, prolemque susceptam et suscipiendam legitimam declaro, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti."—Dixi *dici potest,* quia nulla formula est proprie necessaria, cum nulla præscribatur in Rit. Romano.—Cf. Heiss, § 64. n. III.

CAPUT VIII.

DE DEBITO CONJUGALI.

933. Conjugale *debitum* dicitur communis ea conjugum actio, quæ generationi necessaria est, quæque a summo rerum omnium Provisore ad humanam societatem propagandam est ordinata. Hæc autem actio sita est in carnali copula, qua vir ac fœmina unum quasi corpus et una caro efficiuntur. Ejusmodi actus vocatur *debitum* ab Apostolo; est enim id quod sibi mutuo debent conjuges. De hoc actu, utut multum pigeat, breviter et caste dicendum hic est pro praxi confessariorum.—Cf. S. Alphons. n. 900.

ARTICULUS I.

DE LICEITATE ACTUS CONJUGALIS.

934. **Dico.** Actus conjugalis, inter legitimos conjuges habitus, est *per se* honestus et licitus. Ratio est, quia hujusmodi actus est medium ab ipso naturæ Conditore statutum atque ordinatum ad legitimam humani generis propagationem.—Dixi *per se*, quia potest evadere illicitus ratione finis et circumstantiarum. Et imprimis evaderet graviter illicitus ratione finis, si vel finis graviter pravus positive intenderetur, vel positive excluderentur omnes fines hunc actum cohonestantes, qui sunt 1°. prolis generatio; 2°. satisfactio obligationis erga alterum conjugem; 3°. vitatio incontinentiæ tum in se, tum in comparte; 4°. desiderium honesti amoris fovendi vel conciliandi, conjugalis effectus patefaciendi, vel promovendi, etc.—Ratione etiam circumstantiarum, præsertim *situs* et *temporis* vitiari graviter posset actus conjugalis alioquin licitus. Propter situm quidem, si innaturalis is esset ita ut conjuges non possent congredi, et semen extra vas effunderetur: propter tempus autem, si eo tempore actus conjugalis poneretur quo proximum adesset periculum abortus vel mortis compartis.—Cf. S. Alphons. n. 881. et seqq.

935. **Resolves.**—1°. Illicitus est conjugii usus, si fiat ob solam voluptatem, id est, alios fines ne virtualiter quidem aut implicite intendendo. Patet ex prop. 9. ab Innocent. XI. damnata, quæ sic sonat: "Opus conjugii, ob solam voluptatem exercitum, omni penitus caret

culpa ac defectu veniali." Per se tamen, si fieret, esset tantum veniale peccatum, quemadmodum veniale est, cibum ob solam delectationem sumere. Immunis autem ab hac culpa est conjugii usus, si in remedium fit concupiscentiæ, aut ob alium honestum finem, sive expresse, sive implicite cæteroquin delectatio seu voluptas intendatur.—Cf. S. Alphons. n. 912.—Baller. not. (b) p. 881.

2°. Sterilibus licitus est usus matrimonii, tum quia nulla lex in oppositum ostendi potest, tum quia steriles per se idonei sunt ad actum conjugalem perficiendum: quod si generatio nulla sequatur, id per accidens omnino fit; et alii præter generationem adsunt honesti fines conjugalem congressum cohonestantes. Cæterum vix datur casus sterilitatis certo cognitæ.

3°. Senibus, quorum semen non est amplius prolificum, licet usus conjugii, dummodo copulam sufficienter perficere valeant, vel ipsam perficiendi spem habeant non inanem. Favent enim senibus eædem rationes quas de sterilibus adduximus. Confirmatur præterea ex praxi Ecclesiæ, quæ Matrimoniis senum benedicit.—Cf. S. Alphons. n. 954.

4°. Situs prorsus licitus ille est quem natura ipsa docet, nempe ut mulier succuba sit, vir autem incubus. Quilibet vero alius situs innaturalis, scilicet a prædicto diversus, dummodo actus conjugalis satis perfici possit, peccatum veniale non excedit, et justa accedente causa, omni culpa vacat. Quare minime peccant conjuges qui situm invertunt ob periculum abortus tempore prægnationis, ob viri pinguedinem vel curvitatem, ob nimiam mulieris defatigationem, aut etiam ob frigiditatem, quando innaturali situ magis excitentur, etc.—Imo situs qui solus possibilis est, qualiscumque demum sit, nullatenus damnatur, licet non modica seminis perditio sequatur; quia pars ista seminis non est generationi necessaria, et per accidens, invitis conjugibus, deperditur.—Cf. S. Alphons. n. 917.

5°. Juxta theologos non paucos, actus conjugalis ne leviter quidem ratione temporis unquam interdicitur; ratio est, quia nulla lex assignari potest, qua etiam sub levi unquam prohibeatur. Attamen S. Alphonso magis arridet opinio quæ non excusat a culpa veniali, si copula tempore prægnationis fiat, nisi adsit periculum incontinentiæ, vel alia causa honesta, quæ alioquin sæpe adesse potest. At communior sententia docet, coitum tempore menstrui habitum non excusari a veniali ob in-

decentiam, quam præ se ferre videtur, nisi adsit aliqua causa cohonestans, nempe ad vitanda dissidia, aut incontinentiam præcavendam, etc. —Cf. S. Alphons. n. 924. et seqq.

6°. Juxta communiorem sententiam non est illicitus diebus *Dominicis* ac *Festis* etiam solemnioribus; tum quia nullum jus adversatur, tum etiam quia maritalis congressus non amovet conjuges a Festis Ecclesiæ servandis. Plerique e SS. Patribus, qui in oppositum objiciuntur, de consilio potius quam de præcepto loqui videntur. Hinc etiam deduces, non esse cur ejusmodi usus tempore Adventus vel Quadragesimæ prohibeatur.—Cf. S. Alphons. n. 923.

ARTICULUS II.

DE OBLIGATIONE ACTUS CONJUGALIS.

936. **Dico.** Nunquam quidem datur obligatio petendi debitum conjugale, nisi aliquando *per accidens* ex caritate vel alia virtute; datur autem stricta obligatio ex justitia *per se* gravis illud reddendi alteri conjugi serio, rationabiliter et cum jure petenti. Ratio *primi* est, quia nemo tenetur uti jure suo.—Dixi tamen *per accidens* posse dari obligationem petendi; sic vir, v. gr., ex caritate tenetur petere, si judicat compartem versari in periculo incontinentiæ et ob verecundiam non petere. Ratio autem *secundi* est, quia ex ipsa natura contractus matrimonialis conjuges sibi invicem transferunt potestatem corporum in ordine ad usum conjugalem. Deducitur etiam ex verbis Apostoli, I. Cor. vii. 3: "Uxori vir debitum reddat, similiter autem et uxor viro; mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier."—Dixi *rationabiliter et cum jure petenti;* nam cessat in uno conjuge obligatio reddendi debitum, cessante in altero jure illud exigendi: jus autem in sequentibus præcipue casibus cessat, scilicet: 1°. si unus conjugum adulterium commiserit; 2°. si petens usu rationis careat, v. gr., si vir esset liquoribus obrutus nam tunc petitio ejus non esset humana; 3°. si reddens possit rationabiliter timere damnum vel periculum grave sanitatis, quia non censentur conjuges se obligasse ad debitum cum tanto incommodo reddendum.—Cf. S. Alphons. n. 943. et 946.

937. ***Resolves.***—1°. Tenentur conjuges ad cohabitationem, nec potest unus diutius abesse sine alterius consensu, aut sine necessitate; hæc quippe obligatio sequitur ex ipsa obligatione debitum reddendi. Causæ autem justæ abeundi ad longum tempus sunt bonum publicum, familia alenda vel tuenda, damnum ab inimicis vitandum, etc.—Cf. S. Alphons. n. 939.

2°. Graviter peccat conjux negans debitum, quoties est periculum incontinentiæ, vel gravis molestiæ in altera parte. Item si neget alteri *serio* petenti. Secus autem, si compàrs benevole remittat, aut remisse petat.

3°. Non peccat negans, quando alter immoderate petit, v. gr., post tertiam vel quartam vicem eadem nocte; nec si differat ad breve tempus, nempe ad noctem, vel si a nocte differat ad tempus matutinum, secluso tamen semper incontinentiæ periculo.—Cf. S. Alphons. n. 940.

4°. Reprehendendæ sunt uxores quæ maritis suis, etiam remisse petentibus, absque sufficienti causa debitum negant; vel quæ non concedunt nisi coactæ, viroque dure et contumeliose suas petitiones exprobrant.

5°. Non excusatur a debito reddendo uxor ob ordinaria partus, graviditatis aut nutritionis incommoda, nec ob dolores graves quidem, sed tempore breves, nec ob dolores diuturnos sed moderatos, v. gr., capitis per plures menses post partum, nec ob sanitatem aliquantisper debilitatam; quia hæc omnia conditioni matrimoniali adnexa sunt; secus autem si periculum vitæ, aut morbi gravissimi ex judicio medici vere prudentis pertimescendum esset.—Cf. S. Alphons. n. 952.

6°. Non est obligatio debitum reddendi alteri laboranti morbo contagioso in se gravi, ut est pestis, morbus venereus, aut quid simile. Pariter ob notabilem corporis debilitatem excusantur a reddendo debito laborantes febri valida aut alio morbo gravi.—Cf. S. Alphons. n. 950.

7°. Non excusatur conjux a debito reddendo ob timorem prolis numerosioris; procreatio enim prolis ad præcipuum finem Matrimonii spectat; unde incommodum illud est ipsimet Matrimonio intrinsecum.—Cf. S. Alphons. n. 941.

ARTICULUS III.

DE PECCATIS CONJUGUM.

Patrari possunt peccata inter conjuges ratione actus conjugalis sive per *excessum*, hoc est, actus ad generationem inutiles ponendo, sive per *defectum*, actum essentialem non perficiendo, seu crimine *onanismi* torum maculando.

§ I. De peccatis conjugum per excessum.

938. ***Dico.*** Quidquid est necessarium ad actum conjugalem complendum, aut utile ad illum facilius, citius, aut perfectius exercendum, est conjugibus omnino licitum. Illicitum autem est et quidem graviter quidquid in actu conjugali generationi obest, seu pollutionem per se inducit extra naturalem conjunctionem. Quidquid demum inutile aut indifferens est ad generationem etiam *remote* et *indirecte* procurandam seu ad affectum conjugalem rationabiliter promovendum, illicitum pariter est, sed peccatum veniale non excedit. Ratio *primi* est, quia qui habet jus ad finem, habet jus etiam ad media necessaria vel utilia, nec aliunde prohibita; et quibus licitum est principale, licitum etiam est accessorium, ac medium ad illud ordinatum. Ratio autem *secundi* est, quia effusio voluntaria seminis non est licita nisi in ordine ad generationem, et proinde Matrimonium non dat conjugibus facultatem nisi ad seminis effusionem, quæ generationi per se inservire possit; alioquin vero, si homines voluptate ipsa frui possent, sine consequenti prolis alendæ et educandæ onere, filiorum generatio facile posthaberetur, imo vitaretur data opera, et sic societas ipsa ad interitum declinaret. Ratio *tertii* tandem est, quia tunc sola voluptas in iis quæreretur, quod, ut superius dictum est, peccatum quidem est, at veniale non excedit.

939. ***Resolves.***—1°. Culpa vacant inter conjuges oscula quælibet honesta, et tactus in partes tum honestas tum etiam minus honestas (si tamen caute fiant) ratione affectus conjugalis demonstrandi, aut amoris confovendi, etiamsi aliquando *per accidens* sequeretur *involuntaria* pollutio; quia omnia amoris honesta signa, etiam tenera, ut media ad finem, sunt licita iis qui ex vinculo matrimoniali *cor unum* et *caro una* fieri debent.—Cf. S. Alphons. n. 933.

2°. Culpa *per se* vacant etiam tactus et aspectus minus honesti, si ad copulam *immediate* referantur. Imo idem tenendum, etiamsi essent *simpliciter* inhonesti, sed ad naturam excitandam necessarii aut utiles; tunc enim sunt quædam copulæ præparatio, et velut inchoatio.—Venialia autem erunt hæc omnia, si ob solam voluptatem fiant, etiamsi copulam immediate præcedant.—Mortalia vero habenda sunt, si utrumque vel alterutrum conjugem periculo pollutionis ante copulam exponant; quod quidem facile fiet, si diu in his immorentur, antequam ad actum conjugalem deveniant.

3°. Non peccant graviter conjuges, etsi tactibus etiam sine intentione copulæ habitis exsurgat commotio spirituum, vel membrorum generationi inservientium, aut sequatur distillatio; quamvis hæc in solutis mortalia essent. Ratio est, quia secluso voluntariæ pollutionis aut sodomiæ crimine nihil fit contra bonum Matrimonii.—Caveant tamen ne in proximum pollutionis periculum incidant, quod facile fiet, si motus sint valde inordinati. Hinc, quamvis, per se loquendo, non peccant mortaliter conjuges, qui, incepta copula, ex mutuo consensu actum conjugalem non perficiunt, si forte non adsit periculum pollutionis, bene tamen advertit S. Alphonsus post Sanchez, ordinarie id esse mortale, quia ordinarie aderit ejusmodi periculum.—Cf. S. Alphons. n. 918. et 934.

4°. Non peccat graviter, imo juxta communiorem et probabiliorem sententiam nec leviter, uxor quæ seipsam tactibus excitat ad seminationem statim post copulam, in qua vir solus seminavit; 1°. quia seminatio mulieris pertinet ad complendum conjugalem actum, ut proprie conjuges sint una caro, et sicut uxor potest se præparare tactibus ad copulam, ita etiam perficere; 2°. quia si mulieres post talem irritationem compescere naturales motus tenerentur, essent jugiter magno periculo expositæ graviter peccandi.—Cf. S. Alphons. n. 919.

5°. Tactus cum seipso ex delectatione venerea, absente altero conjuge, juxta plurium sententiam, a peccato gravi excusari non possunt, etiam seclusa pollutione aut proximo ejus periculo. Ratio est, quia conjux jus non habet utendi proprio corpore in ordine ad voluptatem secum explendam, sed tantum in ordine ad copulam.—Alii tamen theologi non pauci, apud S. Alphonsum, dicunt, secluso pollutionis periculo, hoc culpam venialem non excedere. Porro S. Doctor pri-

mam sententiam probabiliorem et in praxi omnino suadendam censet. —Cf. S. Alphons.n. 939.—Lacroix, n. 339.—Baller. not. (a) p. 914.

6°. Delectatio *morosa* de copula habita, vel remote habenda, secluso pollutionis periculo, juxta communem sententiam est peccatum veniale tantum.—Dixi 1°. *esse peccatum*, quia in hac voluptate ad proximam copulam non relata, inordinatio invenitur, cum desit finis honestus et frustra moveantur, inchoative saltem, spiritus genitales.—Dixi 2°. esse *veniale tantum;* quia, cum copula sit conjugibus *per se* licita, non potest esse graviter illicitum de illa delectari. Imo nec desiderium de copula futura nec approbatio de præterita sunt *per se* illicita, nisi referantur ad solam copulæ voluptatem; quia desiderium de re licita nequit esse illicitum.—Cf. Alphons. 937.—Voit, n. 1207.

§. II. De onanismo in particulari.

940. *Onanismus* in eo consistit quod vir, post inceptam copulam, ante seminationem se retrahat, et semen extra effundat, ut generationem impediat. Nomen suum sortitur ab *Onan*, secundo filio patriarchæ *Judæ*, qui post defunctum fratrem suum *Her*, juxta morem, coactus est viduam ejus *Thamar* ducere, ut suscitaret semen fratri suo. Porro Onan ut habetur Gen. XXXVIII. 9. et 10: "Introiens ad uxorem fratris sui, semen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur. Et idcirco percussit eum Dominus, quod rem detestabilem faceret."

941. **Dico.** Onanismus voluntarius est semper peccatum mortale, utpote quid grave contra naturam; ideoque nunquam conjugibus licitus esse potest. Ratio est, tum quia repugnat primario fini Matrimonii et ad societatis extinctionem *per se* tendit; tum quia a supremo Legislatore et Auctore naturæ stricte fuit prohibitus, ut eruitur ex textu Genesis modo relato. Præterea cum quæsitum fuerit de nota theologica hujus propositionis: "Ob rationes honestas conjugibus uti licet matrimonio eo modo quo usus est Onan,"—responsum fuit a S. Pœnitentiaria die 21 Maii 1851; dictam "propositionem esse scandalosam, erroneam et jure naturali Matrimonii contrariam."

Dixi *onanismus voluntarius;* nam uxor a peccato excusari potest, si gravi de causa viro onanistæ debitum reddat, modo interius ipsius peccato non assentiatur, exteriusque repugnantiam suam seriis admonitionibus, aliisve displicentiæ signis ostendat. Ratio est, quia rei licitæ

vacat, et utitur jure suo, quo propter malitiam viri privari non potest; nec alterius peccato *proprie* cooperatur, cum se *passive* tantum habeat, et actio intrinsece mala consistat tantum in actu viri contra naturæ ordinem tunc recedentis. Hoc idem fuit die 8. Junii, 1842 declaratum a S. Pœnitentiaria sequentibus verbis: "Cum tota actus deordinatio ex viri malitia procedat, qui, loco consummandi, retrahit se et extra vas effundit; ideo si mulier post debitas admonitiones nihil proficiat, vir autem instet minando verbera aut mortem, poterit ipsa, ut probati theologi docent, citra peccatum simpliciter permittere, idque ex gravi causa, quæ eam excuset; quoniam caritas, qua illud impedire tenetur, cum tanto incommodo non obligat."

941. ***Resolves.***—1°. Graviter peccat mulier quæ virum ad Matrimonio abutendum inducit etiam indirecte vel tacite, v. gr., conquerendo de numero prolis, de laboribus partus, vel educationis liberorum, aut recantando se in proximo partu morituram esse, etc.

2°. Graviter item peccat mulier detestandæ viri actioni interius consentiendo, etsi exterius repugnantiam ostendat. Si tamen inefficacem admittat complacentiam non de malo opere in se, sed solum de effectu secuto, puta de immunitate ab incommodis gestationis vel a periculis partus, per se non peccat, quamvis ejusmodi complacentia aliquando non careat periculo. Verum omnino cavendum est, ne, illius manifestatione viro facta, hunc reddat animosiorem ad liberius ac sæpius peccandum.

3°. Tenetur uxor, saltem *ordinarie*, virum onanistam de obligatione recte agendi monere, eumque, quantum in se est, a perversa agendi ratione avertere. Nec sufficit quod semel eum monuerit, sed admonitiones interdum repetere debet, nisi certa sit novam admonitionem nihil esse profuturam. Attamen tunc etiam repugnantiam suam aliquo modo patefacere debet, ne peccato mariti libenter consentire videatur.

4°. Officium quoque uxoris erit maritum blanditiis, variis amoris indiciis, precibus, adhortationibusque permovere ad actum recte perficiendum, vel ab eo prorsus abstinendum, quia experientia constat, plurimos viros onanistas, ab uxoribus allectos, ad meliorem frugem sese recepisse. Hodie præsertim facilius possunt uxores maritos onanistas ad abstinendum inducere, siquidem hæc abstinentia, ut statim dicetur, diuturna esse non debet.

942. QUAERES. ***Quid dicendum de illis conjugibus qui per quindecim fere dies, unoquoque mense, ab usu conjugii eo fine abstinent, ut nulla proles eis nascatur?***

RESP. Ad *veritatem* quod attinet dicendum est, juxta accuratiora physiologiæ studia, hodie, tanquam exploratum haberi, saltem generatim loquendo, nullam dari conceptionem prolis, si copula intercedat a quartodecima die post incepta menstrua usque ad sequentem menstruorum recursum. Quare si conjuges ab usu conjugii abstinent per illud tempus quod, incipiendo a præparatione fluxus menstrui, decurrit per quindecim vel sexdecim sequentes dies nulla habebitur, ex regula ordinaria, conceptio prolis. Ratio est, quia ex una parte fluxus menstruus est signum aut potius effectus maturitatis ovorum, et ex alia conceptio tunc tantum locum habere potest, cum ova ad maturitatem pervenerint. —Ad *liceitatem* autem quod spectat certe non apparet cur damnanda sit hujusmodi limitata abstinentia a copula maritali. Etenim si licet omnino abstinere, cur non licebit abstinere per quindecim aut sexdecim dies unoquoque mense?—Neque dicas peccatum consistere in fine qui intenditur, scilicet carentia prolis; nam respondetur velle carere prole non esse malum in se et per se, sed tunc tantum quando hoc desiderium exprimitur per positivam agendi rationem qua proles vel impeditur quominus concipiatur, vel concepta destruitur. Ceterum circa hanc quæstionem dubium omne sustulit recens responsum S. Pœnitentiariæ quod ita se habet: "Conjuges prædicto modo matrimonio utentes inquietandos non esse, posseque confessarium sententiam de qua agitur, illis conjugibus, caute tamen, insinuare, quos alia ratione a detestabili onanismi crimine adducere frustra tentaverit.—Cf. *Nouvelle Revue theologique*, vol. 13. p. 458. et seqq.—Baller. not. (a) p. 917.—Capellmann, p. 89.

MONITUM.—Vitanda sunt entrema circa modum quo confessarius se gerere debet erga conjuges de usu matrimonii prorsus tacentes. Etenim sicut erroneum esset asserere confessarium nunquam debere de hac materia interrogare, ita etiam asserere, semper debere. Quare si *serium* adsit fundamentum, quod quidem ex circumstantiis patere debet, pœnitentem onanismo indulgere, et tamen nihil confiteri, fiant interrogationes, at *prudenter omnino et caute*. Et quoniam, apud nos, plaga ista non tam altas et universales habet radices, prout alibi, melius forte erit *deficere* quam abundare in quæstionibus faciendis.

TRACTATUS

DE CENSURIS

CAPUT I.

DE CENSURIS SPECTATIS IN GENERE.

ARTICULUS I.

DE NATURA, DIVISIONE, ET CONDITIONIBUS CENSURARUM.

943. Censura communiter definitur: Pœna spiritualis et medicinalis, qua homo baptizatus delinquens et contumax per potestatem ecclesiasticam quorumdam bonorum spiritualium usu privatur.—Dicitur 1°. *pœna,* quia culpam supponit; 2°. *spiritualis,* tum quia fertur a potestate spirituali ad spiritualem Christianorum utilitatem, tum quia bona spiritualia primario et immediate aufert, temporalia secundario tantum et mediate; 3°. *medicinalis,* quia regulariter fertur ac ferri debet eo fine, ut anima ad meliorem frugem sese recipiat; per accidens tamen, quando id expedit, fertur etiam in eum de cujus conversione desperatur: quamvis enim medicina sit, pœna etiam est, adeoque cessante primario correctionis fine, adhuc obtinentur secundarii fines, nempe ut reus castigetur, et cæteris terror incutiatur; 4°. *homo baptizatus,* quia qui baptizati non sunt, Ecclesiæ potestati non subduntur; potestas autem exercetur in subditos; 5°. *delinquens et contumax,* quia pœna nonnisi delinquenti infligitur, medicina vero porrigi non debet, nisi iis quorum contumacia tanto indigeat remedio; 6°. *usu quorumdam bonorum spiritualium privatur,* nempe bonorum quæ subsunt potestati Ecclesiæ, ut sunt preces publicæ, sacramenta, etc.—Hinc censura differt 1°. *a depositione et degradatione,* quæ non sunt *medicinales,* nec *ad tempus,* sed in pœnam tantum et perpetuæ; 2°. *ab irregularitate,* quæ ob solum quoque defectum animi vel corporis absque ulla culpa contrahi potest, et proinde per se non est pœna, sed tantum impedimentum canonicum, licet ob quædam crimina inflictum pœnæ quoque rationem habere possit.

944. Censuræ multipliciter distinguuntur, scilicet:

1°. *Excommunicatio, suspensio, interdictum,* de quibus speciatim agemus.—Notandum tamen *excommunicationem* semper esse censuram; at *suspensio* et *interdictum* modo *censuræ,* modo pœnæ *vindicativæ* naturam induunt. Dignosces autem esse pœnas vindicativas, tum si ferantur propter delictum mere præteritum, tum si infligantur in perpetuum, aut etiam ad tempus determinatum, puta pro duobus vel tribus mensibus; hæc enim certo sunt indicio non rei emendationem, sed ejus punitionem intendi. Proinde qui ejusmodi interdicta seu suspensiones violat non incurrit irregularitatem.

2°. *Censuræ latæ,* vel *ferendæ sententiæ,* prout superior statuit, eas incurrendas esse ipso facto, quo quis legem violaverit, vel tantum post sententiam judicis ecclesiastici infligendas esse.

3°. *Censuræ latæ a jure* vel *ab homine,* prout feruntur per canones aut statuta ecclesiastica, seu per legem stabilem ac permanentem; vel e contrario, per sententiam aliquam judiciariam aut mandatum transitorium, sive in unum sive in plures. Hæc si afficiat personas determinatas, est *particularis;* si vero generaliter et absque determinatione personarum feratur, *generalis* est.—Censura lata *a jure* post mortem auctoris, sicut cæteræ leges omnes, perseverat; lata *ab homine,* mortuo auctore, cessat, quatenus amplius incurri nequit.—Cf. Baller. not. (b) p. 923.

4°. *Censuræ reservatæ,* vel *non reservatæ,* prout superior earum absolutionem sibi reservavit, vel ordinariis Ministris ab iis absolvere permisit. Aliæ autem sunt Papæ reservatæ, aliæ Episcopis. *Censuræ ab homine* semper reservatæ censentur, nisi per sententiam generalem latæ sint.

5°. *Censuræ notoriæ,* vel *occultæ,* prout publice constat aliquem eas incurrisse ob factum, quod est ita cognitum, ut jam celari amplius nequeat; vel secus.

6°. *Censuræ justæ,* vel *injustæ; validæ,* vel *invalidæ;* prout superior justitiæ, veritati et legi consuluerit, necne, in censura imponenda.

945. Conditiones ad censurarum validitatem requisitæ sunt ut peccatum propter quod infligitur, sit mortale, externum, consummatum, non mere præteritum, et ut sit conjunctum cum contumacia.—Igitur peccatum debet esse: 1°. *mortale,* vel ratione sui, vel ratione alicujus adjunc-

tæ circumstantiæ, puta scandali, periculi, aut finis graviter a legislatore intenti; censura enim, *prout communiter infertur*, cum sit pœna gravissima, mortalem culpam requirit; 2°. *externum*, nam Ecclesia judicat in foro externo, ad quod censuræ pertinent, non vero de mere internis; 3°. *consummatum opere*, seu completum in genere secundum proprietatem verborum quæ in præcepto seu lege continentur, id est, prout legislator intendit sub censura prohibere; quia leges pœnales sunt stricte interpretandæ juxta regulam Juris: "*Odia restringi, favores convenit ampliari;*" 4°. *non mere præteritum*, quia censura est pœna medicinalis, quæque proinde ferri non potest in eos qui jam ad meliorem frugem sese receperunt; 5°. *conjunctum cum contumacia*, id est, cum virtuali saltem contemptu contra Ecclesiæ legem seu præceptum, quia finis præcipuus censuræ est pertinaciam frangere.—Cf. S. Alphons. n. 30. et seqq.—Baller. notas (a) et (b) p. 924.

946. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *Quomodo discernatur censura latæ sententiæ a censura ferendæ sententiæ?*

RESP. Generatim censura *latæ sententiæ* erit, 1°. si verba, quibus exprimitur, excludant alterius cujuscumque actionem seu ministerium, v. g., si his verbis feratur: *ipso facto—ipso jure—eo ipso—sine alia sententia;* 2°. si verba sint temporis præsentis vel præteriti, v. g., *excommunicamus—excommunicavimus*, etc.; 3°. si verba sint modi imperativi, v. g., *incidat in excommunicationem—maneat suspensus—interdictus*, etc.

Censura autem *ferendæ sententiæ* habenda est: 1°. si verba, quibus fertur, alterius operam et ministerium expostulent, v. g., *excommunicetur per Episcopum;* 2°. si sint comminatoria tantum, ex. gr., *præcipimus sub interminatione anathematis*, nisi aliud ex adjunctis colligatur; 3°. si tempus futurum exprimant, v. gr., *excommunicabitur—erit excommunicatus*, etc.—Cf. S. Alphons. n. 7. et 8.

QUAER. 2°. *An judicandus sit incurrisse censuram, qui dubitat, utrum eam incurrerit?*

RESP. *Neg.*, sive dubitet, an graviter deliquerit, sive an casus sub censuram cadat. Ratio est, quia, juxta axioma communiter receptum, et ipsam juris regulam, *odia sunt restringenda.* Attamen censuram incurris, si dubium versetur circa gravitatem ipsius materiæ, tum in se spectatæ, tum habita ratione finis, etc. Tunc enim materia hæc ut

gravis reputanda est, cum talis sit judicio superioris qui censuram tulit, et aliunde in dubio præsumptio superiori faveat.—Cf. S. Alphons. n. 32.—Salmant. tract. 10. cap. 1. n. 207.

QUAER. 3°. *An quis ligetur censura, quam manifeste injustam esse novit?*

RESP. *Neg.*, sive superior falsa præsumptione nixus innocentem pro reo damnaverit, sive omiserit formas legales, aut limites jurisdictionis excesserit. Attamen hallucinationis periculum in propria causa sedulo vitandum est; et si publice non constet censuram esse nullam, hæc ratione scandali servanda est.—Cf. S. Alphons. n. 68.

QUAER. 4°. *An ignorantia a censura excuset?*

RESP. Certo excusat ignorantia *facti*, scilicet quando quis ignorat se ponere actum sub censura prohibitum. Sic, v. gr., si quis percutiat sacerdotem putans esse laicum, non incurrit censuram latam in percussores clericorum, et ratio est, quia censura debet esse nota peccanti, ut sit contumax.—Excusat etiam ignorantia *juris* ecclesiastici præcipientis, vel prohibentis aliquid sub censura. Constat ex iisdem rationibus modo allatis; non enim dici potest contumax in Ecclesiam, qui ejus legem ignorat, ut patet ex jure canonico, in 6. lib. 1. tit. 2. de Constit., cap. 2. ubi dicitur: "Ligari nolumus ignorantes, modo tamen ignorantia crassa non fuerit aut supina."—Cf. S. Alphons. n. 43. et seqq.

QUAER. 5°. *An excuset a censura ignorantia vincibilis?*

RESP. *Affirm.*, si hæc sit *leviter* tantum culpabilis, quia tunc ignorans non potest dici proprie contumax in Ecclesiam. Si autem sit *graviter* culpabilis, tunc distinguendum est; nam si tanta est culpa ut ignorantia dici debeat *crassa* tunc certe non excusat a censura ut patet ex citato textu juris canonici; si vero sit graviter quidem culpabilis at non crassa, juxta S. Alphonsum et multos alios non excusat, quia hujusmodi ignorantia non impedit quominus aliquis sit contumax contra legem quam ignorat ex gravi culpa. Verum plures alii theologi contendunt ignorantiam graviter culpabilem a censura excusare, licet a peccato mortali non excusat.—Excipe tamen, juxta omnes, si in decreto quo fertur censura dicatur: qui hoc fecerit *scienter*, *consulto*, *temere*, *qui præsumpserit*, etc., id est, prout declaravit S. Congr. Inq. 12. Jan. 1879, qui *prudens et sciens* deliquerit, nullaque ratione excusari potest. Hæc enim verba postulant voluntarium perfectum ac directum, et ex

certa scientia censuræ.—Cf. S. Alphons. n. 45. et 48.—Baller. not. (a) p. 932., et not. (a) p. 934.

QUAER. 6°. *An metus gravis a censura excuset ?*

RESP. *Affirm.*, generatim loquendo, et ratio est, quia leges ecclesiasticæ pœnales non videntur urgere cum tanto rigore; nam cum leges ipsæ ecclesiasticæ, ubi metus urget valde gravis, cessent obligare, et ipsa pœna illis adnexa corruat necesse est.—Major habetur difficultas ubi agitur de præceptis juris naturalis, a quibus implendis metus gravis excusare nequit. Sed etiam in hoc casu deest contumacia in Ecclesiam. Nam censura non incurritur propter violationem legis divinæ, sed propter transgressionem culpabilem legis ecclesiasticæ.—Cf. S. Alphons. n. 46.

QUAER. 7°. *An requiratur, ut admonitio delinquentis censuram præcedat ?*

RESP. Nulla requiritur monitio pro censuris *a jure latis*, quia lex ipsa lata et cognita, satis subditos admonet. Si tamen crimen sit occultum, citandus est reus antequam declaretur seu denuntietur tanquam censura ligatus, cum bene fieri possit ut probabilem sui facti excusationem afferat. — Requiritur autem admonitio pro censuris ab homine ferendis. Ratio est, quia non est *contumax* qui ante non fuit admonitus de præcepto et de pœna adnexa. Imo ex jure canonico requiritur monitio triplex, vel saltem una in qua exprimatur, eam valere pro triplici.

Excipe 1°. si agatur de censura *ab homine* per sententiam generalem, vel etiam specialem respectu actus futuri; tunc enim non est necessaria admonitio, cum decretum de ferenda censura admonitionis locum teneat. Requiritur tamen citatio rei ad declarandam censuram, sicut diximus de censuris *a jure latis.*

Excipe 2°. si agatur de ea *suspensione* et *interdicto*, quæ non sunt censuræ proprie dictæ et medicinales, sed feruntur tantum per modum pœnæ.—Cf. S. Alphons. n. 52. et seqq.

ARTICULUS II.

DE PRINCIPIO SEU AUCTORE CENSURARUM.

947. ***Dico.*** Est in Ecclesia vera potestas ferendi censuras: hæc autem potestas, quamvis *ex jure extraordinario*, seu *ex delegatione* inveniri possit actuata in omnibus clericis, *ex jure* tamen *ordinario* invenitur de facto in omnibus et solis superioribus ecclesiasticis jurisdictionem in foro externo et contentioso habentibus. *Primum* constat ex Conc. Trid. sess. 25. cap. 3. *de Reform. Alterum* patet ex eo quod clerici capaces sunt jurisdictionis ecclesiasticæ. *Tertium* demum habetur ex Matth. xviii. 18., ubi verba: "Quæcumque alligaveritis," etc., quibus collata fuit potestas ferendi censuras, Apostolis solum eorumque successoribus dicta fuerunt.—Cf. S. Alphons. n. 9. et seqq.

948. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *An Episcopi hæretici, excommunicati, et suspensi, possint valide censuras ferre?*

RESP. *Affirm.*, si sint hæretici, excommunicati, vel suspensi occulti. Ratio est, quia Ecclesia ob bonum commune iis usum jurisdictionis non aufert. *Negative* vero est respondendum, si sint excommunicati vitandi, seu non tolerati, quia tunc omni ecclesiastica jurisdictione privantur. Quid vero, si sint quidem notorii, sed non vitandi? Videtur eos posse nihilominus censuras valide ferre, quia aiunt plures, hoc colligitur ex Constit. Martini V. *Ad evitanda*, ubi sancitur, excommunicatum toleratum, in eis quæ pertinent ad publicum officium, non esse vitandum, ne ab iis quidem qui id sciunt.—Cf. S. Alphons. n. 12.

QUAER. 2.° *An Episcopus possit ferre censuram, si sit extra diœcesim?*

RESP. *Affirm.*, si censura feratur per modum præcepti aut statuti ad futura crimina præcavenda, vel per modum sententiæ, quæ tamen non indigeat cognitione causæ et strepitu judiciali, vel, etiamsi strepitu judiciali indigeat, venia tamen facta sit ab Ordinario territorii.—*Negative* vero est respondendum, si censura ferri debeat cum strepitu judiciali, et licentiam neget Ordinarius loci. Excipe, nisi Episcopus vi expulsus a proprio territorio fuerit; tunc enim sufficit licentia a loci Ordinario petita, licet non obtenta.—Cf. Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 26.—S. Alphons. n. 21.

QUAER. 3°. *An vice versa Episcopus in sua diœcesi existens ferre possit censuram in subditum extra diœcesim existentem?*

RESP. *Affirm.*, si agatur de crimine in propria diœcesi commisso. Ratio est, quia secus delinquens a nullo puniri posset; et quamvis abierit, non tamen cessat jurisdictioni proprii Episcopi subesse. Nec obstat, quod citatio non possit fieri extra territorium; nam sufficit ad censuram incurrendam, ut reus in propria domo citetur aut in loco publico. Imo potest Episcopus censuram ferre in subditum delinquentem extra diœcesim, si agatur de re ad suam diœcesim pertinente: sic excommunicari possunt clerici qui, jussi accedere ad Synodum, non obtemperant; secus vero, saltem probabilius, si crimen extra territorium consummaretur. Excipe, nisi sermo sit de censura contra quempiam lata per modum præcepti specialis ad crimen præcavendum, ut probabilius docet S. Alphonsus, n. 23., et Laymann validis confirmat rationibus, lib. 1. tract. 5. part. 1. cap. 4. n. 7.

QUAER. 4°. *An Episcopus possit censura ligare subditum alienum in sua diœcesi delinquentem?*

RESP. *Affirm.*, et ratio est, quia omnis delinquens sortitur forum loci in quo delinquit. Sic ex jure can., lib. 2. tit. 2. *De Foro competenti*, cap. 3. Licet autem Episcopus probabilius non possit ferre censuram in peregrinum ante monitionem, potest tamen postquam is deliquerit in loco, et eum citaverit.—Cf. S. Alphons. n. 26., et *de Sacram. Pœnit.* n. 591.

ARTICULUS III.

DE SUBJECTO CENSURARUM.

949. ***Dico*** 1°. Subjectum censuræ esse potest solus homo baptizatus, rationis capax, et subditus. Igitur 1°. debet esse *baptizatus*, quia juxta Apostolum, Ecclesia non judicat de iis qui foris sunt; 2°. *rationis capax*, quia censura ordinatur ad correptionem delinquentis, quod sane locum non obtinet in eo qui usu rationis caret; 3°. *subditus*, quia censura est actus jurisdictionis, quæ nonnisi in subditos exerceri potest.

Dico 2°. Impuberes, licet censuris absolute ligari possint, attamen ob ætatis levitatem, ex indulgentia et benignitate Ecclesiæ, eas non incurrunt, nisi in lege specialiter expressum sit. Expressus autem in

jure duplex tantum casus invenitur, scilicet: 1°. si in monasteria Monialium ingressi fuerint; 2°. si clericos percusserint. *Primum* constat ex Trid. sess. 25. cap. 5. *Alterum* autem ex cap. *Pueris*, lib. 5. tit. 39. *de sententia excommunic.*—Cf. S. Alphons. n. 14.

950. ***Quæsita.***— Quaer. 1°. *An Episcopi et Cardinales censuris subjiciantur?*

Resp. Certo non possunt subjici censuris latis a seipsis, quia nemo est sui ipsius subditus, saltem quoad vim coactivam. Subjiciuntur autem censuris papalibus, quia Papa est omnium etiam Episcoporum superior. Attamen, ex privilegio juris, non ligantur neque interdicto neque suspensione, nisi, in decernendis iis censuris, *expressa* de ipsis *mentio habeatur.*—Ita ex cap. *Quia periculosum* 4. *de sent. excommunic.* in 6°.—Cf. S. Alphons. n. 15.

Quaer. 2°. *An Religiosi exempti ab Episcopo loci, censuris episcopalibus ligari possint?*

Resp. *Affirm.*, si Regulares, licet exempti, nullo privilegio speciali gaudeant, et delinquant circa ea in quibus, vi canonum et constitutionum, subjiciuntur Episcoporum jurisdictioni, v. gr., in observatione festorum quæ Episcopus indixerit servanda in sua diœcesi, vel in observatione censurarum ab Episcopo promulgatarum, etc. Ratio est, quia jurisdictio in foro externo inermis ad exequendum leges et statuta esse non potest. Si ergo in aliqua re Episcopus in Regulares jurisdictione pollet, eo ipso contra delinquentes procedere etiam per censuras potest. Qui enim contentiosam habet potestatem fori externi, uti illa potest in electione cujusvis pœnæ, præsertim vero spiritualis censuræ, qua ecclesiastici Prælati contra subditos procedunt. Ex communiori autem sententia Episcopi quoad hæc non ordinaria, sed delegata a Sede Apostolica potestate procedunt. Secus vero est respondendum, si sermo sit de illis Regularibus qui non solum generali exemptionis privilegio, sed præterea privilegio specialiori gaudent, vi cujus, licet aliis pœnis corrigi et coerceri possint ab Episcopis, non tamen puniri per censuras possunt.—Cf. Benedict. XIV. *de Synod. diœces.* lib. 9. cap. 15. n. 5.—S. Alphons. n. 241., et *Hom. Ap.* tract. 20. *de Privileg.* cap. 4.—Baller. not. (d) p. 953. et not. (a) p. 954.

Quaer. 3°. *An censuræ subjectum possit esse integra communitas?*

Resp. *Neg.*, quoad *excommunicationem*, nisi constet, omnes et singu-

las personas communitatis esse criminis participes, et in eo contumaciter persistere. Secus autem respondendum quoad *suspensionem*, ita tamen ut innocentes, si qui sint, feriat solum quoad functiones et jura ipsi communitati ut tali competentia, non vero quoad functiones ac jura quæ singulis singillatim competunt. *Affirmative* pariter respondendum quoad *interdictum;* quæ censura id habet singulare, ut, si generale sit, integram communitatem, et in hac etiam innocentes obstringat. Neque ideo tamen censuram ferens argui injustitiæ potest: quippe per tale interdictum proprie loquendo non puniuntur innocentes, sed Ecclesia justas ob causas sua beneficia et officia tam nocentibus quam innocentibus subtrahit.—Cf. Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 44. et 46.

QUAER. 4°. *An possit quis ligari pluribus censuris simul?*

RESP. *Affirm.*, nam nihil obstat quominus quis pluribus simul vinculis constringatur. Quemadmodum enim potest quis plura patrare peccata specie et numero diversa, ita etiam potest censuris specie et numero diversis simul innodari, v. gr., excommunicatione, suspensione (si clericus sit), et interdicto, nec non pluribus excommunicationibus, etc. Imo ob unum delictum potest quis ligari simul a jure et ab homine, a Papa et ab Episcopo, ita ut ab utroque absolvi debeat, modo alter superior novam intendat pœnam imponere. Hinc,

1°. Si quis unico actu duo committat peccata specie diversa, quorum unicuique sit annexa censura, duas incurret censuras, v. gr., qui clericum occidat in loco ubi homicidium sub pœna censuræ prohibetur. Secus vero si peccatum illud unicum non habeat malitias specie diversas.

2° Si quis iteret idem crimen, cui est annexa censura actu moraliter distincto a primo, iterum eamdem incurrit censuram; secus vero, si actus repetiti non sint inter se moraliter distincti. Sic percutiens clericum ter vel quater, posito notabili intervallo inter singulas percussiones, incurrit tres vel quatuor censuras, dum unicam incurrit, si eum pluries continuo percutiat.—Cf. S. Alphons. n. 28.

ARTICULUS IV.

DE ABSOLUTIONE A CENSURIS.

951. ***Dico*** 1°. Censuræ non solvuntur per solam delinquentis pœnitentiam vel obedientiam erga Ecclesiæ mandata, nec per mortem illius qui censuram tulit; sed necessaria est absolutio a judice seu superiore legitimo impertita. Constat tum ex cap. *Cum desideres, de sent. excom.*, tum ex prop. 44. ab Alexand. VII. damnata, quæ sic jacet: "Quoad forum conscientiæ, reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ."—Cf. Viva in hanc prop.

Dico 2°. Neque a censuris *a jure reservatis*, neque a censuris ab homine per *sententiam particularem* latis absolvere possunt simplices confessarii, sed tantum 1°. qui hujusmodi censuras tulit; 2°. ejus superior; 3°. ejus successor; 4°. alius ab horum quopiam delegatus. Ratio est, quia ejus est absolvere cujus est ligare.—At quilibet confessarius absolvere potest a censuris *a jure* quæ reservatæ non sint Papæ vel Episcopo; item a censuris ab homine per *sententiam generalem* latis.—Cf. S. Alphons. n. 70. et 72.

Dico 3°. Quilibet sacerdos etiam non approbatus absolvere potest a qualibet censura eos, qui positi sunt in articulo mortis.—At de conditionibus sub quibus id facere possint, sicut etiam quandonam possunt Episcopi a casibus papalibus absolvere eos qui sunt extra periculum mortis, videas quæ dicta sunt in tract. de Pœnit. n. 783. et ubi de privileg. Episcoporum, n. 603.

952. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *Quid venit nomine absolutionis ad reincidentiam?*

RESP. Absolutio ad reincidentiam est quædam species absolutionis conditionalis, non quatenus ille qui eam receperit vere absolutus non sit, sed quatenus adimplere debeat quasdam conditiones a jure vel ab homine appositas, quas nisi adimpleat, iterum incidit in eamdem censuram ob *novam contumaciam*.—Exemplum habes in absolutione data sacerdoti qui attentaverit absolvere suum complicem in peccato turpi, juxta facultates Episcopis nostris concessas.—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. p. cxlvi.—S. Alphons. n. 87. et 125.

QUAER. 2°. *Utrum generalis concessio absolvendi a censuris Papæ*

reservatis sufficiat, ut quis absolvere possit etiam ab iis quæ sunt specialiter reservatæ?

Resp. *Neg.*, et ratio est, quia quidquid est specialiter reservatum requirit specialem concessionem. Imo confessarii, qui extra mortis articulum, absolvere quemque præsumunt absque debita facultate, etiam quovis prætextu, ab una ex censuris quæ sunt *specialiter* reservatæ, incurrunt ipso facto in excommunicationem Papæ *simpliciter* reservatam.— Cf. Const. *Apostol. Sedis*, § *A quibus*.— S. Alphons. n. 113.

Quaer. 3°. *An requiratur, ad valide absolvendum, determinata quædam verborum forma?*

Resp. *Neg.*, sed sufficit et requiritur voluntas absolvendi signo aliquo externo manifestata.—Verum in praxi pro foro interno utatur confessarius illa formula quæ habetur in ipsa sacramentali absolutione, et pro foro externo ea quæ describitur in Rituali Romano, omissa levi humeri percussione cum virga, quæ difficile admodum posset executioni mandari, inspectis moribus nostris.—Cf. S. Alphons. n. 116.—Kenrick, tract. 22. n. 51.

Quaer. 4°. *An possit absolvi absens?*

Resp. *Affirm.*, saltem quoad validitatem, et ratio est, quia sicut pœna potest statui in absentem, ita et tolli potest. Excipe nisi lex aut superior aliter statuat, v. gr., si præcipiat, ut quis a tali censura non absolvatur extra sacramentum Pœnitentiæ, prout decisum fuisse a Gregorio XIII. quoad absolutionem episcopalem casuum papalium occultorum, affirmat S. Alphonsus, n. 117. et 126.

Quaer. 5°. *An Episcopus absens absolvere possit existentem in diœcesi?*

Resp. *Affirm.*, et ratio est, quia ad absolutionem non requiritur cognitio causæ, nec strepitus judicialis; et proinde nihil obstat, quominus Episcopus talem actum jurisdictionis in alieno territorio exerceat. Secus tamen, si judicialis strepitus quandoque requiratur.—Cf. S. Alphons. n. 21.

Quaer. 6°. *An possit absolvi invitus?*

Resp. *Affirm.*, et ratio eadem est, ac mox allata: etenim sicut pœna in absentem et invitum ferri potest, sic etiam ab eo auferri; attamen id fieri non expedit sine ratione valde gravi, et cavendo ne dum ille

a contumacia non cessat, censura contemptui habeatur.—Cf. S. Alphons. n. 117.

QUAER. 7°. *An ille, qui est obstrictus pluribus censuris, possit absolvi ab una, remanentibus aliis?*

RESP. *Affirm.*, et ratio est, quia inter eas non est necessaria connexio; et peccata quidem mortalia absolvi alia sine aliis nequaquam possunt; secus autem est de censuris, quarum absolutio non confert gratiam sanctificantem censurato. Habentur ergo instar catenarum, quarum aliæ sine aliis solvi possunt.

QUAER. 8°. *Utrum absolvi possit a censuris ille qui nondum publice reparavit scandalum, propter quod censuræ subjacebat?*

RESP. *Neg.*, saltem *per se* et generatim loquendo, seu quamdiu reparatio possibilis est, aut nimia non affert incommoda. Constat ex Declaratione S. Pœnit. die 5. Julii, 1857.—Et idem omnino dicendum est de illo qui nondum reparavit damnum vel injuriam, propter quæ censuræ subjacet. Is enim nisi prius parti læsæ satisfaciat, aut, si non possit satisfacere, promittat saltem se satisfacturum, illicite absolvitur etiam ab Ordinario, imo et invalide absolvetur a delegato, cujus potestas tali satisfactioni præstandæ, ceu conditione, adnecteretur.—An autem in Indultis pontificiis clausula hæc, *satisfacta parte*, apponatur semper tanquam *conditio sine qua non*, probabiliter utrinque controvertitur.—Cf. S. Alphons. n. 121.

CAPUT II.

DE CENSURIS SPECTATIS IN SPECIE.

Jam superius dictum est tres esse censuras, scilicet excommunicationem, suspensionem, et interdictum: nunc de unaquaque dicendum venit quid et quotuplex sit, et quosnam effectus producere possit.

ARTICULUS I.

DE NATURA, DIVISIONE ET EFFECTIBUS EXCOMMUNICATIONIS.

§ I. De natura et divisione excommunicationis.

953. *Excommunicatio* est censura, per quam quis privatur communione Ecclesiæ; seu censura, qua Christianus bonis spiritualibus Ecclesiæ communibus, quorum distributio ad ipsam pertinet, vel om-

nino vel ex parte privatur. Separat igitur excommunicatum a societate seu communione visibili fidelium, et bonis quæ eam, ut talis est, consequuntur.

Distinguitur excommunicatio in *majorem*, quæ privat omnibus bonis Ecclesiæ communibus, et *minorem*, quæ bonis aliquibus tantum privat. *Major* in jure nonnunquam *anathema* vocatur; atque tunc præsertim, quando propter hæresim vel hæresis suspicionem infligitur, aut peculiaribus quibusdam adhibitis cæremoniis solemnius denuntiatur. Insuper excommunicati excommunicatione *majori*, alii dicuntur *tolerati*, quos fideles non tenentur vitare; alii *non tolerati* seu *vitandi*, quos vitare debent.—Ita ex Martini V. Bulla in Synodo Constantiensi, qua temperatus est rigor antiquæ disciplinæ (nam olim omnes excommunicati excommunicatione *majori* vitandi erant), et quæ sic habet: "Ad evitanda scandala et multa pericula, subveniendumque conscientiis timoratis, omnibus Christi fidelibus tenore præsentium, misericorditer indulgemus, quod nemo deinceps a communione alicujus in sacramentorum administratione vel receptione, aut aliis quibuscumque divinis vel extra, prætextu cujuscumque sententiæ aut censuræ ecclesiasticæ a jure vel ab homine generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum ecclesiasticum observare, nisi sententia, prohibitio, suspensio, vel censura hujusmodi fuerit in vel contra personam, collegium, universitatem, ecclesiam, aut locum certum, aut certam, a judice publicata, vel denuntiata specialiter et expresse. Per hoc tamen hujusmodi excommunicatos, suspensos, interdictos, seu prohibitos, non intendimus in aliquo relevare, neque eis quomodolibet suffragari."

954. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *An, ut vitari debeat excommunicatus, sufficiat ut sit publice notus, quatenus talis?*

RESP. Non sufficit notorietas quælibet; sed requiritur ut factum istius excommunicationis sit juridice notorium, scilicet ut reus a judice competente fuerit nominatim et publice excommunicatus, vel denuntiatus ut jam excommunicatione ligatus. Ille vero est nominatim excommunicatus, qui, expresso vel non expresso nomine, designatur verbis aut signis adeo indubiis, ut ab aliis omnino secernatur.—Cf. S. Alphons. n. 136. et 137.—Attamen,

Adverte 1°. quod, licet non tenearis vitare excommunicatum non de-

nuntiatum, potes tamen eum vitare, etiam publice, si publice notus est ut excommunicatus.—Cf. S. Alphons. ibid.

Adverte 2°. quod in Bulla Martini V. excipiebatur qui sacrilegas manus in clericum injecisset, ita ut ejus delictum neque aliqua tergiversatione celari, neque ullo pacto excusari posset. Is, inquam, statim, et ante ipsam judicis sententiam, incurrebat excommunicationem, atque vitari debebat. Verum exceptio illa in desuetudinem abiisse videtur, neque ipsius ulla mentio habetur in Const. *Apostolicæ Sedis*, iis in locis quibus non opportuna solum, sed et necessaria quodammodo foret, v. gr., *Excomm. simpl. reserv.* 16. et 17., et *Interd. reserv.* 2.—Unde eam nunc amplius non vigere probabilissimum est, ne dicam certum.—Cf. *Acta S. Sedis*, vol. 6. App. 2.

QUAER. 2°. *Quid de excommunicatione* minori *tenendum sit?*

RESP. Ex jure novo per Bullam *Apostolicæ Sedis* instituto nullus casus jam existit, in quo, lege saltem Ecclesiæ generali, excommunicatio *minor* incurratur. Quod autem ad jus anterius spectat, hæc pauca teneto:

1°. Non incurrebatur nisi propter *communicationem* cum vitando. Hinc in illa jam Ecclesiæ disciplina rarissima erat, cum valde raro excommunicati vitandi apparerent.

2°. Privabat tantum perceptione sacramentorum, et electione passiva ad beneficia et dignitates Ecclesiæ. Hinc non privabat facultate administrandi sacramenta. Et proinde neque graviter peccabat, neque probabilius *venialiter*, qui irretitus tali excommunicatione sacramenta ministrabat.

3°. Quilibet sacerdos ab Episcopo approbatus ab illa absolvere poterat. Sic enim invaluerat usus.

§ II. De effectibus excommunicationis.

955. Effectus excommunicationis alii sunt *mediati*, alii vero *immediati*, prout ex violatione dumtaxat censuræ, vel ex ipsamet censura oriuntur.—*Mediati*, duo præcipue numerantur, nempe 1°. *irregularitas* quam incurrit excommunicatus actum alicujus Ordinis exercendo, v. gr., conferendo sacramenta; 2°. *suspicio hæresis* in quam incidit ille, qui toto anno in excommunicatione contumaciter *insordescit*, id est, animo obdurato, et cum contemptu potestatis ecclesiasticæ perseverat;

ex quo fit, ut contra ipsum procedi possit usque ad beneficiorum ante excommunicationem obtentorum privationem.—Cf. Conc. Trid. sess. 25. cap. 3. *de Reform.*

Effectus autem excommunicationis *immediati* octo numerantur, scilicet: 1°. privatio sacramentorum; 2°. privatio divinorum Officiorum; 3°. privatio suffragiorum Ecclesiæ; 4°. privatio sepulturæ ecclesiasticæ; 5°. privatio jurisdictionis ecclesiasticæ; 6°. privatio beneficiorum; 7°. privatio communicationis forensis; 8°. privatio societatis civilis.

Bona, quibus privat excommunicatio, his versiculis comprehenduntur:

Res sacræ, ritus, communio, crypta, potestas,
Prædia sacra, forum, civilia jura vetantur.

I.—Privatio Sacramentorum.

956. Excommunicatio privat tum jure sacramenta recipiendi, tum ea administrandi. Hinc:

1°. Nisi excusetur ignorantia invincibili, vel metu gravi (qui tamen non sit incussus in contemptum censuræ,) *graviter peccat* excommunicatus, sive vitandus sive etiam toleratus, sacramenta suscipiens, quia gravem violat Ecclesiæ legem.— *Valide* autem illa recipit, excepta Pœnitentia. Imo ne ea quidem excepta, modo sit alias dispositus, et bona fide propter invincibilem ignorantiam accedat: tunc enim adsunt omnia ad substantiam sacramenti requisita, scilicet, ex parte pœnitentis materia, seu dolor sufficiens, ex parte confessarii forma, ut supponitur, intentio et jurisdictio, quæ nullo jure ab ipso aufertur.

2°. Extra casum necessitatis, excommunicatus vitandus semper, toleratus vero nisi fuerat ad id requisitus, *graviter peccat*, si conficiat vel administret sacramenta; præterea incurrit irregularitatem.— *Valida* est tamen confectio vel administratio sacramenti, excepta absolutione collata ab excommunicato vitando, qui, ita statuente Ecclesia, omni prorsus jurisdictione privatur.

3°. *Graviter peccant* saltem per se, et nisi gravissima causa excusentur Ecclesiæ Ministri, qui sacramenta conferunt excommunicatis sive vitandis, sive simpliciter toleratis, cum sint indigni. Attamen non peccat contra prohibitionem Ecclesiæ, sed tantum contra jus divinum, ille qui confert sacramenta solis toleratis. Ratio est, quia Ecclesia non prohibet amplius communionem, etiam in divinis, cum

toleratis. Peccat autem contra jus divinum, quia non licet unquam *dare sancta canibus.*—Conferens autem sacramenta nominatim excommunicato, interdictum ab ingressu Ecclesiæ ipso jure incurrit, ex Bulla *Apostolicæ Sedis.*

4°. *Graviter* denique *peccant* qui sine necessitate ab excommunicato vitando scienter recipiunt sacramenta. Imo suspensionem ab Ordine suscepto ipso jure incurrunt, qui eumdem Ordinem recipere præsumpserunt a nominatim denuntiato, aut ab hæretico vel schismatico notorio: is vero, qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habet Ordinis sic suscepti, donec dispensetur.—Cf. Const. *Apostolicæ Sedis,* inferius citandam.—S. Alphons. n 158. 165. et seqq.—Baller. not. (a) p. 972.

II.—Privatio divinorum Officiorum.

957. Officia divina intelliguntur Missa, publicæ Processiones, Vesperæ solemniter decantatæ, solemnis Benedictio, consecratio Chrismatis, aliæque hujusmodi cæremoniæ, quæ fiunt ex instituto Christi vel Ecclesiæ, vel quæ propriæ sunt Ordinis clericalis, ut cantus Epistolæ vel Evangelii cum ornamentis propriis, sepultura ecclesiastica. Hinc:

1°. Quilibet excommunicatus prohibetur sub gravi ab auditione Missæ, omnibusque aliis divinis Officiis proprie publicis, etiam diebus præceptis. Patet ex cap. *Alma* 24. *de sentent. excomm. in Sexto.*—Imo si sermo sit de excommunicato vitando, monendus est ut exeat dum fit sacrificium Missæ, quod si noluerit expellendus est etiam vi si opus fuerit; si vero expelli non possit, Missa, si nondum Canon inceperit, abrumpenda est; et si facta sit consecratio, subjungenda est sumptio, et dein ad sacristiam recedendum: si incœptus sit Canon potest sacerdos Missam vel abrumpere vel prosequi usque ad Communionem, cæteris tamen abeuntibus.—Verum apud nos conceditur Episcopis et ab iis sacerdotibus fere omnibus facultas "celebrandi præsentibus hæreticis, schismaticis, infidelibus et *excommunicatis* si aliter celebrari non possit." —Cf. S. Alphons. n. 175.—Baller. not. (a) p. 974.

2°. Potest tamen excommunicatus etiam vitandus orare in eodem loco, in quo alii orant, sed seorsim, et separatus a cœtu fidelium: potest etiam interesse concioni, lectioni Scripturæ sacræ, et theologiæ: quia hæc non veniunt nomine Officiorum divinorum, et Ecclesia libenter

hæc ei permittit, ut ad conversionem inducatur.—Cf. S. Alphons. n. 174. et 177.

3°. Potest etiam uti imaginibus, reliquiis, aqua benedicta et aliis rebus sacris, ut gratias, quibus indiget, obtineat. Non tamen lucratur Indulgentias rebus sacris adnexas, nec percipit ex aqua benedicta et aliis sacramentalibus fructum, qui ex benedictione Ecclesiæ provenit. —Cf. S. Alphons. n. 174.

4°. Excommunicatus, ad Horas canonicas obligatus, ab iis non dispensatur: sed eas privatim recitare debet, nec socium adhibere potest (quamvis si adhiberet, secluso scandalo vel contemptu, peccaret tantum venialiter), nisi sit toleratus. Nec potest dicere: *Dominus vobiscum;* sed ejus loco dicère debet: *Domine, exaudi orationem meam.* Attamen dicendo: *Dominus vobiscum,* venialiter tantum peccaret.—Cf. S. Alphons. n. 178.

III.—Privatio suffragiorum communium Ecclesiæ.

958. Suffragia Ecclesiæ sunt vel communia, vel privata. Suffragia *communia* ea sunt, quæ fidelibus proveniunt ex bonis operibus nomine Ecclesiæ factis ab ejus Ministris; ut sunt Missæ, Horæ canonicæ, aliæque operationes et opera quæ fiunt ab Ecclesiæ Ministris prout tales sunt, et nomine ipsius Ecclesiæ aguntur. Ad hæc etiam revocari debent satisfactiones Christi, B. Virginis et Sanctorum, quæ thesaurum Ecclesiæ constituunt, et a Prælatis Ecclesiæ per Indulgentias applicantur. —Suffragia autem *privata* ea sunt, quæ proveniunt ex bonis operibus quæ fideles proprio nomine peragunt. Talia sunt jejunia, orationes, aliaque bona opera quæ a privatis fidelibus, vel Ecclesiæ Ministris ceu personis privatis fiunt.—Hinc:

1°. Excommunicati *vitandi* privantur omnibus suffragiis communibus Ecclesiæ. Patet, quia Ecclesia jure suo prohibet, ne pro illis oretur, vel ulla pars bonorum suorum ad eos deveniat. Et hoc valet, etiamsi essent contriti et ad meliorem vitam conversi, quia adhuc excommunicatio perdurat.—Cf. S. Alphons. n. 162.

2°. Neque *tolerati*, neque etiam *vitandi* privantur suffragiis privatis. Ratio est, quia non prohibentur fideles orare privatim pro excommunicatis, etiam in ecclesia, et loco publico; ergo bonorum operum fructum eis applicare possunt.—Cf. S. Alphons. n. 163.

3°. Excommunicati *tolerati* non privantur suffragiis communibus. Ratio est, quia Ecclesia non prohibet amplius fidelibus communicare cum toleratis, ut deducitur *ex dictis supra.*—Cf. S. Alphons. n. 164.

IV.—Privatio sepulturæ Ecclesiasticæ.

959. Sepultura ecclesiastica ea est, quæ fit in loco sacro, seu ad sepulturam fidelium benedicto. Hinc:

1°. Excommunicatus *vitandus* nequit in loco sacro sepeliri; si vero in tali loco sepultus fuerit, ejus cadaver erui debet, si adhuc fieri possit, et locus sacer tali contactu pollutus expiandus est. Excipe nisi ante mortem dederit signa pœnitentiæ: tunc enim donari poterit ecclesiastica sepultura, modo prius ab excommunicatione absolvatur.—Cf. S. Alphons. n. 186.

2°. Excommunicatus *toleratus* pariter sepultura ecclesiastica privatur, nisi signa pœnitentiæ dederit; et si in loco sacro fuerit sepultus, inde extrahendus est. Attamen locus non censetur pollutus, nec proinde expiatione indiget.

3°. Mandantes autem seu cogentes tradi ecclesiasticæ sepulturæ hæreticos notorios aut nominatim excommunicatos vel interdictos, excommunicationi nemini reservatæ subjiciuntur.—Sic ex Bulla *Apostolicæ Sedis.*

V.—Privatio jurisdictionis Ecclesiasticæ.

960. 1°. Excommunicatus *vitandus* omni jurisdictione ecclesiastica, seu potius ejusdem exercitio et usu privatur. Unde non potest absolvere in foro pœnitentiæ, nec leges aut censuras, aut sententias ferre, nec eligere ad beneficia aut ea conferre, etc. Si autem talia ageret, nulla prorsus et irrita forent.—Cf. S. Alphons. n. 185.

2°. Excommunicatus *toleratus*, etsi *notorius*, valide jurisdictionem exercet, quia alias magna confusio in Ecclesia oriretur. Ejusdem tamen acta per exceptionem seu oppositionem excommunicationis infirmari ac repelli possunt, et ipse illicite agit extra casum necessitatis, aut nisi rogatus fuerit; et quidem in re gravi a peccato mortali excusari nequit. Si autem rogatus fuerit, non peccat, etiamsi sacramenta sine causa ministret. Cum enim concessa sit fidelibus communicatio cum toleratis, indirecte etiam his indultum est cum fidelibus petentibus communicare. Hoc tamen valet, quatenus sacramenta petuntur ab

excommunicato; nam quatenus petuntur a Ministro existente in mortali, ad licite petendum requiritur justa causa.—Cf. S. Alphons. n. 149. et *de Sacram. in genere.* n. 88.

VI.—Privatio beneficiorum.

961. 1°. Excommunicatus quilibet, sive *toleratus*, sive *vitandus*, fit prorsus inhabilis ad beneficia ecclesiastica obtinenda. Ratio est, quia beneficium datur propter officium; excommunicatus autem officii prorsus incapax est: ergo etiam beneficii. Excipe, si beneficium ab ipso Papa conferretur.—Cf. S. Alphons. n. 180.

2°. Non tamen excommunicatio privat beneficio jam obtento, nec ejus fructibus, ante sententiam judicis. Ratio est, quia neutrum in jure clare exprimitur. Si tamen per annum negligat obtinere absolutionem, per judicem beneficio privari potest.—Cf. S. Alphons. ibid.

3°. Excommunicatus accipiens beneficium, et ille a quo accepit, peccant graviter, quippe qui contra gravem prohibitionem Ecclesiæ agunt. —Cf. S. Alphons. ibid.

VII.—Privatio communicationis forensis.

962. Communicatio forensis intelligitur communicatio in iis quæ pertinent ad judicium sive civile, sive ecclesiasticum.

1°. Excommunicatus *vitandus* privatur omni actu ad judicium pertinente in foro civili. Proinde nequit esse judex, advocatus, actor, testis, tabellio, procurator, etc. Pariter nequit esse tutor, curator, aut executor testamenti.—Ita ex cap. *A nobis* 2. *de Except.*, et cap. *Pia* 1. *de Except.* in 6°.—Cf. S. Alphons. n. 184.—Adverte tamen quod prædictæ juris dispositiones hodie plerisque in locis, uti apud nos, usum non obtinent.

2°. *A fortiori* privatur *vitandus* omni communicatione in foro ecclesiastico. Attamen potest appellare, et appellationem prosequi.—Ita ex *jure canonico*, cap. *Cum inter* 5. *de Except.*

3°. Excommunicatus *toleratus* nulla communicatione forensi privatur ipso facto; unde valide agit, si ea utatur; sed juridice repelli per exceptionem tum ab adversariis, tum a judice potest. Cf. S. Alphons. ibid.

VIII.—Privatio societatis civilis.

963. Actiones civiles, in quibus cum vitando non licet communiter consortium habere, hoc versiculo continentur :

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

1°. *Os*, id est, colloquia, litteræ, signa benevolentiæ.

2°. *Orare*, quælibet communicatio in divinis, v. gr., assistere Missæ, vel officiis publicis Ecclesiæ.—Cf. Const. *Apostolicæ Sedis*, n. 17. excommunicationum quæ simpliciter Rom. Pont. reservantur.

3°. *Vale*, salutationes omnino particulares.

4°. *Communio*, quælibet societas negotii, habitationis, contractus, cooperationis, etc.

5°. *Mensa*, invitatio reciproca ad mensam.—Cf. S. Alphons. n. 188. Causæ autem graves excusare possunt communicationem reciprocam inter excommunicatum vitandum et fideles, scilicet necessitas, bonum spirituale excommunicati ipsius, conjunctio matrimonialis, status subjectionis, v. gr., filiifamilias minores, ignorantia sive juris, sive facti.—Cf. S. Alphons. ibid.

Hæc autem omnia de solis *vitandis* dicuntur; quamvis enim *toleratis* minime faveat privilegium Martini V., ex hodierna tamen consuetudine isti non amplius peccant in civilibus communicando cum fidelibus, etiamsi ab ipsis non fuerint requisiti. Verumtamen haud licite communicare hi possunt cum fidelibus in divinis, quia privilegium his tantum, non vero illis favet. Patet ex declaratione S. Pœnitentiariæ, die 5. Julii, 1867.

ARTICULUS II.

DE NATURA, DIVISIONE, ET EFFECTIBUS SUSPENSIONIS.

964. Suspensio est censura qua clericus privatur ad tempus, ex parte vel toto, usu potestatis, quam habet ratione Ordinis, officii, vel beneficii.—Dixi *censura*, quia *per se* fertur in medicinam per modum monitionis, ut delinquens a contumacia desistat. Quare 1°. differt a depositione et degradatione, quæ sunt meræ pœnæ et perpetuæ in vindictam criminis; 2°. differt ab irregularitate, quæ non est *per se* pœna, sed merum impedimentum, seu inhabilitas non solum ab exercenda potestate ecclesiastica, sed etiam ab ea recipienda impediens.—Attamen suspensio non

est necessario et essentialiter censura; aliquando enim fertur vel ad certum tempus, vel in perpetuum, ad puniendam culpam mere præteritam et proinde tunc non est medicinalis. Constat ex praxi Ecclesiæ, et ex lib. 2. *Decretal.*, tit. 20. cap. 33.

Suspensio duplex distinguitur; est enim: 1°. *totalis*, qua clericus arcetur ab omni functione, vel jure ecclesiastico; 2°. *partialis* qua functione vel jure aliquo tantum privatur.—Suspensio autem *partialis* triplex est: 1°. *ab Ordine*, quæ privat exercitio functionum Ordinis, v. gr., celebratione Missæ, cantu solemni Evangelii, Epistolæ, etc.; 2°. *ab officio*, quæ privat usu tum Ordinis, tum jurisdictionis, sive in foro externo, sive etiam in foro interno; 3°. *a beneficio*, quæ privat reditibus et administratione beneficii. Hæc autem singula iterum in suspensionem *totalem* vel *partialem* sive Ordinis, sive officii, sive beneficii, subdividi possunt.—Cf. S. Alphons. n. 315. et seqq.

965. ***Dico*** 1°. Peccat graviter clericus suspensus, si actum Ordinis sacri vetitum solemniter exerceat, nisi ignorantia invincibili, aut alia legitima causa, v. gr., necessitatis excusetur. Ratio est, quia in re gravi Ecclesiæ resistit. Potest tamen facere ea omnia quæ a laicis fieri solent, v. gr., canere in choro more laicorum, etc. Suspensus autem ab Ordine, si hunc exerceat, non solum graviter peccat, sed etiam irregularitatem incurrit, ut suo loco dicemus.

Dico 2°. Suspensio *absolute* et *simpliciter*, sine ulla determinatione ad hoc vel illud, semper censetur *totalis*, et proinde privat omni usu Ordinis, jurisdictionis et beneficii. Suspensio vero *partialis* privat ea tantum parte hujus potestatis, quæ in lege, vel statuto, vel mandato aut sententia exprimitur.

Dico 3°. Suspensio ab Ordine *absolute* et *simpliciter* privat exercitio et usu cujuscumque Ordinis, sive majoris, sive minoris. Suspensio a jurisdictione privationem omnis jurisdictionis importat.

Dico 4°. Suspensio ab officio *simpliciter* et sine limitatione privat usu tum jurisdictionis tum Ordinis, seu cujuscumque ministerii ecclesiastici; ac proinde Parochus ab officio suspensus, nec Missam celebrare, nec prædicare, nec officiis præesse, nec sacramenta ministrare potest. Hinc:

1°. Suspensus simpliciter ab Ordine non intelligitur suspensus a juris-

dictione, et vice versa. Suspensus ab Ordine superiore, non ideo ab inferiore est suspensus. Item suspensus a beneficio non censetur suspensus ab officio, nec vice versa.

2°. Non incurritur irregularitas violatione suspensionis latæ propter delictum mere præteritum, vel in perpetuum. Ratio est, quia tunc non est violatio censuræ. *A fortiori*, si suspensio facta fuerit propter defectum inculpabilem mentis vel corporis. Nec incurritur per exercitium cujuslibet actus, a quo quis fuit suspensus, præter exercitium solemne Ordinis sacri.—Cf. S. Alphons. n. 314. et seqq.

3°. Episcopus suspensus a pontificalibus, si Missam celebraret, etiam cum pontificalibus, non incurreret irregularitatem ; quia non exerceret actum substantialem Ordinis episcopalis.—Cf. S. Alphons. n. 314. et seqq.

4°. Actus Ordinis clerici suspensi non dependentes a jurisdictione sunt validi ; quia Ecclesia nequit tollere potestatem Ordinis, sed tantum illius exercitium prohibere potest. Actus vero jurisdictionis sunt invalidi, si suspensus sit nominatim denuntiatus, quia privatur actuali jurisdictione ; validi autem sunt, si non sit denuntiatus, quia Ecclesia, eo ipso quod tolerat suspensum, ob bonum fidelium ei non adimit jurisdictionem.—Cf. S. Alphons. n. 314. et seqq.

966. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *An sacerdos suspensus absolvi possit a peccatis per simplicem confessarium, antequam a censura solvatur per superiorem ?*

RESP. *Affirm.*, et ratio est, quia effectus suspensionis non est privare receptione sacramentorum. Sufficit igitur, si sit dispositus ad sacramentum Pœnitentiæ, scilicet sit saltem attritus de peccatis, et promittat se esse procuraturum quamprimum, quantum in se erit, absolutionem a censura, et interim se potestate vel juribus prohibitis usurum non esse.

QUAER. 2°. *Quomodo tollatur suspensio ?*

RESP. Si suspensio rationem habeat *censuræ*, tollitur ut excommunicatio, scilicet per solam absolutionem, et quidem superioris, si sit reservata ; attamen si lata fuerit ad certum tempus determinatum, vel sub conditione, cessat per seipsam, transacto tempore, vel adimpleta conditione statuta. Si vero imposita sit *in perpetuum* propter culpam omnino præteritam, tollitur, ut mera pœna, per solam dispensationem Prælati, vel ejus delegati, quia tunc non est censura.

QUAER. 3°. *Quænam forma adhibenda sit ad tollendam suspensionem?*

RESP. Si suspensio occulta sit, tollitur per absolutionem sub forma generali: *Absolvo te ab omni vinculo*, etc. Si publica sit, *in foro interno* tollitur eadem forma: in *foro* vero *externo* adhibenda est forma solemnis in Rituali determinata. Solemniter autem nemo a suspensione absolvere potest nisi ipse superior aut alius specialiter ad hoc delegatus.

QUAER. 4°. *An sacerdos simpliciter approbatus absolvere possit suspensum a censura in articulo mortis, si superior aut delegatus desit?*

RESP. Negant non pauci ea ducti ratione, quod nulla appareat causa cur Ecclesia ei conferat talem potestatem; suspensio enim non privat facultate recipiendi sacramenta, si excipias promotionem ad Ordinem superiorem. Sufficit igitur ad salutem æternam, ut suspensus in tali periculo constitutus a peccatis absolvatur. Alii tamen probabiliter censent, sacerdotem in hoc casu moribundum absolvere posse. Ratio est, quia Conc. Trident. generaliter et indistincte dicit *a quibusvis censuris;* atque adeo cum nullam censuram excipiat, nostrum non est distinguere, et exceptionem apponere. — Cf. Diana, tom. 5. tract. 1. Res. 205.

APPENDICULA.

DE DEPOSITIONE ET DEGRADATIONE.

967. *Depositio* et *degradatio* sunt pœnæ gravissimæ, suspensioni valde affines, et ipsi assimilari solent, quia solos afficiunt clericos, et privationem jurium et beneficiorum ecclesiasticorum inducunt. Attamen non sunt proprie censuræ, quia ratione tantum pœnæ, non vero medicinæ infliguntur.

Depositio est pœna ecclesiastica, qua clericus privatur usu potestatis ecclesiasticæ, et omni titulo *radicali* ad eam exercendam, necnon omni jure ad beneficia valide possidenda, idque in perpetuum. Est igitur *per se* pœna irremissibilis.

Degradatio est solemnis privatio omnium titulorum, bonorum, privilegiorum, et bonorum ecclesiasticorum, ita ut degradatus, solo remanente Ordinis charactere indelebili, ad conditionem laicalem reducatur.

Hinc differt a *depositione*, 1°. quia degradatio est solemnis privatio bonorum ecclesiasticorum, depositio autem non ita; 2°. quia degradatio privat utroque privilegio clericali, scilicet canonis et fori, depositio autem his privilegiis non privat. Quare percutiens depositum incurrit excommunicationem; non vero si in degradatum violentas manus injiciat; a laico enim non differt, quamvis teneatur ad Horas canonicas et ad votum castitatis.

Degradatio non potest infligi, nisi pro immanibus sceleribus, cujusmodi sunt crimen hæresis manifestum, falsificatio Litterarum Apostolicarum, sodomia frequentata et notoria, gravissima calumnia Episcopo apposita, etc.—Cf. S. Alphons. n. 324. et seqq.

ARTICULUS III.

DE NATURA, DIVISIONE, ET EFFECTIBUS INTERDICTI.

968. Interdictum est censura qua in pœnam alicujus criminis usus divinorum Officiorum, aliquorum sacramentorum, et sepulturæ ecclesiasticæ certis personis aut in quibusdam locis prohibetur. Hinc differt interdictum 1°. ab excommunicatione, quæ majoribus bonis privat, nec loca, sed solas personas afficit; 2°. a suspensione quæ solos afficit clericos, et eatenus tantum privat rebus sacris, quatenus sunt usus alicujus ministerii ecclesiastici, non vero quatenus sunt bona fidelium; insuper interdictum afficit loca, et privat sepultura ecclesiastica, non vero suspensio; 3°. ab irregularitate et a cessatione a divinis, quæ proprie et per se non habent rationem pœnæ, nec proinde censuræ.—Cf. S. Alphons. n. 328. et seqq.

Interdictum est multiplex, scilicet: 1°. *personale, locale*, vel *mixtum*, prout immediate afficit personam, vel locum, vel utrumque simul; 2°. *generale*, vel *particulare*, prout extenditur ad totam regionem, civitatem et communitatem, vel ad oratorium, ecclesiam particularem, aut personas determinatas restringitur; 3°. *totale*, vel *partiale*, prout omnes effectus interdicti, vel aliquos tantum, v. gr., *ab ingressu Ecclesiæ* producit.

969. ***Dico.*** 1°. Interdictum generale non cadit nisi in personas vel loca designata.—Hinc, 1°. interdicto clero alicujus loci, non ideo interdicitur populus, nec interdicuntur Regulares, et vice versa; 2°. interdicta civitate, incolæ innocentes non sunt interdicti, et alio

ire possunt, ut divinis Officiis intersint: 3°. interdictis civibus urbis, ecclesiæ interdicto non subjacent; ibique peregrini Officiis adesse possunt. Episcopi autem semper eximuntur, nisi specialiter designati fuerint.

Dico **2°.** Interdictum sine limitatione in aliquod totum, omnes ejus partes afficit.— Hinc, 1°. interdictum civitatis involvit omnes illius urbis ecclesias, etiam exemptas a jurisdictione interdicentis, quia tunc a jure interdicuntur; 2°. interdictum familiæ vel communitatis singula ejus membra complectitur; 3°. interdictum ecclesiæ extenditur ad singula sacella quæ in ea continentur; non autem sacelli ad ecclesiam.

Dico **3°.** Interdictum latum in certa loca, v. gr., castrum aut civitatem, afficit etiam suburbia et ædificia contigua. Hinc, interdicta ecclesia, interdicuntur sacella quæ eam immediate tangunt, necnon cœmeteria contigua; non vero vice versa; quia *accessorium sequitur principale*, et non principale accessorium.

970. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *Quinam sint effectus interdicti?*

RESP. Sunt tres, ut patet ex definitione superius data, scilicet:

1°. *Prohibitio a divinis Officiis*, nempe a Missa, precatione publica et solemni, publica recitatione Horarum in choro, benedictione publica aquæ, olei, templi, cereorum, etc. Clerici qui non cadunt sub interdictum, celebrare possunt, sed januis clausis et sine campanarum sonitu. —Cf. S. Alphons. n. 333.

2°. *Prohibitio ab administrandis et recipiendis aliquibus sacramentis*, scilicet Eucharistia, Ordine, et Extrema Unctione. Viaticum moribundis ministrari potest, et juxta aliquos etiam Extrema Unctio. Baptismus, etiam solemnis, Confirmatio et Pœnitentia omnibus permittuntur, exceptis illis qui interdicto causam, etiamsi auxilio vel favore tantum dederunt. Probabilius etiam Matrimonium permittitur sed absque benedictione.—Cf. S. Alphons. n. 334.

3°. *Prohibitio a sepultura ecclesiastica.* Extenditur etiam ad infantes et amentes in interdicto locali. Clerici tamen non nominatim interdicti sepeliri possunt in ecclesia (cum Missa); imo etiamsi ecclesia esset specialiter interdicta (sed sine Missa).—Cf. S. Alphons. n. 335.

QUAER. 2°. *Quomodo peccent violantes interdictum, et quasnam pœnas incurrant?*

Resp. Quoad *clericos;* 1°. peccant graviter violando interdictum *personale*, quia agitur de re gravi, nisi excuset materiæ parvitas, v. gr., si exerceant functiones quæ a laicis fieri possunt, vel si brevi tempore relinquant ostium templi apertum, etc; 2°. peccant graviter etiam violando interdictum *locale*, si locus sit specialiter vel generaliter interdictus, et agant publice, apertis januis, contra prohibitionem: secus venialiter tantum peccant. Si autem functiones sacras, non obstante interdicto, exerceant, irregularitatem incurrunt. Demum ipso-facto incurrunt interdictum ab ingressu ecclesiæ, si divina scienter celebrent in loco interdicto.—Quoad *laicos* autem: 1°. peccant graviter violantes interdictum *personale*, cum ipsos directe afficiat; 2°. peccant item graviter violantes interdictum *locale*, si compellant scienter clericos ad Officia divina celebranda contra interdictum, quo in casu et ipsi personale interdictum ab ingressu ecclesiæ incurrunt, donec ad arbitrium interdicentis satisfecerint: item si sacramenta in loco interdicto reciperent, quia ad id cooperarentur, quod clericis sub peccato gravi prohibetur; 3°. demum peccant tantum venialiter, si, interdicto loco, ipsi, non personaliter interdicti, divinis Officiis dumtaxat assistant. —Cf. S. Alphons. n. 336.

Quaer. 3°. *Quam ob causam ferri possit interdictum?*

Resp. Ferri non potest, *per se loquendo*, nisi propter culpam gravem bono publico oppositam: sic pro interdicto personali requiritur culpa illius qui interdicitur; nam pœna est propter culpam. Pro interdicto autem generali et locali sufficit culpa illius qui est caput communitatis, vel præcipuorum ejus membrorum.—Cf. S. Alphons. n. 337.

APPENDICULA I.

DE CESSATIONE A DIVINIS.

971. *Cessatio a divinis* est prohibitio clericis facta, ut abstineant ab Officiis divinis, ab administratione sacramentorum, et ab ecclesiastica sepultura in aliquo loco determinato. Distinguitur autem ab interdicto, 1°. quia interdictum potest esse personale, non vero cessatio a divinis; 2°. quia interdictum est censura, unde qui illud violat, fit irregularis; transgressor autem cessationis a divinis licet graviter peccet,

nullam tamen censuram incurrit, nec fit irregularis; 3°. quia durante interdicto generali, licet celebrare Officia divina januis clausis, et submissa voce, et etiam solemniter in quibusdam festis; in cessatione vero a divinis etiam hæc prohibentur.

Duplex est *cessatio a divinis:* alia enim dicitur *a jure*, quæ ipso facto existit, quando polluitur ecclesia, vel execratur; et alia dicitur *ab homine*, quæ imponatur a superiore jurisdictionem habente in foro externo, in signum mœroris, vel ad reparationem gravis injuriæ Deo illatæ; et tunc afficit omnes qui in eo loco versantur.

Causæ autem cessationis a divinis *a jure* referuntur in tractatu de Eucharistia, n. 715. et 716. ubi agitur de loco celebrationis. Sacramenta quæ ministrari possunt tempore interdicti, conceduntur etiam tempore cessationis a divinis.

QUAERES. *A quibusnam cessatio a divinis imponi possit?*

RESP. Imponi potest ab iisdem qui possunt ferre censuras, præcedentibus debitis monitionibus.—Cf. S. Alphons. n. 340.

APPENDICULA II.

DE SEPULTURA ECCLESIASTICA.

972. Corpora fidelium defunctorum ex præcepto Ecclesiæ in loco sancto ad hoc benedicto aut consecrato, aut in ipsa ecclesia sepelienda sunt. Qui autem non pertinent ad Ecclesiam Christi, nec more ecclesiastico nec in loco sancto, sepeliri possunt. Deneganda est sepultura ecclesiastica etiam Christianis qui ea indigni visi sunt, propterea quod aut fidem deseruerunt, aut in contumacia et impœnitentia e vivis excesserunt, vel filii rebelles fuere, ut constat ex dictis de effectibus excommunicationis et interdicti.

973. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *Quinam, in particulari, privandi sint sepultura ecclesiastica?*

RESP. De jure communi sunt sequentes:

1°. *Infideles* omnes, quicumque sint, sive pagani, sive Judæi, sive Mahumetani, sive etiam infantes mortui sine Baptismo. Attamen apud nos "toleratur ut in sepulchris gentilitiis, quæ videlicet privata et peculiaria pro Catholicis laicorum familiis ædificantur, cognatorum et affinium etiam acatholicorum corpora tumulentur." Nec Catechu-

meni sepultura ecclesiastica privandi sunt.—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. n. 389. et 390.

2°. *Apostatæ* a Christiana Fide. Adnumerari autem debent inter apostatas omnes impii homines, qui scriptis atheismum, deismum, pantheismum docent, seu uno verbo quicumque christianam revelationem negant.

3°. *Hæretici*, qui errores suos palam profitentur, eorumque fautores notorii, necnon schismatici publici.

4°. *Excommunicati publici et notorii*, et *interdicti nominatim*, si absque pœnitentiæ signis decesserint, nec votum ullum reconciliationis cum Ecclesia manifestaverint.

5°. *Suicidæ*, qui sibi mortem intulerunt, ira aut desperatione impellente, nisi signa pœnitentiæ aut amentiæ dederint. Non denegatur autem sepultura iis qui in statu phrenesis aut in alio morbi excessu seipsos occiderunt.—Cf. Cretoni, vol. 2. p. 544.

6°. *Duellantes*, si *in ipso conflictu* perierint, ut habet Conc. Trid., sess. 25. cap. 19., *de Reform.* Imo juxta Rituale Romanum sunt privandi sepultura ecclesiastica etiamsi signa pœnitentiæ dederint; et juxta Bened. XIV. licet absoluti fuerint, et etiamsi extra locum conflictus cum signis pœnitentiæ decesserint.—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. n. 389.

7°. *Peccatores publici et notorii*, qui in impœnitentia mortem oppetierunt. Tales sunt, v. gr., qui publice vitam degunt in adulterio, vel concubinatu. Sed ad hoc requiritur, 1°. ut impœnitentia sit omnino certa; 2°. ut sit adeo publica, ut sepultura sine novo scandalo concedi non possit.

8°. Qui morti proximi obstinate et coram testibus sacramenta sibi oblata respuerint.—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. ibid.

Quaer. 2°. *Quid agendum in dubio, utrum deneganda sit sepultura ecclesiastica, necne?*

Resp. "In dubio,"—aiunt Patres Baltimorenses,—"an sint a sepultura ecclesiastica arcendi, consulendus erit Ordinarius, cum id commode fieri poterit; secus autem, in partes lenitatis et misericordiæ propendeat judicium. Quod præstandum consulimus præsertim, quandocumque defunctus morte subitanea correptus nullum habuit pœnitendi tempus, cum juxta juris regulam odia sint restrigenda."—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. n. 389.

QUAER. 3°. *Quid agendum Parocho quando petitur ab eo ut cadaver alicujus Catholici sepeliatur in cœmeterio non catholico?*

RESP. Hanc quæstionem ita solvunt Patres Baltimorenses: "In superiori Concilio Plenario de ritibus funereis hæc decreta sunt:

"Ritus ecclesiasticos nolumus adhiberi in sepultura fidelium, quandocumque eorum corpora sepeliuntur in cœmeteriis sectarum; vel etiam in cœmeteriis profanis, quando adsunt cœmeteria Catholica.

"Cum tamen conditionem, in qua nostrates versantur, consideremus, legis hujus rigor mitigari aliquantulum posse videtur. Si cujus itaque Catholici defuncti, si fuerit ad fidem conversus, consanguinei superstites sint acatholici, et fundum in alieno cœmeterio jam possideant, permittimus ut exequiæ in domo vel etiam publice in Ecclesia celebrentur, si pastori id eorumdem bono spirituali profuturum vel alias expedire visum fuerit. Si superstites Catholici sint, fundum vero in alieno cœmeterio sine ulla fraude legis vel ab anno 1853 habuerint, in quo cadavera jam sint humata, pastoris arbitrio et conscientiæ relinquimus, ut preces pro exequiis in Rituali præscriptas privatim in domo recitet, antequam cadaver efferatur; at in Ecclesia, ut nonnisi præhabita Ordinarii venia exequiæ fiant, præcipimus.

"Præterea, si in cœmeterio profano separata terræ pars obtineri nequeat, in qua corpora catholicorum exclusive inhumentur, saltem loculus ubi cadaver deponatur benedicatur, ea oratione adhibita quæ in Romano Rituali expresse præscribitur (*Tit. de Exequiis*), 'Deus cujus miseratione animæ,' etc."—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. n. 391. et 392.

CAPUT III.

DE CENSURIS IN PARTICULARI.

ARTICULUS I.

DE CONSTITUTIONE "*APOSTOLICÆ SEDIS*" IN GENERE.

974. ***Prænotanda.*** — I. Scopus Const. *Apostolicæ Sedis* est, numerum censurarum latæ sententiæ imminuere, et earum rigorem temperare. Ita enim loquitur Pontifex: "Cum animo Nostro jampridem revolveremus, ecclesiasticas censuras, quæ per modum latæ sententiæ, ipsoque facto incurrendæ ad incolumitatem ac disciplinam

ipsius Ecclesiæ tutandam, et emendandam, sancte per singulas ætates indictæ ac promulgatæ sunt, magnum ad numerum sensim excrevisse; quasdam etiam, temporibus moribusque mutatis, a fine atque causis, ob quas impositæ fuerant, vel a pristina utilitate atque opportunitate excidisse; eamque ob rem non infrequentes oriri sive in iis, quibus animarum cura commissa est, sive in ipsis fidelibus dubietates, anxietates, angoresque conscientiæ; Nos ejusmodi incommodis occurrere volentes, plenam earumdem recensionem fieri Nobisque proponi jussimus, ut, diligenti adhibita consideratione statueremus, quasnam ex illis servare ac retinere oporteret, quas vero moderari aut abrogare congrueret."

II. Vi Constitutionis ejusdem, eæ nunc tantum censuræ latæ sententiæ *de jure communi* vigent, quæ vel in ipsa expresse continentur, vel ipsi a tempore quo promulgata est accesserunt, vel postmodum accedent; additis tamen iis quæ a Concilio Tridentino fuerunt inflictæ. Ait enim Pontifex: "De Apostolicæ Nostræ potestatis plenitudine, hac perpetuo valitura Constitutione decernimus, ut ex quibuscumque censuris sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, quæ per modum latæ sententiæ, ipsoque facto incurrendæ, hactenus impositæ sunt, nonnisi illæ, quas in hac ipsa Constitutione inserimus, eoque modo, quo inserimus, robur exinde habeant."—Et infra: "Præter hos hactenus recensitos, eos quoque quos sacrosanctum Concilium Tridentinum, sive reservata summo Pontifici aut Ordinariis absolutione, sive absque ulla reservatione excommunicavit, Nos pariter ita excommunicatos esse declaramus;" idemque postea statuit de suspensis et interdictis ab eodem Concilio.

III. De censuris latæ sententiæ, quæ non ad universam Ecclesiam, sed ad instituta vel loca particularia spectant, nihil prorsus mutari voluit Pontifex. Quinimo eas omnes et singulas, quales erant antea, confirmavit, ac in suo robore permanere declaravit. "Quæ vero censuræ," inquit, "sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, Nostris aut Prædecessorum Nostrorum Constitutionibus, aut sacris Canonibus præter eas, quas recensuimus, latæ sunt, atque hactenus in suo vigore perstiterunt, sive pro R. Pontificis electione, sive pro interno regimine quorumque Ordinum et institutorum regularium, necnon quorumcumque collegiorum, congregationum, cœtuum locorumque piorum

cujuscumque nominis aut generis sint, eas omnes firmas esse, et in suo robore permanere volumus et declaramus."

IV. Non solum declaravit Pontifex censuras veteres in Constitutione recensitas vigere adhuc, eamque retinere auctoritatem quam olim habuerunt; sed et illas vere innovavit, id est, propria auctoritate de novo statuit, quasi prima vice infligerentur. Scilicet, prout ipse loquitur: "Non modo ex veterum Canonum auctoritate, quatenus cum ipsa Constitutione conveniunt, verum etiam ex ipsa Constitutione, non secus ac si primum editæ ab ea fuerint, vim suam prorsus accipiunt."

975. ***Quæsita.***—Quaer. 1°. *An omnes censuræ Tridentinæ, quocumque modo fuerint a Concilio inflictæ, per Constitutionem* Apostolicæ Sedis *innoventur?*

Resp. *Neg.*, sed tantum ut innovatæ habentur, quæ *directe* latæ sunt, id est, quæ vel primum a S. Synodo fuerunt statutæ, vel ejus saltem auctoritate, si jam existebant, expresse et immediate, per distinctam ac specialem mentionem, de novo inflictæ fuerunt. Ratio est, quia ipso Constitutionis tenore constat intentionem Pontificis fuisse ut illi tantum censuris ligarentur quos *Sacrosanctum Concilium Tridentinum ipsum excommunicavit, suspensos, aut interdictos esse decrevit.* Atqui censuræ quas Patres Tridentini *indirecte* tantum statuunt, dum eas citant, allegant, in memoriam revocant, aut generali modo indicant his vel similibus verbis "*qui secus fecerint pœnas a jure inflictas ipso facto incurrant* . . ." etc.: non fuerunt proprie *latæ* aut *decretæ* a Concilio Tridentino.—Ergo, etc. Præterea hoc ipsum exigit scopus Constitutionis qui est ut certus, determinatus, et restrictus numerus censurarum in posterum haberetur.

Quaer. 2°. *An si pars tantum alicujus censuræ, quam Conc. Tridentinum directe inflixerit, in Constitutionem fuerit expresse translata, altera pars abrogata censeatur?*

Resp. *Neg.*, nisi id in Constitutione aperte declaretur. Etenim eo casu materia censuræ est divisibilis; ergo partis unius mutatio non afficit alteram partem, neque nova auctoritas, quæ per translationem accedit priori parti, nocere potest auctoritati quam a Conc. Tridentino per Constitutionem confirmato altera pars habet.—Ratio autem translationis esse poterat, vel quia aliquid mutandum fuit in parte translata,

vel quia pars eadem graviori aut benigniori reservationi subjicienda visa est. Sic censuræ in usurpatores bonorum ecclesiasticorum, quam Conc. Tridentinum Romano Pontifici *simpliciter* reservaverat, pars aliqua per Constitutionem translata est inter excommunicationes Pontifici *speciali modo* reservatas (*Excomm.* 11. et 12.).

QUAER. 3°. *An verum sit dicere hodie nullam aliam vigere censuram præter eas quæ in Const.* Apostolicæ Sedis *inseruntur?*

RESP. *Neg.*, nam prædictæ Constitutioni duæ aliæ recentius accesserunt, scilicet anno 1873. et 1876. et de quibus inferius sermo erit.—Cf. *Acta S. Sedis*, vol. 7. p. 401., et vol. 9. p. 352.

QUAER. 4°. *Quænam facultates absolvendi a casibus papalibus fuerint per Constitutionem revocatæ?*

RESP. Eæ omnes revocatæ sunt, quæ *generales* possunt apellari, nempe quæ, quovis unquam modo vel tempore, fuerant *cuilibet Cœtui, Ordini, Congregationi, Societati, et Instituto, etiam regulari cujusvis speciei*, concessæ. Quæ vero *personales* dici possunt, quales sunt, v. gr., quæ Episcopis ad quinquennium communicari solent, autextraordinarie dantur quibusdam confessariis, minime abolitæ sunt, prout vivæ vocis oraculo declaravit SS. D. N. Pius IX.—Cf. Avanzini, *Comment.*, not. p. 20.

QUAER. 5°. *An Prælati Regulares suos saltem subditos absolvere possint a casibus Pontifici simpliciter reservatis?*

RESP. *Neg.*, nisi specialem habeant facultatem. Proposito enim sequenti dubio: "An Prælati Regulares, post Constitutionem *Apostolicæ Sedis*, iisdem privilegiis gaudeant quibus antea, id est, an possint necne suos subditos absolvere a casibus papalibus in dicta Bulla simpliciter reservatis?" Sacra Pœnitentiaria die 5. Dec. 1873 respondit: "Negative, salvis aliis facultatibus, quæ promanant ex rescriptis particularibus ad tempus concessis."

ARTICULUS II.

DE SINGULIS CENSURIS HODIE VIGENTIBUS.

§ I. De excommunicationibus.

Excommunicationes omnes *latæ sententiæ* hodie 44. numerantur, in quatuor tabellas seu recensiones divisæ. Prima complectitur illas quæ sunt *speciali modo*, secunda quæ sunt *simpliciter* Rom. Pon-

tifici reservatæ; tertia continet excommunicationes reservatas Episcopis, et quarta eas quæ nemini reservantur.—De singulis breviter agendum.

PRIMA TABELLA.

In hac prima tabella continentur excommunicationes Romano Pontifici *specialiter* reservatæ, quæque quatuordecim numerantur: duodecim a Constitutione *Apostolicæ Sedis* relatæ, quarum omnes, excepta decima, desumptæ sunt ex Bulla *Cœnæ:* et duæ aliæ accesserunt posterioribus annis.—Itaque SS. D. P. Pius IX. excommunicatione Papæ specialiter reservata mulctavit.

I.

Omnes a christiana Fide apostatas, et omnes ac singulos hæreticos, quocumque nomine censeantur, et cujuscumque sectæ existant, eisque credentes; eorumque receptores, fautores, ac generaliter quoslibet illorum defensores.

976. *Explanatio.*—Quadruplex est subjectum hujus primæ censuræ, scilicet, *apostatæ, hæretici, eis credentes*, et *horum omnium cooperatores.* Porro 1°. *apostatæ* dicuntur illi qui totaliter recesserunt a fide christiana, sive postea amplectantur falsam aliquam religionem, puta Judaismum, Mahumedanismum, etc, sive non, uti illi qui vulgo audiunt *liberi cogitatores;* 2°. *hæretici* appellantur qui unum vel plures articulos Fidei negant sive adhæreant sectæ alicui jam existenti, sive ipsi primi hanc sectam constituant; 3°. *eis credentes* sunt qui apostatarum et hæreticorum errores approbant veluti *confuse*, quin errorem designent, aut sectam specialem sequantur vel constituant; 4°. *cooperatores* autem alii sunt *receptores* qui scilicet hospitio recipiunt aut occultant hæreticos puniendos, alii sunt *fautores*, ex eo quod favorem quomodolibet eis præbeant, et alii *defensores* qui eorum patrocinium suscipiunt. Ad incurrendam tamen censuram requiritur ut cooperatio sit formalis, scilicet, ut receptio, favor, et defensio dentur hæreticis et apostatis *qua tales.*—Cf. Suarez, disp. 21. sect. 2. n. 3. et seqq.—Varceno, vol. 2. p. 410.—Baller. not. (a) (b) et (c) p. 980.—Collat. Cleri Patav. n. 108. et seqq.

977. Quaeres. *Utrum et quænam facultas conceditur Episcopis, præsertim nostris, absolvendi ab hæresi?*

Resp. Omnibus Episcopis competit jus absolvendi ab hæresi, tam pro externo quam pro interno foro, sive per seipos sive per delegatum,

si persona absolvenda fuerit ad eorum forum judiciale quomodocumque deducta. Secus solus Papa absolvere potest.—Cf. Bened. XIV. *de Synod. diœces.* lib 9. cap. 4.—Verum Episcopis nostris, et per eos Missionariis fere omnibus amplior conceditur facultas sequentibus verbis expressa: "Absolvendi ab hæresi, et apostasia a fide et a schismate quoscumque etiam ecclesiasticos tam sæculares quam regulares; non tamen eos qui ex locis fuerint ubi Sanctum Officium exercetur, nisi in locis Missionum ubi impune grassantur hæreses, deliquerint, nec illos qui judicialiter abjuraverint, nisi isti nati sint ubi impune grassantur hæreses, et post judicialem abjurationem illuc reversi in hæresim fuerint relapsi, et hos in foro conscientiæ tantum."

II.

Omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicæ libros eorumdem apostatarum et hæreticorum hæresim propugnantes, necnon libros cujusvis auctoris per Apostolicas Litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes, et quomodolibet defendentes.

978. *Explanatio.*—Duo genera librorum hac censura prohibentur, nempe 1°. libri apostatarum, et hæreticorum hæresim propugnantes; 2°. libri cujusvis auctoris per Apostolicas Litteras nominatim prohibiti, id est, expresso vero et proprio libri titulo. Quare duplex est censuræ objectum: duplex pariter est subjectum, legentes nempe præfatos libros, et eosdem retinentes, imprimentes, vel defendentes, quamvis illi *principaliter* et *per se*, isti autem *secundario* tantum excommunicatione plectantur.

979. **Quæsita.**—Quaer. 1°. *An ephemerides, seu diaria publica hæresim propugnantia sub hac censura prohibeantur?*

Resp. *Neg.*, probabiliter, quia diaria quousque folia manent per se completa, non veniunt sub nomine librorum. Si vero hæc diaria sint fasciculi periodice editi, et ad volumen conflandum destinati sub hac censura cadunt, quia tunc singuli sunt veri libri, aut integræ vel fere integræ partes libri reprobati.—Hoc tamen non impedit quominus folia volantia (*newspapers*) non subjaceant censuræ Ordinarii, et possint ab eo sub excommunicatione prohiberi, non tantum quoad articulos, ut aiunt, doctrinales, sed etiam quoad opiniones politicas, et factorum narrationes, ut constat ex Responso S. C. Inquis. an. 1832 ad Episcopos Helvetiæ directo.—Cf. Varceno, p. 416.—Del Vecchio, in hanc censuram.

QUAER. 2°. *Utrum præsens censura respiciat tantum libros prohibendos in futurum, vel sese extendat etiam ad eos qui antea fuerant per Apostolicas Litteras nominatim prohibiti?*

RESP. Hæc censura etiam libros antea prohibitos afficit, etsi non omnes, sed eos tantum qui fuerant prohibiti sub pœna excommunicationis Romano Pontifici reservatæ. Ratio est, quia secus nedum per Constitutionem temperarentur ac limitarentur censuræ reservatæ, sed potius multum aggravarentur numeroque augerentur, quod alienum est a mente Pontificis.—Quare neque libri qui diversis Decretis Congr. Indicis, neque illi qui per Litteras Apostolicas Pii IV. regulas Indicis statuentes antea proscripti erant, hac censura afficiuntur. Non primi, quia Decreta Congr. Indicis non sunt proprie Litteræ Apostolicæ; non secundi, quia per regulas Indicis nullus liber damnatur sub pœna excommunicatonis reservatæ.

QUAER. 3°. *An habenda sit tanquam abrogata excommunicatio lata per Regulam X. Indicis?*

RESP. *Affirm.*, Regula nempe X. Indicis excommunicationem latæ sententiæ, nemini tamen reservatam, illi infligebat, qui *libros hæreticorum, vel cujusvis auctoris scripta, ob hæresim, vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata atque prohibita, legerit, sive habuerit:* et hinc fiebat, ut, lectio ac retentio plerorumque librorum a S. C. Indicis prohibitorum excommunicationi subjiceretur. Jam vero cum prædicta excommunicatio neque in Constitutione *Apostolicæ Sedis* fuerit inserta, neque Tridentina dici possit, siquidem lata non fuit ab ipso Concilio Tridentino, eam amplius non vigere omnino certum est. Unica igitur lectio vel detentio librorum, quæ nunc sub excommunicationis pœna prohibita sit, illa est quæ in hac secunda censura vetatur.

Quoniam incidit sermo de *Indice librorum*, utile erit hac de re sequentes quæstiones instituere. Igitur,

QUAER. 4°. *Quid venit nomine Indicis librorum, et quænam sunt præcipuæ ejus regulæ?*

RESP. 1°. Index seu elenchus librorum prohibitorum confectus et vulgatus fuit jussu Pauli IV. anno 1558; Pius IV. illum perfecit cum Concilio Tridentino, et publicavit anno 1564. Auxit eum Clemens VIII. anno 1595.—Congregatio Indicis a S. Pio V. instituta fuit ad

libros noviter editos examinandos et, si opus fuerit, proscribendos.—Cf. Canonistas passim, vel S. Alphons. Append. *De prohib. librorum*, n. 17.

Resp. 2°. Regulæ Indicis decem sunt, et ad tria sequentia capita possunt revocari:

I. Prohibentur simpliciter sine clausulis, 1°. omnes libri hæresiarcharum etiam non erronei, aut de religione non tractantes ex professo: 2°. libri hæreticorum qui de religione ex professo tractant: 3°. libri de *obscœnis* ex professo tractantes: 4°. omnes libri tractantes de astrologia, divinatione et sortilegiis: 5°. omnes libri in Indicem relati sine addito.

II. Prohibentur sub clausulis, 1°. Biblia in lingua vernacula *nisi approbata* fuerint a S. Sede, vel edita *cum notis* desumptis ex Sanctis Patribus, vel doctis catholicisque viris; 2°. libri omnes quos ante annum 1515 Summi Pontifices damnarunt, eodem modo sicut olim damnati fuerant, quin tamen hac regula prohiberi censeantur veteres libri paganorum, nec hæreticorum priorum sæculorum, puta Tertulliani, Eusebii, etc: 3°. omnes libri hæreticorum, etiamsi de religione non tractantes, nisi antea examinati et approbati fuerint, verum hæc regula modo non videtur vigere; 4°. libri omnes in Indicem relati cum clausula *donec corrigantur*.

III. Decernitur ut nullus liber nullaque Scriptura edatur absque venia Ordinarii loci.

Quaer. 5°. *An lex Indicis, prohibens lectionem quorumdam librorum, obliget de jure naturali, vel de jure positivo tantum?*

Resp. Urget ex utroque jure, saltem *per se;* quia libros non prohibet, nisi quia sunt perniciosi, et proximum perversionis vel peccati periculum inducunt; de jure autem naturali quisque hujusmodi periculum effugere tenetur. Unde etiamsi Regulæ Indicis alicubi non agnoscerentur, nihilominus lectio librorum in Indicem relatorum sub gravi prohiberetur. Censuræ tamen de solo jure positivo urgent, ut patet. Qua de re ita animadvertit S. Alphonsus: "Theologi omnes addunt, nec cum licentia quidem Pontificis lectionem permitti posse illius libri, qui subversionis alicui occasio esse possit."—Cf. Append. *De prohibitione libror.* cap. 1. n. 12.

Duo præterea notanda sunt:

1°. Privati homines debent confessarii mandatis obsequi in his quæ

lectionem librorum respiciunt. Ita respondit S. C. Inquisit., anno 1832, ad Episcopos Helvetiæ interrogantes, "An fideles, salva conscientia, legere possint Ephemerides vel libros, qui censuram Ordinarii non subierunt?" *Resp.* "Recurrant ad confessarium."

2°. Confessarius ipse debet Episcopi directionem sedulo exquirere, et diligenter præ oculis habere gravissimum monitum, quod S. Alphonsus tradidit, nempe: "In hac re expedit ordinarie rigidiores opiniones sequi."—Ibid. cap. 5. n. 8.

QUAER. 6°. *Quid tenendum de regulis Indicis relate ad hanc regionem?*

RESP. Tenendum est eas certe vigere, tum quia agitur de jure communi contra quod nulla exceptio aut desuetudo invocari potest, tum quia indubia extant Pontificis Supremi indicia, et Romanarum Congregationum Declarationes, ex quibus eruitur has regulas ubique omnino terrarum vigere. Solebant aliqui, præteractis temporibus, argumentum in contrarium desumere ex necessitate proclamationis harum regularum in unaquaque Diœcesi. At quis hodie tuto vellet huic Gallicano effugio inniti?—Nec plus valet ratio desumpta ex impossibilitate servandi talem legem; nam omnino negatur talem impossibilitatem ubique apud nos existere.—Nec demum auctoritas clar. Kenrick, qui *evasive* et *quasi dubitanter* in hac quæstione loquitur, sufficere videtur ad excusandum a tali lege.—Cf. Kenrick, tract. 13. n. 54. et seqq.—Smith, 3. edit. n. 503. et 504.

QUAER. 7°. *Quænam facultates hac in re Episcopis nostris conceduntur?*

RESP. Inter facultates ordinarias sub forma I. n. 21. conceditur facultas: "Tenendi et legendi, non tamen aliis concedendi, præterquam ad tempus tamen, iis sacerdotibus, quos præcipue idoneos atque honestos esse sciat, libros prohibitos, exceptis operibus Dupuy, Volney, M. Reghellini, Pigault le Brun, De Potter, Bontham, J. A. Dulaure, Fêtes et courtisanes de la Grèce, Novelle del Casti, et aliis operibus de obscœnis et contra Religionem ex professo tractantibus."—Inter facultates vero extraordinarias sub forma C. n. 2. conceditur facultas: "Retinendi ac legendi libros ab Apostolica Sede prohibitos, etiam contra Religionem ex professo agentes, ad effectum eos impugnandi; quos

tamen diligenter custodiat ne ad aliorum manus perveniant, exceptis astrologicis, judiciariis, superstitiosis ac obscœnis ex professo; eamdemque facultatem etiam aliis concedendi, parce tamen et dummodo prudenter præsumere possit nullum eos ex hujusmodi lectione detrimentum esse passuros."

Adverte hic cum S. Alphonso clausulam "ad effectum eos impugnandi" non efficere aliquem mortaliter peccare, et multo minus in censuram incidere, si ex curiositate legat.— Cf. S. Alphons. n. 283. et 292.

III.

Schismaticos, et eos qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt, vel recedunt.

980. *Explanatio.* Duplex est pars hujus censuræ; in prima damnantur schismatici proprie dicti: in alia illi qui a Romani Pontificis obedientia pertinaciter se subtrahunt. Verum quia essentialis malitia schismatis in hac pertinaci subtractione consistit, differentia inter utramque partem est tantum accidentalis et ex usu potius desumenda, quam ex intrinseca aliqua ratione; nam ex usu tantum factum est, ut schismatici proprie dicti appellarentur qui non tantum a centro unitatis discedunt, sed ad novam et separatam ecclesiam constituendam se conferunt, ut v. gr., sunt Græci a communione Ecclesiæ Romanæ divisi. Illi autem qui, etsi novas ecclesias non constituant, plena tamen malitia et obstinatione solutos se habent ab obedientia et auctoritate Romani Pontificis, schismatici imperfecti dicerentur.—Semper tamen requiritur ut ista recessio vel subtractio locum habeat contra auctoritatem et jurisdictionem Summi Pontificis, et non tantum ex animo vindictæ, ex odio aut ex pravo aliquo affectu in ejus personam.—Neque etiam hanc censuram incurreret, qui auctoritatem proprii Episcopi sperneret, ab eoque recederet, modo subjectus maneat Romano Pontifici.— Cf. Baller. not. (a) p. 982.

IV.

Omnes et singulos, cujuscumque status, gradus, seu conditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum Concilium appellantes, nec non eos, quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit.

981. *Explanatio.*—Hæc censura est ampliatio præcedentis, imo essentialiter eadem, quia appellare ad futurum Concilium est se subtrahere ab obedientia Romani Pontificis, et schisma facere. At opor-

tuit speciali mentione hos appellantes designare, quia dicunt se tali appellatione a centro unitatis non discedere.—Mandata autem a quibus non licet appellare sunt ea omnia quibus Summus Pontifex aliquid imperat munere fungens supremi Pastoris.—Cf. Baller. not. (b) p. 982,

V.

Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicæ Legatos vel Nuncios, aut eos a suis Diœcesibus, Territoriis, Terris, seu Dominiis ejicientes, nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu præstantes in eis auxilium, consilium vel favorem.

VI.

Impedientes directe vel indirecte exercitium jurisdictionis ecclesiasticæ sive interni sive externi fori, et ad hoc recurrentes ad forum sæculare, ejusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium vel favorem præstantes.

982. *Explanatio.*—Statuta est hæc censura ad tuendam libertatem jurisdictionis ecclesiasticæ sive interni sive externi fori; quare excommunicatione plectuntur 1°. impedientes directe vel indirecte per seipsos ejus exercitium; 2°. recurrentes, ut impediatur, ad forum sæculare; 3°. mandata fori sæcularis in eumdem finem procurantes, edentes, aut ad mandata sive procuranda sive edenda, auxilium, consilium vel favorem præstantes. — Quare particula illa *et ad hoc recurrentes*, intelligenda est disjunctive non copulative, ut patet tum ex textu Bullæ *Cœnæ*, tum ex scopo hujus censuræ qui est ut excommunicationi subjicerentur omnes principales actiones quibus impediri potest exercitium jurisdictionis ecclesiasticæ, tum ex communi sententia eorum qui in hanc Constitutionem scripserunt.—Cf. Baller. not. (b) p. 983.

VII.

Cogentes sive directe sive indirecte judices laicos ad trahendum ad suum tribunal ecclesiasticos præter canonicas dispositiones: item edentes leges vel decreta contra libertatem aut jura Ecclesiæ.

983. *Explanatio.*—In prima parte hujus censuræ supponitur vigere canonicas dispositiones relate ad privilegium fori, quo gaudent omnes clerici, sive dispositiones istæ integræ ad normam sacrorum canonum perseverent, sive modificatæ fuerint per Concordata.—In hac igitur hypothesi censura non plectit judices ipsos vel alios officiales et magistratus qui ex metu, vel ex officio imposito per leges Status ad suum tribunal personas ecclesiasticas trahunt; nam in Instr. Cong. S. U. Inquis. 1. Feb. 1871. declaratum fuit: "Excommunicationem eos non attingere

qui subordinati sint, etiamsi judices fuerint, sed in eos tantum esse latam qui a nemine coacti vel talia, vel alios ad agendum cogant."—In altera autem censuræ parte excommunicantur *edentes* leges et decreta contra libertatem aut jura Ecclesiæ, sive sint Reges, sive Senatores, Deputati, Præfecti, Municipes, etc.; quare omnes illi qui proprie edunt *leges et decreta* quæ obligant clericos ad militiam, vel monasteria religiosorum supprimunt, hanc censuram incurrunt.—Cf. Baller. not. (a) et (b) p. 984.

VIII.

Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quælibet a Sede Apostolica, vel ab ejusdem Legatis aut Delegatis quibuscumque profecta, eorumque promulgationem vel exsecutionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive ipsas partes, sive alios, lædentes vel perterrefacientes.

IX.

Omnes falsarios Litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis, ac supplicationem gratiam vel justitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vice-Cancellarios seu Gerentes vices eorum aut de mandato ejusdem Romani Pontificis signatarum: nec non falso publicantes Litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes hujusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vice-Cancellarii aut Gerentis vices prædictorum.

984. *Explanatio.*— Excommunicantur hac censura, 1°. falsarii Litterarum Apostolicarum, ac supplicationum, propria manu propriove signo Pontificis, vel aliena quidem, sed ejus nomine aut de ejus mandato, subsignatarum; 2°. falso publicantes Litteras; 3°. falso signantes supplicationes.— Porro *falsarii* sunt qui, vel adulterant Litteras veras, notabile quid in eis mutando, addendo, delendo, etc., vel falsa fabricant, id est, falsis litteris falsam bullam seu falsum sigillum apponunt, prout ait Innocentius III. in cap. *Licet* 5. *de Crimine falsi.*— *Supplicationes* autem proprie sunt petitiones ad Pontificem directæ pro gratia vel jure obtinendo; verum, juxta stylum Curiæ, significant potius Pontificis responsum, sive fiat simplici appositione sigilli ad petitionem aut subscriptione nominis, sive per rescriptum in quo petitio memoretur.

X.

Absolventes complicem in peccato turpi etiam in mortis articulo, si alius Sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo possit excipere morientis confessionem.

Quæ ad hanc censuram spectant plene fuerunt explicata in tractatu *de Sacramento Pœnit.* sub n. 784. et seqq.

XI.

Usurpantes aut sequestrantes jurisdictionem, bona, reditus ad personas ecclesiasticas, ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes.

985. *Explanatio.* — Usurpare importat rem aliquam vi occupare tanquam propriam, seu quasi jus quis in illam haberet. Sequestrare autem est rem vi officii judicis alicui tertio custodiendam committere, atque ita impedire ne sub potestate maneat illius ad quem pertinet.— Hinc, 1°. qui furantur bona, reditus, etc., non incurrunt hanc censuram, quia ea invadunt tanquam quid alienum, et constat præterea ex responso S. C. S. Officii dato 9. Mart. 1870.; 2°. qui bona ecclesiastica, ab aliis usurpata emptione, donatione, aut alio quocumque contractu acquirunt, quamvis graviter peccent contra justitiam et religionem, non subjiciuntur tamen huic censuræ sed mitiorem incurrunt, de qua inferius erit sermo, et ratio est, quia cum non utantur vi, non possunt dici usurpantes.

XII.

Invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios, civitates, terras, loca aut jura ad Ecclesiam Romanam pertinentia; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam jurisdictionem in eis; nec non ad singula prædicta auxilium, consilium, favorem præbentes.

986. Prædictis duodecim excommunicationibus quæ in Const. *Apostolicæ Sedis*, habentur, duæ aliæ recentius accesserunt, ut videre est apud *Acta S. Sedis*, vol. 7. p. 401., et vol. 9. p. 352.—Itaque ex Const. *Romanus Pontifex* data 5. Kal. Sept. anno 1873, et ex responso S. Pœnit. Apostolicæ die 4. Augusti anno 1876, excommunicatione *specialiter* Romano Pontifici reservata plectuntur:

I.

a) Canonici ac Dignitates Cathedralium Ecclesiarum vacantium qui ausi fuerint concedere et transferre Ecclesiæ vacantis curam, regimen et administrationem sub quovis titulo, nomine, quæsito colore, in nominatum et præsentatum a laica potestate ex S. Sedis concessione seu privilegio, vel ubi consuetudo viget, a Capitularibus ipsis electus ad eamdem vacantem Ecclesiam.

b) Nominati et præsentati vel ut supra electi ad vacantes Ecclesias, qui earum curam, regimen et administrationem suscipere audent sub nomine Provisoris, Vicarii generalis aliove nomine, ex concessione et translatione in eis peractam a Dignitatibus et Canonicis, aliisque qui, deficientibus Capitulis, Vicarios deputant aut vacantes Ecclesias legitime administrant.

c) Ii omnes qui præmissis paruerint, vel auxilium, consilium aut favorem præstiterint, cujuscumque status, conditionis, præeminentiæ et dignitatis fuerint.

II.

Omnes et singuli nomen dantes, vel quomodocumque faventes, vel adhærentes Societati in eum finem institutæ, vel instituendæ ut, quandocumque Apostolica Sedes vacaverit, populus Romanus concurrat in summi Pontificis electione.

SECUNDA TABELLA.

987. In hac secunda tabella referuntur omnes excommunicationes quæ sunt *simpliciter* reservatæ Romano Pontifici. Viginti hujusmodi excommunicationes numerantur, quarum *septemdecim* una serie in Const. *Apostolicæ Sedis* enunciantur, *una* ponitur in *Conclusione* præcedentis tabellæ, *una* inflicta esse cognoscitur per authenticam Declarationem circa § *Quæ vero censuræ* Const. *Apostolicæ Sedis*, sub die 4. Decemb. 1872; *ultima* Tridentina est contra usurpantes bona vel jura ecclesiastica. Itaque SS. D. P. Pius IX. excommunicationi Papæ *simpliciter* reservatæ subjacere voluit.

I.

Docentes vel defendentes sive publice, sive privatim propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis pœna latæ sententiæ: item docentes vel defendentes tamquam licitam praxim inquirendi a pœnitente nomen complicis, prouti damnata est a Benedicto XIV. in Const. *Suprema*, 7 Julii 1745; *Ubi primum*, 2 Julii 1746; *Ad eradicandum*, 28 Septembris 1746.

988. *Explanatio.*—Duplex est pars hujus censuræ: in prima comprehenduntur tantum propositiones damnatæ ab Apostolica Sede sub pœna excommunicationis, quare hac censura non plectitur qui docet vel defendit propositiones Syllabi, quia illæ damnatæ fuerunt absque excommunicatione. Neque hæc censura afficit eum qui doceret quinque propositiones Jansenii aut alias damnatas ut hæreticas, quamvis is incurreret graviorem censuram latam contra hæreticos.—In secunda parte damnatur praxis inquirendi nomen complicis in audiendis confessionibus.—Verum ad incurrendam excommunicationem requiritur ut quis doceat 1°. hanc praxim esse licitam; 2°. ut utrumque simul licitum esse doceat, scilicet et exquirere nomen complicis, et illud reticenti absolutionem denegare; 3°. ut temere hæc doceat.—Colligitur ex Benedict. XIV. dicente "qui ausus fuerit docere licitam esse praxim exquirendi nomen complicis denunciata, nisi revelarent, absolutionis sacramentalis negatione; vel scribere aut loqui præsumpserit in ejusdem damnatæ praxis defensionem," etc.—Cf. Baller. not. (c) p. 991. et not. (a) p. 992.

II.

Violentas manus suadente diabolo, injicere in Clericos, vel utriusque sexus Monachos, exceptis quoad reservationem casibus et personis, de quibus jure vel privilegio permittitur ut Episcopus aut alius absolvat.

989. *Explanatio.*—*Injicere violentas manus* importat clericum quovis modo, sive manibus sive pedibus, sive instrumento aliquo injuriose percutere, aut saltem ita eum injuria afficere ut ipsius persona exterius attingatur.—Quare non subjacet huic excommunicationi qui contumeliosa verba profert, vel aliquo signo tantum percussionem simulat, vel minatur; subjacet e contra qui in clericum conspuit, ipsius vestem lacerat, etc.—Verba autem *suadente diabolo* significant requiri ad excommunicationem ut percussio sit graviter peccaminosa, tum ratione materiæ, seu vis exterioris aut injuriæ, tum ratione advertentiæ et intentionis.—Advertendum tamen est quod percussio sive ratione violentiæ exterioris, sive ratione injuriæ, non autem ratione peccati, alia dicitur *enormis,* alia *mediocris* seu *gravis* tantum, alia *levis,* ita ut quæ levis est ratione actionis exterioris, possit esse enormis aut gravis ratione injuriæ. —Cf. S. Alphons. n. 273. et 277.

990. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *Quinam sint casus et personæ, de quibus jure vel privilegio permittitur, ut, cessante reservatione papali, Episcopus aut alius absolvat?*

RESP. *Quoad casus,* reservantur Episcopo percussio clerici levis, quamvis publica (cap. *Pervenit, de Sent. Excom.*), et percussio occulta (Conc. Trid. sess. 24. cap. *Liceat, de Reform.*)—*Quoad personas*, absolvi possunt ab Episcopo mulieres (cap. *Mulieres, de Sent. Excom.*) et impuberes (cap. 1. 58. *et fin. de Sent. Excom.*) etiamsi publice et enormiter percusserint.—Demum *quoad casus simul et personas,* Episcopus absolvit clericos in communi viventes, qui contubernalem mediocriter percusserunt (cap. *Quoniam, de vita et hon. Cler.*); officiales gubernii, qui ratione officii turbæ arcendæ clericum mediocriter percutiunt (cap. *Si vero, de Sent. Excom.*); Regulares mediocriter percutientes sæcularem clericum (de consensu tamen eorum Prælati, si exempti fuerint) (cap. *Cum illorum, de Sent. Excom.* et cap. *Religioso, de eod. in* 6°.).—Regulares autem, qui alios Regulares percutiunt (modo percussio sit mediocris, nam enormis Papæ semper reservatur), si ejusdem sint Monasterii vel Ordinis, a Prælato communi; si diversi fuerint, a Prælato illius qui injuriam passus est absolvuntur (cap. *Cum illorum de Sent. Excom.*).—Cf. S. Alphons. n. 276.

Sunt etiam casus, in quibus non solum reservatio sed et ipsa excommunicatio cessat: v. gr., si quis justa defensione debeat se contra hos-

tem tueri; si pater vel superior clericum in minoribus constitutum moderate corrigat; si clericus reperiatur agens turpiter cum matre, uxore, sorore, vel filia. Item excusatur mulier repellens clericum a quo turpiter sollicitatur.

QUAER. 2°. *Quinam sub nomine clericorum, vel Monachorum utriusque sexus intelligantur?*

RESP. Clerici intelliguntur omnes prima tonsura initiati, modo tamen deferant habitum et serviant alicui ecclesiæ.—Monachi sunt omnes utriusque sexus viventes in communi sub aliquo Prælato vel sub aliqua Moderatrice, et expressa vel tacita Papæ auctoritate, quamvis in eorum communitate non fiat professio, imo quamvis eorum regula nondum sit approbata.—Per quamdam autem extensionem et ampliationem, sub alterutro horum nominum intelliguntur personæ omnes quæ censentur ac reputantur ecclesiasticæ, quales sunt, v. gr., seminaristæ, saltem qui in seminario degunt, etiamsi prima tonsura non fuerint adhuc initiati.—Cf. S. Alphons. n. 270. et 271.

III.

Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, quoslibet complices vel qualemcumque operam aut favorem præbentes, nec non de industria spectantes, illudque permittentes, vel quantum in illis est, non prohibentes, cujuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis.

991. *Explanatio.*—Afficiuntur hac censura primario omnes perpetrantes duellum, aut ad illud *simpliciter* provocantes, scilicet etiam effectu non sequuto, aut ipsum acceptantes; secundario autem omnes complices, quicumque nempe favorem aut operam præstant, de industria spectant, etc.—Poterat antea dubitari num omnes spectatores excommunicationi subjicerentur, sed hac præsenti censura clare indicatur, eos tantum subjici qui *de industria* spectant.

992. QUAERES. *An excommunicatione afficiantur qui cum animo non pugnandi, pugnaque non secuta, vani tamen honoris causa, vel aliquo quocumque motivo duellum acceptavit, vel alterum provocavit?*

RESP. *Neg.*, saltem probabiliter; nam censura infligitur propter formalem, non autem propter materialem provocationem aut acceptationem, id est, propter provocationem et acceptationem quæ ad verum non autem ad fictum duellum referantur. Certo tamen qui ita agit gravissime peccat ratione scandali, aut etiam periculo cui sese exponit. —Si tamen vera, id est, formalis acceptatio vel provocatio præcesserit,

certo certius incurritur excommunicatio, etiamsi pugna ad effectum non fuerit perducta, aut duellum ex pacto post primam tantum sanguinis effusionem cessare debuisset. Constat ex Const. *Detestabilem* § 6. Benedict. XIV.—et Const. *Illius Vicis* Clem. VIII.—Cf. Baller. not. (d) p. 992.

IV.

Nomen dantes sectæ *Massonicæ* aut *Carbonariæ*, aut aliis ejusdem generis sectis quæ contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam, seu clandestine machinantur, nec non iisdem sectis favorem qualemcumque præstantes; earumve occultos coryphæos ac duces non denuntiantes, donec non denuntiaverint.

993. *Explanatio.*—Objectum hujus censuræ sunt omnes societates prohibitæ, nempe quæ machinantur aliquid contra Ecclesiam vel legitimas potestates. Hæc machinatio, non autem simplex et nudum secretum quo socii aliqui sese adstringunt, haberi debet tanquam constitutivum essentiale harum societatum.—Dixi *simplex* et *nudum* secretum; nam si hujusmodi sit lex arcani, ut socii temere omnino et ab initio illam acceptare teneantur, antequam statuta societatis cognoscant, et præterea tam inviolabilis sit ut in nullo unquam casu, etiam legitima potestate interrogante, licet eam infringere, tunc societas evadit prohibita non præcise vi secreti, sed quia stante tali secreto, necessario socii independentes absolute evadunt, et independenter agunt relate ad Ecclesiam et legitimas potestates ac proinde contra illas machinantur.—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. n. 519.—Kenrick, tract. 3. n. 63. et 64.—Varceno, vol. 2. p. 460. et seqq.

Subjectum autem hujus censuræ triplex est, nam hæc censura comprehendit, 1°. omnes qui damnatis sectis nomen dant; 2°. omnes qui qualemcumque favorem eis præstant; 3°. eos qui non denuntiant occultos earum coryphæos.—Sub ultimo hoc respectu præsens censura mitior est illa quæ lata fuerat per Bullas Pii VII. et Leonis XII. quibus imponebatur obligatio denunciandi "omnes quos noverint his societatibus nomen dedisse."—Præterea excommunicatio quæ tunc perpetua erat, nunc declaratur manere tantum 'donec non denuntiaverint."

994. ***Quæsita.***—Quaer. 1°. *Quid agendum confessario cum non constat aliquam societatem inter damnatas referri?*

Resp. Caute omnino ipsi procedendum est, quare recurrat ad Episcopum, et ipsius judicio acquiescat. Etenim scimus quidem socios *Muratores, Carbonarios, Fenianos, Socios singulares* (*odd fellows*), *Fili-*

os temperantiæ damnatos esse, at de multis aliis jure meritoque dubitant ipsi doctissimi viri, utrum inter damnatos censeri debeant. Quamobrem Patres Baltimorenses mandarunt, ut nullus "in hisce Provinciis, in quavis ecclesiastica dignitate constitutus *nominatim* societatem aliquam occultam damnet, nisi certo et præter omne dubium constat eam ex iis esse quæ Constitutionibus Pontificiis damnantur."—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. n. 518., et Append. p. 335. et seqq.

QUAER. 2°. *An absolvi possint illi qui cum damnatis sectis nomen dederint nunc Pœnitentia ducti, peccatum quidem confitentur, at externe volunt adhuc cum suis iisdem sociis communicare?*

RESP. *Neg.*, quia satis non est, quod quis erroribus suis interne renuntiet, si externe eosdem profiteri videatur. Patet etiam ex responsione Congr. S. Officii. Cum enim propositum fuisset hoc postulatum: "Pœnæ ecclesiasticæ a plurimis Romanis Pontificibus in eos statutæ sunt qui societati, quam *Liberorum Muratorum* dicunt, nomen dedissent atque juramentum de arcano servando in eorum conventiculis emisissent."

"Dubium exoritur, utrum ii, quos licet emissi juramenti pœniteat, communicando tamen cum cæteris eidem sectæ adhærentibus vel eorum conventicula adeundo, vel *alio quolibet modo*, veros ejusdem Societatis cultores se palam exhibere perseverent, ad Pœnitentiæ aut sanctissimæ Eucharistiæ sacramenti participationem legitime per confessarium possint admitti. Sacerdotes inveniuntur nonnulli qui hujusmodi homines reapse admittunt. Quæritur: Quomodo se gerere debeat confessarius?"

Huic petitioni Congreg. S. Officii sub die 5. Julii 1837, respondit: "*Juxta exposita non licere.*"

V.

Immunitatem asyli ecclesiastici ausu temerario violare jubentes, aut violantes.

995. *Explanatio.*—Immunitas asyli ecclesiastici in eo sita est, ut certi delinquentes jure canonico determinati extrahi violenter e loco sacro, maxime ex ecclesiis, licite non possint. Constitutiones autem Pontificiæ ab eo privilegio excipiunt latrones publicos, depopulatores agrorum, homicidas omnes, hæreticos, et rebelles contra personam Principis.—Porro extra dubium est, neque hanc immunitatem fuisse abolitam ab Ecclesia, quæ e contra illam, ut constat ex articulo quem

tractamus, pœnis in violatores latis adhuc tuetur; neque aboleri posse legitime a potestate civili, siquidem Ecclesiæ et personarum ecclesiasticarum immunitas Dei ordinatione et canonicis sanctionibus instituta est ut patet ex Conc. Trid. sess. 25. *de Reform.* Quod igitur ad jus spectat, adhuc subsistit, et ad eam ubique observandam *per se* omnes obligantur; quod vero ad praxim attinet, vix fieri potest, ut iis in locis in quibus jam per leges civiles non agnoscitur, debito modo semper custodiatur. Hinc, habita ratione locorum et temporum, plura in contrarium acta *per accidens* excusantur a peccato, propterea quod moraliter vitari non possint, et lex positiva cum tanto incommodo non obliget.

VI.

Violantes clausuram Monialium, cujuscumque generis aut conditionis, sexus vel ætatis fuerint, in earum Monasteria absque legitima licentia ingrediendo; pariterque eos introducentes vel admittentes; itemque Moniales ab illa exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V. in Const. *Decori* præscriptam.

996. *Explanatio.*—Moniales hic intelliguntur illæ quæ sunt stricte tales, et emittunt vota solemnia. Quare non incurrit hanc censuram qui violat clausuram Monialium ipsis impositam ab Episcopo, aut ad quam tenentur vi regulæ aut specialis alicujus voti.—Apud nos igitur raro admodum accidere potest casus quo præsens censura incurratur.—Cf. Varceno, vol. 2. p. 466.

VII.

Mulieres violantes Regularium virorum clausuram, et Superiores aliosve eas admittentes.

997. *Explanatio.*—Nomine Regularium virorum in hac censura comprehenduntur tantum qui solemnia vota emittunt, et qui tantum clausura papali ubique obligantur, nulla regione excepta.—Per mulieres autem omnes fœminæ intelliguntur, exceptis Reginis et Imperatricibus cum earum filiis et decenti comitatu.— Cf. Varceno, ibid. p. 468.

VIII.

Reos simoniæ realis in beneficiis quibuscumque, eorumque complices.

IX.

Reos simoniæ confidentialis in beneficiis quibuslibet, cujuscumque sint dignitatis.

X.

Reos simoniæ ob ingressum in Religionem.

Ad intelligentiam trium harum censurarum plene faciunt ea quæ de simonia dicta sunt n. 216. et seqq.

XI.

Omnes qui, quæstum facientes ex Indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus, excommunicationis censura plectuntur Const. S. Pii V. *Quam plenum*, 2. Jan. 1569.

998. *Explanatio.*—Ad intelligendum quinam sint illi qui hac censura plectuntur, oportet scire quinam sit quæstus a S. Pio V. damnatus in Const. *Quam plenum.* Porro iste quæstus ille est qui obtinetur concedendo etiam prætextu reparationum ecclesiarum aut aliarum piarum causarum, solventibus certam pecuniæ summam, varias gratias spirituales, nempe: Indulgentias, facultatem eligendi confessarium per quem absolvantur a casibus reservatis, Missæ celebrationem et sepulturam tempore interdicti, ciborum prohibitorum usum, licentiam assumendi duos vel plures compatres ad sacrum Baptisma. Qui igitur tales gratias concedunt, ea conditione, ut certa pecunia tanquam pro concessione debita, etiam intuitu alicujus pii operis promovendi, solvatur, excommunicationem hujus articuli incurrunt. Ratio prohibitionis atque censuræ est, quia tales actus vel simoniam palliatam continent, vel simoniæ viam aperiunt, vel saltem redolent simoniam generantque scandalum apud fideles.—Adverte tamen quod non omnes qui hunc quæstum faciunt, sed tantum qui sunt "inferiores ab Episcopis" hanc censuram incurrunt, quia Bulla S. Pii V. hos tantum plectit.—Cf. Varceno, vol. 2. p. 472.—Baller. not. (d) p. 998.

XII.

Colligentes eleemosynas majoris pretii pro Missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent.

999. *Explanatio.*— Objectum hujus censuræ sunt tantum Missæ manuales, non autem illæ quæ propter fundationem, vel beneficium, aut in perpetuum debentur, ut constat ex verbo *colligentes.*—Subjectum autem sunt non solum collectores vel quasi collectores ex officio, aut quasi officio, v. gr., qui designati ab Episcopo eleemosynas Missarum recipiunt in ecclesia, in sacristia, vel in aliquo determinato loco, sed etiam illi qui nullo habito mandato, privatim apud devotos eleemosynas colligendas sponte suscipiunt et hi omnes sive clerici sint, sive laici. Verum si agatur de collectoribus ex officio nulla incurritur censura si ex Missis celebrandis æqua retineatur laboris remuneratio, quia tunc proprie *lucrum non captatur.*

1000. Quaeres. ***An censura ista plectantur illi qui colligentes pingues eleemosynas Missarum, lucrum captant faciendo eas celebrari minori pretio in iisdem locis ubi eas colligerunt?***

Resp. *Neg.*, saltem probabiliter; tum quia verba "faciendo eas celebrari in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent" naturaliter important diversitatem locorum; tum quia in hac censura suppressa sunt verba "sive ibidem sive alibi" quæ inveniebantur in Bulla *Quanta Cura*, Benedicti XIV. ex qua desumpta est; nec est existimandum Pium IX. absque ulla ratione has voces eliminasse.—Cf. Varceno, vol. 2. p. 473. et seqq.—Baller. not. (a) p. 999.

XIII.

Omnes qui excommunicatione mulctantur in Constitutionibus S. Pii V. *Admonet nos*, quarto kalendas Aprilis 1567; Innocentii IX. *Quæ ab hac Sede*, pridie nonas Novembris 1591; Clementis VIII. *Ad Romani Pontificis curam*, 26 Junii 1592, et Alexandri VII. *Inter cæteras*, nono kalendas Novembris 1660, alienationem et infeudationem civitatum et locorum S. R. E. respicientibus.

1001. *Explanatio.*—Comprehenduntur hac censura, sicut et allegatis in ea Constitutionibus, omnes prorsus tum laici tum clerici, cujuscumque sint dignitatis, etiam episcopalis aut cardinalitiæ, tractantes, consulentes, aut alias verba facientes, sub quovis prætextu etiam necessitatis vel evidentis utilitatis, de infeudandis vel alienandis civitatibus et locis ad Romanam Ecclesiam immediate spectantibus et pertinentibus; item, proponentes de postulandis a Rom. Pontifice quibusvis personis cujuscumque dignitatis in Duces, Vicarios, Gubernatores eorumdem locorum et civitatum, eligendisque oratoribus, qui ad eum in hunc finem mittantur; oratores etiam munus ejusmodi acceptantes; quaslibet tandem alienationes ejusmodi Rom. Pontifici pro tempore existenti per se vel per alios insinuantes aut suadentes; quæ omnia videri possunt in dictis Constitutionibus enucleate proposita et declarata.—Cf. Varceno, vol. 2. p. 476.

XIV.

Religiosi præsumentes Clericis aut laicis extra casum necessitatis Sacramentum Extremæ Unctionis aut Eucharistiæ per viaticum ministrare absque Parochi licentia.

1002. *Explanatio.*—Sicut per *Religiosos* hic veniunt non quicumque vota simplicia emittunt et in communitate vivunt, sed solum Religiosi stricte tales, vota solemnia emittentes; ita per vocem *Parochi*, non intelliguntur nostri quasi-Parochi; quia in odiosis verba sumi debent in

stricto sensu. Quare apud nos, exceptis variis Parochiis Provinciæ S. Francisci, non adest locus huic censuræ incurrendæ.

XV.

Extrahentes absque legitima venia reliquias ex sacris Cœmeteriis sive Catacumbis Urbis Romæ ejusque territorii, eisque auxilium vel favorem præbentes.

1003. *Explanatio.*—Reliquiæ hic intelliguntur ossa et cineres quæ certo sint, aut saltem de quibus dubitatur an sint martyrum. Horum autem vel *minimam particulam* auferre absque venia, sub gravi prohibuit Paulus V. in Decretis latis 24. Augusti 1613. et 16. Maii 1614. simulque declaravit ejusmodi furtum nunquam excusari propter materiæ parvitatem.—Legitima venia ea est quam confert E^mus^. Card. in Urbe Vicarius. Forma qua concedi debet describitur in Bulla Clementis X. *Ex commissæ nobis,* 13. Jan. 1672.

XVI.

Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem.

1004. *Explanatio.*—Communicare in *crimine criminoso* idem est ac cooperari crimini vel contumaciæ ob quam alter excommunicatus est, puta si quis opem vel favorem suppeditet excommunicato; ut non desistat a crimine et contumacia ob quam fuit excommunicatus. Exemplum habes: Titius concubinario nominatim excommunicato ob retentionem rei alienæ, præbet auxilium aut favorem ne concubinam dimittat aut ne restitutionem faciat, afficitur hac censura, quia participat in *crimine criminoso,* secus si eum tantummodo salutet, alloquatur, aut cum eo oret, quia ita agere non est participare in eo crimine propter quod data fuit excommunicatio.—Præterea requiritur ut ille cum quo quis communicat sit *nominatim* a Papa excommunicatus. Dicitur vero Papa nominatim excommunicare, non solum eum quem particulari excommunicatione nominatim ligat, sed eum etiam quem nominatim denuntiat tanquam generali excommunicatione latæ sententiæ innodatum. Si autem hoc ultimum fiat ab Episcopo, denuntiatus, etiam si incurrerit generalem excommunicationem a Rom. Pontifice latam, nondum habetur tanquam nominatim a Papa excommunicatus; verum iis adnumeratur, quos Episcopus nominatim excommunicavit.

XVII.

Clericos scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis et ipsos in Officiis recipientes.

1005. *Explanatio.*—Tria in hunc articulum notanda veniunt; scilicet 1°. Utramque ejus partem communiter ab Auctoribus intelligi conjunctive, seu haberi tanquam alteri necessario connexam, ita ut communicatio in divinis, quæ clericis sub pœna excommunicationis reservatæ interdicitur, illa sit tantum qua nominatim excommunicatos a Papa admittunt ad divinorum Officiorum, id est, sacramentorum, Missæ, precum publicarum, etc., participationem vel assistentiam.

2°. Censuram infligi tantum clerico *scienter et sponte* communicanti in divinis cum excommunicato; unde fit ut ab ea incurrenda excuset quævis ignorantia, aut metus quilibet gravis, sive per minas sive per vim aut alio modo fuerit incussus.

3°. Ex articuli textu satis aperte ostendi quod supra n. 954. advertebamus, nempe notorios clericorum percussores non esse jam sub excommunicationis pœna vitandos, nisi et ipsi sint nominatim denuntiati; eorum enim nulla peculiaris habetur mentio, qua a cæteris, prout fiebat in Bulla Martini V., secernantur. Spectato igitur jure novo per Constitutionem *Apostolicæ Sedis* stabilito, duo tantum remanent casus, in quibus excommunicationem subeant qui communicant cum nominatim excommunicato a Papa: prior videlicet quorumlibet communicantium in crimine criminoso, alter clericorum communicantium in divinis.—Cf. Baller. not. (b) p. 1001.

XVIII.

Absolvere præsumentes ab excommunicationibus Romano Pontifici speciali modo reservatis, etiam quovis prætextu, revocatis indultis concessis sub quavis forma et quibusvis personis etiam Regularibus cujuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis, et Instituti etiam speciali mentione dignis et in quavis dignitate constitutis.

Ista excommunicatio habetur in Const. *Apostolicæ Sedis*, sed extra ordinem, nam invenitur in § *A quibus* in fine primæ Tabellæ.

XIX.

Omnes qui excommunicatione mulctantur in Constitutionibus Urbani VIII. *Ex debito*, die 21. Febr. 1633, et Clementis IX. *Sollicitudo*, die 17. Julii 1669 respicientibus mercaturas et negotiationes peractas a Missionariis, et Ecclesiasticis quibuslibet degentibus in Indiis Orientalibus, et in America tam Australi, quam Septentrionali.

Ista excommunicatio habetur ex authentica Declar. S. Pœnit. Apostolicæ § *Quæ vero censuræ*, die 4. Dec. 1872.—Cf. Varceno, vol. 2. p. 487.

XX.

Si quem Clericorum vel laicorum, quacumque is dignitate, etiam imperiali aut regali, præfulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicujus ecclesiæ seu cujusvis sæcularis vel regularis beneficii, montium pietatis, aliorumque piorum locorum jurisdictiones, bona, census ac jura, etiam feudalia et emphyteutica, fructus,emolumenta,seu quascumque obventiones,quæ in ministrorum et pauperum necessitates converti debent, per se vel per alios vi vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas Clericorum aut laicorum, seu quacumque arte aut quocumque quæsito colore in proprios usus convertere, illosque usurpare præsumpserit, seu impedire ne ab iis, ad quos jure pertinent, percipiantur; is anathemati tamdiu subjaceat, quamdiu jurisdictiones, bona, res, jura, fructus et reditus, quos occupaverit vel qui ad eum quomodocumque, etiam ex donatione suppositæ personæ, pervenerint, ecclesiæ ejusque administratori sive beneficiato integre restituerit, ac deinde a Romano Pontifice absolutionem obtinuerit.—Ex Conc. Trid. sess. 22. c. 11. *de Reform.*

1006. *Explanatio.*—Si conferatur hæc Tridentina censura, cum 11ª et 12ª primæ recensionis, facile apparet, bona et jura ecclesiastica posse, respectu habito ad excommunicationes latas per Constitutionem *Apostolicæ Sedis,* ad tres classes præcipuas revocari, quarum *prima* complectitur loca et jura ad Ecclesiam Romanam pertinentia; *secunda,* bona et jura pertinentia ad personas ecclesiasticas, ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum; *tertia,* cætera omnia bona vel jura, quæ quocumque modo ecclesiastica dici possunt, etiam quia pertinent ad loca pia et ad sublevandas pauperum necessitates destinata sunt. Usurpatores, invasores, etc., bonorum vel jurium tum primæ tum secundæ classis excommunicationi Papæ speciali modo reservatæ subjacent; tertiæ vero solum excommunicationi Papæ simpliciter reservatæ. Cæterum censura Tridentina latissima est, et ex se ad omnium extenditur bonorum ecclesiasticorum direptores, quamvis eorum quidam graviori pœna jam per Constitutionem plectantur.

Nomine *usurpationis* non solum hic intelligitur, ut dictum est supra n. 985. actio, qua quis rem alienam, quasi jure proprio, seu tanquam sibi debitam invadit, sed actio quælibet injusta, qua quis bona prædictorum locorum invadit, et surripit; id enim colligitur ex illis verbis; *quacumque arte, aut quocumque quæsito colore in proprios usus convertit.* Oportet tamen, ut hæc scienter faciat, id est, ut nullo modo ignoret cujusnam sint illa bona, nam Concilium præsumptionem requirit.

TERTIA TABELLA.

Hæc tertia tabella continet excommunicationes Episcopis sive Ordinariis locorum reservatas. Tres istæ sunt, omnesque expresse referuntur in Const. *Apostolicæ Sedis.* Itaque SS. D. P. Pius IX. declaravit excommunicationi Episcopis sive Ordinariis reservatæ subjacere.

I.

Clericos in Sacris constitutos vel Regulares aut Moniales post votum solemne castitatis Matrimonium contrahere præsumentes; nec non omnes cum aliqua ex prædictis personis Matrimonium contrahere præsumentes.

1007. *Explanatio.*—Ad incurrendam hanc censuram requiritur ut Matrimonium alias sit validum, et invalidum tantum vi voti. Quare si adesset aliquod aliud impedimentum cujuscumque juris notum uni saltem contrahentium, censura locum non haberet, quia tunc non attentaretur contractus mutua voluntate initus.—Exinde clericus in Sacris qui matrimonium civile attentaret, ubi promulgatum est Decretum *Tametsi,* hanc censuram non incurreret.—Cf. Varceno, vol. 2. p. 491.—Baller. not. (a) p. 1003.

II.

Procurantes abortum, effectu secuto.

1008. *Explanatio.*—Sixtus V. in Bulla *Effrænatam,* 29. Oct. 1588 edita, cunctis pœnis temporalibus, quibus jure civili et canonico plectuntur homicidæ, subjecit eos "omnes, qui, per se aut per interpositas personas, abortus, seu fœtus immaturi tam animati quam inanimati, formati vel informis, ejectionem procuraverint, percussionibus, venenis, medicamentis, potionibus, oneribus laboribusque mulieri prægnanti impositis, ac aliis etiam incognitis vel maxime exquisitis rationibus, ita ut reipsa abortus inde secutus fuerit." Deinde, ultra supradictas pœnas temporales excommunicatione ipso facto incurrenda et Sedi Apostolicæ reservata mulctavit "omnes et singulos . . . viros vel mulieres . . qui vel quæ, uti principales, vel ut sociæ, ad tale facinus committendum opem, consilium, favorem, potionem, vel alia cujuscumque generis medicamenta scienter dederint, ac etiam scribendo litteras privatas, vel apochas, vel alias verbis aut signis juverint, aut consuluerint."—At Gregorius XIV. Bulla *Sedes Apostolica,* 31. Maii 1591, Sixtinam Con-

stitutionem duplici ex capite moderatus est: abstulit nempe excommunicationem pro abortu fœtus inanimati, absolutionem autem excommunicationis pro abortu fœtus animati voluit esse tantum Episcopis reservatam.—Pius IX. vero confirmata per suam Constitutionem episcopali hujus casus reservatione, omisit in censura distinctionem fœtus animati et inanimati, et enumerationi factæ a Sixto eorum qui excommunicationem incurrerent, pauca hæc substituit verba: *procurantes abortum, effectu secuto.*

Materia igitur, seu objectum hujus censuræ est abortus quilibet, quocumque scilicet tempore fiat post conceptionem, modo effectus fuerit sequutus, id est, modo ejectus reipsa fuerit fœtus immaturus. —De subjecto tamen præsentis censuræ duplex exoritur dubium. Unde,

1009. QUAER. 1°. *An cooperantes ad procurandum abortum, quicumque sit modus cooperationis, excommunicationem contrahant?*

RESP. Illam certo contrahebant vi Constitutionis Sixti V., quæ de ipsis expressam faciebat mentionem. Utrum autem omnes, vel eorum quidam, sub nomine *procurantium abortum* in Constitutione Pii IX. intelligi debeant, ex se non statim liquet. Verum distinguendum videtur. Vel enim cooperantur physice, vel moraliter tantum. Si *prius*, videndum est an immediate et proxime, ita ut participes sint ipsius actionis physicæ qua infertur abortus, nam tunc vere et proprie illum procurant, adeoque excommunicationem effugere nequeunt; an e contra mediate dumtaxat et remote concurrant, v. gr., præparando tantum instrumenta aut pharmaca, et tunc probabiliter excusantur ab excommunicatione, quia non tam procurant abortum, quam ea præbent ex quibus procuretur. Si *posterius*, id est, si mandato, consilio, suasione, etc., seu moraliter cooperentur, excommunicatione ligantur, quoties censentur et vere sunt auctores, seu causæ principales abortus, v. gr., quia efficaciter mandarunt aut jusserunt illum fieri: secus, quando solum auctores adjuvant. Ratio est, quia, ut recte notavit Suarez, disp. 21. sect. 1. n. 14, quoties censura fertur contra aliquos hoc vel illud facientes, si in ipsa lege expresse non extenditur ad consulentes, adjuvantes et similes, illos non comprehendit, quia verba pœnalia stricte intelligenda sunt; hi autem omnes in rigore non sunt facientes id propter quod talis censura fertur.

Hinc medicus, ancilla, socia, propinantes potionem, excommunicationem incurrunt; pharmacopoia autem remedium, etiam intentione mala, vendens aut præparans, non eam incurrit, quamvis graviter peccet. Paterfamilias aut maritus, filiam aut uxorem jussione vel minis cogentes ut abortum sibi inferat, contrahunt excommunicationem; ab illa autem eximitur medicus dans consilium aut media indicans ad eum procurandum.—Cf. Baller. not. (b) p. 1003.—Varceno, vol. 2. p. 493. —*Analecta Juris Pontif.* Apr. 1879.

QUAER. 2°. *An mater abortum sibi ipsi procurans excommunicationi subjaceat?*

RESP. Dubitabant olim theologi an mater ipsa excommunicatione Sixtina comprehenderetur, propterea quod Pontifex in ferenda censura usus fuerat verbis, quæ de matre vix intelligi possent. Et negans quidem sententia, matrem ab excommunicatione eximens, a S. Alphonso post Card. de Lugo, et alios plures theologos, jure merito habebatur ut valde probabilis, imo ut intrinsece probabilior.—Utrum autem hujusmodi probabilitas cessaverit per Constitutionem Pii IX. commentatores hujus Constitutionis non consentiunt, et hinc inde disputatur.—Nobis autem cum Cretoni et aliis videtur adhuc probabilis sententia illorum qui cum S. Alphonso existimarunt hanc excommunicationem non incurri a mulieribus prægnantibus quæ abortum sibi procurant.—Etenim, ait clar. Cretoni. "In Piana Const. indicantur *procurantes abortum*, non *omnes* absque ulla omnino exceptione, sed generatim qui abortum procurant: ea verba sunt quidem generalia, sed interpretationem benignam pati possunt. Quod autem eam revera patiantur, ex sequentibus argumentis eruitur. 1°. Id suadet natura legis pœnalis, quia odia sunt restringenda; 2°. confirmatur ex scopo Summi Pontificis, qui voluit prudenti dispensatione veteres censuras moderari; 3°. hæc censura quod ad subjectum spectat eodem modo enunciabatur a Doctoribus ante etiam Const. *Apostolicæ Sedis*, ac in ipsa enunciatur. Sic in Medulla Theol. Mor. Herm. Busembaum, lib. 7. cap. 1. art. 2. inter excommunicationes Episcopis reservatas sub n. 3. legitur: '*In procurantes abortum* fœtus animati, effectu secuto.' Et nihilominus S. Doctor, qui recensionem censurarum ex Busembaum adamussim desumpsit, et excommunicationem, de qua agimus, ipsissimis verbis retulit (lib. 7. n. 213), eam mitiorem sententiam defendit; 4°. denique circa censuram

hujusmodi ea tantum videtur inducta immutatio quod scilicet prætermissa fuit distinctio inter fœtum animatum et inanimatum. Itaque Const. *Apostolicæ Sedis* in eo quod pertinet ad subjectum, est mitius intelligenda, prout probabili imo probabiliori sententia, juxta S. Doctorem, intellecta fuit Const. Sixtina et Gregoriana, nisi velimus, neglecto spiritu, litteræ tenacius, quam par est, inhærere.

"Ratio autem, cur theologi censuerunt Sixtum V. exemisse ab hac censura prægnantes, est quia compassus præsumitur infirmitati fœminarum, quæ dum impulsæ vehementi timore damni sibi obventuri, scilicet infamiæ, fœtum immaturum expellere conantur, et dum a tanto facinore non abhorrent, facile etiam excommunicationem parvipenderent; ideo ad vitandum novum animæ laqueum, aliaque pericula, præsertim sacrilegarum confessionum, eas noluit Pontifex comprehendere."—Cf. S. Alphons. *de quinto præc. Decal.*—Baller. loc. cit.—Cretoni, p 617.

III.

Litteris Apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini ea in re cooperantes.

1010. *Explanatio.* — "Qui Litteras Apostolicas falsificat, incurrit excommunicationem Romano Pontifici speciali modo reservatam: qui utitur falsis, quique ei cooperatur, excommunicationem incurrunt et ipsi, sive laici sive clerici, sed soli Episcopo reservatam. Et si quis admiserit utrumque, id est, si litteras falsificaverit, iisque postea usus fuerit, utraque excommunicatione irretitur. Porro falsas litteras accipere debemus sive immutatas sive suppositas: utentes vero, qui eas exhibent, ut effectum habere possint: demum cooperantes, qui utenti (non qui falsificanti) operam præstant."—Ita Comm. Reatinus apud Baller. not. (a) p. 1004.

QUARTA TABELLA.

In hac tabella continentur excommunicationes nemini reservatæ, quæ omnes *novem* numerantur; *quatuor* expresse latæ sunt per Const. *Apostolicæ Sedis; una* est Tridentina, sed a dicta Constitutione limitata, et cæteræ sunt simpliciter Tridentinæ. Itaque S. P. Pius IX. excommunicavit.

I.

Mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticæ sepulturæ hæreticos notorios aut nominatim excommunicatos vel interdictos.

1011. *Explanatio.*—Clemens V. hanc censuram in Concilio Viennensi universim tulerat contra sepelientes excommunicatos in loco sacro; Pius IX. ita eam moderatus est, ut ipsa jam solos attingat mandantes seu cogentes, et ad sepulturam tantum referatur hæreticorum notoriorum aut aliorum qui excommunicati vel interdicti sunt nominatim. Eam igitur non incurrit Parochus, qui, mandatis auctoritatis civilis obtemperans, notorium apostatam a Fide admittit ad ecclesiasticam sepulturam; verum incidit in interdictum latæ sententiæ vel excommunicationem Rom. Pontifici reservatam, si apostata sit nominatim excommunicatus.—Cf. Baller. not. (b) p. 1004.

II.

Lædentes aut perterrefacientes Inquisitores, denuntiantes, testes, aliosve ministros S. Officii, ejusve Sacri Tribunalis scripturas diripientes, aut comburentes, vel prædictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem præstantes.

III.

Alienantes et recipere præsumentes bona ecclesiastica absque beneplacito Apostolico, ad formam extravagantis *Ambitiosæ* de Reb. Ecc. non alienandis. (*Extrav. comm. l. 3. cap. unic., de rebus Ecclesiæ non alienandis.*)

1012. *Explanatio.*—Constitutio Pauli II. *Ambitiosæ*, 1467, "omnium rerum et bonorum ecclesiasticorum alienationem, omneque pactum per quod ipsorum dominium transfertur, concessionem, hypothecam, locationem et conductionem ultra triennium, necnon infeudationem vel contractum emphyteuticum præterquam in casibus a jure expressis . . . et tunc Ecclesiarum evidenti utilitate, ac de fructibus, quæ servando servari non possunt pro instantis temporis exigentia . . . fieri prohibet." Deinde ita statuit: "Si quis contra hujus nostræ prohibitionis seriem de bonis et rebus eisdem quicquam alienare præsumpserit, alienatio, hypotheca, concessio, locatio, conductio et infeudatio hujusmodi nullius omnino sit roboris vel momenti. Et tam qui alienat, quam si qui alienatas res et bona prædicta receperit, sententiam excommunicationis incurrat."—Præcipit denique, ut horum bonorum alienatio nunquam *inconsulto Romano Pontifice* fiat.

IV.

Negligentes sive culpabiliter omittentes denuntiare infra mensem Confessarios sive Sacerdotes a quibus sollicitati fuerint ad turpia in quibuslibet casibus expressis a Prædecess. Nostris Gregorio XV. Constit. *Universi*, 20 Augusti 1622, et Benedicto XIV. Constit. *Sacramentum Pœnitentiæ*, 1. Junii 1741.

Ad intelligentiam hujus censuræ consule quæ dicta sunt in tractatu de Pœnitentia n. 854. et seqq. necnon S. Alphonsum ibi citatum.

V.

Libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimentes aut imprimi facientes.

1013. *Explanatio.*—Hæc censura Tridentina est, sed limitata; nam Decretum Conc. Tridentini, sess. 4., *de editione et usu Sacrorum librorum* ita se habet: .... "Nulli liceat imprimere, vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris sine nomine auctoris, neque illos in futurum vendere, aut etiam apud se retinere, nisi primum examinati, probatique fuerint ab Ordinario sub pœna anathematis, et pecuniæ in Canone Concilii novissimi Lateranensis apposita. Et si Regulares fuerint, ultra examinationem et probationem hujusmodi, licentiam quoque a suis superioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libros juxta formam suarum ordinationum. Qui autem scripto eos communicant, vel evulgant, nisi antea examinati, probatique fuerint, eisdem pœnis subjaceant, quibus impressores. Et qui eos habuerint vel legerint, nisi prodiderint auctores, pro auctoribus habeantur."

Porro Pius IX., § *Præter hos*, postquam excommunicationes Tridentinas reservaverit, addit: "excepta anathematis pœna in Decreto sess. 4. *De editione et usu Sacrorum Librorum* constituta, cui illos tantum subjacere volumus, qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt."— Quare patet limitationem aliquam factam fuisse per Const. *Apostolicæ Sedis*, eamque respicere subjectum hujus censuræ. At relate ad objectum quæri potest: Quinam libri veniunt sub nomine librorum de rebus sacris tractantium?

Resp. Sententia solide probabilis sub hoc nomine intelligit solum libros Sacræ Scripturæ, eorumque adnotationes et expositiones. Ratio est, quia quoniam censura ista ex Decreto Tridentino desumpta est, sequitur eam explicari debere juxta sensum a Patribus Tridentinis intentum. Porro ut patet ex contextu, Decretum Tridentinum ad tales libros unice referri videtur.—Etenim Patres Tridentini Decretum istud tulerunt postquam determinassent ex omnibus latinis editionibus Sacræ Scripturæ quæ eo tempore circumferebantur vulgatam editionem pro authentica habendam esse.—Cæterum quamvis nullæ censuræ obnoxii essent imprimentes libros simpliciter de religione tractantes absque

Ordinarii licentia, peccarent tamen contra leges Ecclesiæ id sub gravi prohibentes ut constat ex X. Reg. Indicis.—Cf. Varceno, vol. 2. p. 511.

Sequentes excommunicationes sunt omnes Tridentinæ.

VI.

Bonifacii VIII. Constitutionem, quæ incipit *Periculoso*, renovans sancta Synodus, universis Episcopis sub obtestatione divini judicii et interminatione maledictionis æternæ præcipit, ut in omnibus Monasteriis sibi subjectis ordinaria, in aliis vero Sedis Apostolicæ auctoritate, clausuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, et ubi inviolata est, conservari maxime procurent, inobedientes atque contradictores per censuras ecclesiasticas aliasque pœnas, quacumque appellatione postposita, compescentes, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Quod auxilium, ut præbeatur, omnes christianos Principes hortatur sancta Synodus, et sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda, omnibus magistratibus sæcularibus injungit. (*Sess.* 25. *c.* 5. *de Regul.*)

VII.

Decernit sancta Synodus, inter raptorem et raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere Matrimonium. Quod si rapta a raptore separata et in loco tuto et libero constituta illum in virum habere censuerit, eam raptor in uxorem habeat, et nihilominus raptor ipse ac omnes illi consilium, auxilium et favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati. (*Sess.* 24. *cap.* 6. *de Reform. Matr.*)

Confer quæ de raptu et raptoribus dicta sunt in tractatu de Matrimonio; at animadvertendum est Matrimonium posse esse validum, et tamen incurri præsentem censuram, ac proinde hanc latius patere quam impedimentum quod dicitur *raptus*.—Cf. Varceno, vol. 2. p. 513.

VIII.

Præcipit sancta Synodus omnibus, cujuscumque gradus, dignitatis et conditionis existant, sub anathematis pœna, quam ipso facto incurrant, ne quovis modo directe vel indirecte subditos suos vel quoscumque alios cogant, quominus libere Matrimonia contrahant.—(*Sess.* 24. *cap.* 9. *de Ref. Matr.*)

4014. De subjecto hujus censuræ disputatur apud theologos, at probabiliter teneri potest eos solos subjici qui dominium temporale et jurisdictionem exteriorem habent; nam de iis tantum mentio fit in hujus censuræ textus præfatione, quæ particula causali *quare* conjungitur cum verbis citatis hoc modo: *Quare præcipit S. Synodus*, etc.—Et præterea satis aperte innuitur sequentibus verbis "ne quovis modo subditos suos cogant."—Cf. Bonac. disp. 11. q. 2. part. 6. n. 5.

IX.

Anathemati sancta Synodus subjicit omnes et singulas personas, cujuscumque qualitatis vel conditionis fuerint, tam Clericos quam laicos, sæculares vel Regulares, atque etiam qualibet dignitate fungentes, si quomodolibet coegerint aliquam virginem vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem, præterquam in casibus in jure ex-

pressis, ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum cujuscumque Religionis, vel ad emittendam professionem, quique consilium, auxilium vel favorem dederint, quique scientes eam non sponte ingredi Monasterium aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquo modo eidem actui vel præsentiam vel consensum vel auctoritatem interposuerint. Simili quoque anathemati subjicit eos, qui sanctarum virginum vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi vel voti emittendi quoquo modo sine justa causa impedierint. (*Sess.* 25. *cap.* 18. *de Regul.*)

1015. Cum bis Concilium in suo Decreto accurate hæc tria discriminaverit: ingredi Monasterium, habitum suscipere, professionem emittere, fatendum est excommunicationem ab illo contrahi qui vel ad solum ingressum mulierem cogit, licet ipsa postmodum neque habitum suscipiat, neque professionem emittat. Id tamen intelligendum est *probabiliter* per ordinem ad professionem religiosam, ut colligitur ex subjecta materia; ideoque excommunicationem non incurreret qui fœminam alio fine, v. gr., puellam, ut ibi educaretur, mulierem, ut ibi maneret, dum ipse longum iter suscipit, ad ingrediendum Monasterium cogeret.—Videtur quidem Suarez, disp. 23. sect. 7. n. 9. hæc verba Decreti latius accipere, sed interpretatio data a pluribus admittitur et probabilior omnino est.—Cf. Bonac. 11. q. 2. part 2. n. 6.

Casus exceptionis in jure expressi duo præsertim memorantur; scilicet, potest compelli mulier ut Monasterium ingrediatur: 1° si, postquam licentiam dederit marito Religionem intrandi, ipsaque voverit continentiam, in suspicionem incidat violandæ continentiæ; 2° si, relicto maritali toro, lapsuque carnis admisso, ad meliorem frugem convertatur, et maritus nolit eam recipere.—Ita ex cap. 18. et 19. *de Convers. conjugatorum.*

Non adest coactio quando metus incussus fœminæ levis est, aut nullam ei infert injuriam, aut injicitur ei de privatione bonorum ad quæ jus non habet; item, quando fœmina precibus, etiam importunis, modo absint minæ, inducitur ad ingrediendum Monasterium.

§ II. De Suspensionibus.

1016. Suspensiones omnes latæ sententiæ hodie *undecim* numerantur, quarum *septem* expresse habentur in Const. *Apostolicæ Sedis*, omnesque sunt Romano Pontifici reservatæ non tamen *speciali modo; tres* directe latæ fuerunt a Concilio Tridentino, et per dictam Constitutionam confirmatæ, earumque nulla est Romano Pontifici reservata, sed una Episcopis tantum, et aliæ duæ nemini; tandem *una* fuit recenter

inflicta per Const. *Romanus Pontifex*, estque Papæ *speciali modo* reservata.—Singulas subjicimus, et si quid addendum est ad earum intelligentiam breviter dicetur.

SUSPENSIONES IN CONST. "APOSTOLICÆ SEDIS" EXPRESSÆ.

I.

Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum beneficiorum perceptione, ad beneplacitum S. Sedis, Capitula et conventus Ecclesiarum et Monasteriorum, aliique omnes, qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve Prælatos de prædictis Ecclesiis seu Monasteriis apud eamdem S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint Litteras Apostolicas de sua promotione.

1017. *Explanatio.*—Verba illa "ad beneplacitum S. Sedis" significant suspensionem non esse latam ad tempus determinatum, sed ipsam duraturam esse quamdiu S. Sedi placuerit, seu, prout ait Bonifacius VIII. "donec suspensi super hoc ejusdem Sedis gratiam meruerint obtinere."

II.

Suspensionem per triennium a collatione Ordinum ipso jure incurrunt aliquem ordinantes absque titulo beneficii vel patrimonii cum pacto, ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta.

1018. *Explanatio.*—Ex dispositione juris, cap. *Episcopus* 4. *de Præbendis*, et cap. *Cum secundum* 16. eod. tit., Ordinans tenetur clerico quem sine titulo ad sacros Ordines promovit, congrua alimenta subministrare, donec sufficiens ei beneficium ad sustentationem conferat. Si igitur sacram Ordinationem ei ministret cum pacto, ut a tali onere liberetur, rem spiritualem dare videtur pro temporali, et pactum admittit quod saltem simoniam redolet. Hac de causa voluit Gregorius IX. ut Ordinantes ita paciscentes triennali suspensione punirentur, eamque censuram Pius IX. præsenti Constitutione innovavit. Limitatio tamen aliqua apposita est decreto Gregoriano, quod, præter Ordinantem, præsentantem etiam ab executione Ordinum, et Ordinatum ab Ordine suscepto per triennium suspendebat.

III.

Suspensionem per annum ab Ordinum administratione ipso jure incurrunt ordinantes alienum subditum, etiam sub prætextu beneficii statim conferendi, aut jam collati, sed minime sufficientis, absque ejus Episcopi litteris dimissorialibus, vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii ejus loci litteris testimonialibus.

1019. *Explanatio.*—Ubi agitur de Ordinatione vel conferenda vel attestanda tria sunt præsertim genera litterarum episcopalium, nempe:

dimissoriales, testimoniales, et formatæ. *Dimissoriales* eæ sunt quæ scripto continent expressum consensum et licentiam proprii Ordinarii, ut subditus possit ab alieno Episcopo ordinari; *testimoniales*, seu commendatitiæ, quæ fidem faciunt aliquem esse dignum, cui Ordines conferantur; *formatæ* quæ de collatis jam Ordinibus testimonium continent.—Porro in præsenti censura agitur tantum de litteris dimissorialibus et testimonialibus, et sub pœna suspensionis per annum ab Ordinum collatione prohibetur Episcopis ordinantibus 1°. ne subditum alienum ordinent absque ejus Episcopi litteris dimissorialibus, aut sub prætextu beneficii statim conferendi, aut jam collati sed minime sufficientis ad congruam Ordinandi sustentationem; 2°. ne proprium subditum alibi tanto tempore, hoc est, juxta veriorem sententiam, ultra sex menses moratum, ut potuerit ibi canonicum impedimentum contrahere, ordinent absque Ordinarii hujus loci litteris testimonialibus.—Per Ordines autem hic veniunt omnes sive majores, sive minores, imo etiam Prima Tonsura.—Cf. Varceno, vol. 2. p. 526.

IV.

Suspensionem per annum a collatione Ordinum ipso jure incurrit, qui, excepto casu legitimi privilegii, Ordinem sacrum contulerit absque titulo beneficii vel patrimonii Clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam Religioso nondum professo.

1020. *Explanatio.*—Solemni votorum professione Religiosus jus firmum omnino et per se stabile acquirit, ut vivat et alatur ex bonis Religionis seu Monasterii; qua ex parte titulum sustentationis habet qui cæteris titulis beneficii vel patrimonii nullo modo cedat. Idcirco ordinatur *titulo S. Paupertatis.* Res autem non ita se habet pro iis qui votis simplicibus, adeoque vinculo minus firmo, Religioni aut Congregationi alicui religiosæ uniuntur. Multo facilius nempe evenit, prout notat S. Pius V. in Bulla *Romanus Pontifex* ut "e claustro exeuntes et per sæculum vagantes vel mendicare, vel sordidum quæstum exercere, non sine ipsorum dedecore ac Ordinis vilipendio et quamplurimorum Christi fidelium scadalo, cogantur." Sapienter igitur ii omnes regulæ a Conc. Tridentino statutæ pro clero sæculari, sess. 21. cap. 2. de *Reform.* subjiciuntur, et sub pœna suspensionis præcipitur ut nemo eis Ordinem sacrum conferat absque titulo beneficii vel patrimonii.

Hæc censura spectat ad omnes prorsus Religiones in quibus emittuntur nunc vota simplicia, etiamsi ex sua prima institutione solum habue-

rint vota solemnia, et novam illam vovendi normam observent ex solo mandato Pontificio. Cum enim, post editas die 19. Mart. 1857., jussu SS. D. P. Pii IX. litteras encyclicas S. Congregationis super statu Regularium, ita postulatum fuisset: "Possuntne novitii post emissa simplicia vota, ante emissionem solemnium, ad sacros Ordines promoveri titulo paupertatis, non obstante Constitutione *Romanus*, S. Pii V. die 12 Novembris anni 1563. in lucem edita?" Respondit S. Congr. die 20. Jan. 1860: *Sanctissimus rescribendum mandavit*: *Negative quoad Ordines sacros.*

Dicitur in censura *excepto casu legitimi privilegii;* nam constat illud privilegium aliquando concessum fuisse, v. gr., Societati Jesu in gratiam Religiosorum Scholasticorum, a S. Pont. Gregorio XIII. Constit. *Ex Sedis Apostolicæ*, die ult. Feb. 1573.

V.

Suspensionem perpetuam ab exercitio Ordinum ipso jure incurrunt Religiosi ejecti, extra Religionem degentes.

1021. *Explanatio.*—Non comprehenduntur hac censura Novitii, quia nondum sunt Religiosi; neque illi qui vota simplicia in aliqua Congregatione religiosa emiserunt, quia probabilius, in odiosis sub nomine Religiosorum non veniunt; neque apostatæ aut fugitivi, quia non sunt ejecti; neque ejecti ipsi qui recipiuntur iterum, aut ad aliam Religionem canonice transeunt, quia non sunt extra Religionom degentes. Controvertitur autem utrum injuste ejectus hanc suspensionem incurrat. Affirmat Avanzini, *adnot.* 53, quia in textu censuræ nulla fit distinctio inter ejectionem justam vel injustam, et ejectus etiam injuste caret titulo suæ Ordinationis; verum improbabilis videtur hæc sententia, et melius cum aliis negatur: nam censura non fertur nisi in eum qui culpam gravem admisit, et aliunde, facto quidem sed non jure caret injuste ejectus titulo suæ Ordinationis.—Cf. Avanzini, loc cit.—Varceno, p. 528.

VI.

Suspensionem ab Ordine suscepto ipso jure incurrunt, qui eumdem Ordinem recipere præsumpserunt ab excommunicato vel suspenso, vel interdicto nominatim denuntiatis, aut ab hæretico vel schismatico notorio: eum vero qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere Ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus.

1022. *Explanatio.*—Secunda pars hujus articuli ita est intelligenda ut qui *bona fide*, id est, absque præsumptione et ex ignorantia saltem censuræ, Ordinem receperunt a nominatim excommunicato, etc., non pro-

prie suspendantur, sed prohibeantur ab exercendis functionibus Ordinis suscepti, adeoque peccent si illas exerceant. Hæc autem prohibitio non est reservata Rom. Pontifici, potestque tolli ab Episcopo, ut expresse declarant antiqui Canones, ex quibus censura desumpta est, et satis constat ex illa clausula: *donec dispensetur*, de qua vide dicta superius.

VII.

Clerici sæculares exteri ultra quatuor menses in Urbe Roma commorantes ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Card. Urbis Vicarii, vel absque prævio examine coram eodem peracto vel etiam a proprio Ordinario posteaquam in prædicto examine rejecti fuerint; nec non Clerici pertinentes ad aliquem e sex episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam diœcesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis quam ad Card. Urbis Vicarium; vel non præmissis ante Ordinem sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana Sacerdotum a Missione nuncupatorum, suspensionem ab Ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso jure incurrunt; Episcopi vero ordinantes ab usu pontificalium per annum.

1023. *Explanatio.* — *Clerici exteri* hic dicuntur, ut patet ex contextu articuli, qui neque ad Romanam diœcesim, neque ad aliquem e sex episcopatibus suburbicariis pertinent.—*Sacerdotes a Missione* ii sunt qui fundatorem habent S. Vincentium a Paulo, et vulgo nuncupantur *Lazaristæ.*

***Suspensio a pontificalibus* directe privat usu insignium pontificalium mitræ scilicet, baculi, pallii, etc.; consequenter autem efficit, ut insignibus privatus suspendatur ab omnibus actibus ordinis episcopalis, pro quibus ex præscripto Ecclesiæ usus horum insignium requiritur. Hinc neque potest confirmare, neque Ordines conferre, neque consecrare ecclesias, etc. Potest autem Missam celebrare, modo non utatur insignibus; et, si uteretur, peccaret quidem contra suspensionem in se latam, non tamen incurreret irregularitatem, propterea quod non exercuit actum substantialem Ordinis a quo suspensus est.**

SUSPENSIONES A CONCILIO TRIDENTINO LATÆ.

I.

In violantes Canones de sacra ordinatione.

1. Abbates, Collegia, Capitula et alii quicumque dimissorias sibi non subditis concedentes, ab officio et beneficio per annum sint ipso jure suspensi. (*Sess.* 23. *cap.* 10. *de Reform.*)

2. Ordinantes sibi non subditos, nisi horum probitas ac mores Ordinariorum suorum testimonio commendentur, a collatione Ordinum per annum; sic vero ordinati a susceptorum Ordinum exsecutione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sint suspensi. (*Sess.* 23. *cap.* 8. *de Reform.*)

3. Nemo Episcoporum, qui titulares vocantur, etiamsi in loco nullius diœcesis, etiam exempto, aut aliquo Monasterio cujusvis Ordinis resederint, aut moram traxerint, vigore cujusvis privilegii sibi de promovendo quoscumque ad se venientes pro tempore concessi, alterius subditum, etiam prætextu familiaritatis continuæ commensalitatis suæ, absque sui proprii Prælati expresso consensu aut litteris dimissoriis, ad aliquos sacros aut minores Ordines vel primam tonsuram promovere seu ordinare valeat. Contra faciens ab exercitio pontificalium per annum, taliter vero promotus ab exsecutione Ordinum sic susceptorum, donec suo Prælato visum fuerit, ipso jure sint suspensi. (*Sess.* 14. *cap.* 2. *de Reform.*)

4. Nulli Episcopo liceat cujusvis privilegii prætextu pontificalia in alterius diœcesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia, et in personas eidem Ordinario subjectas tantum. Si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio pontificalium, et sic ordinati ab exsecutione Ordinum sint ipso jure suspensi. (*Sess.* 6. *cap.* 5. *de Ref.*)

5. Qui non arctatur occasione beneficii recepti vel recipiendi, et, sede vacante, acceptis infra annum a die vacationis dimissoriis a Capitulo, ordinatur: si fuerit tali ordinatione in Minoribus constitutus, non gaudet privilegio clericali; si in Majoribus, ipso jure suspenditur ab eorum exsecutione ad beneplacitum futuri Prælati. (*Sess.* 7. *cap.* 10. *de Ref.*)

II.

In benedicentes illegitime Matrimonia.

Si quis Parochus vel alius Sacerdos, sive regularis sive sæcularis sit, etiam si id sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiæ sponsos sine illorum Parochi licentia Matrimonio conjungere aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus Parochi, qui Matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur. (*Sess.* 24. *cap.* 1. *de Reform.*)

III.

In Episcopos incontinentes.

Episcopi, quod absit, si concubinas, aut alias mulieres de quibus possit haberi suspicio, in domo vel extra detineant, aut cum iis ullam consuetudinem habeant, et a synodo provinciali admoniti se non emendaverint, ipso facto sint suspensi. (*Sess.* 25. *cap.* 14. *de Ref.*)

Suspensio lata per Const. "Romanus Pontifex."

Contrahentes excommunicationem latæ sententiæ Rom. Pontifici speciali modo reservatam, quam *supra* n. 992. memoravimus, si episcopali charactere sint insigniti, in pœnam suspensionis ab exercitio pontificalium, et interdicti ab ingressu ecclesiæ ipso facto, absque ulla declaratione, incidunt, S. Sedi pariter speciali modo reservatam. —Vid. Varceno, p. 522.

§ III.—De Interdictis.

1024. Interdicta omnia latæ sententiæ hodie *quatuor* existunt, quorum *duo* expresse habentur in Constit. *Apostolicæ Sedis*, eorumque prius est *specialiter* reservatum Romano Pontifici, alterum potest a quocumque absolvi postquam interdictum patientes, ad arbitrium ejus cujus sententiam excommunicationis vel interdicti contempserunt, competenter satisfecerint.—*Duo* alia fuerunt directe lata a Concilio Tridentino, et per Constit. *Apostolicæ Sedis* confirmata. Singula subjicimus.

INTERDICTA IN CONST. "APOSTOTLICÆ SEDIS" CONTENTA.

I.

Interdictum Romano Pontifici speciali modo reservatum ipso jure incurrunt Universitates, Collegia et Capitula, quocumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus seu mandatis ejusdem Romani Pontificis pro tempore exsistentis ad universale futurum Concilium appellantia.

II.

Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario, vel delegato Judice, vel a jure interdictis; aut nominatim excommunicatos ad divina Officia, seu ecclesiastica Sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittentes, interdictum ab ingressu ecclesiæ ipso jure incurrunt, donec ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempserunt, competenter satisfecerint.

1025. Ad intelligentiam hujus censuræ duo notanda sunt: 1°. loca *a jure* interdicta *vitanda* non sunt, nec proinde occasionem præbere possunt hanc censuram incurrendi, nisi intervenerit specialis et expressa interdicti declaratio, juxta regulam statutam a Martino V., Const. *Ad evitanda;* 2°. *admittentes* ad divina officia, etc., illi sunt qui possunt sua auctoritate ab his singulis prohibere nominatim excommunicatos, et eos non prohibent. Tales sunt Rectores, Parochi, et alii quorum curæ ecclesiæ vel cœmeteria commissa sunt.—Cf. Varceno, vol. 2. p. 550.

INTERDICTA LATA A CONCILIO TRIDENTINO.

I.

Metropolitanus suffraganeos Episcopos absentes, Metropolitanum vero absentem suffraganeus Episcopus antiquior residens, sub pœna interdicti ecclesiæ eo ipso incurrenda infra tres menses per litteras seu nuntium Romano Pontifici denuntiare teneatur. (*Sess.* 6. *cap.* 1. *de Reform.*)

II.

Capitulum, sede vacante, dans infra annum a die vacationis, dimissorias ad Ordines, ei qui non arctatur occasione beneficii recepti vel recipiendi, ecclesiastico subjacet interdicto. (*Sess.* 7. *cap.* 10. *de Reform.*)

TRACTATUS

DE IRREGULARITATIBUS

CAPUT I.

DE IRREGULARITATIBUS IN GENERE.

1026. Irregularitas, stricte sumpta, est impedimentum canonicum, prohibens, ne quis clero adscribatur, vel ad Ordinem superiorem ascendat, vel functiones Ordinis suscepti exerceat.—Hinc differt a censuris, depositione et degradatione, præsertim ex hoc capite, quia depositio et degradatio semper supponunt culpam, et habent rationem pœnæ; irregularitas vero non semper culpam supponit, et si quando per modum pœnæ imponatur, hoc fit secundario tantum, nec ad reum puniendum, sed ad indecentiam in sacro ministerio præcavendam.

Multiplex distinguitur irregularitas; est enim 1°. *ex defectu*, vel *ex delicto*, prout oritur ex quibusdam defectibus in jure expressis, vel contrahitur ex certis delictis in jure determinatis; 2°. est *totalis*, vel *partialis*, prout excludit ab omni Ordine, et Ordinis usu, atque ab omni beneficio ecclesiastico, vel arcet tantum ab aliquo Ordine suscipiendo, non vero a susceptorum usu; 3°. est *perpetua*, vel *temporalis*, prout ex se semper durat, nisi tollatur dispensatione, aut aliis modis infra determinandis; vel durat tantum ad aliquod tempus, et postea cessat absque ulla dispensatione. Sic irregularitas ex defectu ætatis evanescit, completo tempore ad Ordines requisito.

1027. **Dico** 1°. Nulla unquam incurritur irregularitas nisi in jure canonico expressa sit. Hinc 1°. irregularitas ab homine non admittitur; 2°. irregularitas incurritur ipso facto ante omnem judicis sententiam, et etiam ob defectum vel crimen occultum. Constat ex cap. *Is qui* 18. *de Sent. excomm.* in 6.

Dico. 2°. Irregularitas *ex defectu* semper incurritur, stante defectu; quia rationem pœnæ non habet, sed rationem solius impedimenti. Irregularitas vero *ex delicto* non incurritur absque culpa et quidem gravi,

quia licet finis irregularitatis non sit punire, nec corrigere reos, non contrahitur tamen nisi ratione delicti proprie voluntarii et vere gravis. —Cf. S. Alphons. n. 348.

1028. *Quæsita.*—Quaer. 1°. *An ad incurrendam irregularitatem ex delicto, præter scientiam legis divinæ, requiratur scientia legis ecclesiasticæ prohibentis?*

Resp. *Affirm.*, juxta probabiliorem sententiam, quia irregularitas hujusmodi habet rationem pœnæ. Ob eamdem rationem probabilis adhuc videtur sententia eorum qui requirunt etiam scientiam pœnæ, seu irregularitatis. Et re quidem vera irregularitas *ex delicto* censetur et est magna et extraordinaria quædam pœna imposita in vindictam criminis, licet effectus illius primarius sit inhabilitatem constituere. Porro ubi tanta pœna infligitur, non censetur Ecclesia cum tanto rigore procedere ut incurratur ab illo qui circa eam aliqua ignorantia laborat.—Cf. S. Alphons. n. 350. et 351.

Quaer. 2°. *An censearis irregularis in dubio utrum irregularitatem incurreris.*

Resp. *Neg.*, si agatur de dubio *juris* seu in dubio an talis casus subjaceat legi irregularitatem statuenti. Ita fere omnes theologi, et ratio desumitur ex eo quod odia sunt restringenda. Si vero agatur de dubio *facti*, distinguendum est; nam vel est dubium de homicidio patrato, vel de alio delicto. Si *prius*, *probabilius* et *verius* irregularitatem incurristi, ob specialem indecentiam quæ in homicidio reperitur, ut ex jure colligitur. Requiritur tamen ut homicidium sit certum, et dubites solum an ejus causa fueris. Si *posterius*, *probabilius* et *verius* non incurristi, quia in dubio nemo damnandus est.—Cf. S. Alphons. n. 346. et 347.

Quaer. 3°. *An incurratur irregularitas ob crimen externum quidem et consummatum, sed prorsus occultum?*

Resp. *Affirm.*, juxta veriorem sententiam, ut ait S. Alphonsus. Ratio est, quia Ecclesia, crimina reservando, etiam occultissima reservat, modo suæ jurisdictioni subjaceant, nempe modo sint externa, prout imposuit excommunicationem hæresi omnino occultæ, etc. Evincitur insuper ex cap. 6. *Liceat*, in Trid., sess. 24., ubi Concilium præbet facultatem Episcopis absolvendi ab irregularitatibus et censuris occultis.—Cf. S. Alphons. n. 349.

Quaer. 4°. *Quomodo irregularitas tollatur?*

RESP. Tollitur sequentibus modis:

1°. *Per dispensationem*: 1°. Papæ in omni casu, modo non adsit impedimentum de jure naturali, seu quod exercitium Ordinis sacri impossibile reddat; 2°. Episcopi et Regularium si irregularitas ex delicto occulto proveniat, excepto homicidio; 3°. cujuslibet delegati pro ratione acceptæ facultatis, ut dictum est *de absolutione a censuris*.

2°. *Per cessationem causæ*, v. gr., *ætate* requisita adveniente, si irregularitas ex defectu ætatis proveniat; item *per mutationem* domicilii, seu loci, aut *per emendationem*, si ex infamia oriatur. Pro juris tamen infamia dispensatio requiritur.—Cf. S. Alphons. n. 352. et seqq.

QUAER. 5°. *Quomodo fiat dispensatio ab irregularitate?*

RESP. Nulla forma invenitur præscripta in jure; unde nulla determinata necessario adhibenda est. Fieri autem potest formula sequenti, aut alia æquivalenti: "Dispenso tecum super irregularitate, quam incurristi propter... (talem causam), in nomine Patris," etc., vel: "Auctoritate mihi concessa a S. P. (vel ab Episcopo) dispenso tecum, etc..., et habilem reddo et restituo executioni Ordinum, et officiorum tuorum in nomine Patris," etc.

CAPUT I.

DE IRREGULARITATIBUS IN PARTICULARI.

ARTICULUS I.

DE IRREGULARITATIBUS EX DEFECTU.

1029. Octo earum species numerantur, scilicet ex defectu 1°. animi, 2°. corporis, 3°. natalium, 4°. ætatis, 5°. libertatis, 6°. Sacramenti, 7°. lenitatis, 8°. famæ.—Defectus isti, vel potius qualitates iis oppositæ, his exprimuntur versiculis:

> Natales, animus, libertas, corpus et ætas,
> Non bigamus, lenis, nec mala fama notet.

I.—Ex defectu animi.

1030. Triplex defectus animi assignatur, scilicet rationis, scientiæ, et fidei confirmatæ.

1°. *Rationis*. Hinc sunt irregulares perpetuo amentes, lunatici, furi-

osi, epileptici et energumeni, etsi lucida intervalla habeant. Minus difficulter tamen illis permittitur susceptorum Ordinum exercitium, quam novorum susceptio.

2°. *Scientiæ.* Irregulares sunt, qui non habent scientiam singulis Ordinibus necessariam, sive de facto nesciant, sive discendi sint incapaces. Deducitur ex dictis in tract. *de Sacram. Ordinis,* et ex Decret. part. 1. dist. 36. can. 1.

3°. *Fidei confirmatæ.* Irregulares sunt neophyti in adulta ætate recenter baptizati, usquedum ab Episcopo digni judicentur. Constat ex jure can.—Cf. S. Alphons. n. 397. et seqq.

II.—Ex defectu corporis.

1031. Ex duplici capite incurritur hæc irregularitas; 1°. si quis ad exercitium Ordinis sit ineptus; 2°. si aliis notabilem horrorem afferat, aut indecentiam præferat.

Hinc irregulares habentur 1°. *mutilati,* crus ligneum gerentes, manu, pollice, aut indice uti non valentes; 2°. *cæci,* visu totaliter carentes, vel ita cæcutientes, ut in Missali legere nequeant; 3°. *surdi,* qui nihil audiunt, ita ut nullatenus vocem ministri respondentis audire queant; 4°. *muti* aut *balbutientes,* qui verba integra pronuntiare non possunt, aut nonnisi cum magna difficultate, ita ut risum aut contemptum adstantium moveant; 5°. *claudi,* qui sine baculo ad altare se sistere non valent; 6°. *carentes naso,* aut enormiter distortum, demissum, aut productum habentes; 7°. *monstruosi,* v. gr., habentes gibbum enormem, qui magnam inducat deformitatem, etc.—Cf. S. Alphons. n. 403. et seqq.

1032. QUAERES. *An sit irregularis, qui uno oculo caret?*

RESP. *Neg.,* si caret tantum oculo dextero, quia minus necessarius est ad Missæ celebrationem, modo notabilis inde non nascatur deformitas. Secus vero dicendum si caret oculo sinistro qui dicitur *oculus canonis,* quia necessarius est ad canonem Missæ legendum. Excipe, nisi canonem oculo dextero sine deformitate legere possit. Hoc autem judicio Episcopi subjiciendum est.—Cf. S. Alphons. n. 404.

III.—Ex defectu natalium.

1033. Defectus, scilicet, illegitimitas natalium inducit irregularitatem. Constat ex Decret., lib. 1. tit. 18. Hinc 1°. irregulares sunt illegitimi etiam occulti, seu quicumque nati sunt ex fornicatione, adulterio, vel incestu; 2°. qui nati sunt ex Matrimonio clandestino, et in gradu prohibito, etiam incognito; 3°. non vero sunt irregulares illegitimi tempore suæ conceptionis vel nativitatis, quorum parentes tunc temporis habiles erant ad contrahendum Matrimonium, et postea contraxerunt, quia per Matrimonium subsequens legitimati sunt. Non sunt autem irregulares illegitime nati ex Matrimonio publico, sed invalido ob impedimentum ab uno saltem ignoratum.—Cf. S. Alphons. n. 420. et seqq.

1034. Quaeres. *Quomodo tollatur irregularitas ex defectu natalium?*

Resp. Tollitur 1°. per legitimum subsequens Matrimonium parentum, ut modo dictum est; 2°. per professionem religiosam; 3°. per legitimam dispensationem.

IV.—Ex defectu ætatis.

1035. 1°. Irregulares habentur, qui ætatem canonicam non attigerunt. Sed non est irregularitas stricta, cum cesset, completa requisita ætate.

2°. Qui scienter Ordines suscipiunt ante canonicam ætatem, peccant graviter. Quænam vero pro singulis Ordinibus ætas requiratur, vide quæ supra dicta sunt in tractatu *de Ordine*, n. 835.

V.—Ex defectu libertatis.

1036. Ex triplici vinculo oritur libertatis defectus, scilicet, ex vinculo servitutis, Matrimonii et officii. Hinc 1°. omnes servi proprie dicti irregulares sunt, donec plenam libertatem consequantur; 2°. irregulares sunt uxorati, nec Ordines suscipere possunt, nisi de consensu uxoris castitatem voventis et Religionem ingredientis, saltem si juvenis sit; 3°. irregulares sunt, qui ex officio et juramento negotiis sæcularibus implicantur, ut judices, magistratus, etc.—Cf. S. Alphons. n. 455. et seqq.

VI.—Ex defectu Sacramenti.

1037. Per defectum sacramenti intelligitur in præsenti casu sacramentum Matrimonii pluries receptum, seu bigamia. Patet bigamos esse irregulares ex jure canonico per totum titulum de bigamis. Ratio autem convenientiæ est, quia in bigamia deficit perfecta significatio unionis Christi cum Ecclesia, quæ unio est omnino simplex, et non multiplex. Id vero illatum est ex Apostolo, I. ad Timoth. iii. 2: "Oportet Episcopum unius uxoris esse virum."

Bigamia de jure canonico triplicis est generis, scilicet bigamia *vera*, bigamia *interpretativa*, et bigamia *similitudinaria*.

1°. Bigamia *vera* habetur, cum quis plures successive uxores ducit, et cum singulis Matrimonium consummat.

2°. Bigamia *interpretativa* est, qua quis ex interpretatione juris ut bigamus habetur, licet unicam duxerit uxorem. Talis est 1°. qui ducit, et cognoscit viduam a suo priori marito cognitam; 2°. qui ducit mulierem quamlibet ab alio corruptam, et Matrimonium consummat; 3°. qui propriam uxorem cognoscit post adulterium ab ea commissum; 4°. qui contrahit duo Matrimonia, unum validum, et alterum invalidum, licet in bona fide. Imo etiamsi utrumque Matrimonium esset invalidum irregularis fieret, qui utrumque maritali affectu consummaret. Evincitur ex variis locis juris canonici.

3°. Bigamia *similitudinaria* habetur cum quis contrahit Matrimonium post votum solemne Religionis, aut Ordinem sacrum susceptum, licet nullum sit Matrimonium. Ratio est, quia ille merito censetur duo matrimonia contraxisse, primum spirituale cum Christo, secundum carnale cum muliere.— Cf. S. Alphons. n. 435. et seqq.

VII.—Ex defectu lenitatis.

1038. Irregularitatem ex defectu *lenitatis* contrahunt quicumque voluntarie, active, efficaciter et proxime ad necem vel mutilationem alicujus, licet juste, concurrunt per actionem natura sua ad id ordinatam. Hinc:

1°. Sunt irregulares carnifices, judices, et omnes qui hujusmodi judicio cooperantur. Excipe autem testes coactos; et accusatores damnorum suorum compensationem petentes.

2°. Non sunt irregulares medici et chirurgi, licet membra abscindant, aut mortem remediis bona fide datis accelerent, nisi gravis negligentia intercedat.—Cf. S. Alphons. n. 385.

3°. Nec clerici medicinam aut chirurgiam exercentes citra incisionem et adustionem. Imo nec si incisionem aut adustionem in casu necessitatis adhibeant; necessitas enim nulla lege regitur. Imo etiam extra necessitatem, si clerici non sint in sacris constituti, modo mors aut mutilatio non sequatur.—Cf. S. Alphons. n. 384. et 385.

4°. Non sunt irregulares, qui aggressorem occidunt in justa defensione, quia non censetur defectus lenitatis vitam propriam, servato moderamine inculpatæ tutelæ, defendere etiam cum morte injusti aggressoris.

5°. Milites non fiunt irregulares in bello justo defensivo, nec in justo offensivo, nisi propria manu occiderent: in bello autem injusto totus exercitus fit irregularis, etiamsi unus tantum homo pereat.—Cf. S. Alphons. n. 459.

VIII.—Ex defectu famæ.

1039. Infamia duplex distinguitur: 1°. infamia *facti*, quæ contrahitur ante quamlibet sententiam ex notorietate alicujus criminis enormis, vel per exercitium artis ignominiosæ; 2°. infamia *juris*, quæ triplici modo contrahitur, scilicet ex crimine in jure notato, ex judicis sententia, et ex crimine parentum.

1040. Quaeres. *Quænam sint crimina, quibus ex jure adnexa est infamia?*

Resp. Sunt sequentia: homicidium, perjurium factum in judicio, simonia, sodomia, adulterium, exercitium usurarum, invasio Cardinalium vel Episcoporum. Sic ex jure canonico, sed ex Trid. sess. 24. cap. 6. *de Reform.* adjicitur raptus mulierum, duellum, et paratio armorum contra parentes. Non incurritur tamen irregularitas, nisi hæc crimina sint vere notoria; secus enim fama non deficit.—Cf. S. Alphons. n. 362. et seqq. et 453.

ARTICULUS II.

DE IRREGULARITATIBUS EX DELICTO.

1041. Quintuplici ex capite irregularitas ex delicto incurritur, scilicet: 1°. ex mala Baptismi susceptione, et ex ejus iteratione; 2°. ex mala Ordinum susceptione et usurpatione; 3°. ex censuræ violatione;

4°. ex quorumdam criminum enormium patratione; 5°. ex homicidio et mutilatione. Hæc omnia versiculo sequenti exhibentur:

Fonte reus, sacris, censura, crimine, letho.

I.—Baptismi iteratio atque mala susceptio.

1042. Ex hoc capite irregularis est, 1°. qui in adulta ætate Baptismum ab hæretico declarato suscipit extra casum necessitatis, quia ejus errori communicare videtur.

2°. Qui publice et solemniter rebaptizat, item qui scienter rebaptizatur; item clericus assistens Baptismo iterum collato.—Cf. S. Alphons. n. 356. et seqq.

II.—Ordinum usurpatio aut illicita susceptio.

1043. 1°. *Usurpatio.* Irregulares sunt, qui solemniter exercent actum Ordinis sacri, quem non habent. Probabiliter tamen soli clerici huic irregularitati subjacent.

2°. *Susceptio illicita.* Sic irregularitatem incurrunt, qui furtive ordinantur, id est, qui non examinati, nec admissi, per dolum, inscio Episcopo, sese ordinandis immiscent; qui curant promoveri ab alieno Episcopo sine litteris dimissorialibus, vel qui plures Ordines sacros eodem die recipiunt, et probabiliter etiam qui per saltum ordinantur; denique qui ordinantur ab Episcopo suspenso, hæretico, schismatico aut simoniaco.—Cf. S. Alphons. n. 359. et seqq.

III.—Violatio Censuræ.

1044. Irregulares sunt, qui vinculo alicujus censuræ ligati solemniter exercent Ordinem sacrum, ut jam supra dictum est. Hinc:

1°. Irregularis esset non tantum sacerdos qui Missam celebraret cum censura sed etiam diaconus qui Evangelium cum stola cantaret, etc., et sacerdos, qui cogeret censuratum ad celebrandum.

2°. Duplicem incurrit irregularitatem, qui duplici censura ligatus Ordinem sacrum exercet; et hoc in postulatione dispensationis exprimi debet. Idem dicendum est de eo qui cum eadem censura pluries celebrat. Sed sufficit ut in numero plurali exprimatur postulatio.

3°. Irregularis est sacerdos qui, ab Ordine suspensus, sacramentaliter absolvit; quia etiam absolvere est actus potestatis Ordinis, non

vero actus solius jurisdictionis, qualis esset, v. gr., actus excommunicandi, confessarios approbandi, assistendi Matrimonio, a votis dispensandi, etc.

IV.—Crimina enormia.

1045. Hac appellatione intelliguntur *hæresis* et *apostasia* a Fide. Hanc irregularitatem incurrunt etiam hæreticorum et apostatarum fautores, receptatores, defensores, imo et ipsorum filii ut constat ex *cap. Statutum de hæreticis, in Sexto.* Hæc autem crimina, ut irregularitatem inducant, debent esse publica: hinc irregularitas ista in irregularitatem ex defectu famæ recidit, ut ait S. Alphonsus, n. 362.

V.—Homicidium et mutilatio.

1046. Irregularitas incurritur ex homicidio voluntario et graviter culpabili, etiam occulto, sive directe sive indirecte volito, ex actione sive physica sive morali patrato. Idem est dicendum quoad mutilationem quæ intelligitur, quando a corpore separatur aliquod membrum principale, seu pars corporis, quæ officium per se distinctum habet, v. gr., *pes, manus, oculus*, etc. Hinc.

1°. Sunt irregulares, qui causa sunt immediata mortis alicujus, etiamsi illos pœniteat antequam læsus moriatur. Ratio est, quia causa physica necessario operatur. Item qui alios aut seipsos mutilant. Si quis lethaliter hominem percusserit, et alter occiderit, uterque vere est homicida.

2°. Sunt irregulares mandantes homicidium vel consilium dantes, effectu secuto ex consilio vel mandato. Excipe, si ante executionem mandatum retractaverint, et retractatio mandatario innotuerit.—Cf. S. Alphons. 371.

3°. Item cooperantes, ut homicidium celerius, audacius, aut securius fiat. Sic irregulares fiunt 1°. qui se mutuo excitant, licet unus solum occidat; 2°. omnes præliantes in bello injusto, si ibi aliquis pereat; 3°. qui ministrant arma aut pecunias ad homicidium; 4°. omnes accusatores, judices et testes injusti.

4°. Item consentientes, si consensus in homicidium efficaciter influxerit. Unde non est irregularis, qui homicidium, etiam suo nomine vel gratia factum, approbat, quia in illud non influxit.

5°. Non fiunt irregulares, qui dant operam rei licitæ, adhibita sufficienti diligentia ne accidat homicidium. Hinc non sunt irregulares 1°. qui committunt homicidium casuale, nisi interveniat negligentia graviter culpabilis; 2°. nec ii qui infirmo bona fide aliquid cibi vel potus nocivi præbent, vel si, illum moventes aut volventes, causa sint, cur decedat; 3°. nec medici qui pharmacum mortiferum infirmis casu dederunt. Excipe tamen clericos in Sacris, incisione aut adustione operantes præter necessitatis casum.—Cf. S. Alphons. n. 383. et 384.

1047. QUAERES. *An habendus sit veluti irregularis qui dubitat an homicidium patraverit, necne?*

RESP. *Neg.*, quando non constat homicidium esse patratum, seu si dubitetur de ipso homicidio, an fuerit secutum, necne. Ratio est, quia pœna non est infligenda, nisi de ipso delicto constet. Si autem constet de homicidio patrato, et tantum dubium sit, utrum tua actione causa illius fueris, tunc *affirmative* esset respondendum. Ratio est, quia licet generatim irregularitas, stante dubio, incurri non debeat, attamen in præsenti casu incurrenda est ex juris canonici dispositione, in odium speciale quod homicidium meretur. Patet ex cap. *Significasti*, et cap. *Ad audientiam*, etc. Hoc autem non est extendendum ad casum quo quis dubitat utrum in alterius mutilationem influxerit, posito mutilationis facto, quia citata loca juris de solo dubio homicidii loquuntur. —Cf. S. Alphons. 347.

APPENDIX

I.

DE INDULGENTIIS

CAPUT I.

DE INDULGENTIIS GENERATIM SPECTATIS.

1048. Indulgentia latiori sensu sumpta importat quamcumque condonationem peccatorum, aut concessionem gratiæ et misericordiæ; at strictiori sensu accepta Indulgentia est remissio pœnæ temporalis Deo debitæ pro peccatis quoad culpam remissis, concessa a legitimo Ministro, extra sacramentum Pœnitentiæ, per applicationem thesauri Ecclesiæ.

Indulgentia hoc stricto sensu accepta multipliciter distinguitur; est enim 1°. *plenaria*, vel *partialis*, prout integra pœna temporalis remittitur, vel ejusdem pars tantum; 2°. *personalis*, vel *localis*, aut *realis*, prout conceditur immediate personis, vel est affixa alicui loco, aut adnectitur alicui rei; 3°. *temporalis*, aut *perpetua*, prout ad tempus determinatum, aut sine ullo termino præfixo conceditur.

1049. ***Dico*** 1°. Ecclesia habet potestatem concedendi indulgentias: hæc autem potestas, in concreto apud eos tantum invenitur qui dicuntur et sunt veri Ecclesiæ Prælati. Ratio *primi* desumitur, tum ex Conc. Trid. sess. 25. Decreto *de Indulgentiis* ubi anathemate damnantur qui "eas (Indulgentias) concedendi in Ecclesia potestatem esse negant;" tum quia Christus generalem potestatem concessit Apostolis solvendi quidquid impediret consecutionem æternæ beatitudinis. Ratio autem *secundi* est, tum quia soli Prælati Ecclesiæ sunt successores Apostolorum quibus solis concessa fuit generalis illa potestas solvendi, tum quia soli Prælati Ecclesiæ dispensare possunt de ejus thesauro, siquidem illis solis competit potestas in corpus mysticum Christi. Hinc:

1°. Solus Papa Indulgentias concedere potest respectu omnium fidelium; ille enim solus habet jurisdictionem in fideles universos.

2°. Episcopi omnes qui jurisdictionem episcopalem de facto habent,

possunt quidem de jure communi concedere Indulgentias suis diœcesanis, et etiam non diœcesanis si agatur de indulgentiis *localibus*, sed ex Decreto Conc. Lateran. IV. can. 62. ita restricta est eorum potestas, ut non possint *ordinarie* concedere nisi Indulgentias 40 dierum, et, in die consecrationis Ecclesiæ, unius anni.—Dixi de *jure communi*, quia de *jure particulari* nostri Episcopi, utpote degentes in terris missionum, amplioribus gaudent facultatibus.

3°. Delegatus juxta mensuram quam delegans præstituit Indulgentias concedere potest non secus ac ille a quo fuit delegatus, quia actus jurisdictionis, prout est facultas concedendi Indulgentias, per delegatum exerceri potest.

4°. Cardinales possunt concedere Indulgentias 100 dierum in Ecclesiis suorum titulorum; Nuntii vero 100 vel 200 aut 300 dierum, sed minus quam unius anni, subditis suis.

5°. Prælati Episcopo inferiores non possunt ullas Indulgentias concedere, neque Vicarii generales, nisi ex delegatione expressa Episcopi; neque Vicarii capitulares, sede vacante, et pari ratione administratores apud nos; multo minus Parochi.—Cf. Lacroix, lib. 6. part. 2. n. 1323. et seqq.—Ferraris, V. *Indulgentiæ*.

Dico 2°. Præcipuæ conditiones quæ in subjecto requiruntur ad Indulgentias lucrandas sunt sequentes: 1°. ut sit baptizatus, quia thesaurus Ecclesiæ infidelibus dispensari nequit, et non sit excommunicatus, quia secus communione bonorum spiritualium privatur; 2°. ut opera injuncta rite adimpleat, prouti præscripta sunt quoad *tempus*, *modum*, et *locum*, quia sub hisce conditionibus conceduntur Indulgentiæ; 3°. ut sit in statu gratiæ, saltem quando ultimum opus præscriptum ponit, quia non remittitur pœna, nisi dimissa culpa.

1050. ***Quæsita.***—Quaer. 1°. *An sit valida concessio Indulgentiæ facta sine causa?*

Resp. *Neg.*, et ratio est, quia Prælati Ecclesiæ non sunt nisi delegati Christi ad thesaurum Ecclesiæ dispensandum. Christus autem nequit ratas habere profusiones thesauri sui a dispensatoribus prodigis factas. Cæterum non est fidelium, nec simplicium sacerdotum judicare de sufficientia causæ, ob quam Indulgentia conceditur; debent enim simpliciter existimare justam esse, quia præsumptio semper stat pro su-

perioribus, nisi certo constet contrarium.—Cf. S. Alphons. *de Sacram. Pœnit.* n. 532.

QUAER. 2°. *An peccatum veniale sit obex ad lucrandam Indulgentiam?*

RESP. *Neg.*, et ratio est, quia quamvis remitti non possit pœna tali peccato debita, potest tamen remitti pœna debita pro aliis peccatis jam deletis: sicut enim non repugnat culpam alicujus peccati venialis remitti, quin aliorum culpa remittatur; sic nec repugnat deleri pœnam venialium aut mortalium remissorum, quamvis solvenda remaneat pœna pro uno aut pluribus venialibus. Exinde tamen patet peccatum veniale esse obicem ad lucrandam Indulgentiam plenariam qua talem.—Cf. S. Alphons. *de Sacram. Pœnit.* n. 534.

QUAER. 3°. *An Indulgentia, quæ conceditur ut plenaria, possit partialiter saltem obtineri, si adsit obex impediens quominus integre obtineatur, v. gr., affectus ad aliquod veniale?*

RESP. *Affirm.*, et ratio est, tum quia ex nuper dictis non obstat peccatum veniale aliquod non remissum, quominus pœna pro aliis debita remittatur; tum quia Summus Pontifex, concedendo Indulgentiam plenariam, non præsumitur illam velle restringere tantum ad eos quibus remittuntur omnia venialia; sed potius merito censetur eam concedere juxta capacitatem subjecti, ita ut remittatur saltem pœna quæ remitti potest, nempe pœna peccatorum jam remissorum. Secus enim Indulgentiæ plenariæ plerumque nihil prodessent, cum raro fideles affectum omnem vel minimum erga quodlibet veniale exuant, ac sufficientem dolorem de omnibus venialibus ita concipiant, ut omnium remissionem consequantur. Hinc fieret, ut potiores essent Indulgentiæ partiales quam plenariæ, quod sensui communi repugnat.—Cf. S. Alphons. ibid.

Nonnulli tamen docent, Indulgentiam plenariam non concedi nisi *plenarie* seu *plenissime*, sicuti aiunt, ita ut totum vel nullum effectum sortiri debeat. Sed hæc sententia non apparet probabilis.

QUAER. 4°. *Quid intelligatur per Indulgentias* 10 *vel* 15 *dierum, annorum, quadragenarum, etc., etc.?*

RESP. Intelligenda est, juxta communem sententiam, remissio tantæ pœnæ, quanta olim remittebatur, vel remissa fuisset per pœnitentiam canonicam ejusdem temporis. Sic, v. gr., per Indulgentiam septem

annorum tanta remittitur pœna, quanta remittebatur per pœnitentiam septem annorum juxta antiquos canones injungi solitam. — Quanti autem valuerint coram Deo pœnitentiæ canonicæ, et quanti nunc valeant Indulgentiæ partiales tot dierum vel annorum, nos omnino latet; quia ignoramus qualem proportionem satisfactiones nostræ habeant cum pœna pro peccatis nostris debita.—Ita communiter.

QUAER. 5°. *An Indulgentias lucretur, qui opus pro eis præscriptum non integre perficit?*

RESP. *Neg.*, si partem operis notabilem omittat, ita ut secundum æstimationem moralem illud quoad substantiam non perficiat; quia simpliciter conditionibus requisitis satisfacere non censetur. Secus autem si minimam partem prætermittat; quia tunc *moraliter*, vel quoad *substantiam* censetur perfici opus præscriptum. — Pars autem minima *respective* sumenda est. Sic in Rosario omissio unius *Pater* et *Ave* minima videtur; secus vero si quinque *Pater* et *Ave* requirantur, quia omissio quintæ partis operis notabilis est.—Cf. S. Alphons. ibid.

QUAER. 6°. *An et quomodo Indulgentiæ defunctis applicari possint?*

RESP. Applicari possunt, si adsint duæ conditiones sequentes: 1°. ut tanquam illis *applicabiles* in Rescripto Pontificis specialiter concedantur; 2°. ut adsit intentio talem applicationem faciendi.—Adverte tamen quod Indulgentia nequit applicari defunctis per modum *absolutionis*, sed tantum per modum *suffragii*, nempe Deum deprecando ut benigne velit talem applicationem acceptare et animabus Purgatorii facere. Ratio est, quia Pontifex jurisdictionem non habet in animas defunctorum, ac proinde eas absolvere a pœnis, velut per sententiam, non potest.—Cf. Lacroix, n. 1336.—Lugo, *de Pœnit.* disp. 27. n. 58.

QUAER. 7°. *An Indulgentia infallibiliter prosit animabus Purgatorii, quibus applicatur?*

RESP. Controvertitur; nam alii affirmant, quia Christus dedit Ecclesiæ potestatem infalibilem his verbis: "Quodcumque solveris" . . . , etc. Concessio autem Indulgentiæ pro defunctis est vere actus clavium, cum procedat ab Apostolica auctoritate; clavis autem semper aperit, positis debitis conditionibus: ergo Indulgentia est semper efficax et infallibilis tam pro defunctis quam pro vivis, modo adsint requisita.—Alii autem negant, quia nulla adest promissio divina, vi cujus Deus censeatur In-

dulgentiam oblatam certo acceptare. Hinc videtur eam tantum admittere pro suo beneplacito applicandam. Præterea Ecclesia servat usum celebrandi per complures annos ac pro eisdem animabus Sacra, v. gr., aniversaria, etiam in altaribus privilegiatis, seu quibus inhæret privilegium Indulgentiæ plenariæ. Inanis autem esset illa praxis, si statim in primo Sacro illis applicato liberantur.—Cf. Suarez, disp. 53. sect. 3. n. 3.—S. Alphons. *de Sacram. Pœnit.* n. 534.

Certum est autem, Indulgentias defunctis saltem ut plurimum prodesse; secus enim inutile quid ageret Ecclesia eas illis applicando: quod sane absque impietate dici nequit.*

QUAER. 8°. *An applicatio specialis facienda sit certis animabus determinatis, vel generalis sufficiat?*

RESP. Sufficit applicatio generalis facta omnibus animabus in Purgatorio degentibus, quia suffragia sunt divisibilia, et proinde in omnes animas distribui possunt. Elucet aliunde ex praxi ecclesiæ, quæ jubet Missas celebrari pro defunctis in genere, præsertim die secunda Novembris. Item quando fiunt Collectæ in Ecclesiis pro *animabus Purgatorii*, Missæ inde celebrandæ pro omnibus in genere applicari debent. Si autem quis velit restringere applicationem suam, tunc animas quasdam specialiter determinare debet, sive expresse, sive implicite et æquivalenter.

QUAER. 9°. *An requiratur status gratiæ ad lucrandam Indulgentiam pro defunctis?*

RESP. Controvertitur apud theologos, quorum alii affirmant, quia nemo potest alteri applicare Indulgentiam, nisi eam prius suam fecerit; alii autem negant quia applicatio fit directe et immediate defunctis, et opus ponitur tantum ut conditio non ad lucrandam sibi Indulgentiam, sed ut illa defunctis applicetur. Prima sententia quæ S. Alphonso videtur verior, consulenda est in praxi utpote tutior.—Cf. S. Alphons. loc. cit. n. 534.—Baller. not. (c) p. 1051.

QUAER. 10°. *An requiratur confessio et absolutio etiam pro venialibus ad lucrandas Indulgentias quæ conceduntur cum clausula:* contritis et confessis?

RESP. *Affirm.*, quoad *confessionem*, non obstante statu gratiæ, et ratio est, quia etsi confessio tunc non sit necessaria ad remittenda peccata, requiritur tamen tanquam conditio, seu opus præscriptum. Constat ex

Decreto S. Congr. Indulgentiarum a Clemente XIII. approbato, die 19. Maii 1759. Verum quoad *absolutionem* respondendum est *negative*, ut patet ex Declaratione S. Congr. de Indulgentiis data die 15. Dec. 1841.

QUAER. 11°. *An requiratur toties confessio, quoties lucranda est Indulgentia plenaria?*

RESP. *Affirm.*, quoad plerasque, ut evincitur ex rescriptis plurium concessionum.—Dixi *plerasque*, nam etsi pro omnibus certe requiratur status gratiæ, non item requiritur confessio, ut patet exemplo Indulgentiæ plenariæ concessæ pro exercitio *Viæ Crucis*.—Hic autem quatuor sunt animadvertenda:

1°. Ex indulto speciali in perpetuum concesso, fideles qui semel decursu cujusque hebdomadæ confiteri solent, omnes Indulgentias plenarias occurrentes lucrari possunt, dummodo permaneant in statu gratiæ. Dixi *decursu cujusque hebdomadæ*, quia sufficit ut quis confiteatur v. gr., feria 2ᵈᵃ., et deinde iterum in sabbato sequentis hebdomadæ, ut lucrari possit vi hujus indulti omnes Indulgentias occurrentes in duabus his hebdomadis.

2°. Non pauci Episcopi obtinuerunt extensionem hujus privilegii in favorem illorum qui bis in mense confiteri solent, scilicet quolibet spatio quatuordecim dierum.

3°. Confessio quæ fit infra septem dies ante festivitatem cui adnexa est aliqua Indulgentia, sufficere potest, si quidem adest penuria confessariorum, tum ad hanc eamdem Indulgentiam lucrandam, tum ad alias infra idem tempus recurrentes.

4°. Ista privilegia non respiciunt Indulgentiam plenariam quæ conceditur ad formam Jubilæi, pro cujus recta intelligentia semper attendenda sunt ipsa verba et tenor concessionis.—Cf. Prinzivalli, n. CCLIX. —*Acta S. Sedis*, vol. 2. p. 358. et seqq.

QUAER. 12°. *Quid important clausulæ*—contritis—contrito corde—corde saltem contrito—*et similes aliæ?*

RESP. Certe non significant requiri actum contritionis tanquam opus injunctum, sed exprimunt tantum necessitatem status gratiæ ad lucrandam Indulgentiam.—Cf. *Acta S. Sedis*, vol. 6. p. 388.

QUAER. 13°. *An quis possit eadem die diversas aut pluries easdem Indulgentias lucrari?*

RESP. Quoad Indulgentias *diversas*, generatim eas possunt fideles

lucrari, saltem si sint partiales et annexæ operibus diversis, vel eisdem operibus quæ pluries in die repeti possunt. Ita communiter theologi, idque ex Ecclesiæ et fidelium praxi confirmatur.—Quoad Indulgentias *easdem* id pendet a mente Pontificis Indulgentias elargientis. Unde ad litteras concessionis attendendum est; quæ si nihil determinent, standum est interpretationi et praxi communi Ecclesiæ. Sic eodem die obtineri non possunt pluries Indulgentiæ *stationum* seu *visitationis ecclesiæ*, ut constat ex Decreto S. Congreg. Indulgentiarum ab Innoc. XI. approbato. E contrario lucrari licet pluries in die Indulgentias plures annexas Rosario et singulis ejus partibus, vel recitationi actuum Fidei, Spei et Caritatis, etc., quia in Rescripto Pontificis dicitur: *toties quoties.* —Cf. Voit, n. 653.—Lacroix, n. 1370.

QUAER. 14°. *An quis eodem actu, seu opere, plures Indulgentias lucrari queat?*

RESP. *Affirm.*, si ex una parte opus præscriptum repeti non possit, aut non soleat *eodem die*, et ex alia concurrant diversæ Indulgentiæ lucrabiles ex *diversis titulis*, et *eodem die* concessæ.—*Negative* autem respondendum si concurrant Indulgentiæ *eodem titulo*, v. gr., si quis habeat duo numismata, quorum singulis Indulgentia unius anni concessa est cum onere operum iterabilium; tunc enim plures Indulgentiæ *simul eodem tempore* obtineri nequeunt, nisi opera injuncta iterentur, quia talis censetur esse mens concedentis, cum injungat opera quæ iterari possunt.—Cf. *Nouvelle Revue theolog.* vol. 10. p. 231.—Voit, n. 655.

QUAER. 15°. *An possint acquiri plures Indulgentiæ plenariæ eodem die?*

RESP. Nemo profecto potest lucrari secundam Indulgentiam eodem tempore, si post primam nulla pœna luenda amplius remaneat. Secus autem est respondendum si commisso aliquo novo peccato, iterum adimpleantur conditiones requisitæ; et ex tenore concessionis nihil obstet.—Cf. *Acta S. Sedis*, vol. 1. p. 116. et seqq.

QUAER. 16°. *An vel qualis intentio requiratur ad lucrandas Indulgentias?*

RESP. Certo requiritur intentio saltem virtualis, quoties Indulgentia conceditur cum certa intentione sibi proponenda. In cæteris autem casibus, controvertitur. Aliqui docent requiri intentionem *positivam*, saltem *virtualem;* quia opus præscriptum dirigi debet in finem ab Ec-

clesia intentum, scilicet in relaxationem pœnæ, ad quam ex se solo non refertur; hoc autem præstare nequit ille, qui saltem virtualiter lucrari Indulgentiam non intendit.—Alii autem tenent sufficere intentionem *habitualem*, vel *interpretativam*, quia intentio nihil operatur in Indulgentia; effectus enim Indulgentiæ, seu remissio pœnæ pendet omnino a concessione Ecclesiæ, quæ illam adnectit operi injuncto, non vero intentioni agentis: unde licet is se passive habeat, nec attendat ad Indulgentiam, imo nesciat se illam lucrari, dum ipsi contingit, nihilominus jus ad illam consequitur. Quidquid sit de hisce rationibus, practice loquendo, nulla aut quasi nulla adest difficultas, nam communiter admittitur ab omnibus sufficere intentionem mane habitam ad lucrandas omnes Indulgentias per diem occurrentes. Porro laudabilem praxim renovandi hanc intentionem omnes animæ vere piæ, quæque de Indulgentiis lucrandis sollicitæ sunt, nunquam solent omittere.—Cf. Baller. not. (b) p. 1054.

QUAER. 17°. *Utrum si concedatur facultas commutandi opera injuncta ad lucrandas Indulgentias, commutatio necessario in confessione fieri debeat?*

RESP. *Neg.*, nisi in concessione facultatis ejusmodi conditio expresse caveatur.—Neque dicas Benedictum XIV. tradidisse regulam oppositam in Const. *Inter præteritos*, § 63., nam respondetur prædictum Pontificem in citato loco locutum fuisse tantum de facultatibus concessis ac modo iis utendi in occasione Jubilæi 1750., non vero statuisse legem generalem. Imo etiam pro Jubilæo data est quandoque facultas faciendi commutationem extra confessionem, ut patet ex responsione S. Pœnit. data 18. Jul. 1881.—Cf. S. Alphons. *de Sacram Pœnit.* n. 534. —Baller. not. (a) p. 1055.—Konings, n. 1779. Quær. 17. not. 49.

QUAER. 18°. *An vel quomodo surdi-muti lucrari valeant Indulgentias, quibus adnexæ sunt orationes vocales?*

RESP. Has Indulgentias antea lucrari non poterant, cum requisitis conditionibus satisfacere non valerent. Sed ex benigna concessione Pii IX. die 15. Martii anni 1852. hujusmodi beneficio frui possunt, modo sequentia servent: 1°. si ecclesia aliqua visitanda sit, satis erit si eam adeundo surdi-muti mente et affectu Deum orent; 2°. si publicæ preces habendæ sint, non aliud ab iisdem requiritur, nisi ut fidelibus adunatis pia mente conjungantur; 3°. si orationes privatæ sint recitandæ, a con-

fessario commutationem in alia quævis pia opera obtinere poterunt.—Cf. Prinzivalli, n. DCXXV.

QUAER. 19°. *An illi, qui chronica infirmitate impediti nequeunt ecclesiam visitare et communionem frequenter recipere, possint nihilominus Indulgentias lucrari cum duæ prædictæ conditiones requiruntur?*

RESP. *Affirm.*, ex speciali concessione Pii IX., dummodo tamen adimpleantur aliæ conditiones. Etenim die 18. Sept. 1862 "Sanctitas sua clementer indulsit, ut præfati Christi fideles (habitualiter infirmi chronici, ob physicum permanens aliquod impedimentum a domo egredi impotentes) exceptis tamen illis qui in Communitate morantur, acquirere possint omnes et singulas Indulgentias Plenarias jam concessas vel in posterum concedendas, quasque alias acquirere possent in locis in quibus vivunt, si in eo physico statu non essent, pro quarum acquisitione præscripta sit Sacra communio et visitatio alicujus Ecclesiæ vel publici Oratorii in locis iisdem, dummodo vere pœnitentes confessi, ac cæteris omnibus absolutis conditionibus, si quæ injunctæ fuerint, loco S. communionis et Visitationis alia pia opera a respectivo confessario injungenda, fideliter adimpleant. Præsenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque."—Cf. *Acta S. Sedis*, vol. 2. p. 538. et seqq.

QUAER. 20°. *An amittantur Indulgentiæ, si res mobilis, cui adnexæ sunt, alteri tradatur?*

RESP. *Affirm.*, si dominium rei illius in alium transferatur, quia Ecclesia intendit tantum concedere Indulgentias personæ pro qua res aliqua fuit benedicta, vel pro primo qui ea utitur. Ita sapientissime statuit Ecclesia ad præcavendos abusus, qui secus irreperent, si Indulgentiæ possent de uno ad alterum transferri ac donari.—*Negative* vero est respondendum, si per traditionem non transferatur rei dominium, id est, si res alteri solum commodato tradatur, modo tamen commodans non intendat beneficium Indulgentiæ commodatario concedere.—Cf. Prinzivalli, n. CXXXIII. et CDLXXXII.—*Conc. Plen. Balt.* II. Append. XXX. p. 340. § *In distribuendis.*

QUAER. 21°. *Quibusnam rebus Indulgentiæ applicari possint?*

RESP. Applicari possunt Indulgentiæ quibuslibet rebus *solidis*, ne ferro quidem vel ligno exceptis, ut olim. Etiam corona vitro solido

confecta cum appositis Indulgentiis benedici potest. Solæ igitur res, quæ facile frangi aut lacerari possunt, ut papyrus, vitrum insufflatum, etc., excipiendæ sunt.—Cf. Prinzivalli, n. CDXX.

1051. ***Resolves.***—1°. Episcopus potest concedere Indulgentias suis subditis extra suam diœcesim versantibus, quia jurisdictionem habet personalem in illos. Possunt vero Episcopi concedere Indulgentias solum per modum *absolutionis*, ideoque pro solis vivis.—Ita communiter.

2°. Posset quidem Pontifex concedere facultatem lucrandi Indulgentiam pro alio quolibet christiano vivente, modo esset ille in statu gratiæ, sicut et multas concedit lucrandas pro defunctis. Id tamen ab ejus voluntate pendet, cui tota dispensatio thesauri Ecclesiæ commissa est. Jamvero, ait Card. de Lugo: "Communiter non conceditur facultas lucrandi Indulgentias pro aliis viventibus, quia, cum ipsi possint sibi etiam subvenire, non expedit fovere eorum pigritiam, ut neque satisfacere, neque etiam Indulgentias pro se lucrari curent."—Cf. Lugo, disp. 27. n. 77.—Lacroix, n. 1328.—Baller. not. (a) n. 1056.

3°. Non amittuntur Indulgentiæ rei alicui adnexæ, nisi res illa omnino mutata fuerit, ita ut res eadem amplius dici nequeat, v. gr., si aliqua ecclesia omnino aut fere ex integro esset diruta, Indulgentiæ ei inhærentes cessarent. Neque amittuntur, si per successivas reparationes totaliter renovaretur, siquidem eadem moraliter remaneret. Proinde nec amittit Indulgentias corona quæ successive reparatur, licet globuli ex integro per partes subinde renovati fuerint.—Cf. Prinzivalli, n. CDLXXXII.

4°. Indulgentiæ non exspirant morte concedentis, cum sint gratiæ, nec ante notitiam revocationis. Indulgentiæ accipiendæ sunt, ut sonant; cum tamen sint gratiæ, large sunt interpretandæ, servata nihilominus verborum proprietate. Unde censendæ sunt perpetuæ, si datæ sint sine temporis restrictione.—Cf. S. Alphons. n. 534.

NOTA.—*Ad intelligendum naturam Indulgentiæ Jubilæi, sicut et cæteras ejusdem concessiones, attendendum est imprimis ad verba et tenorem Constitutionis qua Jubilæum ipsum promulgatur. Etenim ultima Jubilæa diversitatem quamdam præ se tulerunt quoad requisitas conditiones, ac proinde male quis argumentaretur ab uno ad aliud, independenter a verbis ipsis apostolicis.*

CAPUT II.

DE QUIBUSDAM INDULGENTIIS IN PARTICULARI.

I.—De Indulgentiis Apostolicis.

1052. Indulgentiæ Apostolicæ dicuntur illæ quas Romanus Pontifex adnectere solet piis objectis uti sunt cruces, coronæ precatoriæ, et numismata, dum ea benedicit.

1053. ***Quæsita.*** — Quaer. 1°. *Quænam in particulari sint Indulgentiæ istæ Apostolicæ?*

Resp. Sunt sequentes:

"Quicumque semel in singulis hebdomadis Coronam Domini, aut Beatissimæ Virginis, vel Rosarium, ejusque tertiam partem, aut Officium sive divinum sive parvum ejusdem Beatissimæ Virginis vel Defunctorum, aut septem Psalmos Pœnitentiales vel Graduales recitabit; aut rudimenta fidei tradere, aut detentos in carcere, vel alicujus domus hospitalis ægrotos visitare, aut pauperibus subvenire, aut Missam audire, vel, si sacerdos est, celebrare consuevit, si vere pœnitens, et sacerdoti per Ordinarium approbato confessus sanctissimum Eucharistæ sacramentum sumpserit in quolibet ex diebus infrascriptis, nimirum diebus Festis Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, Epiphaniæ, Paschatis Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, Sanctissimæ Trinitatis, Corporis Christi; tum diebus Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, Nativitatis, et Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, necnon diebus Nativitatis S. Joannis Baptistæ, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Andreæ, Jacobi, Joannis, Thomæ, Philippi et Jacobi, Bartholomei, Matthæi, Simonis et Judæ, Matthiæ, Sancti Josephi Sponsi B. Mariæ Virginis, atque Omnium Sanctorum, piasque ad Deum preces fuderit pro hæresum atque schismatum extirpatione, Fidei Catholicæ propagatione, pace et Christianorum Principum concordia, ceterisque Romanæ Ecclesiæ necessitatibus, in unoquoque præfatorum dierum plenariam Indulgentiam consequetur.

"Qui eadem in aliis Festis Domini, aut B. Virginis Mariæ peregerit, in quolibet eorum participet Indulgentiam septem annorum, ac totidem quadragenarum: qui vero quâvis Dominica vel alio anni Festo, Indulgentiam quinque annorum totidemque quadragenarum. Qui

demum in alio quocumque anni die ea præstabit, Indulgentiam centum dierum.

"Quicumque saltem semel in hebdomada recitare consueverit Coronam aut Rosarium aut Officium B. Mariæ Virginis vel Defunctorum, aut Vesperas, vel unum saltem ex Nocturnis, et Laudes, aut septem Psalmos Pœnitentiales cum Litaniis, earumdem precibus, quo die id egerit Indulgentiam centum dierum acquiret.

"Quisquis animam suam Deo in articulo mortis devote commendans, ipsamque mortem æquo ac libenti animo de manu Domini suscipere paratus, et vere pœnitens, confessus, ac Sacra Communione refectus, si valeat, alioquin contritus nomen JESU ore, si potuerit, sin minus saltem corde invocaverit, plenariam Indulgentiam consequetur.

"Quicumque ante Missæ celebrationem vel sumptionem Eucharistiæ, aut recitationem divini Officii vel parvi B. Mariæ Virginis, aliquam devotam præparationem præmiserit, quinquaginta dierum Indulgentiam qualibet vice id egerit, percipiet.

"Qui detentos in carcere, aut ægrotos in Nosocomiis visitaverit, eos aliquo bono opere adjuvando, aut Doctrinam Christianam in Ecclesia vel domi filios aut propinquos aut famulos docuerit, toties Indulgentiam biscentum dierum consequetur.

"Qui ad pulsum campanæ alicujus Ecclesiæ mane aut meridie aut vespere consuetas preces *Angelus Domini, etc.*, dicet, vel si eas ignoret, semel *Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam*, vel dato signo sub horam noctis orandi pro Defunctis Psalmum *De Profundis*, aut si hunc nesciat, *Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam* recitabit, centum dierum Indulgentiam qualibet vice adipiscetur.

"Eamdem pariter consequetur Indulgentiam qui feria sexta devote cogitaverit de Passione ac Morte Domini Nostri Jesu Christi, terque *Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam* recitaverit.

"Quisquis vere pœnitens peccata commissa emendare firmiter proponat, conscientiam suam excutiat, ter *Oratione Dominica et Angelica Salutatione* devote repetitis in honorem Sanctissimæ Trinitatis, et ob reverentiam quinque Vulnerum Jesu Christi *quinquies* devote eamdem *Orationem et Salutationem* recitet, eamdem Indulgentiam consequetur.

"Omnes et singulas antedictas Indulgentias unusquisque memoratis

diebus poterit aut pro seipso adipisci, aut Fidelibus defunctis per modum suffragii applicare."—Cf. *Conc. Plen. Balt.* II. Append. XXX. p. 340.

QUAER. 2°. *Utrum nostri Missionarii possint, ex delegatione, concedere Indulgentias Apostolicas.*

RESP. *Affirm.*, generatim loquendo, nam Episcopis nostris conceditur non solum facultas applicandi has Indulgentias, sed etiam "communicandi (hanc eamdem facultatem) cum presbyteris sacro ministerio fungentibus."—Dixi *generatim loquendo*, quia non in omnibus diœcesibus de facto invenitur hæc communicatio, sed si petatur ab Ordinario certe obtinebitur.

QUAER. 3°. *Quomodo practice fiat applicatio harum Indulgentiarum?*

RESP. Sufficit ut sacerdos objecta ista pia manu tenens benedicat habeatque intentionem applicandi Indulgentias, etiamsi in Indulto existat clausula "*In forma Ecclesiæ consueta.*"—Cf. Maurel, n. 101.—Prinzivalli, n. D. et DXLIV.—*Conc. Plen. Balt.* II. loc. cit.

II.—De Indulgentiis Scapularis.

1054. Plura hodie dantur scapularia, at hic breviter dicetur solummodo de scapulari B. M. V. de Monte Carmelo, quod antiquissimum est et magis commune. Pro cæteris vero scapularibus consuli possunt tractatus speciales.

1055. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *Quænam sint Indulgentiæ adnexæ scapulari B. M. V. de monte Carmelo?*

RESP. Plures sunt eæque partiales et plenariæ: hæ ultimæ conceduntur diebus sequentibus.

1°. In die receptionis scapularis, supposita tamen confessione, communione, et aliqua prece facta juxta intentionem S. Pontificis.

2°. In die festo B. M. V. de Monte Carmelo, vel in Dominica proxime sequenti, vel etiam quocumque die infra Octavam, servatis tamen iisdem prædictis conditionibus.

3°. In die Immaculatæ Conceptionis, Nativitatis, Præsentationis, Annunciationis, Visitationis, Purificationis, et Assumptionis B. M. Virginis: item in die festo S. Josephi, S. Simonis Stock (16. Maii), S. Annæ, S. Michaelis, et S. Teresiæ: item in feria IV. cujusque hebdomadæ. Verum ad lucrandas has Indulgentias, præter prædictas conditiones, requiritur visitatio alicujus ecclesiæ ordinis carmelitani, et ubi hæc de-

est, ecclesiæ parochialis, et si neque hoc præstari possit, datur confessario facultas faciendi commutationem.

4°. In articulo mortis.—Cf. Maurel, n. 88.

QUAER. 2°. *Quænam sint alia privilegia hujus scapularis?*

RESP. Præter plenarias Indulgentias, aliasque partiales non paucas, memoranda sunt duo magna privilegia hujus scapularis, scilicet illud *felicis obitus*, et illud quod dicitur *Sabbatinum*. Ad obtinendum primum privilegium, quod innititur in ipsis verbis B. M. Virginis: "*In hoc moriens æternum non patietur incendium,*" requiritur ut quis scapulari rite fuerit insignitus, eoque ad collum suspenso moriatur. Ad alterum autem privilegium lucrandum, quod consistit in eo quod a pœnis Purgatorii brevi aut saltem *Sabbato post obitum*, quis liberabitur, requiruntur sequentes conditiones; 1°. ut servetur castitas juxta proprium statum; 2°. ut quotidie dicatur officium parvum B. M. Virginis, et pro iis qui nesciunt legere, ut servetur abstinentia unaquaque Feria IV. et Sabbato, per annum, excepto casu quo Nativitas D. N. Jesu Christi inciderit uno ex his diebus. Adverte tamen 1°. quod ii qui Breviarium Romanum quotidie recitant non tenentur recitare parvum officium B. M. Virginis; 2°. quod in casu necessitatis confessarius, debita facultate munitus, potest hanc recitationem et abstinentiam in aliud pium opus commutare.—Cf. Benedict. XIV. *de Festis*, lib. 2. cap. 6.—Maurel, n. 88.

QUAER. 3°. *Quænam sint conditiones ut quis dicatur esse scapulari rite insignitus?*

RESP. Ex parte *scapularis* requiritur, ut illud sit ex debita *materia* et *colore*. Ex parte *subjecti*, ut gestetur *continuo* et *per modum scapularis*. Ex parte autem *dantis*, ut *benedicatur* et *imponatur* a sacerdote habente facultatem. Porro;

1°. *Materia* scapularis istius est lana et quidem texta, etsi accedere possint aliqua ornamenta.

2°. *Color* debet esse fuscus (*brown*), seu quasi niger.

3°. *Continua gestatio* importat ut non deseratur per longum tempus, vel per breve quidem sed cum animo ipsum omnino rejiciendi, ita ut in utroque casu quis dici possit voluisse renuntiare tali devotioni.

4°. *Gestatio per modum scapularis* significat quod hoc habeatur suspensum ad collum ita ut una pars sit super pectus et altera inter sca-

pulas, ac proinde hanc conditionem non servaret qui scapulare secum deferret in sacculo aliquo, vel utcumque assutum super vestes.

5°. *Benedictio et impositio* scapularis debet fieri a sacerdote habente facultatem, et per formulam præscriptam, quæ habetur in Rituali Romano, p. 476. Porro Episcopi nostri possunt hanc facultatem communicare, ut patet ex *Facultatibus extraordinariis C.* n. 9., eamque de facto communicant sacerdotibus omnibus.

1056. Juvat hic referre sequentes responsiones S. Congr. Indulgentiarum:

I. "Utrum unum idemque scapulare semel benedictum valide possit pluribus per vicem imponi repetita solummodo super singulis receptionis sive impositionis formula?

II. Utrum hujusmodi formula usurpari solita in actu impositionis scapularium, essentialis sit ut quis scapulare rite accepisse censeatur, jusque habeat ad Indulgentias illud ferentibus concessas; an vero absque Indulgentiarum dispendio possit omitti, præsertim in morbo aliove urgenti casu?

III. Ex Indulto S. M. Gregorii XVI. sub die 30. Aprilis 1838. necessarium amplius non est ad Indulgentias acquirendas, ut inscribantur in confraternitatis libro nomina Fidelium, qui B. M. V. de Monte Carmelo scapulare recipiunt: Quæritur utrum idem dicendum de aliis scapularibus a S. Sede approbatis?

Itaque Emi. PP. in Congregatione Generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 20. Julii 1868. audito prius Consultoris voto, rebusque mature perpensis, rescripserunt:

Ad I. *Affirmative; ita tamen ut primum Scapulare, quod deinceps adscriptus induere debet, sit benedictum.*

Ad II. *Tam ad primam, quam ad secundam partem proferenda esse verba quæ sunt substantialia ad formam Decreti hujus S. Congregationis diei* 24. *Augusti* 1844., *quod sic se habet.*—Urbis—An rata sit Fidelium adscriptio Confraternitati B. V. de monte Carmelo, quæ fit a sacerdotibus quidem facultatem habentibus, non servata tamen forma in Rituali et Breviario Ord. Carmelitarum descripta? Sac. Congregatio respondit —Affirmative, dummodo Sacerdotes facultatem habentes non deficiant in substantialibus, nempe in Benedictione, et impositione habitus, ac in

aeceptione ad Confraternitatem. Ita declaravit S. C. die 24. Aug. 1844.

Ad III. *Negative.*"—Cf. *Acta S. Sedis*, vol. 4. p. 219. et 220.

III.—De Indulgentiis Viæ Crucis.

1057. Juxta Benedictum XIV. pium illud exercitium, quod communiter vocatur *Via Crucis*, adnumerandum est inter præcipuos actus pietatis a fidelibus peragendos, tum quia optimum in se est, tum quia multis locupletatum est Indulgentiis. Origo hujus pii exercitii fuit ipsa devotio fidelium visitantium sancta illa loca quæ passione D. N. J. C. signata sunt; ipsis enim Ecclesia multas concesserat Indulgentias, easque decursu temporis ad eos etiam extendit qui imitationes quasdam eorum locorum pia meditatione recolerent. Scimus igitur plures adnexas fuisse Indulgentias pio exercitio *Viæ Crucis*, at difficile est, imo etiam prohibitum eas enumerare.—Cf. Maurel, n. 60.

1058. ***Quæsita.***—QUAER. 1°. *Quid requiratur ad canonicam seu validam erectionem* Viæ crucis *a sacerdote faciendam?*

RESP. Requiritur imprimis delegatio apostolica, quam apud nos facile Episcopi solent concedere; nam habent a S. Congr. de Prop. Fide facultatem: "Erigendi in locis suæ diœcesis, in quibus non adsint PP. Franciscales, pium exercitium *Viæ Crucis* cum applicatione omnium Indulgentiarum et privilegiorum, quæ summi Pontifices ejusmodi exercitium peragentibus impertiti sunt, addita insuper potestate hanc facultatem communicandi presbyteris sacro ministerio fungentibus."

QUAER. 2°. *Quid importat clausula "in locis . . . in quibus non adsint PP. Franciscales"?*

RESP. Memorata clausula duo posset significare, vel scilicet 1°. quod erectio *Viæ Crucis* non debet fieri in locis in quibus non adsint PP. Franciscales, seu in locis dictis Patribus non subjectis; vel 2°. quod in hujusmodi locis non possit permitti ab Episcopis erectio *Viæ Crucis*, et recurrendum sit ad PP. Franciscales ut habeatur delegatio. Si prædicta clausula *primum* significet, dicendum est hodie non amplius existere hanc restrictionem, propterea quod cum Pius IX. eam jam, abstulerit per Decretum datum 14. Maii 1871.; Si vero *alterum* significet certe recurrendum est ad PP. Franciscales, scilicet ad *Fratres Minores*

sive *Observantes* sive *Reformatos* aut *Recollectos*.—Cf. *Acta S. Sedis*, vol. 6. p. 327.

QUAER. 4°. *Utrum præter generalem dictam delegationem, requiratur in* singulis casibus *specialis venia Ordinarii ad erectionem* Viæ Crucis?

RESP. Requiritur quidem, quoties facultas erigendi *Viam Crucis* habita est vel a Ministro Gen. Ordinis Minorum, vel directe a Sede Apostolica; nam proposito dubio: "An consensus Ordinarii ... requiratur in *singulis* casibus pro *unaquaque* stationum erectione ...?"—S. C. I. die 21. Jun. 1879. respondit "*Affirmative*"—Verum neque Responsum istud, neque aliud memoratum a Prinzivalli sub n. CLXVIII. applicari potest sacerdotibus nostris, non solum cum in suis ecclesiis, sed etiam cum in aliis locis piis erigunt *Viam Crucis*; et ratio est, quia eorum delegatio *particularis* dicenda est, cum sit ad tempus et ad nutum revocabilis.—Cf. Konings, n. 1787. not. 2.

QUAER. 5°. *Quænam sint aliæ conditiones ad validam erectionem requisitæ?*

RESP. Præter memoratam delegationem requiritur 1°. ut Cruces sint ligneæ, et 2°. ut Stationes aliquantulum distent una ab alia. Quia vero Indulgentiæ proprie adnexæ sunt Crucibus, hæ possunt transferri ad alias Imagines absque detrimento Indulgentiarum.—Cf. *Acta S. Sedis*, vol. 11. p. 401.

QUAER. 6°. *Quænam sint conditiones requisitæ ex parte fidelium?*

RESP. Requiritur 1°. ut fideles circumeant Stationes absque morali interruptione; et 2°. ut meditentur aliquantulum de Passione D. N. J. C. juxta capacitatem uniuscujusque. Porro in *publico* exercitio *Viæ Crucis* possunt fideles retinere locum suum, et sufficit ut sacerdos tantum cum Ministris circumeat. Insuper etiam in *privato* exercitio modus circumeundi intelligi debet juxta circumstantias locorum et personarum.—Moralis autem interruptio importat divergere ad actus extraneos, ac proinde confessionem peragere, vel communionem suscipere dum fit pium hoc exercitium non est illud moraliter interrumpere.—Cf. Prinzivalli, n. DVII., CCXXXVI., DC., LXXVI., et CCXLIX.

QUAER. 7°. *Utrum Indulgentias* Viæ Crucis *possit quis plures in die lucrari?*

RESP. *Affirmant* auctores qui hactenus hac de re scripserunt; attamen Episcopo Petrocorensi nuper responsum est a S. C. Ind. 10. Sept. 1883.

"Ex documentis non constat Indulgentias pro pio exercitio *Viæ Crucis* concessas toties lucrari quoties præfatum pium exercitium iteratur.— Cf. *Nouvelle Revue theologique*, vol. 15. p. 473. et seqq.

IV.—De Indulgentia Altaris privilegiati.

1059. Indulgentia altaris privilegiati est indulgentia plenaria applicabilis defunctis, et lucrabilis per celebrationem Missæ lectæ sub quibusdam conditionibus rubricalibus et cum intentione liberandi animam aliquam in particulari.—Duplex est, scilicet *reale*, si Indulgentia adnectitur ipsi altari, et *personale*, si conceditur personæ.

1060. ***Quæsita.***—Quaer. 1°. *Quanta et quænam sit efficacia hujus privilegii?*

Resp. Hanc efficaciam ita declaravit S. Congr. Indulgentiarum die 28. Julii 1840. "Per Indulgentiam altari privilegiato annexam, si spectetur mens concedentis et usus potestatis clavium, intelligendam esse Indulgentiam plenariam, quæ animam statim liberet ab omnibus purgatorii pœnis; si vero spectetur applicationis effectus, intelligendam esse Indulgentiam, cujus mensura divinæ misericordiæ beneplacito et acceptationi respondet."

Quaer. 2°. *Utrum hæc Indulgentia prodesse possit pluribus animabus defunctorum?*

Resp. *Neg.*, ut constat tum ex variis declarationibus S. C. Indulgentiarum, tum quia hæc Indulgentia applicari potest tantum illi animæ pro qua dicitur Missa. Excipe tamen diem commemorationis omnium defunctorum; nam in hac die ex una parte omnia altaria declarata sunt privilegiata, et ex alia licet celebrare "tam in genere pro omnibus quam in specie pro aliquo defuncto."

Quaer. 3°. *Quænam sint conditiones ad hanc Indulgentiam lucrandam?*

Resp. Præter prædictam, scilicet ut dicatur Missa pro anima quam quis vult liberare, requiritur ut celebretur Missa *de Requie*, et cum nigris paramentis, si Rubrica id permittat. Secus autem possunt adhiberi alia paramenta, et dici Missa de festo aliquo, vel mysterio quin amittatur Indulgentia.

Quaer. 4°. *Utrum Episcopi nostri habeant facultatem concedendi privilegium altaris?*

Resp. *Affirm.*, et quidem tum *personale*, tum *reale*. Etenim quoad *primum* possunt concedere facultatem: "Singulis feriis secundis non impeditis officio IX. lectionum, vel eis impeditis, die immediate sequenti, celebrandi Missam *de Requie*, in quocumque altari, etiam portatili, et liberandi animas secundum eorum intentionem a purgatorii pœnis per modum suffragii."—Quoad *alterum* autem habent facultatem: "Declarandi privilegiatum in qualibet ecclesia suæ diœcesis unum altare, dummodo aliud privilegiatum non adsit, pro cunctis Missæ sacrificiis, quæ in eodem altari celebrabuntur a quocumque presbytero sæculari vel cujusvis Ordinis Regulari."—Cf. *Acta S. Sedis*, vol. 1. p. 42. et seqq. et p. 626., vol. 3. p. 99. et seqq., et vol. 13. p. 133. et seqq.—Prinzivalli, n. CCXLII., CXV. et DCLVII.

Nota. *Sacerdos qui fecerit* actum heroicum, seu *oblationem omnium suarum satisfactionum in favorem animarum, quæ sunt in purgatorio, gaudet ipso facto privilegio altaris personali.*—Cf. Prinzivalli, n. DCXLIII.

V.—De Indulgentia in articulo mortis.

1061. Datur Episcopis nostris, et per eos Missionariis omnibus, facultas "concedendi Indulgentiam plenariam .. fidelibus quibuscumque in articulo mortis saltem contritis si confiteri non poterunt."—Porro relate ad conditiones lucrandi hanc Indulgentiam, et modum ipsam impertiendi, plura extant S. C. Ind. decreta, quorum præcipuorum hæc est summa:

1°. Sacerdos non confert valide hanc Indulgentiam, omissa formula a S. Pontifice præscripta, nec deficientia libri ipsum excusat.—Feb. 5. 1841.

2°. Nequit infirmus in eodem mortis articulo pluries lucrari hanc Indulgentiam datam a pluribus sacerdotibus habentibus facultatem eam impertiendi.—Ibid.

3°. Non potest hæc Indulgentia pluries impertiri, durante eadem infirmitate, etsi diuturna.—Mar. 12. 1855.

4°. Semel tantum *Benedictio* conferri debet in eodem statu morbi.—Sept. 20. 1775.

5°. Potest vero iterari, si infirmus convaluerit, ac deinde, quacumque de causa, in novum mortis periculum incidat.—Feb. 12. 1842.

6°. Per se non est repetenda eo quod forte repeti debeat Extrema Unctio.—Jun. 20. 1836.

7°. Accipitur Indulgentia tantum in vero mortis articulo.—Apr. 23. 1615.

8°. Valida est quamvis *Benedictio* collata fuerit infirmo existenti in statu peccati mortalis.—Jun. 20. 1836.

9°. Valida quoque est, nec iteranda est *Benedictio*, si ægrotus post ejus receptionem lapsus sit in peccatum.—Ibid.

10°. Tum valide tum licite conceditur iis qui, etiam culpabiliter, non fuerunt ab incœpto morbo sacramentis refecti, subitoque vergunt in interitum.—Sept. 20. 1775.—Cf. *Irish Ecclesiastical Record*, September et November 1883., et February 1884.

APPENDIX.

II.

FACULTATES QUÆ EPISCOPIS NOSTRIS CONCEDI SOLENT.

FACULTATES ORDINARIÆ.—Form I.

1. "Conferendi ordines extra tempora [1] et non servatis interstitiis usque ad presbyteratum incl., si sacerdotum necessitas [2] ibi fuerit."

2. "Dispensandi in quibuscumque irregularitatibus, exceptis illis, quæ vel ex bigamia vera, vel ex homicidio voluntario proveniunt; et in his etiam duobus casibus, si præcisa necessitas operariorum ibi fuerit, si tamen, quoad homicidium voluntarium, ex hujusmodi dispensatione scandalum non oriatur."

3. "Dispensandi super defectu ætatis unius anni [3] ob operariorum penuriam, [4] ut promoveri possint ad Sacerdotium, si alias idonei [5] fuerint."

4. "Dispensandi et commutandi vota simplicia in alia pia opera, et

---

(1) Clausula "*extra tempora*" significat tantum quod ordiuatio vi hujus facultatis fieri potest aliis diebus præter Sabbatun singulorum quatuor Temporum, Sabbatum ante Dominicam Passionis, et Sabbatum Sanctum, sed non præter dies Dominicos aut festivos de præcepto. Attamen, apud nos, vi diuturnæ consuetudinis, possunt Ordines conferri *quocumque die* ad arbitrium Episcopi, prout dictum est in tractatu *de Ordine*, n. 835. Quær. 4°.

(2) Necessitas hæc intelligitur non absoluta, seu *præcisa*, ut dicitur in concessione immediate sequenti, sed *moralis*, quæ scilicet æquivaleat magnæ utilitati. Necessitas hæc moralis, apud nos, vix non in omnibus diœcesibus invenitur.

(3) Hic ordinandus supponitur vigesimum tertium annum jam complevisse, sive jam sit ordinatus in sacris, sive non adhuc sit subdiaconus. In 3ª vero facultate ex *extraordinariis C.*, ordinandus supponitur jam esse diaconus, et requiri adhuc quatuordecim menses pro canonica promotione ad sacerdotium.

(4) Moralem scilicet non absolutam et strictam.

(5) Vox ista *idonei* refertur ad vocem *operariorum*, non autem ad vocem *sacerdotium;* ac proinde si quis haberet requisitas intellectus et voluntatis dotes pro sacerdotio, sed non eas quæ requiruntur in Missionario, non posset hanc dispensationem obtinere.

dispensandi ex rationabili causa [1] in votis simplicibus castitatis et religionis."

5. "Absolvendi et dispensandi in quacumque simonia; et in reali, dimissis beneficiis, et super fructibus male perceptis injuncta aliqua eleemosyna vel pœnitentia salutari arbitrio dispensantis, vel etiam retentis beneficiis, si fuerint parochialia et non sint qui parochiis præfici possint."

6 "Dispensandi in 3°. et 4°. consanguinitatis et affinitatis gradu simplici et mixto tantum, et in 2°. 3°. et 4°. mixtis, non tamen in 2°. solo quoad futura Matrimonia; quod vero ad præterita etiam in 2°. solo, dummodo nullo modo attingat primum gradum, cum his qui ab hæresi vel infidelitate convertuntur ad Fidem Catholicam, et in præfatis casibus prolem susceptam declarandi legitimam." [2]

7. "Dispensandi super impedimento publicæ honestatis justis [3] ex sponsalibus proveniente."

---

[1] Etsi clausula "*ex rationabili causa,*" inspecta concessione prout jacet, afficiat tantum dispensationem in votis simplicibus castitatis et religionis, etiam in dispensatione aliorum votorum requiritur rationabilis et justa quædam causa, et quidem ad validitatem, ut dictum est sub n. 236. Ratio autem cur *rationabilis causa* expresse dicatur requiri pro duobus votis castitatis et religionis est quia duo hæc vota sunt ex jure reservata R. Pontifici.

[2] Ad intelligentiam hujus facultatis, quæ sane difficultate non caret, notanda sunt sequentia:

1°. Clausula illa "*gradu simplici et mixto*" apud auctores triplici significatione sumitur; scilicet 1°. *de æqualitate et inequalitate graduum*, v. gr., si consanguinitas esset in quarto gradu ex parte sponsi, et in tertio ex parte sponsæ; 2°. *de multiplicitate ejusdem impedimenti*, v. gr.. si consanguinitas proveniret ex communi stipite qui sit duplici ratione communis; 3°. *de concursu duorum impedimentorum*, scilicet consanguinitatis simul et affinitatis. Porro si teneatur prima significatio, quæ, ut ait Feije, "est propria et maxime usitata," dicendum est quod facultas concessa pro aliquo gradu non comprehendit eumdem mixtum cum aliquo propinquiori sed tantum cum aliquo remotiori licet non expresso in indulto.—Cf. Feije, n. 626. 3. et 630. b. c. d. e.

2°. Prædicta facultas triplici memorata significatione accepta, quatenus respicit eos qui ab hæresi vel infidelitate convertuntur, supponit eosdem iniisse jam Matrimonium juxta mores regionis in qua vivunt et leges civiles validum, non autem evidenter nullum, et fornicarium.—Cf. Feije, n. 625. 2°.

3°. Eadem facultas quatenus respicit catholicos non conversos, valet tantum pro Matrimoniis contrahendis, et non pro contractis, scilicet extenditur tantum ad ea revalidanda seu sananda.—Cf. Konings, vol. 2. p. 397.

[3] Melior lectio esset si loco "*justis*" poneretur "*justitiæ*;" tum quia Sacri Canones loquuntur semper de *justitia publicæ honestatis*, tum quia vox *justis* videtur orta ex abbreviata scriptione *just.*—Præterea sponsalia vocantur in jure canonico "*valida*" et "*licita,*" non autem *justa*.—Cf. Feije, n. 615.

8. "Dispensandi super impedimento criminis, neutro tamen conjugum machinante, et restituendi jus amissum petendi debitum." [1]

9. "Dispensandi in impedimento cognationis spiritualis præterquam inter levantem et levatum."

10. "Hæ vero dispensationes matrimoniales, videlicet 6ª. 7ª. 8ª. et 9ª. non concedantur, nisi cum clausula: *dummodo mulier rapta non fuerit, vel si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat*: et in dispensatione tenor hujusmodi facultatum inseratur, cum expressione temporis [2] ad quod fuerint concessæ."

11. "Dispensandi cum gentilibus et infidelibus plures uxores habentibus, ut post conversionem et baptismum, quam ex illis maluerint, si etiam ipsa fidelis fiat, retinere possint, nisi prima voluerit converti."

12. "Conficiendi Olea Sacra cum Sacerdotibus, quos potuerint habere et, si necessitas urgeat, etiam extra diem Cœnæ Domini."

13. "Delegandi simplicibus Sacerdotibus potestatem benedicendi paramenta et alia utensilia ad Sacrificium Missæ necessaria, ubi non intervenit sacra unctio; et reconciliandi ecclesias pollutas aqua ab Episcopo benedicta, et, in casu necessitatis, etiam aqua non benedicta ab Episcopo."

14. "Largiendi ter in anno indulgentiam plenariam contritis, confessis ac sacra communione refectis."

15. "Absolvendi ab hæresi et apostasia a fide et a schismate quoscumque etiam ecclesiasticos tam sæculares quam Regulares; non tamen eos qui ex locis fuerint ubi Sanctum Officium exercetur, nisi in locis missionum, in quibus impune grassantur hæreses, deliquerint, nec illos qui judicialiter abjuraverint, nisi isti nati sint ubi impune grassantur hæreses, et post judicialem abjurationem illuc reversi in hæresim fuerint relapsi, et hos in foro conscientiæ tantum."

---

(1) Jus petendi debitum amitti potest pluribus de causis, sed hic innuitur tantum una, scilicet adulterium, nam ponitur simul cum facultate dispensandi a *crimine*, quod restringitur ad solum adulterium cum promissione matrimonii. Cæterum Episcopi habent aliunde facultatem dispensandi a tali pœna quando hæc oritur ex alio capite. Adverte insuper eam non incurri quando ignoratur, et si ortum habet ex voto, posse cessare per irritationem aut dispensationem voti ipsius.—Cf. Feije, n. 615.

(2) Notatum fuit n. 929. Quær. 1°. hoc non requiri ad validitatem, ut patet ex responso dato Vicario Gen. S. Ludovici.

16. "Absolvendi ab omnibus censuris in Constitutione '*Apostolicæ Sedis moderationi,*' dd. 12. Oct. 1869 Romano Pontifici etiam speciali modo reservatis, excepta absolutione complicis in peccato turpi." (1)

17. "Concedendi indulgentiam plenariam primo conversis ab hæresi atque etiam fidelibus quibuscumque in articulo mortis saltem contritis, si confiteri non poterunt."

18. "Concedendi indulgentiam plenariam in oratione 40. horarum ter anno indicenda diebus Episcopo bene visis, contritis et confessis et Sacra Communione refectis, si tamen ex concursu populi et expositione SSmi. Sacramenti nulla probabilis suspicio sit sacrilegii ab hæreticis et infidelibus aut offensionis a magistratibus."

19. "Lucrandi sibi easdem indulgentias."

20. "Singulis feriis secundis non impeditis officio IX. lectionum, vel eis impeditis, die immediate sequenti, celebrandi Missam *de requie*, in quocumque altari, etiam portatili, et liberandi animas secundum eorum intentionem a purgatorii pœnis per modum suffragii." (2)

---

(1) Amplissima est hæc facultas, sed tamen duæ faciendæ sunt exceptiones, quæ in ea non continentur, et de quibus certo aliunde constat. Nam per Decret. Congr. S. U. I. datum 17. Junii 1866. ita fuit stabilitum: "In facultatibus quibus Episcopi aliique locorum Ordinarii ex concessione apostolica pollent absolvendi ab omnibus casibus apostolicæ Sedi reservatis excipiendos semper in posterum, et exceptos habendos esse casus reservatos in Bulla Benedicti XIV. quæ incipit; *Sacramentum Pœnitentiæ.*"—Deinde per aliud Decretum ejusdem Congr. S. U. I. datum 4. Apr. 1871. prædicta exceptio extensa fuit ad omnes concessiones factas aut faciendas omnibus missionariis.—Porro duæ exceptiones Benedictinæ sunt 1°. casus sacerdotis attentantis absolutionem complicis; 2°. casus personæ cujuscumque sexus falso denuntiantis sacerdotem aliquem de sollicitatione.—Igitur hac in re quinque sunt distinguenda:

1°. Nullus sacerdos potest absolvere suum complicem in peccato turpi, quia in eum nullam habet jurisdictionem, et, excepto casu mortis, evadit relate ad eum quasi non esset sacerdos, et hoc est quod exprimitur per illa verba facultatis 16ae "*excepta absolutione complicis in peccato turpi.*"

2°. Nullus sacerdos potest absolvere sacerdotem qui extra casum mortis attentaverit absolvere suum complicem quia hic est primus ex duobus casibus Benedictinis.

3°. Nullus sacerdos potest absolvere sacerdotem qui *præsumpserit* absolvere a prædicto casu *specialissime* reservato, quia hujusmodi sacerdos per talem *præsumptionem* incidit in excommunicationem simpliciter reservatam.—Attamen omnes nostri sacerdotes quibus communicatur hæc 16a. facultas possunt a tali casu absolvere.

4°. Nullus sacerdos potest absolvere personam vere sollicitatam et quæ absque ulla excusatione, saltem non promittit serio, facere denuntiationem, quia hujusmodi persona non est bene disposita.

5°. Nullus sacerdos potest absolvere personam quæ falso denuntiaverit sacerdotem de sollicitatione, quia hic est secundus casus Benedictinus.

(2) In hac facultate conceditur privilegium altaris personale.

21. "Tenendi et legendi, non tamen aliis concedendi, præterquam ad tempus tamen iis Sacerdotibus, quos præcipue idoneos atque honestos esse sciat, libros prohibitos, exceptis operibus Dupuy, Volney, M. Reghellini, Pigault le Brun, De Potter, Bontham, J. A. Dulaure, Fêtes et courtisanes de la Grèce, Novelle del Casti, et aliis operibus de obscœnis et contra Religionem ex professo tractantibus." [1]

22. "Præficiendi parochiis Regulares, eisque suos deputandi vicarios in defectu sæcularium, de consensu tamen suorum superiorum."

23. "Celebrandi bis in die, si necessitas urgeat, ita tamen ut in prima Missa non sumpserit ablutionem,—per unam horam ante auroram et aliam post meridiem,—sine ministro,—et sub dio et sub terra, in loco tamen decenti,—etiamsi altare sit fractum vel sine reliquiis sanctorum, —et præsentibus hæreticis, schismaticis, infidelibus et excommunicatis, —si aliter celebrari non possit. Caveat vero, ne prædicta facultate seu dispensatione celebrandi bis in die aliter quam ex gravissimis causis et rarissime utatur, in quo graviter ipsius conscientia oneratur. Quod si hanc eamdem facultatem alteri Sacerdoti juxta potestatem inferius apponendam communicare, aut causas utendi alicui, qui a Sancta Sede hanc facultatem obtinuerit, approbare visum fuerit, serio ipsius conscientiæ injungitur, ut paucis dumtaxat, iisque maturioris prudentiæ ac zeli et qui absolute necessarii sunt, nec pro quolibet loco, sed ubi gravis necessitas tulerit, et ad breve tempus eamdem communicet aut respective causas approbet." [2]

24. "Deferendi SSmum Sacramentum occulte ad infirmos sine lumine, illudque sine eodem retinendi pro eisdem infirmis, in loco tamen decenti, si ab hæreticis aut infidelibus sit periculum sacrilegii." [3]

25. "Induendi se vestibus sæcularibus, si aliter vel transire ad loca eorum curæ commissa vel in eis permanere non poterunt."

26. "Recitandi rosarium vel alias preces [4] si breviarium secum de-

[1] Hæc facultas comparanda est cum illa quæ datur sub n. 2. inter *extraordinarias C.*

[2] De hac facultate, vide quæ dicta sunt sub n. 714. Quær. 1°. 2°. 3°.

[3] Plura quæ huc faciunt dicta sunt n. 691.

[4] In aliquibus diœcesibus, apud nos, preces istæ assignatæ ab Ordinario sunt Litaniæ B. M. V. cum Psalmo Miserere; sed non videtur quod gravitas obligationis quæ cadit in officium transferenda sit ad istas preces tum quia materia levis apparet, tum quia non præsumitur talem esse mentem Ordinarii.

ferre non poterunt, vel divinum officium ob aliquod legitimum impedimentum recitare non valeant."

27. "Dispensandi, quando expedire videbitur, super esu carnium, ovorum et lacticiniorum tempore jejuniorum et Quadragesimæ." [1]

28. "Prædictas facultates communicandi, non tamen illas, quæ requirunt Ordinem Episcopalem, vel non sine Sacrorum Oleorum usu exercentur, Sacerdotibus idoneis qui in eorum diœcesibus laborabunt, et præsertim tempore sui obitus, ut, sede vacante, sit qui possit supplere, donec Sedes Apostolica certior facta, quod quam primum fieri debebit, per delegatos vel per unum ex iis alio modo provideat, quibus delegatis auctoritate Apostolica facultas conceditur, sede vacante et in casu necessitatis, consecrandi calices, patenas et altaria portatilia Sacris Oleis, ab Episcopo tamen benedictis."

29. "Et prædictæ facultates gratis et sine ulla mercede exerceantur et ad decennium [2] tantum concessæ intelligantur, nec illis uti possit extra fines suæ diœcesis."

FACULTATES EXTRAORDINARIÆ C.

1. "Recitandi privatim, legitima [3] concurrente causa, matutinum cum laudibus diei sequentis statim elapsis duabus horis post meridiem, eamdemque facultatem ecclesiasticis viris sive sæcularibus, sive regularibus communicandi."

2. "Retinendi ac legendi libros ab Apostolica Sede prohibitos, etiam contra Religionem ex professo agentes, ad effectum eos impugnandi; [4] quos tamen diligenter custodiat ne ad aliorum manus perveniant, exceptis astrologicis, judiciariis, superstitiosis ac obscœnis ex professo; eamdemque facultatem etiam aliis concedendi, parce tamen et dummodo prudenter præsumere possit nullum eos ex hujusmodi lectione detrimentum esse passuros."

---

(1) Vi hujus facultatis non possunt Episcopi nostri dispensare per generale decretum omnes fideles diœceseos super abstinentia carnium aliquibus quadragesimæ diebus, ut patet ex responso dato a S. Congr. Inq. die 15. Sept., 1880. Episcopis Prov. S. Francisci.

(2) Hodie conceduntur ad quinquennium.

(3) Legitima reputatur causa quæcumque utilitas spiritualis vel corporalis ipsius sacerdotis vel proximi.

(4) Non requiritur ut *proximus*, *immediatus* et *unicus* finis hujus lectionis sit impugnatio doctrinæ in hisce libris contentæ.

3. "Dispensandi cum Diaconis utriusque cleri super defectu ætatis quatuordecim mensium, ut promoveri possint ad Sacerdotium, si alias idonei fuerint." [1]

4. "Permittendi *Parochis* sibi subjectis, dummodo justa et legitima causa concurrat, ut iis diebus festis, quibus Fideles Apostolica auctoritate soluti sunt ab obligatione Missam audiendi, ipsi ab applicatione pro populo abstinere valeant, dummodo pro eodem populo in ejusmodi Missa specialiter orent." [2]

5. "Permittendi Catholicis sibi subjectis, ut feriis sextis, Sabbatis aliisque diebus, quibus carnium esus vetatur, acatholicis, si in eorum mensa esse contigerit, carnes præbere valeant, dummodo tamen absit ecclesiasticæ legis contemptus et ejusmodi facultate sobrie multaque circumspectione utantur, ne scandalum in Catholicos vel heterodoxos ingeratur."

6. "Deputandi aliquem Sacerdotem in locis sibi subjectis cum facultate consecrandi, juxta formam in Pontificali Romano præscriptam, calices, patenas et altarium lapides, adhibitis tamen Sacris Oleis ab Episcopo Catholico benedictis."

7. "Impertiendi quater in anno intra fines suæ diœcesis in solemnioribus festis Benedictionem Papalem, juxta formulam [3] typis impressam atque insertam, cum indulgentia plenaria ab iis lucranda, qui vere pœnitentes, confessi ac Sacra Communione refecti eidem Benedictioni interfuerint, Deumque pro Sanctæ Fidei propagatione et S. R. E. exaltatione oraverint."

8. "Declarandi privilegiatum in qualibet ecclesia suæ diœcesis unum altare, dummodo aliud privilegiatum non adsit, pro cunctis Missæ Sacrificiis, quæ in eodem altari celebrabuntur a quocunque presbytero sæculari vel cujusvis ordinis Regulari."

9. "Benedicendi coronas precatorias, cruces, sacra numismata iisque applicandi indulgentias juxta folium typis impressum atque insertum, necnon erigendi Confraternitates B. M. V. de Monte Carmelo, SS^{mi}. Ro-

(1) Vide quæ dicta sunt in nota ad 3^{am}. facultatem ex ordinariis.

(2) Hæc facultas, apud nos, est quasi inutilis, nam nostri quasi-Parochi neque ex justitia neque ex caritate tenentur ad celebrandum pro populo diebus festis.—Dixi *quasi*, quia facienda est exceptio aliqua pro Prov. S. Francisci.

(3) Formula hæc invenitur in Pontificali Romano in fine Partis tertiæ sub titulo: "*Ritus et Formula benedictionis Apostolicæ.*"

sarii et Bonæ Mortis cum applicatione omnium indulgentiarum et privilegiorum, quæ Summi Pontifices iisdem Confraternitatibus impertiti sunt; addita insuper potestate has facultates communicandi presbyteris sacro ministerio fungentibus."

10 "Erigendi in locis suæ diœcesis, in quibus non adsint PP. Franciscales, pium exercitium Viæ Crucis cum applicatione omnium indulgentiarum et privilegiorum, quæ Summi Pontifices ejusmodi exercitium peragentibus impertiti sunt, addita insuper potestate hanc facultatem communicandi presbyteris sacro ministerio fungentibus."

11. "Promovendi Clericos sibi subditos ad Subdiaconatum aliosque Ordines Majores usque ad Presbyteratum inclusive titulo missionis, præstito tamen ab eisdem Clericis juramento [1] antequam Subdiaconi ordinentur, quo spondeant ad instar Pontificiorum alumnorum, suæ diœcesi vel missioni se esse perpetuo inservituros."

12. "Delegandi benedictionem campanarum quandocumque eam ipsi absque gravi incommodo perficere nequeant, Sacerdotibus sibi bene visis, servato ritu Pontificalis Romani, atque adhibitis Oleis et aqua ab Episcopo benedictis; necnon sine aqua ab Episcopo benedicta, si gravis causa concurrat."

13. "Et prædictæ facultates gratis et sine ulla mercede exerceantur, nec illis uti possit extra fines suæ diœcesis."

FACULTATES EXTRAORDINARIÆ D.

1. "Dispensandi super impedimento cognationis spiritualis inter levantem et levatum."

2. "Dispensandi in casibus occultis et in foro conscientiæ tantum super primo et secundo gradu simplici et mixto affinitatis ex copula illicita provenientis, in linea sive collaterali sive etiam recta, dummodo, si de linea recta agatur, nullum subsit dubium quod conjux possit esse

[1] Formula hujus juramenti invenitur ad calcem tractatus de Ordine.—Neque dicas hoc juramentum esse illicitum ex eo quod opponatur bono meliori, scilicet ingressui in aliquam Religionem; nam respondetur hunc ingressum non absolute prohiberi sed tantum ne fiat absque speciali licentia. Præterea bonum commune et universalius præferri semper debet bono particulari et minus universali, ac proinde hoc juramentum eadem ratione justificari potest et debet sicut privilegium aliquibus Ordinibus concessum, ne eorum sodalibus liceat ad aliam Religionem etiam strictiorem transire absque superiorum licentia.—Cf. Konings, vol. 1. not. (k) p. 473.

proles ab altero contrahentium genita, tam in Matrimoniis scienter vel ignoranter contractis, quam in contrahendis." [1]

3. "Dispensandi cum subditis, exceptis Italis de quibus non constat Italicum domicilium omnino deseruisse, atque excepto insuper casu Matrimonii cum viro vel muliere Judæis, super impedimento disparitatis cultus, quatenus sine contumelia Creatoris fieri possit, et dummodo cautum omnino sit conditionibus ab Ecclesia præscriptis ac præsertim de amovendo a Catholico conjuge perversionis periculo, deque conversione conjugis infidelis pro viribus curanda, ac de universa prole utriusque sexus in Catholicæ Religionis sanctitate omnino educanda: servata in reliquis adjecta instructione typis impressa." [2]

4. "Dispensandi cum suis subditis, exceptis Italis de quibus non constat Italicum domicilium omnino deseruisse, super impedimento impediente mixtæ Religionis, dummodo cautum omnino sit conditionibus ab Ecclesia præscriptis; prout in superiori No. 3."

5. "Dispensandi in Matrimoniis mixtis jam contractis, non item in contrahendis [3] super gradibus consanguinitatis et affinitatis, super quibus Apostolicam facultatem pro Catholicis jam obtinuit, quatenus pars Catholica, prævia absolutione ab incestus reatu et censuris, cum parte acatholica rite et legitime Matrimonium contrahere de novo possit, prolesque suscepta ac suscipienda legitima declarari, dummodo cautum omnino sit conditionibus ab Ecclesia præscriptis, prout in superiori No. 3."

6. "Sanandi in radice Matrimonia contracta, quando comperitur ad-

---

(1) Ergo vi hujus facultatis possunt nostri Episcopi concedere ut quis ducat in matrimonium fœminam cujus sororem, vel matrem, vel filiam turpiter cognoverit per copulam. Adverte tamen clausulam; "*in casibus occultis et in foro conscientiæ tantum.*"

(2) Duo sunt genera conditionum quæ requiruntur ut Episcopi nostri possint dispensare ab impedimento disparitatis cultus. Primæ, quamvis in concessione dicantur *præscriptæ ab Ecclesia*, proprie tamen requiruntur a lege naturæ quæ exigit ut evitetur periculum perversionis tam pro se quam pro prole: aliæ autem sunt rubricales et de stricto jure ecclesiastico. Porro, videtur nobis quod primæ necessariæ sunt ad *validitatem* dispensationis, et aliæ tantum ad *liceitatem*, et hoc deducitur non solum ex earum natura, sed etiam quia de primis dicitur "dummodo cautum omnino sit," et de aliis simpliciter, "servata, etc."—Cf. *tractatum de Matrimonio*, n. 903.

(3) Ex hac clausula restrictiva "non item in contrahendis" sequitur quod Episcopi nostri non possunt dispensare quominus matrimonium valide contrahatur inter Titium et Bertam consanguineos aut affines in quarto, tertio aut secundo gradu, si simul vel Berta vel Titius sit acatholicus.

fuisse impedimentum dirimens, super quo ex Apostolicæ Sedis indulto dispensare ipse possit, magnumque fore incommodum requirendi a parte innoxia renovationem consensus, monita tamen parte conscia impedimenti de effectu hujus sanationis."

7. "Absolvendi contrahentes in omnibus et singulis casibus supra expositis, dummodo opus sit, ab incestus reatibus et censuris, imposita pro modo culparum congrua pœnitentia salutari, prolemque susceptam ac suscipiendam legitiman declarandi."

8. "Subdelegandi præsentes facultates suis Vicariis Generalibus, quoties ultra diem a propria residentia abesse debeat, atque duobus vel tribus presbyteris sibi bene visis in locis remotioribus propriæ diœcesis, pro aliquo tamen numero casuum urgentiorum, in quibus recursus ad ipsum haberi non possit." [1]

"Voluit autem Sanctitas Sua et omnino præcepit ut prædictus Episcopus superioribus facultatibus justis dumtaxat gravibusque accedentibus causis et gratis utatur, injuncta tamen aliqua congrua eleemosyna, in pium opus arbitrio ipsius Episcopi eroganda, atque ut, elapso decennio, [2] de singulis dispensationibus concessis certiorare debeat Apostolicam Sedem."

FACULTATES EXTRAORDINARIÆ E.

"Dispensandi in utroque foro cum Catholicis [3] ejus jurisdictioni subjectis, in Matrimoniis sive contractis sive contrahendis, super sequentibus impedimentis:"

1. "Super impedimento primi gradus affinitatis in linea collaterali ex copula licita provenientis pro" (v. c. decem) "casibus." [4]

2. "Super impedimento secundi gradus consanguinitatis vel affinita-

[1] Potestas subdelegandi quæ sub hoc No. conceditur Episcopis, non est illa quæ a canonistis dicitur *ad universitatem causarum.* Quare, absque speciali Indulto, nequeunt Episcopi nostri prædictas facultates *indistincte* aut *confessariis* subdelegare, sed tantum ad tenorem concessionis. Solutio hæc habetur ex aliquo responso Romano apud Konings, vol. 2. not. (44) p. 427.

[2] Quinquennio juxta hodiernam praxim.

[3] Ergo sequentes dispensationes nequeunt dari cum agitur de matrimoniis mixtis contrahendis prout adnotatum est No. 5. præcedentis elenchi.

[4] Numerus casuum diversus est pro diversitate diœceseon et aliarum circumstantiarum.

tis admixti cum primo in linea transversali pro" (v. c. sexaginta) "casibus."

3. "Super impedimento secundi gradus consanguinitatis vel affinitatis in linea transversali æquali pro" (v. c. centum) "casibus."

4. "Super impedimento publico primi gradus affinitatis, ex copula illicita provenientis, in linea sive collaterali sive etiam recta pro" (v. c. triginta) "casibus, dummodo si de linea recta agatur, nullum subsit dubium quod conjux sit proles ab altero contrahentium genita."

"Insuper Sanctitas Sua prædicto Episcopo facultatem concessit in omnibus et singulis casibus superius expositis absolvendi contrahentes, dummodo opus sit, ab incestus reatibus et censuris, imposita pro modo culparum congrua pœnitentia salutari ac prolem tam susceptam quam suscipiendam legitimam declarandi."

"Voluit autem eadem Sanctitas Sua ac omnino præcepit, ut prædictus Episcopus iisdem facultatibus urgentissimis dumtaxat concurrentibus causis et gratis utatur, injuncta tamen aliqua eleemosyna in pium opus arbitrio ipsius Episcopi eroganda."

"Tandem SS^mus Pater eidem Episcopo potestatam fecit prædictas facultates subdelegandi suis Vicariis Generalibus, quoties ultra diem a propria residentia abesse debeat, atque duobus vel tribus presbyteris sibi bene visis in locis remotioribus propriæ diœcesis, pro aliquo tamen numero casuum urgentiorum, in quibus recursus ad ipsum haberi non possit." [1]

---

[1] Hic eadem animadversio, quoad facultatem subdelegandi, recurrit ac illa quæ facta est ad No. 8. præcedentis elenchi.

INDEX

TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS.

TRACTATUS DE CONSCIENTIA.

TRACTATUS DE LEGIBUS.

TRACTATUS DE PECCATIS.

TRACTATUS DE VIRTUTIBUS.

TRACTATUS DE PRÆCEPTIS DECALOGI.

TRACTATUS DE PRÆCEPTIS ECCLESIÆ.

TRACTATUS DE JUSTITIA ET JURE.

TRACTATUS DE CONTRACTIBUS.

TRACTATUS DE OBLIGATIONIBUS PARTICULARIBUS.

TRACTATUS DE SACRAMENTIS IN GENERE.

TRACTATUS DE BAPTISMO.

TRACTATUS DE CONFIRMATIONE.

TRACTATUS DE EUCHARISTIA.

TRACTATUS DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ.

TRACTATUS DE EXTREMA UNCTIONE.

TRACTATUS DE ORDINE.

TRACTATUS DE MATRIMONIO.

TRACTATUS DE CENSURIS.

TRACTATUS DE IRREGULARITATIBUS.

INDEX ALPHABETICUS GENERALIS

A

C

D

F

G

H

I

L

M

P

S

T

U

V





